UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Machvmetis Saracenorum principis, eiusqúe Svccessorvm Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran

**Bibliander, Theodor**

**[Basileae], März 1550**

**VD16 VD16 K 2586**

urn:nbn:de:hbz:466:1-97854

Visual Library

Th. 1318a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# MACHVMETIS SAracenorum principis, eius que

SVCCESSORVM VITAE, DOCTRINA, AC IPSE

## ALCORAN,

Quo uelut authenico legum diuinarum codice Agareni & Turcæ, aliiq; CHRISTO aduersantes populi reguntur. quæ ante annos CCCC, uir multis nominibus, Diui quoq; Bernardi testimonio, clarissimus, D. Petrus Abbas Cluniacensis, per uiros eruditos, ad fidei Christianæ ac sanctæ matris Ecclesię propugnationem, ex Arabica lingua in Latinam transferri curauit.

Soc.tis IESV Paderbornæ 1653. dono Udalrici Hubers typographi.

His adiunctæ sunt CONFVTATIONES multorũ, & quidem probatiss. authorum, Arabum, Græcorum, & Latinorũ, unà cum doctiss. uiri PHILIPPI MELANCHTHONIS præmonitione. Quibus uelut instructissima fidei Catholicæ propugnatorum acie, peruersa dogmata & tota superstitio Machumetica profligantur.

Adiuncti sunt etiam De Turcarum, siue Sarracenorum (qui non tam sectatores Machumeticæ uæsaniæ, quàm uindices & propugnatores, nominisq; Christiani acerrimos hostes, aliquot iam seculis præstiterunt) origine, ac rebus gestis, à DCCCC annis ad nostra usq; tempora, Libelli aliquot lectu dignissimi.

Quorum omnium Catalogum uersa cuiusq; tomi prima pagina reperies.

Rarus. C. 11519 BDr

*Hæc omnia in unum uolumen redacta sunt, opera & studio* THEODORI BIBLIANDRI, *Ecclesiæ Tigurinæ ministri, qui collatis etiam exemplaribus Latinis & Arab. Alcorani textum emendauit, & marginibus apposuit Annotationes, quibus doctrinæ Machumeticæ absurditas, contradictiones, origines errorum, diuinæq; scripturæ deprauationes, atq; alia id genus indicantur. Quæ quidem in lucem edidit ad gloriam Domini* IESV CHRISTI, *& multiplicem Ecclesiæ utilitatem, aduersus Satanam principem tenebrarum, eiusq; nuncium Antichristum: quem oportet manifestari, & confici spiritu oris* CHRISTI *Seruatoris nostri.*

*ANNO SALVTIS HVMAnæ, M. D. L. Mense Martio.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

CATALOGVS EORVM QVAE HOC

*primo Tomo continentur.*

PHILIPPI Melanchthonis ad Alcorani lectorem Præmonitio.

Apologia, p editione Alcorani ad Reuerẽdiſsimos patres ac dominos Epiſcopos & doctores Eccleſiarũ CHRISTI, Theodoro Bibliandro authore.

Epiſtola D. Petri Abbatis Cluniacenſis ad D. Bernhardũ Claræuallis Abbatẽ, de trãſlatione Alcorani, ſiue Saracenorũ legis, ex Arabico in Latinum.

Summula quædam breuis contra hæreſes & ſectam diabolicæ fraudis Saracenorum, ſiue Iſmahelitarum.

Prefatio Roberti Retenenſis Anglí ad D. Petrum Abbatem Cluniacenſem, de Alcorani uerſione.

Codex authenticus doctrinę Machumeticæ, ex Arabico uerſus per eundem Robertum Retenenſem, & Hermannum Dalmatam.

Doctrina Machumetis ſummatim comprehenſa, quæ apud Saracenos magnæ authoritatis eſt, ab eodem Hermanno ex Arabico tranſlata.

De generatione Mahumet, & nutritura eius, eodem Hermanno Dalmata interprete.

Chronica mendoſa & ridiculoſa Saracenorum, de uita Mahumetis & ſucceſſorum eius, eodem interprete.

Annotationes eruditi cuiuſdam & recentioris ſcriptoris, quæ in Alcorani manuſcripti marginibus adiectæ fuerant, unà cum aliquot capitum argumentis & cenſuris, item uaria diuerſorum exemplarium lectione.

# PHILIPPI MELANCHTHONIS PRAEMONITIO ad Lectorem.



NITIO admonendus est lector Christianus, contra Mahometi furores, præmunitionem hanc piam & salutarem tenendã esse. Ecclesia Christi profitetur doctrinam traditam per primos patres, prophetas, filiũ Dei et apostolos. Hæc & prima est, & consentiens, et confirmata resuscitatione mortuorũ, & alijs inusitatis euentibus, quos imitari diabolica potentia nõ potest. Agnoscimus igitur Ecclesiæ doctrinam esse à Deo ęterno cõditore omnium rerum traditam, & sine hoc uerbo nullas religiones recipiendas esse. Porrò Mahometus palàm fatetur, se prophetarum & apostolorum scripta abijcere, ac prorsus gignere aliud doctrinæ genus. Quare hæ recentes fabulę Mahometi nihilo plus mouere aut turbare Christianos possunt, quàm ueteres furores Aegyptij, qui boues, feles, serpentes, tanquã numina colebant, et ab eis auxilium petebant.

Has superstitiones nihil dubiũ est, fuisse multo recentiores, quàm uocem diuinam traditã Nohæ & eius filijs. Semper igitur nobis, qui scimus hoc uerbum per prophetas, Christum, et apostolos traditum, uerè primum & diuinum esse, tenenda est regula, Nullas religiones sine hoc uerbo recipiendas esse. Vt abominamur Aegyptias superstitiones, Corybantum tympana, aut baccharum ululatus: sic Mahometi deliria abominanda sunt, quia pariter sunt extra prophetarum & apostolorum uerbum ac doctrinam. Nam Ecclesia uera Dei extructa est super uerbum prophetarũ & apostolorum: nec ullus usquam Dei populus cogitandus est, qui non amplectitur, nec audit prophetarum & apostolorum scripta.

Hac sententia, quæ est ueriſsima et certiſsima, primùm præmuniendi sunt animi contra furores Mahometi. Deinde eruditus conferre doctrinã nũ genera potest. Quid aliud dicit Mahometus, quàm quod ethnicę religiones tradebãt? Nihil adfirmat de remissione peccatorum, euomit blasphemias in filium Dei, non docet quid sit peccatum, non monstrat causas humanarum calamitatum, nihil potest dicere de uera inuocatione in fide: denicp eam doctrinam quę propria est Euangelij, totam abijcit. Ideo facile potest intelligi, & pugnare Mahometum cum prima doctrina tradita per prophetas & apostolos, & tantum particulam doctrinę rationis humanę de lege, seu de moribus

ribus retinere, in qua ipsa tamen multa insunt fœda, & ad barbaras illas nationes coniungendas accommodata, inter quas primum exarsit hoc incendium.

Nominatim profitetur se hostem esse ijs populis qui inuocant filium Dei, et amplectuntur prophetarum et apostolorum scripta: et his populis hanc ipsam ob causam solam iubet inferri bella. Cõstituit igitur æternum latrocinium, & parricidia. Deinde coniugium prorsus abolet. nam Mahometus concedit duci, & abijci, & abiectas reuocari in thalamum, quot quisq; uult priuato arbitrio. Hæc longè dissident etiam à Moise, qui non concedit priuato arbitrio abijci uxorem, nec reuocari eam cum qua factum est diuortium. Quid quòd nefarias libidines concedit, propter quas Deus non tantum quasq; urbes, sed etiam sæpe totas gentes deleuit.

Est igitur Mahometi secta cõfusio quædam ex blasphemijs, latrocinijs, & flagitiosis libidinibus conflata. Hæ sunt manifestæ notæ diaboli, quæ deterrere homines debent, etiamsi propter regni potentiam uictorias, & successuum magnitudinem leuia ingenia minus abhorrent à tanta impietate. Sed Christianos scire oportet, Ecclesiam in hac subiectam esse cruci, & sæpe imperia fuisse penes impias gentes.

Tertiò & hoc utile est pijs, quærere ex ipsis prophetis & apostolis testimonia. Prædicunt post Euangelij propagationem Mahometi errores, eosq; damnãt. Nihil dubito, Danielem concionari de regno Mahometico, cum de paruulo cornu uaticinatur: quod inquit bellũ inferre sanctis, & præualere eis, & loqui sermones contra excelsum.

Non frustra hæc præmonstrauit Deus ante Mahometum annis amplius mille. ac de Mahometo dici, inde liquet, quia post Romani Imperij inclinationem in Oriente, primum extulit caput Mahometi factio, prima subitis successibus regnum peperit, quod cæteris potentia antecelluit. Concionatur autem Daniel de regno, quod collabente Monarchia in oriente grassaturũ erat, & quidem nouas blasphemias contra Deum armis propagaturũ. Vides igitur pie lector, clara uoce Dei damnatos esse Mahometi errores ac regnum.

Etsi autem liber Mahometi adeò refertus est prodigiosis fabulis, ut sani facile deprehendant autorem diabolum, qui talibus sannis deridet Deum & homines: tamen hæc lectorem præmonui, ut si quid fortasse alicubi minus scurriliter dici uidetur, tamẽ sciamus totũ hoc poema nihilo plus ad nos pertinere, quàm Ægyptiorum portenta, qui feles & serpentes inuocabant.

Illud postremò cogitandum est, quanta sit ira Dei, qui propter impietatem hominum sinit grassari hanc teterrimam pestem, & uerè

subijcit

subijcit orbem terrarum regi pessimo. Hanc iram pij deplorẽt, & sua pœnitentia & precibus lenire studeant. Ecclesia iam multis seculis partim Mahometica peste, partim idololatria [illegible] uastata & attenuata est. quæ ne penitus extingueretur, accendit Deus iterum Euangelij lucem, ut aliqui liberentur ab æterna ira. Sed erit circa mundi finem, qui instat, exigua Ecclesia. Ideo oremus Deum, ut potentiam diaboli grassantis in impijs imperijs compescat, & finem blasphemiarum, idololatriæ, & aliorum malorum faciat, & nomen suum glorificet, ac liberet Ecclesiam suam ab omnibus malis. Amen.

## CHRISTIANO LECTORI THEODORVS Bibliander S.

*Epiphanius ille Cyprius episcopus, quem diuus Hieronymus, & alij patres ecclesiastici tantopere prædicant nomine sanctitatis eximiæ, & eruditionis, in procœmio librorum de hæresibus ualde probat scriptorum diligentiam, qui bestiarum & serpentum formas & naturas, plantarumq; uim pariter noxiam et salutarem literis prodiderunt: ut qui generi humano maximum beneficium contulerint. Siquidem homines indicata uenena rectius cauere possunt, & si qui iam infecti sunt uel afflatu, uel morsu, uel deniq; aspectu noxiarum bestiarum, sanari possunt, indicatis remedijs, quibus uenenum acceptum expellitur. Eosq; uiros præclaros Epiphanius noster se imitatum esse dicit, perscribendo falsas & pestiferas opiniones, turpiaq; facta hæresum, quæ à condito mundo ad sua usq; tempora extiterunt. Quæ quidem unica ratio & exemplum doctissimi pariter & sanctissimi episcopi abunde defenderent, uel potius commendarent æquis iudicibus hoc uolumen, quo mortiferæ uenena draconis istius magni et rubentis sanguine humano, quæ per Machumetẽ infudit miseris mortalibus, fide optima indicãtur: simulq; præbentur alexipharmaca, quæ uenenum repellant, aut læsis præsentem opem ferant, cooperante gratia Domini Dei, qui uult omnes saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis peruenire. Verùm quia uaria sunt hominum iudicia, & alium aliud mouet, ut alterius consilium aut factum probet uel improbet, Apologia pleniori tum reuerendiss. dominis et patribus episcopis atq; doctoribus, tũ pijs omnib. huius editionis rationes reddidi, paratus etiã uberius atq; prolixius satisfacere, si quis à me postulet. Quanquã Christiane lector nõ dubito quin diligenter Apologia nostra perlecta, non obscurè sis intellecturus, me nulla prauitate animi ad hoc opus adductum, sed rationes maximas secutum esse: Nimirum ut satanæ & antichristi astus atq; fraudes detectæ melius caueri possint, animiq; Christianorum confirmentur in fide Catholica, & excitentur ad gnauiter inuigilandum saluti suæ hoc nouiss. & periculissimo tempore. utq; homines Christo consecrati, certatim incumbant ad oppugnandum antichristum, idq; legitimè, suasq; facultates conferant omnes ad ornandam & amplificandam Christi ecclesiam, cui nos totos debemus. Deniq; ut summa ope decoretur nomen Iesu Christi Domini dei & seruatoris nostri, qui habet nomen scriptum in uestimento & femore suo, Rex regum & dominus dominantium: qui percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Amen. Vale amice lector. Ex Tiguro, xx. die Ianuarij.*

*Anno salutis nostræ reparatæ* MDXLIII.

# AD REVERENIDISSIMOS PATRES

## AC DOMINOS EPISCOPOS ET DOCTORES ecclesiarum CHRISTI Apologia pro editione Alcorani:

THEODORO BIBLIANDRO AVTHORE.



VVM doctrina Machumetis, quæ nongentis circiter annis maximã habitati orbis partẽ occupauit, atq; depasta est uelut cancer, nõ edatur in publicũ ipsa sola, uerùm cũ acie ualidissima scriptorũ, qui nõ tam cõfutant eã & refellunt, quàm iugulãt atq; conficiũt: Spero nemini religionis Christianæ studioso, & erudito, & cordato uiro displicere factũ. Potiusq; typographi studiũ & operam fauore prosequenda, qui nõ sine impensis pecuniarũ & labore hos libros inquisiuit, & contraxit, ut in cõmunẽ usum studiosorũ ueniret, iudicaturos, quàm ut ulla culpa hic deprecanda sit. Sed quia tam indocti & mali, quàm docti et integri homines censurã sibi literariam sumunt, multisq; ingens est studiũ omnia omniũ facta carpẽdi & calumniandi: existimaui huius editionis rationem, cuius me fateor magna ex parte authorem, esse reddendam apud uos religionis Christianæ Antistites: quorum præcipuè interest, sanam pietatis doctrinam conseruare, et latissimè diffundere: noxijs autem ratione ac ordine obsistere.

Primoq; ostendam, etsi Machumetanæ doctrinæ codex, quem Arabes uocant Alcoran, eiusq; sectatorum libri plurima contineant falsa, impia, blasphema, non tamen propterea non legendos esse, neq; publicationem eorum librorum labefactare Ecclesiã. Deinde indicabo, cognitionem doctrinę & rerum gestarum factionis Machumeticæ, multiplicem utilitatem afferre Christianis hominibus, præsertim nostra tempestate.

Nam si nihil esset legendũ, nisi ab omni mẽdacio & corruptela impietatis remotũ, & diuinę scripturę per omnia quadrans, pessimè facerent homines Christiani, qui gentiliũ philosophorũ et poetarũ libros toties transcribũt, & in priuatis atq; publicis Ecclesiarũ bibliothecis reponunt, eosq; studiosè legũt, et pueris in scholis interpretant: qui certè nõ minorẽ cõtinent, docentq; impietatẽ, si quis illis magistris uti uelit, quàm Alcoran Machumeticus. Nã uel Deũ prorsus negant, quẽ natura ipsa cunctis hominib. esse demonstrat, uel in ea re hæsitant, uel plures deos adeoq; innumeros fabricãtur. Et quib. numen atq; diuinitatem affingũt, eisdem attribuunt nõ dico probis hominibus indigna, sed in nullo uilissimo homuncione ferẽda in ciuitate bene instituta. Vt interim taceam, quòd plerique corporum resurrectionem, animęq; immortalitatem & præmia bonorum, & supplicia malorum æterna post hãc uitam negant & irrident. Quæ persuasio ubi mentem hominis occupauit, tã longè ab omni officio & humanitate abducit, ut nulla fera, nulla uenenatissima bestia sæuior & nocentior existat, quàm homo homini. Quæ omnia quã tumuis impius Machumet oppugnat. Vt taceam lasciuiam quorundã poetarum & obscœnitatem, qua uelut dulcedine cõdiri aiunt sua carmina. Vt alia multa huius generis præteream. Vnde quidam graues uiri non dubitarunt lasciuos poetas appellare tibias cacodæmonis, ut qs ipse inspirans, per illos conetur letifera cõmenta ingerere hominibus. Tertullianus quoq; pri

mi

mi ordinis theologus, philosophos uocat hæreticorũ patriarchas. Horũ tamen libri chalcographia propagantur, & euoluuntur, & iuuentuti ꝓponuntur in scholis ita recepto more, ut si quis reprehendat, ꝓtinus audiat cõuiciũ asini. Vtq; legantur philosophi, & poetæ, & alij scriptores ethnicorũ, Augustinus Basilius, Hieronymus, Beda, & alij summi theologi nõ modò permittũt, uerum etiam suadent ac hortantur: idq; nõ solũ ad facultatem Latini aut Græci sermonis cõparandã, sed etiã ut superstitiones & prauæ opiniones ethnicorum cognitæ alijs indicẽtur, quo cauere possint: & ut arma præparent aduersum hostes ad pugnã, si quãdo cum eis congrediendũ sit. Adhęc, ut quæcũq; uera, & bona & recta reperiuntur in eorũ scriptis, ea tanq; iniquis possessoribus erepta, ecclesiæ uendicẽtur. Quum igitur in libro Sarracenicæ legis nõ plura extẽt falsa & impia dogmata, quàm in ethnicorũ scriptis: quæ usu ꝓpè quotidiano teruntur manib. Christianorũ, nec minorẽ utilitatem eius lectio quàm istorũ potest afferre pio & prudenti lectori, de quo plura dicent idoneis in locis, spero, Doctiss. atq; religiosiss. uiri, dominiq; & patres uenerandi, uos minimè improbaturos esse Alcorani editionem, præsertim cum tot scriptores ei adiuncti sint, qui omnes errores detegant ac refellant. Confido etiã, uiri prudentes, facilè uos intellecturos, eos qui nos criminantur propter rea quòd edidimus, aut ut Alcoran ederetur operam dedimus, priuatis affectibus agitari magis, quàm studio Ecclesiæ, quod prætexunt.

Deinde, quis uel mediocrem peritiam Iudaicarũ rerum cõsecutus ignorat, eos maximo flagrare odio in Christũ, & eius Ecclesiã? quorũ libri plenissimi sunt uanitate atq; mendacijs, superstitione, impijs dogmatib. & blasphemia. Nam trinitatis mysteriũ, & CHRISTI IESV diuinitatẽ pernegant cũ Turcis, quodq; per mortẽ ipsius unica uia sit ad æternã felicitatẽ, ut extremã insaniã & blasphemiã detestant. præterea cõceptũ ex spiritu sancto, & natũ ex integerrima uirgine, uelis et eqs oppugnãt: omniq; genere cõuiciorũ Dominũ gloriæ, & Seruatorẽ totius mũdi petũt. Quũ tamẽ Machumet Mariæ uirginitatẽ, & cõcepisse ex spiritu sancto, nõ semel adstruat: Christũq; magnis laudibus euehat, quãq; ut summũ prophetã, nõ autẽ ut Deũ. Nã q̃d Iudęi armis & uiolentia superstitionẽ suã nõ obtrudũt alijs, neq; bella gerũt atrocia cum populo Christiano, in causa est imbecillitas eorũ. Nã quotidianæ execrationes nominis Christiani per synagogas, & facta quæ aliquoties deprehendũtur, satis arguunt, si dent pares uolũtati suæ uires, facturos, quod olim duce Barchosba fecerũt in Christianos, aliquot milibus crudelissimè interfectis. Atqui Thalmud eorũ, quo doctrina uniuersa Iudęorũ Christianæ doctrinæ in pleriscq; aduersa cõtinet, alijq; libri Iudæorũ ex eadẽ lacuna mẽdaciorũ & impietatis aspersi, à Christianis in ciuitatib. Christianorũ excudunt, & inter Christianos diuẽdũtur. Nec quisq; sani iudicij homo uituperat eorũ studiũ, sed potius laudat, ut benemeritos de rep. Christiana: quorũ opera sit effectũ, ut opiniões, & peruersa dogmata improborũ hostiũ fidei Christianæ exactè cognosci possint. Hieronymus q̃q;, et Paulus Burgẽsis, & Nicolaus de Lyra passim in cõmẽtarijs sacrę scripturę Iudęorũ deliramẽta inserũt. Nec desunt, qui iustis libris populo Christiano exponunt Iudæorũ peruersam doctrinã atq; superstitionem, uelut Tertullianus, Augustinus et Chrysostomus in homelijs cõtra Iudæos. Nõ dubito igit, Antistites religiõis Christianæ, uos omnesq; nõ liuore atq; alijs affectibus malis occupatos, multo magis ꝓpturos editionẽ Alcorani, quã Iudaici Thalmud: ut ex Machumetis codice authẽtico, nõ ex particulis hinc inde decerptis, penitissimè iudicari possit de hostiũ

noſtræ religionis ſuperſtitione, omnibuſq; inſtitutis eorum etiam politicis.

Ad hæc libri curioſarũ artiũ & ſuperſtitioſarum, ut genethliacorũ & aſtrologorum diuinantium, nec non artes chiromantię et pyromantiæ, & eius generis aliæ, illæ etiam quę cõmercium aliquod habent cum maligno ſpiritu: quas exercere nõ modò legib. diuinis, uerum etiam Cęſarum et pontificum uetitum eſt: per chalcographiam diuulgatæ extant, ac legũtur. Diuus quoq; Auguſtinus in libris De doctrina Chriſtiana, minimè pernicioſum aut inutile cenſet, euoluere libros curioſarũ & ſuperſtitioſarũ artium, ſed eo qui futurus ſit bonus theologus planè dignũ. Aliquot etiã theologiæ doctores & inquiſitores hæreticæ prauitatis, ludificationes Satanæ, atq; maleficarũ actiones impias & turpes, quantũ perueſtigatiõe acri cognoſcere potuerũt, cõſcriptas inuulgarunt, approbantib. illud epiſcopis. Quorũ omnium libri à typographis impreſſi diſtrahunt, et à ſtudioſis leguntur, neq; ſine magno fructu. Siquidem inde cognoſci poſſunt Satanæ cogitationes & aſtus, hominumq; enormis peruerſitas, qui ſe à Deo et uerbo ipſius, Eccleſięq; ſanctę cõmunione auertẽtes, maligno ſpiritui mãcipati ſunt. Quod nã igit periculũ, quã ruinam Eccleſię molitur editio Alcorani? aut qmodo labefactat remp. Chriſtiana? Quũ uiri prudẽtes, & religiõis Chriſtianę uindices edendo in publicũ libros de ſuperſtitiõib. & maleficijs, & diabolicis operationib. atq; technis uarijs, tollere pericula uoluerint, & labes atq; dãna, phibere à populo Domini.

Præterea ex inſtituto eſt omniũ artiũ, non modò nouiſſe uirtutes, & quid rectè atq; ad finem propoſitum accommodè fiat, uerũ etiã uitia: & tam dare præcepta quid uitãdum ſit, quàm quid agendũ, adductis interim exẽplis eorum etiam qui cõtra leges artis uel egerunt, uel locuti ſunt. Idq; ut eſt in grammaticis, dialecticis, rhetoricis, ethicis, in medicina, in re militari obſeruatũ: ita in theologia obſeruatu maximè neceſſariũ eſt. Et imperfecta prorſus uidet ſcientiæ diuinæ tractatio, niſi iuxtà ſermo fiat de inſtitutis Dei, & cõmentis atq; uerſutia diaboli: de Chriſto & antichriſto: de orthodoxis dogmatib. & hæreticorum uaniſſimis & profanis opinionib. de uera & falſa religione: de uirtutib. & uitijs: de bonis & malis operib. de probis hominib. & filijs Dei, itemq; de perditis mancipijs diaboli. Vnde in prophetarum ſermonib. & apoſtolorũ ſcriptis, propemodum plura dicũtur aduerſum peregrinos & impios cultus, quàm de legitimo & uero cultu Dei. Neq; modò præſentis tẽporis impiorũ hominũ partus editos, hoc eſt, falſas doctrinas, peruerſas religiones & peſſimas actiones attingunt, uerumetiam præterita repetũt, & de futuris præmonent. Quemadmodũ Eſaias in ſermone, qui continetur à quadrageſimo capite uſq; ad quinquageſimum caput, totam Babyloniorum religionem, et deos factícios, & cultus, & perſuaſiones impias de ſuis dijs, graphicè depingit, ac populo luda proponit ante centũ annos, quàm abducant in Babylonem. Simulq; rationes apponit, quib. olim confirmentur in uera unius Dei religione, & nõ deficiant ad Babylonicã ſuperſtitionem. Paulus quoq; præmonens de nouiſſimis tẽporib. 1. epiſt. ad Timoth. cap. 4. ait: Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis temporib. diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritib. erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam cõſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos deus creauit ad percipiendũ cũ gratiarũ actione fidelib. & his qui cognouerunt ueritatem. Et Petrus 2. epiſt. cap. 3. in quit: quòd uenient in nouiſſimis diebus illuſores, iuxta proprias cõcupiſcẽtias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſsio, aut aduentus eius? Ex quo enim

patres

patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Seruator etiã in Euãgelio docet, in nouissimis temporib. surrecturos multos pseudoprophetas, qui doctrinam Christianam peruertãt, indicãtes Christum in diuersis locis, ubi minimẽ reperitur: foreq; tẽpora plena proditionib. perfidia, crudelitate, quæ inter cõiunctissimos homines grassentur etiã: homines q; uicturos secure, deditos crapulæ & ebrietati. Quæ omnia cernimus euenisse. Et tamẽ qui talia faciũt, & tradũt, uel potius obtrudunt alijs, soluti ab omni religione & metu iudicij diuini, adeò non acceperũt suã impietatem ex apostolorũ & Christi doctrina, ut modis omnib. quærant eos perdere, qui redarguunt eorum doctrinam, & perditam uitam per apostolicã doctrinam. Hęc quum ita se habeãt, perlecto semel & iterũ Alcorano, existimaui rem theologię tractatoribus gratã, & Ecclesiæ salutarẽ fore, si Machumetis doctrina & res gestæ eius q; sectatorum ederẽt in lucem hac tẽpestate, qua Christianæ res & Machumetanorum Turcarum, bellis & infestationib. & captiuitatibus, & fœderibus maximẽ colliduntur inter se. Et typographũ Ioannẽ Oporinum, amicũ singularem, hortatus sum ut excuderet, pollicens omnem meam operã, quã & pro uirili præstiti. Nec uideo ullam rationem idoneam, cur debeat consilium factum q; nostrum improbari.

Porrò q̃s nescit, quãta sit utilitas historiæ, quæ prudẽtiã & facultatẽ affert iudicãdi de omnib. uitę humanę partibus? à quot hominib. eruditis euecta est usq; ad cœlũ sũmis laudibus? Quis literarũ & sapiẽtiæ cupidus nõ ea delectaẽ, & historiæ lectioni bonã uitæ partẽ nõ impẽdit? Nec est quisq; historię scriptor tã indoctus, aut infans, modò ueritatis explicãdę studiũ prę se ferat, qui nõ aliquẽ fructũ lectorib. afferat. Est autẽ historiæ, & quidẽ ecclesiasticę pars, expolitiq; doctrinę et aliarũ rerũ Machumetis. Vt liquidè perspici queat, quo authore, qua occasiõe quib. rationib. et genere doctrinæ Arabes primũ, apud q̃s olim florẽtiss. fuerũt ecclesię Christi, deinde tot populi Christiani abducti sint ab Ecclesię catholicę cõmercio, et in acerrimos hostes cõuersi. De quib. nõnulla in nostrorũ hominũ scriptis legi, quę paulo aliter et pbabilius narrant in Arabũ libris. Quod si quem offendit, q̃d Machumetica scripta plus mali q; boni cõtinẽt, is cogitet ingenij humani prauitatẽ, & magistri mẽdaciorũ et omnis mali naturã. Vnde fit, ut omnis rerũ gestarũ expositio lõgè plus mali q; boni exhibeat. Cõmemorat ne historia nõ tãtũ extera, uerũ etiã ecclesiastica, & si fas est diuina cõiũgere humanis, adde q̃q; diuinã, tãtũ angelos aut sãctos homines, & pietatẽ, uerũq; et rectũ Dei cultũ, et honestas actiões, utq; semel dicã, ea dũtaxat quę pbãda, quæ imitãda, quæ tenẽda sũt? An nõ potius bona historiarũ pars loquit̃ de prauis hominib. & facinorosis, de lurconib. tyrãnis, latronibus, superstitiosis, aut etiã extremè impijs? An nõ crebra mẽtio fit superstitionũ, pfanę culturę numinis, factionũ, seditionũ, bellorũ immaniũ, latrociniorũ, ueneficij, parricidiorũ, luxus, stuprorũ, adulterij, incestus, luxuriationis nefandæ, fraudũ, furtorũ, peculatus, sacrilegiorũ, perfidię, pditionũ? Qui hæc nõ legi uelit in populo Christiano, eijciat extra limina ecclesiæ historiam uniuersam ethnicorũ & ecclesiasticam oportet, oportet ut deleat magnam partem sacræ sanctæq; historiæ, ut Dei uerbo uim inferat, ut diuinæ sapientiæ cõsilia reprehẽdat damnetq;. Siquidẽ Deus sapientiss. beneuolentissimus & sanctiss. qui nõ uult iniquitatem, cuius uoluntas est sanctificatio nostra talẽ narrationẽ suo populo tradidit, eamq; legi & cognosci uult, nõ ut iniusta, turpia, immoderata, impia discant̃ & patrentur, sed ut homines præmoniti caueant, abhorreant, detestentur. Quare mihi uidentur

dentur uel de Mahometicis ſcriptis, quæ hoc uolumine continentur, non probè iudicaſſe, uel affectu quopiam priuato moueri, qui hanc Saracenicæ hiſtoriæ editionem iniquè ferunt, & uituperant

Non ſic egerunt ueteres illi nũquam ſatis laudati eccleſiarũ præſules, qui errores et impia dogmata, et hęreticorũ doctrinas, quas uelut arcaniſs. myſteria conabant apud ſe occultare, haud quaq; latere paſsi ſunt. Ac cenſuerũt impiæ doctrinæ confutationem et iugulationẽ eſſe, uel è latebris in lucẽ protrahi, & in Chriſtiani populi iudiciũ adduci. Nihil enim eſt infirmius mẽdacio, ubi ad lucernã diuinæ ueritatis cõſideratur. Quem enim mediocriter doctũ in Euangelio & lege Domini, uel tantillũ moueãt omnes Mahumetis ratiõnes languidę & elumbes, quib. nititur adſtruere Chriſtũ nõ eſſe Deũ, ſi unũ in faſciculũ colligãtur? Deus (inquit) unus eſt. ergo nõ pater, & filius: eſſent enim plures. Si pater & filius eſſent, et ꝓinde plures dei, ſchiſma cõſequereť, & factiones in cœlo: igitur Deus nõ habet filiũ. Deus nullius indiget, ac per ſe potuit omnia creare, omnia gubernare: igitur nõ genuit filiũ. Nefas eſt in Deo cogitare membra & actionem generandi: igitur non genuit filiũ. Chriſtus & mater ipſius comederũt ut cęteri homines: igitur nõ eſt Deus. Docuit, Adorate Deum & dominũ meum: quare ipſe, nõ eſt Deus, qui Deum adorauit. Quẽ inꝯ iſtæ friuolę argutationes moueręt? uel quis piorũ ex diuina ſcriptura non ſtatim ſolueret? Vnde Mahometiſtę à diſputationib. & doctrinæ ſuæ diſcuſsione abhorrẽt, pręmoniti etiã à ſuo doctore callidiſsimo: qui faciłè præuidit ſuam doctrinã cõſiſtere non poſſe, ſi ad normam ueritatis exigatur. Celant etiã Machumetani libros ſuos, quantũ poſſunt, ne ueniant in manus hominũ diuerſæ religionis. Verùm ne quis opinetur me iſta fingere, apponã uerba eius uiri docti et religioſi, qui anno ſalutis M CCCCLI Fortaliciũ fidei ſcripſit in Hiſpania, ubi mores & cõſuetudinem Sarracẽnorũ ignorare non potuit. Sũt autẽ hæc uerba in libro quarto, cõſideratione tertia, de fatuitatib. & fabuloſis legis Machometi: Literati & magni ſapientes inter Saracenos nõ adhibent fidem, ſed fictionem doctrinę aduertunt in prædicto libro. Cuius ſunt duo ſigna. Primum, quòd renuunt diſputare cũ aliꝭs ſapiẽtib. publicè. Secundũ, quòd nolunt adduci Alcoranũ in publicũ: et dolent uehemẽtiſsimè, cũ ab aliꝭs legitur: & nullo modo uellent, quòd in linguas alias et literas transferretur. Hæc ille. Quapropter qui editioni Alcorani obtrectant, et nos qui operam ea in re nauauimus, traducunt, & falſis criminibus apud uiros bonos nitũtur inuiſos reddere, nihil adhuc amplius uel ſtudiꝭ uel operæ contulerunt in Eccleſiã CHRISTI, quàm ipſimet ſectatores Mahumetis. Apud quos fortaſsis inire gratiam uolunt iſto beneficio.

Sed operæprecium uidetur huc apponere aliquas maiorũ ſententias et facta, ut planius cerni poſsit, Alcoranũ nõ ulla temeritate, aut propoſito lędendi Eccleſiam hoc tẽpore uulgari: ſed præmeditata ratione, et exẽplo pręſtãtiſsimorum hominum in Eccleſia. Prius tamẽ conſtituendũ eſt, quo genere doctrinarũ Alcoran cõtineatur. Romana eccleſia per libros pontificiꝭ iuris, & in litania Paraſceues, ſeparat ab hæreticis Saracenos, ſicut & Iudęos, et paganos. Epiphanius autem in opere De hæreſib. Iudæorum ſectas, phariſæos ſaduceos, herodianos, et reliquos: itemq; ſectas gẽtilis philoſophię, ut potè Stoicos, academicos, epicureos, & cęteros uno genere hæreticorũ cõplectitur tanquam partes. Qua ratione Alcoranũ inter doctrinas hæreticas rectiſsimè cõſtituemus: pręſertim cũ eius peruerſa dogmata reperiantur ab aliꝭs ante ipſum hæreticis iactata eſſe. Ex definitiõe quoq; Auguſtini, Machumet hęreſiarcha

siarcha iudicari debet eiusq; doctrina hæretica. Est autē Aurelij Augustini definitio eiusmodi ex libro de Vtilitate credēdi, quę ponit in Decreto causa xxiij. quæstione iij. Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè uanę gloriæ, principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones uel gignit, uel sequitur. Quæ omnia in Machumete ita sunt nota, ut indicio non egeant. Quare iam exempla maiorum aliqua perstringam.

Ireneus episcopus Lugdunensis, & martyr CHRISTI, uicinus apostolorū temporib. omnium hæresum ab ascensione Domini usq; ad sua tempora traditiones diligentissimè cōscriptas, posteritati Christianæ tradidit. Idemq; in prefatione primi libri eius operis istā rationē reddit: Igit ne fortè et cū nostro delicto abripiant quidā, quasi oues à lupis, ignorantes eos ,ppter exterius ouilis pellis superindumentum, à quib. cauere denūciauit nobis Dominus, similia quidē nobis loquētes, dissimilia uerò sentiētes: necessarium duxi, cum legerim cōmentarios ipsorum (quemadmodū ipsi dicunt) Valētini discipulorū, quibusdā autē ipsorum & congressus, & apprehendens sententiā ipsorū, manifestare tibi dilectissime portentuosissima, & altissima mysteria eorū, quæ nō omnes capiunt, quia nō omnes cerebrū habent: ut & tu cognoscens ea, omnibus ijs qui tecū sunt, manifesta facias, & præcipias eis, obseruare se à profundo insensationis, & eius quæ est in Deum blasphemationis.

Post aliquot annos insecutus Tertullianus, libro cui titulus est Aduersus omnes hæreses, imitatus Ireneum, omnes hæreses explicat, à CHRISTI prædicatione usq; ad sua tempora. Docet etiam, hæreses non capere quenq;, nisi admiretur eas. Valere autem apud eos multum, qui in fide non ualent.

Dionysius Alexandriæ episcopus, & Eusebij testimonio nobilissimus patrū, in septimo lib. Ecclesiasticæ historiæ inquit: Ego tractatus hæreticorū lego, & traditiones eorū perscrutor, etiamsi uidear ad horā uerbis eorū pollui. Sed multū mihi cōfert hoc ipsū, quòd ex ipsorū uerbis arguere eos possum. deniq; dū aliquis ex fratrib. & cōpresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione tanq; cœni alicuius fœtore polluerer: uisio mihi quædā à Deo ostēditur, quæ me cōfirmaret, & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter prolo quens: Lege omnia quęcunq; in manus tuas uenerint, quia probare singula quęq; & discernere potes: quandoquidem ex initio tibi hęc causa fuit credendi. Amplexus sum uisionem, quia & apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti: Omnia legite, quæ bona sunt tenete.

Porrò Epiphanius, episcopus in Cypro insula, doctrinæ celeberrimę uir, adductus multorum piorum precibus, opus nō exiguū edidit, quo hæreses octoginta memorat, non rarò duas aut plures coniungens hęreses. Aliter numerus maior profluxisset.

Nam Philastrius episcopus Brixiensis, CLVI hæresum dogmata & profana instituta expositi.

Post quos diuus Augustinus episcopus Hipponēsis, & doctor Ecclesię inter catholicos et orthodoxos facile princeps, et priorū diligētiam laudib. prosequitur, & ipse librū quo hęreses lxxxvij cōplexus est, edidit. Cuius sanctissimi patris uerba de utilitate quā afferunt hæreses, licet diabolus ad nocendū Ecclesię cōcitet, huc apponenda uidēt ex cap. viij. libri De uera religione. sunt enim dignissima, quę tum in Machumetica, tum in alijs hęresibus inspiciant. Quoniā, inquit, uerissimū dictū est, Oportet multas hæreses esse, ut p bati manifesti fiant inter uos: utamur etiā isto diuinę ,puidētiæ beneficio. Ex his enim hominib. hęretici fiūt, qui etiāsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent,

rent. Cum autē foris sunt, plurimū prosunt, nō uerū docendo, quod nesciūt, sed ad uerū quærendū carnales, & ad uerū aperiendū spirituales catholicos excitādo. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati uiri: sed manifesti nō sunt inter nos, quādiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire maluimus, quàm lucem ueritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei uideant, & gaudeant, per hæreticos excitantur. Vtamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, uigilantiores & cautiores simus: etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus.

Omitto morē Ecclesiæ in librorū censura, quæ quū in apocryphis nō pauca improbaret, uelut in euāgelio Nazareorū, in euāgelio Nicodemi, & alijs scriptis quæ multa olim circūferebantur, hactenus dānauit & reiecit, ut in Ecclesiæ publico cœtu nō recitarētur, ut canonici & ecclesiastici libri: permitteret autem pijs & studiosis hominib. ut priuatim legerēt cū iudicio: & si quid reperirēt quod faceret ad ædificationē Ecclesiæ, id licebat etiā in ecclesia proferri, loco idoneo et tempore. Prętereo, q̄d Hieronymus etiā scripsit de hæresib. Augustino teste: quodq̄ in cōmentarijs scripturæ sanctæ passim ingerit hæreticorū dogmata, si quā scripturā interpretando corruperūt, aut ex alio quo testimonio cōuinci & redargui possunt. Prætereo alia multa, studio breuitatis. Veterū itaq̄ pulcherrima exēpla et magna secutus Dominus Petrus Abbas Cluniacensis, curauit magnis impēsis, ut Alcoran à Latinis legi posset, nō per hoc incommodaturus Ecclesię, sed rē utilissimam effecturus. Cui uiro quantū tribuerit diuus Bernhardus, qui arctissimo uinculo sanctę amicitiæ cōplexus est eum, tum aliæ ipsius epistolæ testantur, tum cclxxvij ad Eugeniū Papam, paucis uerbis ingentem copiam uirtutum & rerum bonarum ei tribuens. Honorate uirū, inquit, ut uerē honorabile membrū in Christi corpore. uas est in honorem, ni fallor, plenum gratię & ueritatis, refertum pluribus bonis: & reliqua. Qui uir pius & eruditus, si uidisset nostra tempora, magnam haud dubiè partem opum cœnobij sui impendisset, ut nō modò singulæ bibliothecæ collegiorum, sed etiam singuli magistri ecclesiarum haberent Turcicæ legis codicem: quo melius possent homines Christianos ad uersus periculum impendens, diuino uerbo munire.

Sed non inutile fuerit etiā paucis indicare, quid Romani pontifices & cōcilia de hoc negotio decreuerint. In concilio quidem Carthaginensi decretū est, ut episcopus gentilium poetarum libros nō legat: hæreticorū autē perlegat, pro necessitate aut tēpore. Id distinctione xxxvij ponitur in decreto. Cęterū in concilio Viennēsi, quod Clemēs quintus celebrauit Anno salutis nostrę M CCC X I. de Arabicis libris, inter quos Alcoran primatum obtinet, ad hunc modum sanxit, ut est in Clementinis, De magistris, & ne quid exigat pro licentia docēdi: Inter sollicitudines nostris humeris incūbentes, perpeti cura reuoluimus, ut errātes in uiā ueritatis inducere, ipsosq̄ * luciferare Deo sua nobis cooperante gratia ualeamus. Hoc est, quod profectò desideranter exquirimus: ad id nostræ mentis sedulò destinamus affectū: ac circa illud diligenti studio, uel studiosa diligētia uigilamus. Nō ambigimus autē, quin ad huiusmodi nostrū desiderium assequendū, diuinorū eloquiorū sit expositio cōgrua, ipsorūq̄ fidelis prædicatio admodū opportuna. Sed nec ignoramus, quin & hæc, pmi noscant inaniter, uacuaq̄ redire, si auribus linguā loquētis ignorātiū, pferant. Ideoq̄ illius cuius uicē in terris licet immeriti gerimus, imitātes exēplū, q̄ituros per uniuersū mūdū ad euāgelizādū, apostolos, in omni

singuarum

*In Basilienſi cōcilio renouatū est hoc decretum.*

** pro lucrifacere.*

linguarum genere fore uoluit eruditos: Viris catholicis noticiam linguarum habentibus, quibus utuntur infideles præcipuè, abundare sanctam affectamus Ecclesiam: qui infideles ipsos sciant & ualeant sacris institutis instruere, Christicolarumq; collegio per doctrinã Christianæ fidei ac susceptionem sacri baptismatis aggregare. Vt igitur peritia linguarum huiusmodi possit habiliter per institutionis efficaciam obtineri, hoc sacro approbante concilio, scholas in subscriptarum linguarum generibus, ubicunq; Romanam curiam residere continget, nec non in Parisiensi, & Oxoniensi, Bononiensi, & Salamãtino studijs prouidimus erigendas: statuentes, Vt in quolibet locorum ipsorum teneantur uiri catholici, sufficientem habentes Hebraicę, Arabicę, & Chaldęæ linguarum notitiam: duo uidelicet, uniuscuiusq; linguæ periti, qui scholas regãt inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas sollicitè doceant, earumq; peritiam studiosa in illos institutione transfundant: ut instructi & edocti sufficienter in linguis huiusmodi, fructum speratũ possint Deo authore producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles. Hactenus sunt uerba Decreti. Quos autem libros Arabum, Synodus iusserit transferri in Latinam linguam? non certè medicorum aut astrologorum magis, quàm eos qui religionem attingunt. Ad quem autem usum transferri iusserit? ut in cauernas abstrudantur, aut cum tineis & blattis luctentur? Nimirum ut publici usus fiant, & legantur, & eorum perdiscantur opiniones, qui ad Christianam religionem adducendi sunt. Vnde autem linguam Arabicam magistri docere possent, quàm ex libris Arabicis? Nullus autem liber commodior est rudibus tyronibus, quàm Alcoran, propter lectionem, quum uocales aliosq; apices literis appositos habeat, qui alijs libris desunt, & propter obseruationem grammatices. Quemadmodum in Hebraica lingua nullus est aptior liber discẽtibus, quàm Bibliorum: quum in alijs notæ uocalium & prosodiæ non adscribantur. Vtilissimum tamen discentibus Arabicam linguam fuerit, Latinam interpretationem adhibere Arabico libro, etiamsi præceptor doctus & fidelis obtingat. Quam utilitatem experiuntur studiosi etiam in Græca lingua.

Proinde authoritas doctissimorũ & sanctissimorũ patrũ de quibus anteà memini, iure præponderat legi Theodosij iunioris, & Valentiniani, quæ prohibet Nestorij libros, quẽ synodus Ephesina damnauit, scriptos habere, uel legere, aut describere, iubetq; diligenti studio requiri, & publicè comburi. Præsertim si quis inspiciat mores principum magnorum, qui plerunq; de literis & doctrinis iudicare non possunt, uel per imperitiam, uel per occupationes bellicas: & permittũt eam administrationem sæpe hominibus neq; pijs, neq; doctis, neq; prudentibus.

Certè isti principes ea lege nõ maiorem pietatis & iustitiæ laudem adepti sunt, quàm si Maximilianus Augustæ memoriæ præbuisset se hominibus quibusdã improbis circumueniendum, qui postulabant libros Iudæorum Thalmudicos eripi & extingui. Non enim hac uia Iudæi euasissent Christiani, neque Christiani meliores. Quibus se strenuè opposuit diuus Reuchlinus, nec permisit Cæsar Augustus uirum optimum per uim opprimi: utercq; immortalem gloriam ex eo negocio apud posteros cõsecutus. Et quid flammis effecerint Theodosius & Valentinianus, aut alij eorum nomine talia sancientes, tempora sequentia indicant. Nam doctrina Nestorij flammis non deleta est, & Nestoriani sobolem produxerunt, ut post annos propè c c. Sergius Nestorianus Machumetem sua hæresi effinxerit aliqua ex parte. Verbo enim Dei, & spiritu oris Christi monstra hæreticorum domantur: Si Christiani piè sanctèq; uiuant, & doceant iuxta uerbum Domini: sicq; sagaciter prauè dogmata eorum quos in uiam reducere moliuntur,

luntur, perueſtigent, & prudenti moderatione accommodent medicinam.

Poſtremò, Viri doctiſsimi et religioſiſsimi, quod nam piaculum eſt? quod ſce lus? quod peccatum? quæ culpa, delictum, error? eum librum denuò per typo graphiam publicare, qui olim per chirographiam uulgatus eſt, nõ ab impijs ho ſtibus eccleſiæ, ſed uenerandis præſidibus: non à temerarijs hominibus, ſed in primis circumſpectis: non à ſtolidis ardelionibus, ſed à grauiſsimis & prudenti bus uiris, qui eccleſiam iuuare, non labefactare uoluerunt? Primùm quidem iuris publici Alcoranũ fecit D. Petrus abbas Cluniacẽſis. nam librũ ex propriis ſcrinijs proferre, alijſq; deſcribendum exhibere, ac librarijs permittere, ut in bi bliothecas publicas & priuatas trãſmigret, ſi ante artem typographicam nõ fuit edere atq; publicare, neſcio quid ſit apud ueteres, libros inuulgare. Deinde Ioan nes Segobienſis, qui poſtea cardinalis creatus eſt, in concilio Conſtantienſi Alco ranum à ſe interpretatum, & notis adornatum, in uſum publicum edidit. Præ terea nullum eſt dogma inſigniter impium & peruerſum in Alcorano, quod nõ extet in libris eorum, quos antea indicaui, Irenęi, Tertulliani, ſcriptorũ eccleſia ſticæ hiſtorię, Epiphanij, Philaſtrij, Auguſtini: quorũ libri ſæpius fœtant propè quàm cuniculi: & typographi quæſtum inde nõ exiguũ tolerant, & rem ſtudio ſis bonæ literaturæ in primis gratam faciunt. Quædam etiam abſurdiora in ue terum hæreſum deſcriptionibus reperiuntur, quàm Alcoran protulerit. Quæ dam Machumetis opiniones conflatæ ſunt ex ſcripturis ſanctis malignè inter pretatis. Voluit enim uerſutiſsimus pſeudopropheta ſuam doctrinam cõſonam uideri ſcriptis canonicis ueteris & noui teſtamenti: quam aliàs ſupplementũ Iu daici teſtamenti & Euangelij appellat, aliàs confirmationẽ. Quædam ex apocry phis Iudæorum & Chriſtianorũ accepta ſunt. Tantumq; ſeductor ſpiritus anti quas ſuas nænias in Machumetis doctrina pallioło nouo ueſtire conatus eſt, ne agnoſcerentur, fingens nuper hæc cœlitus ad prophetam Machũmetem delata eſſe. Neq; uoluit ullus hæreſiarcha diſcipulus uideri alterius, quum eandem do ceret impietatem: ſed colore aliquo ſuum dogma fucarunt ſceleſti deceptores, ut pro nouo uenditare poſſent.

Verùm hæc aliquot exemplis demonſtranda uidentur, ut nemo non intelli gere poſsit, uitilitigatores iſtos falſò nos criminari, quaſi nouis uenenis eccleſiã inficere uelimus edito Alcorano. Non ſemel in Alcorano ſcriptum eſt, Heman quendam cum Pharaone Moyſi præcipuè obſtitiſſe. Is nimirũ eſt Iamnes, ex eo apocrypho productus, ex quo & apoſtolus magorum nomina Iamnis & Mam bris accepit. Abraam quoq; libros ſcripſiſſe ait: quod in Græcorũ canone quo dam etiam legitur. Exemplum quoq; peruertendi ſcripturas unum hic poſuiſſe ſat fuerit, quum in marginibus Alcorani eæ deprauationes annotatæ ſint. Nam quum in Geneſi referatur, quòd capto Lot Abraham quatuor reges perſecutus ſit: id uiolenter torquet Machumet in eam ſententiam, quòd fidem ſuam gladio propagare uoluerit.

Iam uinum bibere ante Machumetem prohibuit Seueriana hæreſis, itemq; Manichaica. Gladio perſequi aduerſos ſuæ religioni, ab Arrianis didicit: ut ta ceam Ariſtobulum Iudæorum pontificem, & Heraclium imperatorem, qui etiã uiolentia pertrahere homines in religionem ſuam conati ſunt. Sacramenta di uinitus inſtituta pro nihilo ducere, commune habet cum Meſſalianis, de quibus Epiphanius multa ſcribit: & Pepuzianis, & Manichæis. Plures uxores ducere, patrũ exemplo niti uidetur. Idem fecerunt Nazarei hæretici, qui & circumciſio nem & legis obſeruationem defenderunt, ſicut Machumet. Quod ſi uerũ eſt, ut Machumet permiſerit luxuriationem contra naturã, quod Saraceni prorſus ne

gant,

gant, & plurimis in locis Alcoran eam fœditatem uehementissimè detestatur: id tamen ei commune esset cum Ophitis seu Caianis, qui Cain, Esau, Core, Iudam, Sodomitas colebant, suosq; cognatos confitebantur. Animas unà cum corporibus interire. Alcoran obscurius tradit. in libello autem de doctrina Machumetis, expressius dicitur, & in nouissimo tempore per tubã archangeli excitandas esse. Hoc ipsum Arabianorum hæresis professa est, temporibus Origenis. Et antea Cerdon resurrectionem animarum adstruxit, corporum resurrectionem negauit. Quod de purgatione animarum, & liberatione etiam malorũ hominum, & diaboli docet, idipsum & Origeniani docuerunt. Tantũq; interest, quòd Machumet illam uirtutem Alcorano suo uendicat, per quem redimendi sint, si uel nouissimo die fidem ei adhibeant. Paradisum uoluptatibus corporis affluentẽ, post Corinthum & Papiam Hierapolitanũ, qui Chiliastarum hæresim cõdidisse fertur, Machumet fabulatur. Christum non esse mortuum, sed frustratis Iudæis ad cœlos euectũ, mentitur cum Cerdone, & Marco, qui putatiuè passum dicit: & Manichæis. cum Saturnino quoq;, & Basilide, qui Simonem Cyrenaicum pro ipso crucifixum esse cõmenti sunt. Formam corporis humani Deo tribuit, cum Andianis, qui & Anthropomorphitæ. Trinitatẽ negat, cum Noetianis, & Sabellianis, qui & Patripassiani: asserentibus eundem patrem, filium, & spiritũ sanctum. Hæresis etiam quæ Cata Aeschinem dicitur, Christum eundem dicit cum patre. Praxeas quoq; & Hermogenes, deum se sibi filium constituisse dogmatizabant. Multo autem insanius hæresis quædam innominata, triformem deum fingit, ut quædam pars sit pater, quædam filius, quædam spiritussanctus.

Cæterùm plurimæ sectæ à temporibus seruatoris usq; ad Machumetem negarunt IESVM CHRISTVM esse filiũ Dei. Quarum aliquas enumerare cõstituì, ut euidentius cernatur, Satanã hostem Dei & generis humani improbissimum, nulli dogmati æquè infestũ esse, atq; incarnationi filij Dei: in qua uera dei notitia continetur & remissio peccatorum, uita denicq; æterna. Simulq; uersutia diaboli agnoscat, qui subinde nouo inuolucro ueteres & lætiferas opiniones tegere cõnatur. Adhæc iudicium Dei spectetur aduersum eos qui Dei uerbo incarnato impiè contradixerunt. Quorum hæreses quædã etsi longiore tempore durauerunt, omnes tamen extinctæ sunt, & senserunt quòd Dominus hostibus suis cõminatus est Lucæ xx. cap. Omnis qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum. Neq; diffidendum est, quin si domi primùm res nostræ ad diuini uerbi regulam componerentur, deinde uiri ecclesiastici, & magistratus Christiani, populusq; totus fidelium iungerent studia & operas ad Machumeticam impietatem expugnandã armis spiritualibus, breui Machumet uilescceret, eiusq; doctrina in contemptũ abiret, Christicq; regnum tolleret altè caput in ijs regionibus, quæ hodie principi tenebrarum seruiunt, olim ecclesijs Christi ornatissimæ fuerunt.

Vtq; à temporibus Christi ordiamur, Matthæi xxij cap. satis apparet, Pharisæorum fuisse opinionem falsam, Messiam nõ Deum Deiq; filiũ, sed tantũ hominem existere. Quos ualidissimè cõfutat Dominus testimonio Psalmi cx. Capite quoq; xvi. in Euangelio Matthæi, uarijq; sententiæ hominum de Christo referuntur: quæ omnes eò tendunt, non Dei filium, sed tantum hominem esse. Quibus opinionibus uanis Petrus nomine apostolorum orthodoxam et catholicam opponit confessionem, quòd sit Christus filius Dei uiui.

Mox post ascensionem Domini exorta est hæresis Gaiana, seu Nicolaitarum, quos Ioannes in epistola sua notat, uocans Antichristos, qui Christum negarent in carne uenisse, & putarent non esse filium Dei: ut est apud Tertullianum.

Apostolorum quoq; temporibus, Claudio imperante Romanis, Simon Samarita, in quem Petrus horrendam sententiã tulit, ausus est se iactare summam uirtutem, hoc est, summum Deum: & tempore Tiberij apparuisse putatiuè in filij persona, in monte Sina legem Iudæis dedisse in persona patris, super apostolos autem in linguis igneis & in cæteris gentibus quasi spiritum sanctum a duen tasse. De quo Irenęus, Augustinus, Eusebius, &c.

Menander successit Simoni, scutũ diaboli, qui præceptoris sui Simonis impudentissimam gloriationem in se trãstulit, semet saluatorem dicens, qui ad hominũ salutẽ de cœlestib. & inuisibilibus seculis destinatus fuerit. Idemq; in suo, nõ in Christi nomine baptisauit. Cuius meminit Irenęus, August. Euseb. et alij.

Ebion, à quo prognati sunt Ebionei, seu Ebionitæ, CHRISTVM solum hominem putauit, & per profectũ uitæ ac uirtutis uirum iustum affectũ, ut in Eusebij chronicis, & Augustini libro de hæresibus, & alijs eiusdem argumenti legitur.

Carpocrates & Cerinthus, IESVM tantum esse hominem dogmatizauerũt, authoribus Tertulliano, & Augustino, &c.

Marcion denicq; Cerdonis discipulus, eandẽ uindicauit impietatẽ, uiuentibus adhuc Apostolis. Cuius impium dogma Lucanus excepit, authore Tertulliano.

Sethiani quidam putauerunt, Sem filium Noe, Christum esse.

Alogiani autẽ, usq; adeò uerbũ & filiũ Dei renuerunt, ut etiã Ioannis Euangelium respuerint, eo quòd in eius principio scribitur: In principio erat uerbum, & reliqua. De utraq; hæresi Augustinus scribit, post alios.

Theodotiani tradiderunt Christum hominem tantũ esse, quanq; conceptum ex spiritu sancto, natum ex uirgine: ut Tertullianus & Augustinus scribunt. Quod Machumetis dogma refert proximè.

Origeniani non ueriti sunt dicere, Christum à patre tantum distare, quantum à Christo distent apostoli. testis Augustinus.

Artemonis hæresim instaurauit Paulus Samosatenus, sub Galieno imperatore, circiter annum Domini cclxx. Quæ asseruit Christum purum esse hominẽ, hoc est, absq; Deo, idq; traditum ab apostolis. De quo Eusebius & Augustinus.

Paucis post annis Vrbicus genere Persa, qui propter mentis uitium Manes, hoc est insanus cognominatus est, à quo Manichæorum profluxit hæresis, insania elatus nunc se paracletum prædicabat, nunc conabatur ostendere se formam CHRISTI gerere, duodecim eligens discipulos, quos ad prædicandum stulta & impia, & à diuersis hæreticis mutuata dogmata mittebat. De quo Eusebius, Augustinus, alij.

Reddita pace ecclesijs post Diocletiani persecutionem, Arrianæ hæreseos incendium exarsit, circa cccxx annum salutis recuperatæ. Quod multos episcopos & principes inuoluit, ac diutissimè CHRISTI ecclesiam exercuit. Docuit autem impius Arrius, CHRISTVM non esse substantiæ eiusdem cum patre. De quo Eusebius & Theodoritus copiose, nec non Augustinus, & alij.

Circa salutis nostræ annum cclviij. Photinus Antiochenus præsul impium dogma protulit, idem cum Samosatena hæresi re ipsa, uerbis autem abludens. Docuit enim Photinus, deum omnipotentẽ unum esse, qui proprio uerbo condiderit uniuersa. Refugiebat autẽ CHRISTI filij Dei natiuitatẽ & existentiam ante secula profiteri. De quo in v. lib. Tripartitæ historiæ.

Theodosio & Valentiniano imperantibus, Nestorius episcopus Cõstantinopolitanus, tardioris ingenij hominibus usus est cum Samosateno Paulo & Photino CHRISTVM dicere purum hominem. Quod opinatus etiam est Sergius monachus, qui dogma istud scelestum tradidit Machumeti. Atqui Nestorius non

detraxit

detraxit prorsus CHRISTO diuinitatem, sed ab humana natura in Christo ita separauit diuinã, ut duas personas fingeret impius somniator. Vnde argutabatur: Quum Maria homo fuerit, Deus nõ est, quem illa genuit: Et qui adoleuit ritu hominũ bimestris & trimestris existens, Deus haudquaq; est. Neq; Mariam Dei genitricem appellandã esse, impius hæresiarcha latrauit. Neq; fas, credere illum Deum, qui pependit in cruce, qui mortuus est. Interim uerbi Dei subsistentiam cõfitebatur, & CHRISTO pro merito collatã esse diuinitatem. De quo Historia tripartita & Nicephorus meminerunt, & multa in scriptis Cyrilli extant. Eodem Theodosio imperante anno ccccxlviij contraria hæresis oborta est authore Eutychete archimãdrita, seu abbate Cõstantinopolitano, cui fauit Theodosius, ut fuit magnæ leuitatis, qui Nestoriũ cum libris suis penitus extinctum uoluit. Confudit autem Eutyches duas naturas in CHRISTO, & permiscuit, ut humanam detraheret, diuinam duntaxat reliquam faceret. De quo Vigilius copiose scribit.

Ex ea uerò Eutychetis uesana doctrinæ progenita est Monothelitarũ hæresis, quæ Christo unam tantũ uoluntatem, nempe diuinam tribuebat, adeoq; uerbo rum prestigijs humanitate spoliabat. Quo errore implicitus fuit etiam Heraclius imperator, per Cyrum & Pyrrhum episcopos.

Quæ impia doctrina imperatoris & procerũ ecclesiasticorum authoritate iam confirmata in populo Christiano, unà cum superstitiosa cultura diuorum, & in primis uirginis Mariæ matris Domini, uenerationeq; imaginũ, non parũ iuuerunt sacrilega dogmata Machumetis & sociorũ eius, aduersum CHRISTI Seruatoris diuinitatẽ, & sacerrimũ trinitatis mysteriũ, & colorẽ aliquẽ ueri similitudinis apud rudes homines adhibuerunt, simulq; totum populũ Christianũ idololatriæ suspectũ reddiderunt. Id quod animaduertere licet in aliquot locis Alcorani. Quum enim Monothelitæ CHRISTO adimerent uoluntatẽ humanam, nec cõcederent ueri hominis perfectã naturã: Machumet cõtrà probat fuisse hominem, quippe qui comederit & biberit, & reliqua cum hominibus communia habuerit. Sicut & Esaias adstruit Messiæ humanitatem perfectam, loquens de Emanuele, quòd butyrũ & mel comedet: hoc est, ritu infantiũ alendus sit. Deinde cum diuã Virginẽ cõstaret coli à multis Christianis superstitiosius, ut hodie quoq; fit, dum eius opem superstitiosi implorant, reginam cœli, & stellam maris, spem & uitã suam appellantes: Hinc inuehitur in Christianos Machumet, quòd tres deos colant, patrem, & matrem, & filiũ: ad hæc simulacra, quæ nec uideant, nec audiant, nec iuuare aut obesse possint, uenerentur. Et crebrò ingeminat, unũ esse deum, erroneos autẽ ei consortes adiungere: quæ summa impietas sit.

Hæreticum ê.

Expositis ergo rationibus, quę planè ostendunt, neq; Dei gloriam obscurare, neq; moribus & doctrinæ Christianæ, neq; ullo pacto ecclesiã labefacere, quòd Machumetis doctrina & res gestæ iterum ex typographica officina prodeunt in manus studiosorũ: paucis iam, Patres & domini reuerẽdissimi, perstringã utilitates aliquot redituras ad lectorem attentum, & cum iudicio in libris alienæ religionis uersantẽ: (quod ubiq; facere conuenit, etiã in ecclesiæ doctoribus) ut nemo nõ cernat, in hac editione nullũ piaculũ, aut scelus aut errorẽ admissum esse.

Primùm enim, uix ullum scriptum extat, aut memoria rei gestæ, ubi cernantur euidentius horrenda iudicia Dei aduersum eos homines, qui reuelatam sibi ueritatem nõ habent in precio, ut fiant salui: pluriscq; faciunt uoluptates corporis, & diuitias, & alia quæ caro inimica spiritui expetit. Qui turpissima ingratitudine sua Deum clementẽ prouocant, ut sua gratia & cœlesti custodia destitutos permittat ludibrijs Satanæ, & nunciorum eius uersutiæ atq; deceptionibus, ut

mente capti mendacio palpabili credant, & clarissimam ueritatem respuant, sub specie pietatis etiam flagitia magna perpetrantes. Arabia namque, in qua Machumetica hæresis edita primùm adoleuit, ac fota est, deinde collectis uiribus in alias regiones irrumpens, populos à CHRISTO Seruatore abduxit, quàm ornatos doctrina & pietate olim Episcopos habuit? Quàm florentes & optimè institutæ in ea fuerunt ecclesiæ? Quàm copiosè lux Euangelij sese diffuderat in eo populo? Cuius nominatim etiam Spiritus sanctus in prophetis meminit, quum sermo fit de uocatione gentium ad regnum CHRISTI. uelut Psalmo septuagesimoprimo: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et iterum: Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei. Et Esaiæ capite sexagesimo, ubi sub nomine Hierusalem sermo est de CHRISTI ecclesia ex Iudæis & gentibus congreganda: Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes, & reliqua. Verùm episcopis ad priuatæ rei studium conuersis, & negligentibus suum munus: Principibus quoque magis incumbentibus expilationi plebis, quàm studio tuendi & conseruandi ueram religionem in populis creditis à Domino Deo suæ fidei, persequẽtibus insuper studiosos synceræ pietatis (ut fecit Imperator Valens, Arriana impietate deprauatus: & episcopus Lucius, eiusdem hæreseos sectator) plebs misera, uelut ouicularum grex pastore destitutus, abijt in diuersas opiniones, & secuta est affectus suos pecuinos, ut omnes homines natura sunt procliues ad malum, & semper indigent habenis, ut in uijs Domini rectà progrediantur.

Hinc cœpit res Christiana inclinare ad occasum apud Arabes, ut paulatim ecclesiastica disciplina & CHRISTI notitia exolescerent, & diuinæ scripturæ nomina, & umbra quædam tenuis relinqueretur. Simul etiam liberalis educatio iuuentutis, & artes bonæ expirarunt. Vt horrida barbaries tandem, & densa ignorãtia omnium rerum bonarum, planum aditum præberent principi tenebrarum, eiusq; legatis artificio decipiendi egregiè instructis, omnia transigendi pro sua pessima libidine in populo infelici. Quocirca eximium organum Satanæ Machumet, adiuuantibus duobus hæreticis profugis, & duobus apostatis Iudæis per doctrinam stolidam, impiam, furiosam, sibi contradicentem in plurimis dogmatibus, quas tamen sutelas oracula Dei, eaq; per Gabrielem cœlitus delata asserere nihil uerítus est, Arabes primùm, & alios deinde populos Satanæ laqueis ita innexuit, ut pro superstitione & uanissimis nænijs nihil facere aut pati, non denique mortem occumbere recusent: sempiternam autem ueritatem, & ueram unius Dei religionem aspernentur, oderint, omni genere malorum persequantur. Quem ista propius intuentem in Alcorano, & perpendentem, non horror, non ingens dolor inuadat? non metus iudicio rum Dei concutiat? non cura salutis suæ tangat ac moueat, ut ardentius oret, Deoq; maiorem gratitudinem exhibere studeat, pro summo & inestimabili bono reuelatæ ueritatis salutiferæ per Domini gratiam? Cui non ueternus excutiatur & segnities in operibus diuinis, ut uerbum Dei meditetur die ac nocte, iaq; que sancta uita exprimat, & alijs monitor, hortator, impulsor sedulus instet, ne per negligentiam & cõtemptum rerum diuinarum in illud barathrum ignorantiæ & impietatis & perditionis præcipitentur?

Deinde magnum est operæprecium cognouisse miseram conditionem & infelicem statum eorum, qui à Turcis abducuntur in seruitutem. Quæ res non

ex

ex decerptis particulis doctrinæ Machumeticæ probè cognosci potest: sed perspecta tota Machumetis doctrina ex ipsius Alcorano, quo religio & politia, & omnia Turcarum negotia reguntur, tum demum licebit æstimare, in qualem dominatum trahantur captiui Christiani, in quàm uesanum & perplexum doctrinæ genus, in quàm peruersam religionem. Graue quidem est spoliari facultatibus, abduci à patria, rapi à parentibus, uxore, liberis, & charissimis hominibus, adigi ad immoderatos labores, malignè pasci, flagris cædi, ferre multa indigna. Sed hæc leuia sunt præ illis, quæ animo pio perpetienda sunt.

Quid enim acerbius queat accidere homini uel mediocri pietate imbuto, quàm priuatum solatio Euangelicæ prædicationis, audire inauspicatas fabulas doctrinæ Machumeticæ: spoliatum sacris & rei diuinæ exercitio, spectare institutа prophana, eaq; laudibus ad cœlos euehi cum eleuatione Christianæ religionis: sollicitari denique modis omnibus ad abominabiles & letiferas nugas? Hic dolores & acerbissimi cruciatus animo pio infliguntur: hic tenduntur laquei conscientiarum, hic pericula urgent, hic grauissimæ tentationes circunstant hominem. Quam sanè conditionem uiuendi, uel potius seruiendi inter Turcas, qui non reformidat, securus indulget affectibus, neque dolet uicem fratrum Christianorum, qui iam sunt in eam sortem pertracti, aut periclitantur, ut breui deueniant in Turcicam seruitutem: cum existimo mente ac sensu carere humano, & quouis trunco ac lapide stupidiorem esse.

Veteres certè Christiani periculosissimam uitæ rationem sub infidelibus principibus & populis intelligentes, inter præcipua pietatis opera posuerunt redemptionem captiuorum, & liberaliter tum priuatas opes tum ecclesiasticas erogarunt ad liberandos homines, quos Persæ, Parthi, Gothi, Vandali, & alij pagani ceperant. Ad eandem pietatem extimulabit cognitio doctrinæ Machumeticæ homines, qui modò non sunt profligata mente, ut emendatione uitæ, studio innocentiæ & bonorum operum, consilio prudenti, orationibus pijs prouideant, ne in eam miseriam adducantur: fratres etiam, qui tyrannide hostium impiorum premuntur, iuuent precibus apud Deum, & omnibus facultatibus. Denique supplicent pro persecutoribus, ut pater misericordiarum dignetur eis bonam mentem reddere, ac errorum nebulis sublatis infundere ueritatis lucem, quo à laqueis diaboli erepti, desinant CHRISTI gloriæ, quantum in se est, obsistere, & eius cultores ad defectionem atque perfidiã extremam trahere.

Præterea collatio Alcorani ad scripturas diuinas aptissima est, quæ dignitatem, excellentiam, maiestatem doctrinæ Christianæ illustret, hominumq; errores & corrupta iudicia corripiat: quorum pars fastidit canonicam & orthodoxam doctrinam, pars iniquissimè fert se admoneri uerbo Dei: alij, quorum præcipuè interest curare, ut in Ecclesia per idoneos ministros Christiana doctrina proponatur, & scholæ sint rectè institutæ, negligunt sibi diuinitus iniunctum munus. Est enim in sanctis scripturis ueteris ac noui Testamenti, solida ubiq; ueritas: in Alcorano scatent absurda mendacia. In sanctis scripturis omnia sibi consentiunt, etiam diuerso tempore scripta: in conflando Alcorano Machumet cum pauculis adiutoribus non potuerunt sibi constare, quin crebras ponerent antilogias, & enunciata ex diametro pugnantia. Sacræ literæ sequuntur naturam & optimam rationem dicendi, ut omnia sint plana,

simplicia, fidei & charitatis rectissimę normæ quadrantia: in Alcorano sine ordine res congeruntur, omniaq; sparguntur confuse atque perturbatè, ut quædam Labyrintho inexplicabiliora sint, etiam confessione illorũ qui exercitati sunt in doctrina Machumetis. Nulla propè argumenti explicatio ritè confecta inest, nullus lepos aut suauitas orationis, quæ lectorem detinere possit, unico rhythmo excepto, ob quem Saraceni Alcoranum mirificè prædicãt. Vtq; semel dicam, Scriptura oracularis aurum & argentum septies purgatum, & triticum purgatissimum, & lux clarissima existit: doctrina Machumetis scoria, & inanes paleæ, & densissimæ tenebræ iudicari debet.

In doctrina CHRISTI apparet, quod pollicetur, iugũ suaue, & onus leue: in Alcorani codice iugum durum & insuaue, & onera difficillima: quãtumuis Machumet promittat se religionis rationem faciliorem attulisse, uideaturq; uiribus hominis tribuere salutis æternæ adeptionem. Cur igitur tam molestum est professis CHRISTVM, eius doctrinam auscultare: quum Machumetistas non pigeat, gnaros literarum, quotidie tempus aliquãtum lectioni Alcorani tribuere? Quanta reprehensione digni sunt literarum studiosi, qui nugis ineptissimis sæpe delectantur, & in eis bonam partem uitæ conterunt, sacras autem literas fastidiose relinquunt, aut summo cum tædio legunt: quum Alcoran inter Machumetanæ philosopiæ studiosos statis horis, utq; uocant, canonicis, perlegatur singulis mensibus. Cur in proceribus Christianis tam leuis est cura, ut doctrina pietatis per idoneos uiros colatur sedulò & dextrè in Ecclesia: ut scholis præficiantur magistri sanctis moribus, & eruditione minimè uulgari prædíti, qui iuuentutem rectè instituant ad pietatem, & prudentiam, & eloquendi facultatẽ, unde reip. uiri suppetant, qui eam feliciter gubernare possint: ut rebus tam necessarijs, & sine quibus nullo pacto incolumis potest quæcunq; ciuitas consistere, legitima portio ecclesiasticarum opum impendatur? ut de priuatis hic taceam. Si quidẽ Alcorano docendo magnifica gymnasia destinata sunt, & opes ingentes, quibus ingenia excitentẽ, foueãturq; tam qui docent, quàm qui discunt perbenignè. Cæterùm Alcorano reguntur nõ tãtum cæremoniæ, & religionem spectantia, uerumetiam politica tam in castris quàm domi. Vnde nomophylaces, qui hodie Turcarum dialecto uocantur Iescherchadij, potestatem habent retractandi sententias per imperatorem latas, si legibus Machumetis repugnẽt. Quæ autem hodie in populo Christiano doctrinæ cœlestis reuerentia? Vulgares homines admoneri se, & uitia sua carpi non ferunt æquo animo, sed recalcitrant undiq;, dicentes se nolle regi à sacerdotibus. Magistratus autem tantum non crimen læsæ maiestatis interpretantur, si acta eorum aliquando sacræ doctrinæ pugnãtia redarguantur Dei uerbo. Quæ ingratitudo & peruersitas magnum profectò malum dabunt, nisi corrigantur.

Adhæc perspectus Alcoran mirificè monstrat, quàm faciant imprudenter illi magistratus, qui prohibendo Euangelij prædicationem, conantur ueterem (ut aiunt) fidem retinere, & confirmare suam potestatem uel tyrannidem, & prohibere motus atq; nouationes rerum. Quo facto, isti sibi & subdito populo pessimè consulunt. Quandoquidem illud plurimum iuuit conatus Machumetis, quia reperit in Arabia populum barbarum, & stupidum, sine cognitione rerum, sine doctrina cœlesti: qui nomina duntaxat euangelij & ueteris testamenti haberet, ac tenuẽ notitiã Christi. Nam per initia restitit populus Machumetis & discipulorum eius doctrinæ ijs rationibus friuolis, quæ in ore uulgi carentis solida gratiæ & fidei doctrina hodie que audiuntur: Maiores nostri uixerunt, & mortui sunt in hac religione: quapropter & nos eam retinebimus

pertina-

pertinaciter. Principes nostri sic tradiderunt, sic uitæ exemplo præeunt: qui nobis sequẽdi sunt. Machumet homo est nulla re insigni cõmendatus, nec edit miracula, nec ei adhærent homines nobiles & potentiores, sed infimæ sortis & qua si colluuies hominũ: cur igitur fidem illi adhiberemus, & in partes eius descenderemus? Verùm eas obiectiones, & similes, facilimum fuit Machumeti soluere, quemadmodum in Alcorano cernitur. Et quia populus Arabicus non fuit certis ac solidis sententijs diuinæ scripturæ uelut anchoris confirmatus, aduersum fluctus aduersariæ potestatis, haudquaq; in certamine quod nõ tantum aduersus carnem & sanguinẽ, sed magis aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores harum tenebrarũ, contra spiritualia nequiciæ in cœlestibus fuit, sine armatura Dei perstiterunt, sed palearũ ritu uentis impiæ doctrinæ abrepti sunt. Quum enim Machumet cum suis discipulis aliquãdiu subintrando ædes, quæsiuisset sectatores, confisi iam partibus suis auctis, in apertum protulerunt monstrum adultum: quumq; pars populi induisset persuasionem, quòd Machumet ueritatem traderet, pars simularet uel ob temporariũ commodum, uel ex metu periculorũ, obtinuit in uulgo Arabico imperiũ Machumet, principesq; oppressi & extincti sunt, quorũ culpa infelix populus pseudoprophetis obiectus est. Habet etiam ætas nostra exemplum recens & uiuidum in regno Monasterienſi anabaptistarum. Quod nisi diuina prouidentia, & principum quorundam atq; uirorum optimorum, qui CHRISTI Euangelio gaudent, opera fuisset destructum, staret hodie in media Germania regnum per omnia simile Machumetico in Arabia, quod se per temporis interualla diffudit in omnes habitati orbis partes.

Iam uerò quem non seculum hoc turbatissimũ excitet, ut pericula, quæ undiq; nobis imminent, circumspiciat, quando res Christianæ & Turcarũ inter se confligunt atq; permixtæ sunt, ut alij cum Turcis fœdus habeant, alij bella gerant, fiantq; incursiones hostium propè quotidianæ, quibus fratres ab oculis nostris abducuntur? Quidq; de nobis statuerit Dominus, ignoratur, quũ sint omnes ordines Christiani populi multis & magnis uitijs deprauati, & parua cogitatio de uita emendanda. Quare mihi uidetur hoc tempore lectio Alcorani nõ modò utilis, uerum etiam necessaria, ut melius ad omnem fortunam nos parare atq; instruere possimus. Siue enim abeundũ nobis in captiuitatem sit, quod Deus auertat, siue in patria diutius uiuere permittatur, summopere cõducet inspexisse in authentico libro Turcarum, quibus rationibus nitatur ipsorum religio, & quibus oppugnent fidem Christianam: simulq; præparatas habere sentẽtias uerissimas ex diuinis scripturis primùm, deinde ex hostium scriptis argumenta, quibus uelut suo gladio iugulentur. Nam in seruitutem abducti, & cauere sibi melius poterunt, ut qui præternauigant periculosa loca maris, antea de periculis admoniti: & magnã facultatem habebant insinuandi CHRISTVM idoneis hominibus. Quibus autem concedetur patria frui, occasione reperta, & quasi ostio aperto, uel scriptis, uel etiã uiua uoce tum Christianis captis, tum uictoribus uiã salutis commodè indicare studebunt, institutis in hoc uiris, qui linguarum habeant peritiam, per quas intercedere possit commercium. Quæ cogitatio fortasse uidebitur aliquibus superuacanea & stulta, quòd prædicaturus CHRISTVM inter Machumetistas uitæ periculum aditurus sit, neq; ullum hominem adducturus Ecclesiæ: quandoquidem in superstitione sua obstinati, non ferant sermonem contradicentem Alcorano. Equidem, licet studium erudiendi alienos à Christo, & linguas primarias ad hoc negotium accommodandi, post concilium Basilienſe totum deferbuit, multis rationibus in bonam spem erigor, si res diuina primùm domi rectè constituatur, deinde sancti conatus in timore

Domini

Domini & prudenter ad infideles lucrifaciendos Christo extendantur, non parum effectum iri. Tantum experiri iuuet, Dominusq; dabit successum.

Est & illa nõ parua utilitas ex lectione Alcorani, quòd inde capi possunt exhortationes & castigationes, exẽplo prophetarum & apostolorum, & CHRISTI Seruatoris, qui exterorum dicta & facta in loco adhibuerunt, quibus Christiani extimulentur ad officiũ, ut uerbi gratia, quum uideamus aliquos Epicureos uel porcos magis uiuere, ut appareat eos futurũ seculum non credere: an non acres correptiones erunt in eos, si obijciatur, quoties, quàm uehementer in Alcorano futuræ uitæ persuasio inculcetur? ~~Grauis etiam obiurgatio est, Christianos multos imagines ad religionis cultum adhibere, & deos inuocare~~: quæ tamen Machumet, tenebricosæ doctrinæ magister, cauenda & fugienda esse rationibus solidis euincit.

Denicq; in doctrina Machumetis liquidissimè spectare licet, quàm uana & inefficacia sint argumenta, quibus aliqui mentium deceptores Christiano populo falsa dogmata uenditant, & fucant, & defendunt. Non uerentur enim seductores sua commenta dicere uerbum Dei, nixa esse diuinis scripturis: id quod & Machumet fecit. Verùm quum pollicitationes magnificæ reuocantur ad sacram scripturã, deprehenduntur uerbo Dei pugnare, & sententiæ spiritus sancti malignè in alienum sensum detortæ. Diu (inquiunt) durauit illa doctrina, ideo uera est, & recta, & salutaris. Atqui præscriptio DCCCCannorũ minimè patrocinatur falsæ & impiæ doctrinæ Machumetis. Allegant & multitudinem adhærentium, & potentiã, & sanctimoniã. Verùm orbis maxima pars regitur Alcorano & potentissima in mundo: an propterea statim est integra & syncera doctrina illius? Ea est etiam sacerdotũ & monachorũ exquisita species sanctæ uitæ, ut nihil absolutius dici possit. Vulgi autẽ sanctimonia longè superat minoritarũ & cartusianorum obseruantias. Non tamen ex hominibus fides æstimanda est, sed ex religione seu uera seu falsa homines, sint ne cultores Dei, an minus. Quòd si diuitiæ, honos, uictoriæ, fortunæ successus, aliaq; pertinẽtia ad felicitatem temporariam alicui religioni bonitatem addunt, aut ueritatem, nulla est cum Machumetica religione cõparanda, cui hæc copiosissimè suppetunt. Sed ratio ista longissimè fallit, ut nisi Turcæ alijq; sectatores Machumetis à suo duce ad Christum transeant, æternæ damnationi adiudicati sint.

Postremò quæstio nobilissima de Antichristo inter theologos, & in quam meritò incumbunt omnes pij, explicari non potest, nisi perspecto Alcorano. Quum enim aliquot eruditi homines nostri æui, & qui ante annos ducentos scripserunt, Machumetem caput & sectæ ipsius totum (ut ita dicam) corpus Antichristũ dicãt, de quo Daniel, Ezechiel, Ioannes in Apocalypsi uaticinati sunt, nihil hac de re poterit exactè constitui, nisi uniuersam Machumetis doctrinã & instituta ex ipsius organo cognita, cum prophetijs conferamus. Tum enim demum licebit certum aliquid colligere, an sectam Arabicam cum partibus omnibus pro Antichristo accipiamus: an alium perueſtigemus, qui iam uenerit, aut uenturus expectetur.

Et quia mentio Antichristi facta est, peto, Viri ornatissimi, ut concedatur mihi paulisper, ex quo planissimè poterit perspici, quòd editio Alcorani ecclesiæ Christi nõ pericula struit, sed periculorũ indiciũ facit: nõ lædit, sed iuuat: quodq; priuato affectu aliquo ducuntur, qui factum nostrum damnant. Ponamus enim, Antichristum (quem ueteres aliquot theologi tradiderunt annis tantum tribus & sex mensibus ecclesiam persecuturũ, & in templo Hierosolymitano sessurum esse tanquàm Deum) iam in Babylone, aut ulterius etiã in India, docere impie-

tatem

tatem & omnem nequitiem, alioſq; in ſectam ſuã adducere perſuaſionibus falſis, alios promiſsis, alios terrore atq; ſupplicijs: agere etiã iniuſtiſsimè, turpiter, nefariè, immaniter: ut omnis malicia & nequities, & diabolicæ operationes Antichriſtum obſident. Afferat autẽ ad nos uir cui meritò fides nõ denegetur, eius uniuerſam doctrinã & facta pleniſsimè deſcripta. Non ne typographi certatim eum librum in omnes linguas translatũ citò ſpargerẽt per omnes nationes? Nec quiſq; cordatus & æqui iudicij homo reprehenderet eorum factum, ſed laudarent omnes boni & ſapientes, quòd ſua diligentia effecerint, ut homines impendentium malorum præmoniti ſeſe præparent, quo per Dei gratiã in tentatione ſubſiſtere poſsint. Et quod peccatum in editiõe Alcorani, quo religio & leges Turcarum continentur, nec nõ aliorum librorum ſpectatæ fidei, quæ res Turcarũm docent, admiſſum eſt, quum Turcæ ritu Antichriſtiano iam graſſentur, & uicinos fratres atque fidei conſortes immaniter affligant, uideanturq; propè in foribus noſtris conſiſtere? cur non potius fauorem quàm odium experimur, qui curauimus edi libros tempeſtati noſtræ maximè accommodos: cur non laudem magis quàm uituperationem reportamus, qui prodeſſe uoluimus cunctis, nemini obeſſe?

Verum enimuero, Domini & patres colendiſsimi, religione, ſanctimonia, eruditione, ſapientia ornatiſsimi uiri, quum pateat, libros ethnicorũ, Iudæorũ, libros etiã curioſis & ſuperſtitioſis & maleficis artifibus refertos imprimi, nulla id lege prohibente, nullo id ſapiente uiro improbante, in quibus non minus eſt prophanæ & impiæ doctrinæ, quàm in Machumeticis libris: quum theologia, ut aliæ ſcientiæ, non modò religionem ueram tradere, ſed etiam contraria illi cognoſcere & iudicare ſoleat: quum expoſitio doctrinæ Machumetis & rerum geſtarum, pars ſit hiſtoriæ, & quidem eccleſiaſticæ quæ digniſsima lectu iudicatur ab omnibus ſano iudicio prædítis: quum anteſignani fidei orthodoxæ & catholicæ, fraudes hæreticorũ in lucem, & quaſi ad eccleſiæ tribunalia protrahere ſtuduerint: quum ante inuentã typographiam editus ſit olim Alcoran, & in bibliothecas diffuſus, extentq; in ſcriptis excellẽtium uirorum in eccleſia, quæ in Alcorano ſunt maximè prophana: quum lectionẽ Alcorani afferre multiplicem fructum oſtenderim: Nihil dubito, uos editionem iſtam probare, neq; ullum prudentem hominem re diligentius perpenſa damnaturum. Nam de calumniatoribus, quibus nihil ita rectè, ſyncerè, pieq; factũ eſt, ut non machinentur inde negocium bonis uiris faceſſere, minus curandum uidetur. Quos authoritate ueſtra, & ſtudio erga eos qui eccleſiam Domini pro ſua uirili iuuare & amplificare cupiunt, à fortunis & fama noſtra repelletis.

APOLOGIAE THEODORI
Bibliandri pro Alcorani editione
FINIS.

# EPISTOLA DOMINI PETRI

## ABBATIS, AD DOMINVM BERNHARDVM CLA-RÆUALLIS Abbatem, de translatione sua, qua fecit transferri ex Arabico in Latinum, sectam, siue hæresim Saracenorum.

SIngulari ueneratione colẽdo, totis charitatis brachijs amplectẽdo, indiuiduo cordis nostri hospiti, Domino Bernhardo Clarę uallis Abbati, frater Petrus humilis Cluniacẽsis Abbas salutem ad quã suspirat æternã. Mitto uobis charissime nouã translatiõnẽ nostrã, cõtra pessimum nequam Machumet hæresim disputantem. Quæ nuper dum in Hispanijs morarer meo studio de Arabica uersa est in latinam. Feci autem eam trãsferri à perito utriusq; linguæ uiro magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non ei adeò familiaris uel nota erat, ut Arabica, dedi ei coadiutorẽ doctum uirum dilectum filium & fratrem Petrũ notarium nostrum, reuerentiæ uestrę, ut extimo, bene cognitum. Qui uerba Latina impolitè uel confuse plerumque ab eo prolata poliens et ordinans, epistolam, imò libellum multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum perfecit. Sed & totam impiam sectam, uitamq; nefarij hominis, ac legem, quam Alcoran, id est, collectaneum prę ceptorum appellauit, sibiq; ab angelo Gabriele de cœlo collatam miserrimis hominib. persuasit, nihilominus ex Arabico ad Latinitatẽ per duxi interpretãtib. scilicet uiris utriusq; linguæ peritis, Roberto Retenensi de Anglia, qui nunc Papilonensis ecclesiæ archidiaconus est: Hermanno quoq; Dalmata acutissimi & literati ingenij scholastico. Quos in Hispania circa *Hiberum Astrologicæ arti studentes inueni, eosq; ad hæc faciendum multo precio conduxi. Fuit autem in hoc opere intentio mea, ut morem illum patrum sequerer, quo nullam unquam suorum temporũ uel leuissimam, ut sic dicam, hæresim, silendo præterierunt, quin ei totis fidei uirib. resisterent, & scriptis atq; disputationib. esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hæc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fece uniuersarũ hæresum, in quã, omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Saluatoris aduentu ortę sunt, reliquiæ confluxerunt, facere uolui. Vt sicut eius letali peste dimidius penè orbis infectus agnoscitur, ita quàm execrandus & cõculcandus detecta eius stultitia & turpitudine à nescientibus agnoscatur. Agnoscetis ipsi legendo, & sicut arbitror (ut dignum est) deflebitis, per tam nefarias & abiectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, & à conditore suo per sparcissimi hominis sectam nefariam etiam post redemptoris gratiam tam leuiter auersam. Specialiter autem uobis ista omnia notificaui, ut & tanto amico studia nostra communicarem, & ad scribendum contra tam perniciosum errorem illam uestram, quam nostris diebus uobis Deus singulariter cõtulit, doctrinæ magnificentiam animarem. Nam licet hoc perditis, ut extimo, prodesse non posset, responsionem tamen condignam, sicut contra alias hæreses, ita & contra hanc pestẽ Christianũ armariũ habere deceret. Quam si superfluam esse quibusdã uisum fuerit, quoniã quib. resistere debeant tali bus armis imminuti non assunt: nouitur, in republica magni regis quædam

Petrus Toletanus.

Petrus monachus Cluniac.

Alcoran.

Robertus Retenensis.

Hermãnus Dalmata.

* Ebora Plinio dicitur

Causa translationis Alcorani, & aliorum Arabicorum.

Hodie latius propagata est superstitio Machumetica.

fieri ad tutelam, quædam fieri ad decorem, quædam ad utrumque. Nam ad tutelam facta sunt à Salomone pacifico arma, licet tempore suo minus necessaria. Præparati sunt à Dauid sumptus, parata & ornamenta templi diuini constructioni & ornatui deputata. sed nec illa eius tempore alicui usui profecerunt: sed in usus diuinos post eius tempora transierunt. Manserunt itaque ista aliquanto tempore ociosa: Sed incumbente necessitate apparuerunt, quæ diu uacauerunt, fructuosa. Nec tamen, ut mihi uidetur, opus istud etiam hoc tempore ociosum uocare debeo. Quia iuxta Apostolum, uestrum, est & omnium doctorum uirorum, omnem scientiam extollentem se aduersus altitudinem Dei, omni studio, uerbo & scripto impugnare, destruere, conculcare. Quod si hinc errantes conuerti non possunt, saltem infirmis Ecclesiæ, qui scandalizari & occultè moueri leuibus etiam ex causis solent, consulere & prouidere doctus, uel doctior, si zelum habet iustitiæ, non debet negligere. Propono inde uobis patres omnes, & præcipuè patrem Augustinum. Qui licet Iulianum, Pelagianum, licet Faustum Manichæum uerbis & labore suo ad fidem rectam conuertere nequiuerit, non tamen quin de eorum errore magna contra eos uolumina conderet, omisit. Sic de reliquis sui temporis, et non sui temporis hæreticis, sic de Iudæis, sic de Paganis faciens, non solum contra eos sui temporis homines armauit, sed etiam ad nos & ad posteros omnes maximæ ædificationis & institutionis charisma transmisit. Si igitur reuerentiæ uestræ in his laborandi Deo adspirante uoluntas fuerit, nam facultas per eius gratiam deesse nõ poterit, rescribite, & mittemus librum quemadmodum misimus * ut per os uestrum ipsius laude repletum, spiritui nequiciæ spiritus benignus respõdeat, & Ecclesiæ suæ thesauros gazis uestræ sapientiæ suppleat.

*Contra peruersam doctrinam pugnandum est modis omnibus.*

*Exemplo patrum hæreses detegendæ ac refellendæ.*

*Videtur deesse partem, aut tale quiddam.*

# INCIPIT QVAEDAM SVMMVLA BREVIS CONTRA HAERESES ET SECTAM diabolicæ fraudis Saracenorum, siue Ismahelitarum.

*Primò negant trinitatem, & binarium constituunt in diuinitate.*

SVmma totius hęresis ac diabolicæ fraudis sectę Saracenorum, siue Ismahelitarum, hæc est. In primis primus & maximus ipsorum execrãdus est error, quòd trinitatem in unitate deitatis negant. Sicq; dum in una diuinitatis essentia trium personarum numerũ nõ credũt, in unitate numerũ euitãtes, dum ternarium numerũ inquam omnium formarum principiũ atq; finẽ, sicq; rerũ formatarum causam & originẽ atq; terminũ non recipiunt, Deũ licet ore cõfitentes, ipsum penitus nesciunt. Ipsi aũt deuij, ipsi uariabiles, principiũ uarietatis & alteratis omnis uidelicet binariũ solũ in unitate cõfitentur, scilicet ipsam diuinam essentiam, & eius animam. Vnde deũ pluraliter loquentẽ introducit suũ Alcoran, quo nomine legem suam nuncupãt. Et interpretat Alcoran ex Arabico, collectio præceptorum. Illi autẽ cæci Deum creatorem patrẽ esse negant: quia secundum eos nullus fit pater sine coitu. Christũ itaq; licet ex diuino spiritu cõceptũ, Dei filiũ esse nõ credunt, nec etiã Deũ, sed ꝓphetã bonũ, ueracissimũ, omnis mendacij atq; peccati immunẽ, Mariæ filium sine patre geni-

*Legendũ forte Alteritatis. Anima Dei.*

*Christũ ex parte agnoscunt.*

genitum, nunquam mortuum: quia morte non est dignus. Imò cum illum Iudæi interficere uellent, de manibus eorũ elapsum ascendisse ad astra: ibiq; nunc in carne uiuere in præsentia creatoris, usq; ad aduentum Antichristi. Quem, dum uenerit, Christus idem gladio suo uirtutis interficiet, & Iudæos reliquos ad legem suã conuertet: Christianos autem, qui iam à lõgo tempore legem eius atque euangelium perdiderunt, tum propter eiusdem discessum, tum etiam propter Apostolorum atq; discipulorum mortem, legẽ suam perfectè docebit. In qua omnes Christiani, sicut & illi primi sui discipuli saluabũtur. Cum quibus simul & omnibus creaturis Seraphim, quem ipsi dicunt archangelum unum, sonante buccina morietur & ipse Christus: postea resurrecturus cum cæteris, & ad iudicium suos ducturus, eisq; auxiliaturus, sed nequaquam iudicaturus. Deus enim solus iudicabit: Prophetæ uerò & legati singuli cum suis & pro suis intercessores aderunt, & auxiliatores. Sic enim docuit eos miserrimus atq; impijssimus Machumet, qui omnia sacramenta Christianæ pietatis, quibus maximè homines saluantur, abnegãs, iam penè tertiam humani generis partem, nescimus quo Dei iudicio, inauditis fabularum deliramentis diabolo & morti æternæ contradidit. De quo quis fuerit, & quid docuerit, propter eos qui librum istum lecturi sunt, ut scilicet quod legerint, melius intelligant, & quàm detestabilis tam uita quàm doctrina ipsius extiterint, sciant, dicendum uidetur. Putant etiam quidam hunc Nicolaum illum, unum ex septem diaconibus primis extitisse, & Nicolaitarum ab eo dictorum sectam, quæ & in Apocalypsi Ioannis arguitur, hanc modernorum Saracenorum legem existere. Somniant & alij alios, & sicut lectionis incurioſi, & rerum gestarum ignari, sicut & in alijs casibus, falsa quęlibet opinantur. Fuit autem iste, sicut etiam Chronica ab Anastasio Romanæ Ecclesiæ bibliothecario de Græco in Latinum translata apertissimè narrat, tempore imperatoris Heraclij, paulo post tempora magni & primi Gregorij Romani pontificis ante annos quingentos ferè & quinquaginta, Arabs natione, uilis genere, antiquæ primùm idololatriæ cultor, sicut & alij Arabes tunc adhuc erant, inerudítus, nullarũ penè literarũ. Strenuus in secularibus, & callidítate multa de ignobili & egeno in diuitem & famosum prouectus. Hic paulatim crescendo, & cõtiguos quosq; ac maximè sanguinis propinquos insidijs, rapinis, incursionibus frequenter insistendo: quos poterat furtim, quos poterat publicè occidendo, terrorem sui auxit. Et sæpe in congressionibus factus superior, ad regnum suæ gentis aspirare cœpit. Cumq; uniuersis pari modo resistentibus, eusq; ignobilitatem contemnentibus, uideret se hac uia non posse consequi quod sperabat: quia ui gladij non potuit, religionis uelamine, & diuini prophetæ nomine rex fieri attentauit. Et quia inter barbaros barbarus, inter idololatras & ipse idololatra habitabat, atq; inter illos, quos utpote præ cunctis gentibus tam diuinæ quàm humanæ legis expertes & ignaros, faciles ad seducendum esse nouerat, conceptæ iniquitati dare operam cœpit. Et quoniam prophetas Dei magnos fuisse homines audierat, prophetam eius se esse dicens, ut aliquid boni simularet, ex parte illos ab idololatria, nõ tamen ad Deum unum, sed ad suę, quam parturire iam cœperat, hæresis fallaciam, traducere conabatur. Cum interim iudicio illius, qui terribilis in consilijs dicitur super filios hominum, & qui miseretur cui uult, & quem uult indurat, dedit Satan successum

*Antichristus à Christo confutandus.*

*Christiani doctrinam Christi amiserunt: quam ipse reducet.*

*Iudicium nouissimum.*

*Machumet quis, & quæ doctrina eius.*

*Apocr.*

*Anastasius bibliothecarius.*

*Alcoran translatus auspicijs Abbatis Cluniacensis anno 1143.*

*Religionis simulatio, aucupium egregiũ.*

*Arabes stupidi capiuntur facilè imposturis.*

*Horrendũ Dei iudiciũ spectatur in secta ista.*

*Sergius Nestorianus Machumetis conspirator.*

errori, & Sergium monachum hæretici Nestorij sectatorem ab Ecclesia expulsum ad partes illas Arabiæ transmisit, & monachum hæreticum pseudoprophetæ coniunxit. Itaq; Sergius coniunctus Machumet, quod ei deerat, suppleuit, & scripturas sacras tam ueteris Testamenti quàm noui secundum magistri sui Nestorij intellectum, qui saluatorem nostrum Deum esse negabat, partim prout sibi uisum est, ei exponẽs, simulq; apocryphorum fabulis eum plenissimè imbuens, Christianum Nestorianum effecit. Et ut tota iniquitatis plenitudo in Machumet confluueret, & nihil ei ad perditionem sui uel aliorum deesset, adiuncti sunt Iudæi hæretico. Et ne uerus Christianus fieret, dolose præcauẽtes homini nouis rebus inhianti non scripturarum ueritatem, sed fabulas suas, quibus nunc usq; abundat Machumet, Iudęi insibilant. Sic ab optimis doctoribus Iudæis & hæreticis Machumet instructus,

*Ignorantia diuinæ scięntiæ in errorem adduxit Arabes.*

Alcoran suum condidit, & tam ex fabulis Iudaicis, quàm ex hæreticorum nęnijs confectam nefariam scripturam barbaro illo suo modo contexuit. Quod paulatim per tomos à Gabriele, cuius iam nomẽ ex sacra scriptura cognouerat, sibi allatum mẽtitus, gentem Deum ignorãtem letali haustu infecit, & more talium oram calicis melle linens subsequente mortifero ueneno, animas & corpora gẽtis miserè (proh dolor) interemit. Sic planè ille impius fecit, quando & Christianam & Iudaicam legem collaudans, neutram tamẽ tenendã esse cõfirmans, † propriando & repropriauit. Inde est, quod Moysen optimum prophetam fuisse, Christum Deum maiorem omnibus extitisse confirmat, natum de uirgine prædicat, nuncium Dei, uerbum Dei, spiritum Dei fatetur: nec nuncium, uerbum, aut spiritum, ut nos, aut intelligit, aut faretur. Filium Dei dici, aut credi, prorsus deridet. Et de humanæ generationis similitudine uaccinus homo filij Dei æternam natiuitatem metiens, uel gignere uel generari Deum potuisse, quanto potest nisu, denegat & subsannat. Resurrectionem carnis sæpe replicando adstruit. Iudicium esse in fine seculi non à Christo, sed à Deo exercendũ esse, nõ negat. Illi tamen iudicio Christum, ut omnium post Deũ maximũ, ac seipsum ac gentis suæ præsidium affuturum, uesanit. Inferni tormenta qualia sibi libuit, & qualia adinuenire magnum pseudoprophetam decuit, describit. Paradisum non societatis angelicæ, nec uisionis diuinæ, nec summi illius boni, quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit: sed uerè talem qualem caro & sanguis, imò sex carnis & sanguinis cõcupiscebat, qualemq; sibi parari optabat, depinxit. Ibi carnium & omnigenorũ fructuum esum, ibi lactis & mellis riuulos, & aquarũ splendentiũ, ibi pulcherrimarũ mulierum & uirginum amplexus, & luxus, in quibus tota eius paradisus finitur, sectatoribus suis promittit. Inter ista omnes penè antiquarũ hæresum feces, quas diabolo imbuente sorbuerat, reuomens, cum Sabellio trinitatem abnegat: cum suo Nestorio Christi diuinitatem abijcit. cum Manichæo mortem Domini diffitetur, licet regressum eius non neget ad cœlos. His & similibus nõ acquisitionis, sed perditionis populum imbuens, à Deo plenissimè auertit. Et ne Euangelicus sermo ultrà in eis posset habere locum, uelut omnia quæ sunt Euangelij & Christi scientibus, cordium eorum aditum ferreo impietatis obice obturauit. Circuncisionem insuper uelut ab Ismahele gentis illius primo sumptã, tenendam esse docuit. Et super hæc omnia, quo magis sibi alli cere carnales mentes hominum posset, gulæ ac libidini frena laxauit. Et ipse simul

*properando. Christus qualis à Machumete prædicatur.*

*Resurrectio carnis.*

*Iudicium extremum.*

*Infernus.*

*Paradisus.*

*Circumcisio.*

*Voluptatis magister Machumet.*

simul x & octo uxores habẽs, atq; multorũ aliorum uxores uelut ex responso diuino adulterans, maiorem sibi uelut exẽplo prophetico numerũ perdito rũ adiunxit. Et ut non ex toto inhonestus proderetur, studiũ eleemosynarũ, & quædã misericordiæ opera commendat, orationes collaudat. Et sic undiq; monstruosus, ut ille ait, humano capiti ceruicem equinam & plumas auium copulat. Qui quoniã suadẽte iam dicto monacho, ac præfatis Iudæis, idololatriam ex toto & reliquit, & relinquendam quibus potuit persuasit, atq; unũ Deum, deorum multiplicitate relicta, colendum esse prædicauit, hominibus agrestibus & imperitis inaudita dicere uisus est. Et quia rationi eorum hæc prædicatio concordabat, propheta Dei primò ab eis creditur. Dehinc processu temporis & erroris in regem ab eis, quod concupierat, sublimatus est. Sic bona malis permiscens, uera falsis confundens, erroris semina seuit, & suo partim tempore, partim & maximè post suum tempus segetem nefariã igne æterno concremandam produxit. Nam statim Romano languescente, imò penè deficiente imperio, permittente eo per quem reges regnãt, Arabum uel Saracenorum hac peste infectorum surrexit principatus. Atque uiarmata maximas Asiæ partes cum tota Aphrica, ac partem Hispaniæ paulatim occupãs, in subiectos † sicut imperium, sic & errorem transfudit. Hos licet hæreticos nominem, quia aliqua nobiscum credunt, in pluribus à nobis dissentiunt: fortassis rectius paganos aut ethnicos, quia plus est, nominarẽ. Quia quamuis de Domino uera aliqua dicant, plura tamen falsa prædicant, nec baptismati, sacrificio pœnitentię, uel alicui Christiano sacramẽto, quod nunquã ullus, præter hos hæreticos, fecit, communicant. Summa uerò huius hæresis intentio est, ut Christus dominus, neq; Deus, neq; Dei filius esse credatur: Sed licet magnus, Deoq; dilectus, homo tamen purus, & uir quidem sapiens, & propheta maximus. Quæ quidem olim diaboli machinatione concepta, primò per Arrium seminata, deinde per istum satanam, scilicet Machumet, prouecta, per Antichristum uerò ex toto secundũ diabolicam intentionem complebitur. Cum etiam dicat beatus Hilarius, antichristi originem in Arrio extitisse. Dicit, quod ille cœpit, † unum filium Dei Christũ esse negando, & creaturam esse dicendo: Antichristus tandem nullo modo illum Deum uel Dei filium, sed nec etiam bonum hominem fuisse asserendo consummaturus est. Meritò impijssimus Machumet inter utrũq; medius à diabolo prouisus ac præparatus esse uidetur, qui & Arrij quodammodo supplementum, & Antichristi peiora dicturi apud infidelium mentes maximum fieret nutrimentum. Nihil quippe ita contrarium humani generis inimico, sicut fides incarnati Dei: per quem præcipuè ad pietatem excitamur, et sacramentis cœlestibus renouati, spiritussancti gratia operante illuc, unde nos deiecisse gloriabatur, ad uisionem scilicet regis & patriæ nostræ ipso rege & conditore nostro Deo ad nostrum exilium descẽdente, nosq; ad se meritum reuocante, iterũ redire speramus. Hanc pietatis & diuinæ dispensatio-nis finem, pariter & amorem, simpliciter ab initio in cordib. hominum molitur extingucre. Hanc etiam in principio adhuc nascentis Ecclesiæ: si tunc permitteretur: subtilitate uersutissima: & penè hoc eodem modo: quo postea gentem istam infelicissimam seducere permissus est, eradicare tentauit. Dicit etiem beatus Augustinus: Porphyrium philosophum, postquam à Christianitate miserabiliter apostatauit, hoc in libris suis, quos aduersus Christia-

*Horatius in Arte.*

*Imperitæ multitudinis iudicio Machumet propheta declaratur.*

*Romanorum deficiente imperio Machumet consurgit.*

*†Hoc Germania, hoc totus orbis Christianus attendat.*

*†Verũ, uel uerbum.*

*Perpendite uiri Christiani, an illud deprehendatur in factitio Christi uicario.*

*Christi filij Dei incarnatio præcipuè diabolo aduersa. 1. Timoth. 3. Magnũ sacram. &c.*

*Porphyrius apostata.*

*Machumet Christo filio Dei non plus tribuit quàm diabolus.*

nos edidit, retuliſſe, quod ſcilicet oracula deorum conſuluerit, & de Chriſto quid eſſet, interrogauerit. Reſponſum uerò à dæmonibus fuiſſe, quòd Chriſtus quidem bonus uir fuerit, ſed diſcipulos eius grauiter peccaſſe, qui ei diuinitatẽ adſcribentes, rẽ quam ipſe de ſe non dixerat, confinxiſſent. Quę ſententia penè ĩſdem uerbis in iſtis fabulis inuenitur ſæpiſsimè. Quanta aũt hæc diaboli ſubtilitas extitit, ut de Chriſto aliquid boni diceret? de quo ſi ex toto malè dixiſſet, nullatenus iam ſibi credi ſciebat, nõ curãs quicquid Chriſtus putaretur, dummodo diuinitas, quæ maximè ſaluat homines, in illo nõ crederetur. Si quis plenius uult intelligere, legat xviij. librũ eiuſdem patris Auguſtini, & xviiij. de Ciuit. Dei, & primum de Cõſenſu euangeliſtarum. Ibi enim ſi boni ac ſtudioſi ingenij eſt, conĩcier pro certo, & quid diabolus tunc machinatus ſit facere, ſed non permiſſus: & quid tandem occulto iudicio permittẽte, in hac ſola miſerrima gẽte fecerit relaxatus. Nullo enim modo tales fabulas, quales hic ſcriptæ ſequuntur, aliquis mortalium niſi diabolo præſentialiter cooperante, fingere potuiſſet. Per quas poſt multa ridicula, & inſaniſsima deliramenta, hic præcipuè omni modo Satanas intendit perficere, ne Chriſtus Dominus Dei filius & uerus Deus humani generis conditor & redẽptor eſſe credatur. Et hic eſt uerè, quod per Porphyrium tũc perſuadere uoluit: ſed per Dei miſericordiam ab Eccleſia eo adhuc tẽpore ſpiritus ſancti feruente primitĩs exſufflatus, tãdem miſerrimo homine iſto Machumet, & ut fertur à multis, arrepticio & cadente, quaſi inſtrumẽto et organo ſibi aptiſsimo uſus, proh dolor gentẽ maximã, & quæ iam penè dimidia pars mundi reputari poteſt, ſecũ in ęternã perditionem dimerſit. Quod quare iſti permiſſum ſit, ille ſolus nouit, cui nemo poteſt dicere, cur ita facis? & qui de multis uocatis paucos electos eſſe dixit. Vnde ego magis eligerẽ contremiſcere, quàm diſputare. Iſta breuiter prænotaui, ut qui legerit, intelligat. Et ſi talis eſt, qui contra totã hæreſim iſtã ſcribere et uelit & poſsit, cũ quali hoſte pugnaturus ſit, agnoſcat. Erit fortaſſe adhuc, cuius ſpiritũ Dominus ſuſcitabit, ut Eccleſiam Dei à magna, quam inde patitur, ignominia liberet.

*Qui ſtat, uideat ne cadat. Operemur ſalutem noſtram cum timore & tremore, & ambulemus dũ lux eſt.*

*Operæ preciũ cognoſcere doctrinam impiã Machumetis. Petrus abbas Cluniacenſis curauit magnis impenſis, ut Latini legere poſſint res Saracenorum.*

Quia ſcilicet cum omnes ſiue antiquas ſiue modernas hęreſes uſque ad noſtra tempora reſpondendo confutauerit, huic ſoli quæ ſuper omnes alias tam in corporibus quàm in animabus infinitã humani generis ſtragem dedit, non ſolum nihil reſpondit: ſed nec quid tanta peſtis eſſet, aut inde proceſſerit, inquirere ſaltem uel tenuiter ſtuduit. Nam & hæc tota cauſa fuit, qua ego P. ſanctæ Cluniacẽſis eccleſiæ minimus abbas, cũ in Hiſpanĩs pro uiſitatione locorum noſtrorum, quæ ibi ſunt, demorarer, magno ſtudio & impenſis totam impiam ſectam, eius q̃ peſsimi inuẽtoris execrabilem uitam de Arabico in Latinum transferri, ac denudatam ad noſtrorum noticiam uenire feci: ut quàm ſuſpecta & friuola hæreſis eſſet, ſciretur, & aliquis Dei ſeruus ad eam ſcripto refellendam ſancto inflammante ſpiritu incitaretur. Quod quia proh pudor iam penè huiuſmodi ſtudiorum ſanctorum ubiq̃ in Eccleſia tepefacto feruore, non eſt qui faciat: (expectaui enim diu, & non fuit qui aperiret os, & zelo ſanctę Chriſtianitatis moueret pennam, & ganniret) ego ipſe, ſaltem ſi magnæ occupationes meæ permiſerint, quandoq̃ id aggredi Domino adiuuante propoſui. Simpliciter tamen à quocunq̃ altero melius, quàm à me deterius, hæc fieri, gratum haberem.

Præfatio

# PRAEFATIO ROBERTI TRANSLATORIS AD DOMINVM PETRVM ABBATEM CLVNIACENSEM, IN LIBRO LEGIS SARACENORVM, quem Alcoran uocant, id est, Collectionem præceptorum quæ Machumet pseudopropheta per angelum Gabrielem quasi de cœlo sibi missa confinxerit.

DOMINO suo Petro diuino instinctu Cluniacensi abbati, Robertus Retenẽsis suorum minimus in Deo perfectè gaudere. Vbi sæpius atq; *seriò percepi, qualiter quantum' ue tuus animus solius & totius boni studiosus, sitiuit sterilem paludem Saracenę sectę nondũ uisę fertilem efficere, suumq; puteũ exhaurire, propugnaculaq; prorsus diruere: ego peditis tantum officio prędij functus, uias et aditus diligẽtissimè patefeci. Quis enim gressum dilatabit? Quis nõ citissimè curret, ut hostis errorem, ipsumq; uictum, semetipsum aũt tenere sententiam ubiq; firmam atq; uictricẽ agnoscat? Latinitas tamen omnis hucusq; non dicã pernicios is incõmodis ignorantiæ negligentiæ' ue pressa, suorum hostium causam & ignorare, & non depellere passa est. Tua uerò peruigil prouidentia, sanctissimos & prędelectos Ecclesię doctores semper aspiciens, hoc nullatenus noluit. Cum illum itaque patrem atque doctorem, cuius omnis hæreditas omni pro sua facultate uænalis statuitur, tu discipulus atque filius imiteris: nusquam aliàs reflexus, speraui me, licet omnium tuorum minimum, tuam gratiam promereri posse, si mundani somnij militiæ' que uoto postposito, tuis studiosè nutibus inuigilarem. Vnde quãquam te uelut alumnum & hæredem sapientiæ cohors sapientium circumflua constipet, suas manus tuis nutibus benignè conferens: quorum conuentu me minimè dignum adhuc sentio: uestrum tamen munusculum, puteum prędignatum pandens, saltem semel non obliquè tuus perspicax intuitus, quæso dignetur aspicere. Quãquam enim in effragili fulcitum ingeniolo plura prę cesserunt incõmoda: tum hinc eloquij penuria, ilhinc scientiæ tenuitas, tum id quod ad nil agendum est efficacius, secordiæ uidelicet negligentięq; mater desperatio multiplex ob translationis nostrę uilem & dissolubilem, ac in compaginatam materiam, pro sui modo prorsus, Arabico tantum semoto uelamine, tuæ maiestati præbendam, non minus tamen obnixè tuum obsequium aggressus sum: confisus nil effectu quassari, quo tuum uotum igne diuino plenum, adspirat. Lapides igitur & ligna, ut tuum deinde pulcherrimum & commodissimum ædificium coagmentatum & indissolubile surgat nil excerpens, nil sensibiliter, nisi propter intelligentiam tantum alterans, attuli: Machometi' que fumum, ad ipsius tuis follibus extinctũ, et puteum ad illius exhaustũ tuo uase, ignisq; uestri tuo uentilabro fomentũ atq; feruorẽ, nostri' q; fontis eductu tuo discursum, patefeci. Ius igitur exigit, ut hostiũ castrum, imò caueam delendo, puteum exiccãdo, cum tu sis dextra mũdi pars optima, cos religionis acutissima, charitatis manus largiflua, tuorum

Robertus. Retenensis. *ſerò.

munimen corrobores, tela diligẽter acuas, fontemq; suum fortius emanare, sueq; charitatis uallum protensius atq; capacius efficias. Si quis me uilitatis & incompositionis rerum atq; uerborum arguat, licet iuste forsan: obsecro tamẽ ut cesset, sciens meum nunquam hic fuisse propositum, floribus uenenum tegere, remq; uilem & abiiciendam deaurare. Quod & animi tui lux admirabilis, mira facundia pollens, manu fortissima uigens, mihi indefæpius & studiose deliberanti, summatimq; dicere uolenti clarificauit. Lex tamen ista licet letifera multis in locis, maximum testimonium, argumẽtumq; firmissimum sanctitatis & excellentiæ nostrę legis, uidentibus & electis prębet. Istud quidem tuam minimè latuit sapientiam, quę me compulit interim astronomiæ geometriæq; studium meum principale prætermittere. Sed ne procœmium fastidium generet, ipsi finem impono, tibiq; cœlesti, cœlum omne penetranti, cœleste munus uoueo: quod integritatem in se scientiæ complectitur. Quæ secundum numerum, & proportionem atq; mensuram cœlestes circulos omnes, & eorum quantitates, & ordines & habitudines, demũ stellarum motus omnimodos, & earundem effectus atq; naturas, & huiusmodi cætera diligentissimè diligẽtibus aperit, nunc probabilibus, nonnunquam necessarijs argumentis innitens.

*Quid conferat doctrina hæc.*

# INCIPIT LEX SARACENORVM, QVAM ALCORAN VOCANT, ID EST, collectionem præceptorum.

## AZOARA PRIMA.

*Symbolum Mahumeticum.*

MIsericorde pioq; Deo, uniuersitatis creatori, iudiciũ cuius postrema dies expectat, uoto supplici nos humiliemus, adorantes ipsum: suæq; manus suffragium, semitæq; donũ & dogma, quo nos ad se beneuolos, nequaquam hostes & erroneos adduxit, iugiter sentiamus.

*Vel secundum alium translatorem.*

In nomine Dei misericordis, miseratoris. Gratias Deo domino uniuersitatis misericordi, miseratori, iudici diei iudicij. Te oramus, in te confidimus: Mitte nos in uiam rectam, uiam eorum quos elegisti, non eorum quibus iratus es, nec infidelium.

GVLIELMVS POSTELLVS ITA VERTIT.

*In nomine Dei misericordis, pij. Laus Deo, regi seculorum misericordi et pio, regi diei iudicij. O uos omnes illi seruiamus. certè adiuuabimur. Dirige nos domine in punctum rectum, in punctum inquam illorũ, in quos tibi complacitum est, sine ira aduersus eos, & non errabimus.*

## AZOARA II.

*Quid conferat liber Alcoran, et quales requirat discipulos.*

IN nomine Domini pij & misericordis. Liber hic absq; falsitatis, uel erroris annexu, ueridicus eis, quibus inest amor diuinus, deitatisq; timor & cultus, nec non orationũ ac elemosynarum studiũ, legem item tum tibi, tum cæteris prædecessoribus cœlitus à Deo datarũ obseruatio, spesq; seculi futuri,

ri, sectam ueracem patefecit. Hæc namq; sui sequaces in summum ducens, summo bono ditat, ac ueneratur: uelut incredulis & erroneis summum malum uerè uenturum minatur. Quorum licet uirgam tuæ correctionis adhibeas, nulla tamen ad fidem fiet conuersio: cum eorum aures & oculos, corda simul Deus obturauerit. Deum item, Deiq; que legem ore, nõ opere confitentes: sicq; que nihil aliud quàm suæ detrimentum animæ, licet inscij, sibi lucrantes, animus uacillans pœnis afficit, eisdemq; que cruciatum parit redargutio: cum illi peccatorum serui sordidi, se lotos & liberos ostentare præsumunt. ¶ Cum illis quidem bonæ legis persuadetur acceptio, non oppugnantes coram annuunt, seq; non aliam quàm rectam amplecti uelle pollicentur. Bonis tamen in successu commodo fauentes, semotim illos sibi fuisse ludibrio suis innuunt diabolis: Cum illi post damnose sectam ueracem ob iniquam & mendacem mutantes, surdi, muti, cæciq;, simul & inconuertibiles deo ridiculum existant. Illis etenim assimilantur, quibus ignis accensus extinguitur, tenebræq; succedunt, seu nube coruſca tonitruus & fulgura gestante præoccupatis, aures suas timore mortis obstruentibus, lampadeq; fulguris serè usu priuatis: quibus serenitas motum, tenebræ quietem inducunt. Dei quidem omnipotentiæ usum illis & auditum subtrahere possibile est. Omnes igitur homines domini uestri priorumq; factorem, qui terram in imo, cœlumque summo disposuit, & imbres, & arbores, earumque fructus producit, inuocantes timete, eiq; nullum existere parem firmate, hunc que librum ueracem esse penitus credite, uel consimilem simul omnes manum cõferentes, si possibile sit, perficite, testibus que firmate. Sin autem ignem gehennæ malos puniturum pertimescentes, domini paradiso bonos inducturum, ubi dulcissimas aquas, pomáque multimoda, fructus uarios, & decentissimas ac mundissimas mulieres, omneq; bonum in æternum possidebunt, prædicate. Prauos autem & incredulos culicibus & huiusmodi comparare Deus nequaquam erubescet. Multis itaque bonis recto calle gradientibus, cum mali plures, ipsiq; soli mentientes, Deo nefanda, & † à Deo prohibita, sicque sibi flagitio sunt, gerentes, pernicie-
sam sectam exequantur, domini prece quare non flectitis? His nos namque ad uitam de non esse deducens, mortem inducet, & ad se nos resurgere faciet: qui mundanis peractis ascendens, septem cœlos omniscíens dispositi, angelis intimans se facturum sui similem in terra. Quem illi cõtrà sic affati sunt: Nos in omnibus uestræ maiestati subditi, grates uobis deuotè referimus. Ille uerò uestri simul nequam, & cruoris effusor existet. Tunc Deus se rem ab angelis ignoratam scire firmans, Adam uocabula rerum semotim edocuit, nondum angelis agnita: & illius eloquium suæ sapiẽtiæ prę cunctis angelici argumentum induxit, firmãs etiam, se totius mundi omniũque cordium arcana cognoscere: angelis tamen prius se uocabulorum peritiam ignorare fatentibus, cum Deus ab illis petijsset illius expressionem peritiæ, si ueraces essent. Vnde angeli iussi se coram Adam humiles exhibere, nequam Belzebub excepto, paruerunt. His omnibus sic ex ordine gestis, Adæ præceptum huiusmodi fecimus, Tu mulierq; que tua paradiso maneatis, quantum & quodcunque libuerit, nisi de hac arbore solum, comedẽtes. Quos ab hoc cõsilio diabolica suggestio semouẽs, eosdem ejciẽdos à paradiso prostrauit. Vnde deus illis præuaricatoribus suæ legis inquit, Aduersantes

*Similitudo de ijs qui deserũt sectam, quam simulauerant.*

*Paradisus.*

*Adæ Resurrectio mortuorum. Cœli septem creati.*

*Hominis dignitas angelos superans.*

*Hominis lapsus.*

uersantes alter alteri ad terram, ibi locum horalem pro uelle meo scilicet habituri descēdite. Deinceps item Adæ adepto donū pietatis & ueniæ, sic Deus inquit: Vos ambo meā mihi paradisum relinquite, uitæ uiam à me sumētes, cuius omnis imitator nil periculi seu timoris, deuius & cōtradicens ignē infernalem finis nescius inibit. Vos item filij Israel bonorum quę uobis cōtuli, reminiscentes, fœderis inter uos constituti dissolutionem uitate, meq; super omnia timētes, hūc librū meæ legis à me cœlitus missum, uestræ legis firma mētum esse cognoscite. Vnde nec uos eius obtrectatores, nec cōtradictores primos esse, ius æquū exigit. ¶ Sit autē constans propositū, falsa ueris nequa quā interserere, nec uera cognita tacere, & orationibus assurgere cū summa mētis & corporis subiectione fractuq;, decimas, nec non & debita Deo persoluere, uosq; crebris orationibus abstinentiaq; premere, quæ uelut malis tædium & difficultatem, sic bonis, quorum idoneus ad dominum reditus efficitur, dulcedinem & leuitatem generant. Cauendum quoque, ne cæteris bona prædicantes, bene operari prætermittant, & ne legentes in sua perseuerēt inscientia. Horum præceptorum uos filij Israel executores existite. iudicij diē, qua nulla anima uicem alius nec intercessoris effectum perciperet, timentes, recordantesq; bonorum omnium, quæ uobis dilectis attuli. Nonne enim uos ego de manu Pharaonis prolem uestram necantis, mulieresq; surripientis liberaui, commodè transfretans, illum summergens? Vitulum tamen deinceps, Moyse quadragenarium ieiunium, ut legem susciperet, efficiente, adorasti. ¶ Huius deinceps criminis uobis data uenia mihiq; gratia reddita, per librum uobis à Moyse traditum, boni maliq; discreti uum, uos rectam uitæ uiam agnoscentes, Moysi uos animabus uestris nociuos ob adorationem uituli increpanti, dicentiq; uobis optimum esse Deum inuocare, animasq; uestras mortificare. Sic enim à Deo, cum sit pijssimus, ueniam assequimini. Respondistis, uos nolle gerere quicquam huiusmodi, nisi Deum uideretis: Indeq; se fulguris ictus uobis, cæteris uidentibus, in gessit. Huius rei tamen postea uenia facta, gratiaq; percepta, tēperata sereni tate uos proteximus, mānaq; dulcissimū, quod comederetis, pluēdo prębuimus. Cumq; diximus, Villas ingredientes cibos undelibet sumite: & per porram intrantes, humili uoto gratos reddite. Sic enim malis ueniam, bonisq; statum meliorem Deus annuet malis ipsis hoc abutentibus uerbo, sicque sibi nociuis, non nobis, uindictam cœlitus intulimus. Moyses rursum pluuiam suæ genti postulans, me docēte petram cum uirga percutiendo, xtj fontes potaturis eduxit. Illa quidem sic potu ciboq; ne prædatum isset, ditata, se uno fastidiri uictu, proferebat. Vnde ipsi precati Moysen, ut precessua sibi comestibilia, scilicet bletas, cucumeres, allia, lentigines, cepas creator è terra produceret, diximus: Vos peius pro meliore postulantes, ad Aegyptum descendite, uestrum ibi uotum susceputi. Indeque contemptus & opprobrium, atque calamitas illis incubuerunt. ¶ Illis itaque discedentibus, ira diuina superuenit. Quippe mendaces homicidæ, nequaquam deum timentes inuenti sunt. Sciendum autem generaliter, quoniam omnis rectè uiuens, Iudęus seu Christianus, seu lege sua relicta in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitanter diuinum amorem assequetur. Vestris iterum, ô Iudæi, uotis fidem adhibentes, super uos montem sublimauimus: Sicque ui & uirtute Deum

*Israelitis alcoranum commē dat.*

*Bona opera, seu officia.*

*1. Cor. 9. Ne aliis prædicans, &c.*

*In iudicio Dei quisq; onus suū baiulabit.*

*Pharaonis ultio. Exod.*

*Vituli adoratio. Exod. 32. & latio legis. Exod. 19. non nihil interpolata expositione.*

*Manna.*

*Cōmiscet duas historias. Exod. 15. & 17.*

*Historia Exo. 16. deprauata.*

*Omnes Deum timentes cuiuscūq; professionis saluabuntur. Act. 10.*

te Deum timentes, nostris mãdatis paruistis. Quæ postea linquentes, pœnã & interitum, nisi diuina subuenisset pietas, meruistis. Vobis autem scientibus diuina uindicta die sabbati gerentibus illicita, suisq; sequacibus signum iræ pro correctione bonorum impressit. Moysen rursum Dei nutu uobis uaccarum cædem iniungentem increpastis, quærentes, an ei ridiculum essetis. Quod ipso negante, cum uos nequaquam esse stultos adiecisset, tandem ut per eius inuocationem uaccarum ætas annotesceret, à uobis rogatus inquit: Sint ætatis mediocris, nequaquam annosæ seu iuuenculæ. Vobisq; nondum penitus certis adiecit, Sint sanè nunquam iugo laboriq; suppositæ. Tunc demum uos eum cum uera certitudine reddisse ab opis diuinæ prece fatentes, uaccam huiusmodi uix tamen interfecistis. ¶Cum quis Dei dogmate ipsoq; faciente homicidam ignoratum patefacere studuerit, mortuum cum aliqua uaccæ particula tangat. Sic enim suscitatus, rem ipsam edocebit. Hæc his' que similia ludæis agnita, suam nequaquam duriciam semouent, cum adhuc corda lapidea, imò duriora gestant. E' petris autem plures emanantes aquæ timore creatoris diffluunt. Huius itaque gentis conuersionem ad legem tuam expectas? Absit. Illa namque Dei uerbum auditum & agnitum mutauit, nec ex eo quid operari uoluit. Commodum tamen cum bonis simul assumens, ipsis annumerari se bona faciens exoptat. Aliud autem remota iudicat, licet scire debeat, æquè Deum mentis arcanum, et uocem agnoscere. Plures item nequaquam ex lectione, sed ex alieno sermone sensu' que legem assecuti, libros ex ambiguitatis incommodo interesse uel non esse temerariè captum constanter affirmantes. Deũ læsum à scriptoribus, cum sub illius nomine eorum scripta signentur, ignem' que minimè læsurum illos, nisi tempore determinato. Quos econtra sic scriptores redarguunt. Cum quo pactum huiusmodi firmastis? Creatori' ne uos ambiguum & nescium imponitis? Omnis autem peccator culpæ culpas accumulans, igne perenniter comburetur: uelut omnis Deum timens bonorum persecutor operum, paradisi gaudijs æternè fruetur. ¶Filij quidem Israel fidem libris in quibusdam adhibentes, in pluribus uerò minimè, paucis admodum acceptis, hanc uitam futuræ parantes, huius seculi contemptum & pœnam futuriq; maximè sine meta subibunt. Fœdus namque dilectionis nostræ firmatum, uidelicet quòd solum Deum adorarent, parentibus, suæ legis professoribus, orphanis, calamitosis subuenirẽt, cunctis benedicerent, nullius cædis proscriptionibus seu factores uel actores orationib. inuigilarent, deóque debita soluerent, nec hostium in mutua seditione captorum redemptionẽ susciperent, rei facti in omnib. ruperunt. ¶Moysi, cęterisq; pphetis postea libro tradito, Christo similiter filio Mariæ, cui spiritus diuinus auxiliũatq; testimoniũ extitit, cur prophetas uobis missos displicita prędicãtes uel interficitis? uel cõtradicitis, huicq; libro cœlitus misso uestrę legis firmamento nequaquã fauere, sed cõtradicere rem cunctã uidentes maluistis? Nõ impunè quidẽ. Hoc enim inuidię factũ uestras pessundãs animas, deitatis odium, & iram, mundiq; cõtemptũ & opprobriũ uobis ingeret, qui dicentes, uos nolle nisi libro uobis dato credere, uestrę legi resistitis, hunc suũ confirmatorem respuentes. Si boni estis, cur prophetas perimitis? ¶Vos per Moysen uirtutibus & scientijs instructi, uitulum adorastis, fœderéque dilectionis nostræ firmato, monteque super uos eleuato, nostrum ex ui mandatum susceptum

*Vt Num. 19. In colligente ligna.*

*Præcipuè innuit uaccam rufam Nu. 19. sed fabulosa admiscet, nimirum ex Iudæorum traditionibus.*

*Iudæorum obstinacia deplorata.*

*Deus cordium inspector.*

*Ventis doctrinæ incertæ agitatos taxat.*

*Qui seruentur aut pereant.*

*Iudæi trãsgressores legis diuinæ.*

*Crudele præceptum.*

*Prophetarum hostes Iudæi.*

*Christus à spiritu Dei habet testimonium.*

*Alcoran firmamentum legis Iudaicæ.*

*Mors bonis optanda.*

*Gabriel familiaris Machumet.*

*Aduersarij angelorum perdentur.*

*Salomon magicam didicit à dæmonibus: Iudaica traditio uidetur.*

*Contra magicas superstitiones.*

*Postulat ab alijs demonstrationem, quam ipse non exhibet.*

*Iudæorum & Christianorum contentio.*

*Templorum regio.*

*Veri adoratores ubiq; exaudiũtur. Ioan. 4.*

*Negat dei filiũ.*

*Sine miraculis fidem posci.*

suſceptum audiſtis, ueſtræ legis aduerſarij fuiſtis. Nonne mortem, ſi ueraces eſſetis, optaretis, cum uobis præ cæteris gentibus futuri ſeculi uita promittitur? Quiſq; uerò ueſtri plus cæteris annorum ſpacium ob malorum actuum antecedentium conſcientiam affectant, licet hoc eorum malum ex merito futurũ nequaquam auferet, creatore factum ſuum omne dijudicante. Omnis aduerſarius Gabrielis hunc librum tuo cordi per creatorem intimantis, ipſumq; diuino præcepto tuis commiſſum manibus, cum uiam rectam edocens ſpem bonam bonis polliceatur, confirmantis: omnisq; ſimiliter hoſtis Dei, ac Michaelis, et archangelorum flagitioſis cruciatibus affligetur. Tibi quidem firma, nec non & manifeſta contulimus, quibus mali nequaquam obedient, cum prophetæ ueraciſſimi legem firmiſſimam, ſua poſt tergũ manda proijcientes, neglexerunt. ¶ Sic igitur lege contempta, ſcientiam à diabolis licet malis Salomoni bono patefactam, præſagiorum ſcilicet, artemq; magicam, qualis eſt de diuiſione mulieris atq; mariti, et huiuſmodi: quam ſui principes in Babylonia uidelicet Arot et Marot neminẽ, niſi prius cretaore legeq; ſua neglectis, docerent: illius tamẽ inefficaces, niſi Deo concedente, perſcrutantes animarum ſuarum nocumentum & interitũ didicerunt. Quibus commodius atq; ſalubrius eſſet, deum timere, credere, atq; ſperare. Secũ dũ incredulorum huiuſmodi uelle nullus à Deo liber tibi mittetur. Sed illius pietas atq; donũ, in quos uult, & quãdo uult, extendunt. cuius mandato neglecto, uel conſimile, uel leuius præbebitur. An poteſt quis animæ ſuæ prodeſſe ſine Deo, cœloq; terræ preſidente? Ipſum itaq; diligentes, ueſtrum bonum atque ſalutem, ut prius plures à Moyſe fecerunt, perſcrutemini, nequaquam ad incredulos à fide diſcedentes. Habentes autem libros uellent inuidia ducti uos adherentes legi re cognita uera, malam accipere legem. Sed uos indurate, uſque dum Deus omnipotens placere patefaciat. inuigilate: decimas date. Creator namq; ſuum cuique rependet meritum. Aſſerunt tamen, neminem præter Iudæum & Chriſtianũ ingreſſurũ paradiſum. Quod ſi uerum eſt, demonſtratione probent. ¶ Generaliter autem diligentibus annotandum, quoniam omnis faciem ſuam ad Deum uergens & benefaciens, Deum promerebitur nullo timore grauatus. Licet Iudæis & Chriſtianis ſumma controuerſiæ lis incidat. Alter enim alterum nullius eſſe legis aſſerit, utroque librum legiferum habente. Quorum uelut & ceterorum conſimilia dicentium, litem in alio ſeculo Deus iudex dirimet. Quis eo peior exiſtit, qui domus orationum interdicit, earum'que deſtructioni ſtudet? Illis quidem ingreſſis nequaquam pateat, niſi cum timore maximo in hoc ſeculo contemptum, in alio pœnam immoderatam habituro. Cum Dei ſit oriens & occidens, uerſus quamlibet partem orationes fundens Deum inuenit. Sua namque pietas nullo loco circumſcribitur: Eius ſapientia cuncta complectitur. Aſſerunt item quidam, uniuerſitatis creatorem, cœli terreq; regem, cuius præceptum omnia perficit, cui cuncta ſubijciuntur, filium ſumpſiſſe. Quibus nequaquam ueritas conſonat. Sed hi quidem inſcij, uelut & prædeceſſores his dicto conſimiles inquiunt, ſe crediturõs ſi ſe deus illis alloquio, uirtutibusque patefaceret. Non'ne ſatis res arduas uirtutes'que ſublimes ſepius ſapientiũ teſtimonio peregimus? Nunc tibi ueracia præcepta committo, quibus bonos inſtruas, nil curans de predeſtinatis igni: ſed Iudeis Chriſtianisq; predicans, nullam legem bonam eſſe, niſi tan-

tantum creatoris. Licet ipsi tuæ nequaquam legi credent, nec dictis tuis acquiescent, nisi cum suæ legis extiteris. Cuius si iam nostra doctrina præstructus imitator fueris, Dei dilectionem et donũ amittes. Omnes hunc librum cœlitus missum pro more debito æquanimiter legentes credent: Increduli perpetuò punientur. ¶ Abrahæ præcepta diuinitus petita complenti, sese rectorem doctoremq́ statuere deus iniunxit. Cui respondens Abraham inquit: De prole mea quid faciam? Inquit deus: Viris prauis & peruersis uerba mea ne tradas. Ipsi quoq́ Abrahę Ismaeliq́ similiter, postea nos orationis domũ, timoris expertem, ecclesiæq́ refugiũ, hominum cõmodo proponentes, ut eam mundã, & ornatã, ac idoneam illic orantibus, aliundeq́ uenientibus efficerent, iniunximus. Cuius fundamentum Abraham statuens, inquit: Creator optime, locũ istum tibi sanctifica, ipsum asylum cõstituens, & nos filiosq́ nostros in te credentes edocens, quid hic boni gerendũ sit, ueniamq́ tribuens, ut misericors atq́ pijssimus nostræ prolis filium, mediatorem prophetam excita, cæteris gerenda, uirtutesq́ tuas scripto notificantem, eisq́ benedicentem, cum tu sis doctor excelsus, omnia sciens & audiens. Quisquis igitur legem Abrahæ neglexerit, dereliquerítúe, brutus erit. Qui à deo rogatus ut crederet, confessus est, se in deum totius mundi regem credere. Vnde hic à Deo dilectus, inter bonos summa corona condecoratur. ¶ Abraham quoq́ præceptũ idem filio suo & Iacob intimans, inquit: Hanc legem sanctam atq́ dilectam nobis à deo datam, ante mortem ne mutetis. Iacob autem ad leti limitem accedens, sic filios suos affatus est: Me mortuo quem adorabitis? Responderunt: Creatorem unum, scilicet quem tu adoras, & Abraham, & Ismahel, & Isaac. Dixit autem eis: Illis iam defunctis secundum opera sua, deus ipse iudex merita prębuit: uobis quoq́ consimiliter secundũ uestra daturus. Nec enim ab illis uestra, nec à uobis sua perquirentur opera. Nunc quidem Iudæi & Christiani, gentẽ tibi cõmissam abstrahere nitentes, ut suã amplectatur legẽ, & illã profiteatur, ammonẽt. Eorum enim uterq́ suam legem tantũ bonã esse cõfirmat. Illa uero se legẽ Abrahę, non aliã amplecti, iuste profitetur, uiri iustissimi. Tu ergo fidem creatoris illis prędica, penitus persuadẽs, ut libris tibi diuinitus missis, Abrahæq́, & Ismaëli, & Isaac, atq́ Iacob, & tribubus legibusq́ Moysi & Christi, cæterorũq́ prophetarum, nullis per te segregatis, firmã fidem adhibeant, creatorẽ adorãtes. Qui si nostris præceptis paruerint, sectã optimã imitabũtur. Sin autẽ Deus te liberabit ab illis. Nos quidem uerbis creatoris, quibus nihil est melius, subiecti sumus in omnibus. Illi uero dicunt, Abrahã, & Ismaëlẽ, eorumq́ sequaces Iudæos uel Christianos fuisse. Huius tamen rei ueritatem agnoscunt, meliusq́ Deus. Sed cum taceant, peccant.

*Abraham doctor à deo constitutus.*

*Non sanctum canibus dandum.*

*Templum Mechæ conditum ab Abraham.*

*Vidit Abrahã diem Christi, et gauisus est.*

*Pater credẽti Abraham.*

*Reddit Deus unicuiq; secundũ opera sua.*

*Doctrinæ Iudeorum & Christianorũ opponit friuolum commentum, quod librum cœlitus acceperit.*

*Id fecerũt Elcesaitæ. Euseb. 6. lib. Eccles. historiæ.*

*Confessionem fidei requirit.*

AZOARA II.

A Gente pręterita Deus nequaquã opera uestra, nec à uobis sua exiget, quærẽs, cur mala gens primũ orationis orientẽ dereliquerit, cũ ipsius sint oriens & occidẽs omnis, quoslibet electos suos ad se ducẽtis. Tibi tamẽ nunc huc, nũc illuc aspiciẽti, tuisq́ ad meorũ propriorũ noticiã, qui sunt mediatores gentiũ testes, suũ prophetã proprium testem habentes, orationis locũ ueracem & idoneũ deo testificante, uidelicet uersus Mecham, tẽpliq́ sui mediũ, quod Abrahã primò fundauit, firmabo: quò semper ubicunque fueris faciem tuã orando uertas, ne te damnent, accusentùe alij, quàm mali. Et si legum populus illam partem orandi renuerit, tu ne sequaris eum. Hęc

*Versus Mecham spectando præcipit orandum, ut Iudæi uersus Hierusalem.*

etenim agens, iam ueraci noticia tibi monstrata, malis connumeraberis. Ipsi tamen filijq; sui ueritatem agnoscunt, licet eorum plærique negent. Cauendum quoq;, ne sis eorum imitator, qui nunc affirmant, nũc negant. Omnis tamen uersus quamlibet partem orans, quærendo quod est optimum, Deum exauditorem promerebitur: Licet optimus & ueracissimus orationis aspectus uersus centrum templi Mechæ uertendus est, deo teste. Vt in te quidem meum fructificet uerbum, tuq; bonam sectam exequaris, me solum time: uosq; similiter omnes, quibus de uobismet ipsis prophetam excitaui, qui uobis dicenda gerendaq; prius uestræ non subiecta peritiæ monstret. ¶ Vt uos aduocem, meum nomen inuocate, grates referendo, nequaquam negando. Bonitq; sibi per abstinentiam, patientiam, orationes prodesse uelint. Huiusmodi namq; uiris deus inhabitat, illis propitius suam concedens gratiam. Patienter enim colligentes mandatum timoris, & famis ac detrimenti, uitæ, pecuniæq;, & arborum, gaudium metent, & similiter damno superueniente dicentes: O creator, tui sumus: ad te redituri. Obsequio dei peremptos nemo mortuos existimet, sed illos potissimum uiuos & sanos. Meccham peregrinantes, locum in itinere, cui nomen Acepha, nullatenus adire prætermittant. Omni bonum corde puro proponenti, deus multiplicem remunerationem faciet: mala linquentibus, bonaq; gerentibus dabit ipse ueniam, cum sit pius, ueniæq; largitor. Virtutes itemq; bonum ab negantem, postquàm libri sapientibus illa patefecerint, deus abhorrebit, & destruet. Mandatis Dei contradicenti, sicq; mortuo, ira dei, & angelorum omnium, ac hominum superueniens, ipsum nunquam impunitum esse permittet: quem nec deus unquam respiciet. Iurans namq; falsum, confunditur: Vtroq; uero iurante, uerum super Iudæos transit. ¶ Creator inquit. Vnus ego creator sum, semper idem, pius, & misericors: præter quem non est alius, cuius mirabilia uirtutesq; sapientibus atq; discretis sunt cœli terræq; machina, diei noctisq; uicissitudo, naues æquoreæ uiris accommodæ, eductus imbrium ad terrę torpescentis rigatum, omnium animalium compositio, uenti, & nubes interpolatæ undiq; uenientes, aërem & terram occupantes. Pars hominũ nequaquam Deum, sed aliud loco sui colens, & præ cæteris diligens, cũ iram Dei perspicit, illam fatetur grauissimã, omnemq; deo uim attribuit, qua plus Deus bonos diligit, diuino quidem iudicio discernente pios ab impijs, sapientes à stultis. Malam sectam assecuti, cum nec pœnæ nec ardoris finem sentient, si fas esset redire, sibiq; sectam eligere, primos doctores penitus respuerent. Vos igitur homines comedite sapida bonaq; terræ, non exequentes iniurias diaboli, uobis aduersantis: qui peruersa docens insinuat, ut creatoris prorsus uobis ignorata mentientes imponatis. Hi rogati præcepta diuinitus obseruare, dicunt se nullam nisi patrum suorum sectam executuros. Patres itaq; si stulti cæciq; fuerunt, imitabimini: Eritis igitur uelut surdi, muti, cæci, stulti, ijs comparabiles qui nil præter auditũ proferũt, uel sciũt. ¶ Viri boni, deo grati, bona uobis ab illo collata comedite, grates ipsi reddẽtes, & eũ præ cũctis inuocãtes. A morticinijs, uero, & porco, & sanguine, & ab animali quolibet peremptо nõ in creatoris nomine, uos abstinete. Necessitate tamẽ loco ue cogẽte, inde quẽlibet saturari, nil aliàs secum inde portantem, minime peccatum censetur. Deus namque pius inde ueniam largitur. Hunc librum à creatore datum contradicentium, & pro minimo ducentium uentres ignis indeficiens cibabit, eisque nullum,

*Solus deus timendus.*

*Subinde in se transfert illud. Deut. 13. & Act. 7.*

*Prohetam de uobis. &c.*

*In patientia possidebitis animas uestras.*

*Imitatur illud. Qui perdit animã suã inueniet eam.*

*Matth. 5. Qui soluerit minimum.*

*Falsè iurantes puniuntur.*

*Vnum deum colendum ostendit ab eius potentia & operibus.*

*Sero sapient, qui doctores falsos audiũt.*

*Diabolus impostor.*

*Stulti patrum emulatores.*

*Vetita & Leuit. 11. & 21.*

*Dispẽsatio ex necessitate, nõ ob pecunias.*

lum opus proficiet. Qui nec diuinum alloquium in sæculo futuro, nec pœne decrementum accipient: cum sectam malam pro bona, iramq́ue Dei pro dilectione sibi comparauerunt, potius errori quàm libro cœlitus missо consentientes. Versus orientem uel occidentem orationes fundere, minimè fideles & ueraces efficit: sed in Deum credere, & alius aduentui sæculi, nec non angelis, & libris atque prophetis fidem adhibere, pecuniámque suam beneuolè consanguineis suis, orphanis, pauperibus, & mendicis hostiatim quærentibus, atque captiuis impertire, orationibus inuigilare, Deo debita soluere, uerbis fidem & constantiam habere, hora graui malum & litem sustentare: Hæc inquam omnia quibus insunt, Deum timentes atq́ fideles perficiunt. Cædis uindictam æqualem & consimilem, quæ multorum uitas protegere, uersus scientes Deumq́ timentes uobis scripsimus, ut liber scilicet pro libero, captiuus pro sui simili, fœminaq́ pro fœmina mortem subeat: nisi quis pro pecunia condonare uolens, secundum Dei præceptum, leuius homicidæ pacificetur. Aliter autem faciens, malum diuinitus datum incurret. Quilibet item ad interitum accedens, de pecunia sua possessa rem determinatam atq́ scitam familiæ suæ, propinquisue suis ad eleemosynas distinctas peragendas inde commendat: quas quilibet eorum postea mutans peccabit, creatore singulos actus suos dijudicante. ¶ Si prauitatem derisorum suspicetur, ipse rem disponens, eos mitigando corrigat, Deo cuncta condonaturo. Ieiunium quidem uobis, sicut & prædecessoribus uestris, per quod Deum timere uideamini, tempore statuto, certoq́ dierum numero, uidelicet mense Romodam, in quo liber hic legifer, boni maliq́ discretiuus, cœlitus est datus, iniungimus: quod quisque uiuus, præter infirmum, & uiatorem, persoluat. Quod & ipsi postea faciant, tempore quo libet. Deus enim mansuetus & pius, grauia à uobis nequaquam exigit: qui communiter etiam uobis nocturnos cũ mulieribus coitus, cum abstinentiam huiusmodi tum difficilem, tum uobis impossibilem agnoscat, permittit, inde daturus ueniam. Inoleuit quidem diuitibus consuetudo, ut eleemosynis ieiunium redimerent. Sed hinc alter comitetur alterum. Vos de me quæstione facta, me propinquum orantibus responsurum, iustisq́ præmia facturum, affirmate. Inuocantes quoque meis obedienter præceptis respondeant, ne deuius error eos abducat. In templis nullus sit cum mulieribus coitus. Die tota ieiunantes, nocte ieiunium soluite, tunc commedentes & bibentes quantum libuerit, ferè usq́ ad principium horæ quæ solis ortum antecedit. Hos terminos à Deo constitutos nemo transgrediatur. Ex mendacijs, uel pro causis agendis, iudicijsue dandis uictum acquirere, pecuniam sumendo nolite. Interrogati de lunationibus, docete illas homini cum modo statutas, cum per eas tempora peregrinationis atque ieiunij discernantur. In quibus summè nitendum, ut Deum timere atque diligere uideamini. Hostes atque pugnaces Dei præcepto dilectioneq́ expugnate & interficite, & à locis unde uos proiecerint eijcite. Infestatio namq́ seditioq́ pugnax plusquam cædes officiunt. Apud Meccham tamen nemo nisi uobis superueniens hostis perimatur. Tunc autem, cædem promeretur. Solus domorum ingressus per portas, nõ retrorsum, non collateraliter, iustus atq́ bonus censetur. ¶ Hostibus, sicut & cæteris ad Deum redeuntibus, ipse pius præbet ueniam, uelut peccatũ & inultum mense libertatis & quietis: in anni succedentis mense consimili ue-

*Quid beatum faciat, & bonum.*

*Cædis uindicta.*

*Eleemosynæ per testamentum.*

*Ieiuniũ solenne mense Romodam.*

*Contra calumnias, et rabulas forenses.*

*Temporis obseruatio.*

*Bella gerere, deo gratum.*

*O spiritum sanguinariũ, qui mẽdax et homicida fuit ab initio.*

*Seueritas iudiciorum.* niam meruit. De facientibus illicita, fiat iudicium. Inferentem uobis iniurias atque molestias, cum similibus pœnis afficite. Pecunias uestras propter
*Peregrinationes ad locare ligiosa.* Deum in peregrinationibus expendite, non desperantes: nec reuertamini, nisi primum peractis omnibus, pro facultate uestra, peregrinationi conuenientibus, nisi timoris locus impediat. Omnia complere studens, cum Deus grauiter & exquisite perfectionem affectet, pro modo suæ facultatis operetur. Impotens autem in itinere tres, & post reditum septem, sicque decem dies ieiunet: quem scilicet peregrinantem sua mulier non comitatur. Caput dolens, & ægrotus, suum eleemosynis ieiunium persoluat. Peregrinari proponens, facta praua, malasque cogitationes prorsus abiiciat, nec
*Deus remunerator inquirẽtib. cũ. He. 11.* aliquam controuersiam agat. Omnes actus bonos deus annumerat: cuius timor, fames est atque sterilitas. Huius abstinentiæ peregrinationisq; tempus menses statuti metiuntur. Omnes sapientes me pertimescant, à quo sibi
*Deus solus inuocandus.* necessaria petere non uerecundentur. A' peregrinationibus quoq; redeuntes, & repatriati, me dominum inuocent, suorum peccaminum ueniam postulantes: cum sim pius, ueniæq; dator: sectam bonam eos edocens, qui prius prauam atque peruersam secuti sunt: omnibusq; peractis me, quantum patres suos, plusue diligentes, honorificent. Quidam enim solum in hoc sæcu-
*Imò ex toto corde, tota anima, &c.* lo suo ditari uoto precantur, in alio nil boni sumpturi. Discretiores autem in utroque, suo uoto bonoq; perfrui, nec aliquibus pœnis opprimi, supplici-
ter Deum exorantes postulant. Horum Deus exauditor, operumq; suorum denumerator, merita multipliciter retribuit.

AZOARA III.

Dies peregrinationis ab ipso Deo dispositos, si quis prius posteriusue per biduum incœperit, nequaquam inde reus existit, si Deũ timeat, uelut ad ipsum rediturus. Plures eloquij melliflui, quorum uox cordi non
*Falsi fratres.* consonat, Deum sui cordis testem aduocant, cũ ipsi tamen pernicie, gentiq; flagitium, fructibusq; pestem inducere nitantur. Hi tales gehennæ puteo pœnis undiq; uexati sepeliẽtur. Obsequio diuino, Deiq; dilectione mortẽ
*Pacistudendũ* subeuntibus, diuina pietas gaudia præbens superuenit. Viri boni, pacem inuicem diligite, errorem diaboli uobis aduersantis euitantes. Seducti quidem & errantes post nostrorum traditionem præceptorum, Deum piũ ob-
*Iudicium nouissimum.* secrando sperãtes ueniã adipiscentur. Creatoris, nec non & angelorũ in nubibus aduentum, singuli simpliciter expectent: ad quẽ omniũ fiet reditus. Filios Israël de præceptorum nostrorũ atq; uirtutum quantitate, numeroq;
*Apostatæ graiter puniẽtur.* percunctari uelitis. Ius moremq; bonũ agnitum permutans, Deũ grauem atq; difficilẽ inueniet. Incredulis atq; malis hic adeò omni uitæ uenustate, iocunditateq;, quibus & boni ridiculo sunt, ditatis, Deũ timẽtes die iudicij
*Sectarum controuersias Machumet sustulit, & rectam salutis iter monstrauit, scilicet.* præcellunt, quãdo Deus quos uoluerit, innumeris bonis ditabit. ¶ Humano generi toti prius uni genti Deus prophetas mittẽs, ut ei fidem & spẽ intimarent, eosdẽ libris ueracibus boni maliq; discretiuis instruxit. Quibus iã mandata iusta cognoscentibus, & nõ alijs, lis atq; dissensio nõ mediocris incidẽrũ eorũq; per sic & nõ sic esse, discretorũ, quibusdã sibi placitis Deus deinceps uiã rectã ostendit. Vnde uobis aditũ in paradisum patẽre putastis, cũ uestri prædecessores multa gerendo bona, plurima mala perpessi sunt: quousq; prophetæ uirisq; bonis cũ eo uindicẽ quæ rẽtibus intimatũ est, uin dictã ppinquã esse: Perscrutãtibus, qd expendãt: ut prosint parẽtibus, ppinquis & orphanis ac peregrinis, dicito. Quicqd boni feceritis, creator agnoscet.

scet. Litium actum uobis, licet nolentibus, qui multa uobis utilia negligitis, plura nociua diligitis, cuius rei Deus est cognitor, non uas, insunximus. In mensibus etiam libertatis & quietis pugnam ingredi, maximè tamen contra non inuocantes Deum, iustum est & utile: sed è Mecha quoscquam eijcere, grauissimum est Deo. Guerra namq; plus quàm cædes officit. A' tua lege † dissidentes, absq; intermissione tuæ genti bellum inferent, usquequò eam ad suam legem, si possibile sit, conuertant. Tuam autem propter aliam mutans, & in ea manens, hic & in alio sæculo reus igne indeficiente peribit. Viri boni, Deum timentes, & in eius nomine pugnantes, spe diuina corroborentur. Deus etenim pius atq; propitius ueniam eis præbebit. Sciscitantibus de uino, scachis, talis, & aleis, & huiusmodi, dic peccatum maximum esse huiusmodi potum & ludum: Licet tamen dulcescant hominibus, tum utilitatem ferant hæc peccatorum materies, peccata tamen nociua sunt. Quærentibus, quid expendent? dic, bona Dei. Tu taliter huius futuriq; sæculi noticia per Deum instructus, persuade quærentibus de orphanis, ut eisdem benefaciant, & subleuent, eosq; sibi fratres efficiant. Sin autem, tantam illis Deus egestatem & inopiam ingeret, si sibi placuerit, cuius uoluntati nulla resistere queunt, quòd nec sibi, nec alijs prodesse poterunt. Bene operantes, etiam ab alijs ipsemet discernit. Alterius legis fœminas in uxores nec ducatis, nec filias uestras uiris alterius legis nubere permittatis, nisi prius eorum ad uestram legem conuersione facta. Homo namq; legalis præcellit exlegem quamuis placidissimum, cum illius ad ignem omnis gressus intendat. Deus autem hominibus persuadens, ut sibi caueant, ad paradisum euocat. Menstruatas item nemo tangat, nisi prius mundatas. Res namque munda Deo placet. ¶ Mulieres uobis subiectas penitus pro modo uestro, ubicunque uolueritis, parate, * Deum timentes, ad quem omnium fit reditus, qui bonis præmia, malis cruciatus tribuit. Vestris animabus utiles estote, nec per ipsum nominaúe sua singulis negotijs iurate: cum ipse sit omnium auditor, & cognitor. In illis quidem solis sacramentis, quibus falsitas ex corde firmatur, Deus appositus læsionem contrahit. Mulieres à maritis relictæ, nemini nisi prius peractis quatuor mensibus nubant: quas maritis uolentibus renubere bonum est. Sin autem, Deus audit & uidet. Non nubant etiam aliquæ relictæ, nisi prius emundatæ tribus menstruis. Vuluæ conceptus nullatenus (Deum timete) negetur maritis, etiam si placuerit. Ipsi namque præsunt mulieribus. Secundò derelictæ nubant, potius quàm cæteris. Tertio uerò spretæ, nequaquam, usq; quò maritis alijs nupserint, & ab illis relictæ fuerint. Tunc autem ipsæ uolentes, prioribus maritis antè bene reconcilientur, aut nullis coactæ uiribus honestè dimittantur. Aliquid primò datum illis auferre, nefas est, & inhonestum. Mulieres fugam præparantes, marito nolente, redimantur ab ipso, non tamen propter iram uel odium, ne diuinam iram incurrant. Diuina præcepta minime cum ridiculo suscipientes, bonorum uobis à Deo datorum, librorumq; cœlitus missorum, castigati, Deumq; timentes, & eum omnia scire credentes, recordemini: uestrisq; mulieribus relictis, cum terminus nubendi uenerit, nullam uim inferatis, quin pro uelle suo cui libet nubant. Vobis etenim, licet insciis, hoc optimum esse Deus agnoscit. ¶ Matres per biennium suos infantes nutrire, & à patribus, uel ab eis quibus pecunia sua commendatur, victui uestituique necessaria determinata

*Deus bella iniunxit suo populo. Iusta quidem. At rursum dicit: Nõ occides.*

*† Quæ igitur pax, & conuentio inter Christianos et Machumetistas?*

*Ludus illiberalis, & uini poculum prohibetur.*

*Visitate pupillos & uiduas in tribulatione ipsorum. Iacob.*

*Matrimoniũ sit inter consortes religionis. Deut. 7.*

*Abstinendum à menstruata. Leuit. 18.*

** Violentius hic locus à nostris tortus est quasi nefaria permittat, quum adijciat, Deum timentes, &c.*

*Non assumendum nomen Dei inuanum.*

*Diuortium. Deut. 24. aliter. &c.*

*Vxor debitũ reddat marito. &c. 1. Cor. 7.*

*Vxores perfugæ reducẽdæ.*

*Educatio prolis.*

ſuſcipere, ius æquum exigit: ſic tamen, ut nec pater nec mater damnum ſeu periculum ſubeat, Deo nemini, quod eſt impoſſibile, præcipiente. Fas eſt item, aliam altricem aduocari, ſed cum præmij ſui determinatione manifeſta. Mulieres ſuis maritis mortuis, nemini niſi poſt IIII. menſes, decemq; dies, nubant. Hocq; deinceps pro uelle ſuo faciant. Igitur abſque moleſtia & impedimento, permittatis eas ſua corpora adaptare, atque polire, ſimul & nubere: quas uelle uobis coniugio uincire, nec uox ueſtra promat, nec cogitatio perpendat, uſquequò termino peracto manifeſtè notificetis. Deo namque placet res manifeſta & determinata, qui cogitationes omnes dignoſcit. Eiſdem item annum à maritis ſumptum, ut domos poſt mortem eorum non egrediantur, accipientibus, minimè, licet exeant, moleſti ſitis: cum Deus huius culpæ uindex exiſtat. Eædem etiam, coram bonis uiris pecuniam determinatam accipiant. Repudium ſponſarum, ante tactum ſuum, neminem aggrauet. Quiſque namque maritus ſuæ ſic relictæ, pro facultate ſua rem determinatam, uidelicet dotis ſuæ medium, niſi patre uel præſidente mulieri condonare uolente, quod Deo teſte melius eſt, perſoluet, nec firmati fœderis immemor eſſe debet. Orationes, maximeq; mediam prætermittere, ſumme cauendum. Fiant igitur ubique more conſueto, ſecundum dogma noſtrum, niſi timoris locus impediat. Quo contingente, pedes pede, miles equo fundat orationes: Ita uos Deus docet ſuorum præceptorum peritiam. ¶ Nónne qualiter Deus ipſe millenis uiris præ timore mortis domos ſuas egredientibus inquit, Moriamini, nouiſtis? Et eoſdem deinceps ille, ſemper pius in homines, licet ingratos, reuiuificauit? In honore creatoris, cuncta ſcientis, & audientis, ſibiq; ſeruientibus multiplicem remunerationem agentis, qui ſumit & donat, & ad quem omnium fit reditus, certamina perficite. Vobis quidem notum extimo, qualiter populus filiorum Iſraël, Moyſis uidelicet poſteritas, à propheta ſuo regem, ſub quo lites Iudæi nomini faceret, poſtulauit. Ille uerò reſpondens, inquit: Vos certamen poſtulantes, forſan ſi præceperimus, non agetis. Illi inquiunt: Nos è domibus noſtris atque prole propulſi, quomodo pro Dei nomine non pugnabimus? Bellum tamen iniunctum omnes, præter admodum paucos, recuſabant. malosq; Deus agnoſcit, propheta quidem dicente: Regem uobis Deus Saulem conſtituit. Indignati ſunt dicentes: Ille quare rex noſter efficietur, cum nec ipſe pecunioſus diuesue ſit, nec nobis meritis coæquetur? Propheta inquit: Deus ſuos honores & dignitates dans cui uult, illi corporis immenſitatem, & cordis amplitudinem conferens, eum ſuper uos exaltauit. Cuius rei uobis ſignum ſit & argumentum, quod ipſe cum arca, ubi repoſitæ ſunt diuinæ uirtutis reliquiæ, Moyſis & Aaron, legiferæ tabulæ ſcilicet, & uirga ad uos ueniat, angelis afferentibus arcam, quod mirabilem uirtuoſumq; Deum timentibus apparebit. Saul igitur ſic accedens cum exercitibus, inquit: Vos riuos Deo docente uiſuri, nihil inde niſi quantum manus ſemel hauſerit, guſtetis: quod quilibet tranſgrediens, mei iuris eſſe deſiſtet. Omnes tamen, præter paucos, præceptum potando tranſgreſſi ſunt. Illis quidem, ſuisq; ſcilicet non potis, riuos tranſgreſſis, de poſſe ſuo contra Goliam exercitumq; ſuum dubitantibus, uiri boni, ſcientes ſe ad creatorem redituros, inquiunt, Immínere exercitus: paruiſſimi Deo præſide corroborati, maximos ſiſcerunt funditus.

*Nuptiæ iteratæ mortuis maritis.*

*Repudium.*

*Orationes nõ ſunt omittendæ.*

*Ad bella inſtigat, ut ſolet.*

*1. Reg. 8. Hiſtoria perperã expoſita.*

*2. Reg. 11.*

*Videtur Geodonis hiſtoriam admiſcere. Iudic. 7. 1. Re. 18. aliter narratur hic.*

Deus

Deus enim semper abstinentibus & induratis suffragium præstat. Goliam itaque suo cum exercitu comminus aspicientes, Deum adiutorem contra malos homines, & datorem fortitudinis atque constantiæ supplici uoto precantur: sicq; uictores facti sunt, Dauidq; Goliæ peremptori Deus honorem, & regnum, rerumq; noticiam, omneq; magisterium pro uelle suo tribuit. Tali quidem ratione, nisi deus alium alij resistere, litemq; fieri iuberet, terræ frequentatione cultuq; carerent. Tibi, qui es unus prophetarum, has uirtutes, deiq; signa patefacio.

*Perseuerantiã commendat. Precibus & uirtute uincitur.*

AZOARA. IIII.

10 OMnium prophetarum alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, uim atq; uirtutem præ cæteris præbuimus. Deo quidẽ prohibente, seu uirtutibus prius agnitis, nulla lis atq; controuersia incideret: cum nunc omnes dissentiant. Vnus namque sua credit, alius minime: nec omnes bonam legem imitantur. Viri boni, de meis bonis uobis commendatis, priusquam dies ueniat, qua nec emptio, nec accommodatio, nec amici beneficium proficit, expendite, meisq; præceptis parête. Incredulí namq; maximis pœnis afflígentur. Ego quidem solus Deus uiuus, & uerus creator, præter quẽ nõ est alius, edico, quatenus surgatis, nec uobis sopitio 20 seu somnus irrepat. Dei sunt uniuersa cœli & terræ: sine cuius uelle quis cuiusquam orator erit? Ipse scit manibus insitum, posteriusq;. De cuius sapientia cœlum & terram comprehendente, cunctis incomprehensibili, nemo quicquam assequitur, nisi munere Dei, uelleq; suo. Vim nequaquã propter legem inferas, cum recta prauaq; uia patefactæ sint: Non credens in idola, sed in creatorem, mandatis dei sapientis, & audientis, & omnibus eum adorantibus propicij, parce, & è tenebris in lucem perducitur. Incredulus autem, è contrario distrahitur, igni perpetuo deputandus. Nonne nouistis, Abrahæ à Deo regis constituti, cum quodam alio de Deo disputationem? Cum enim Abraham dixisset, deum mortificare & uiuificare, 30 ostentabat & alius se similiter facere posse. Abraham uerò dicente, solem ab oriente in occidentem solo Deo faciente rotari: alius ille stupidus obticuit. Accepistis item, qualiter quidam per uillam desertam transiens, & quærens, an eam unquam Deus reædificaret? morti, centum annorum spacio, Deo iubente, succubuit: Qui uitæ restitutus, & à Deo rogatus, an accubitus illic spacium nosset? inquit, Per diem, uel diei portionẽ. Cui Deus ait, Imò per centum annos. cibumq; tuum absq; detrimento uitioq;, similiter & asinum aspiciens, & qualiter ossa connexionem carneumque tegimen sumant, agnoscens, hæc mirabilia uirtutesque gentibus prædica. Ille quidem Deum omnipotentem, esse se scire deũ, confessus est. Abrahæ rur- 40 sum Deum deprecanti, ut eum qualiter mortuos reuiuificaret, edoceret, inquit Deus: Nonne credis adhuc? Respondit, Ita: Sed cor meum firmum constansque fieri postulo. Dixit deus: Aues quatuor membratim incide, & per montes uarios portiones dissipa, uocatæque citò uenient, scitoque Deum incomprehensibilem & sapientem esse. Sua pro deo distribuens, grano septem spicas, quarum singulæ centum obtinent grana, emittenti similis existit. Deus cum sit potens & sapiens, atque benignus, cui uult, duplicat. ¶ Expendentes pecuniam suam in itinere Dei, absque omni ostentatione, indubitanter cum Deo manebunt. Alio-

*Christo prophetarum excellentissimo anima dei collata.*

*Cur igitur negas filiũ Dei? Beneficentia. Vnus deus uerus, uiuus, omnium conditor, omniscius inperuestigabilis sapiẽtiæ. Nemo ui cogendus ad religionem. At quoties tui oblitus Machumet, iubes cõtrarium? Fabulæ Iudaicæ de Abrahã.*

*Resurrectio per fabulas hic adstruitur Alibi solidas rationes ponit diuinæ uirtutis.*

*Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Id grani similitudine ostendit.*

quin ſcitum atque benignum, muneri cum oſtentatione prævalet: Cum ſit Deus copioſiſſimus & mitiſſimus, expers iracundiæ. Igitur uiri boni, ue-
*Similitudo nõ inſcita.* ſtras eleemoſynas oſtendendo ne perdatis. Sua namq; diſtribuens, ut ſciant homines, nec deum die iudicij poſtulans adiutorem, terræ lapidoſæ puluere pauco coopertæ ſupernè comparatur: cui pluuia ſuperueniente, nil niſi lapis remanet. Subſtantiam uero ſuam propter Deum diſſipantes,
*Deus unicuiq; ſecundum opera ſua rependit.* & in bono perſeuerantes, grano loco ſterili ſeminato, unde ſuperueniens imber immenſus quadruplum, imber uero paruus minus educit, conferuntur. Deus omnia facta tam bonorum quàm malorum remunerat.
*Deus uolens iudicium, odit rapinã, etiam in holocauſto. Eſa. 15.* Quis perpulchrum hortum habens, in quo ſint palmæ, & uites, ſubtusq; fluentes aquæ, & arborum genus omne, ipſeq; ſenex pater infantum pauperum, ignis omnia conſumentis ſuper aduentum quærent. Huius diuini dogmatis, cogitationum etiam ueſtrarum prouidi, memores eſtote, & eleemoſynas de meliori tum pecuniæ lucro, tum terræ productu ueſtro facite: nequaquam autem de acquiſitis iniuſtè. Huiuſmodi namq; munera deus non curat. Satanas autem inſinuat, ut aut nulla, timentes egeſtatem,
*Eleemoſynæ occultæ meliores.* aut iniuſta diſtribuatis, & nefanda faciatis. Deus quidem delictorum ueniam & largitatem, atq; ſapientiam iniungit: qui quandoq; diſcretionem cui uult optimum munus efficit, quod nemo niſi ſenſatus, & nequaquam inanis cerebri percipit. Eleemoſynas palàm facere, bonum cenſetur: clàm ue-
*Eleemoſynis redimuntur peccata. Dan. 4.* rò, melius. Et hæc peccata tollit. Deus namq; ſecretorum cognitor, omnium iudex, beneficium omne factum, ſeu propoſitum agnoſcit. Mali
*Deus ueritatẽ reuelat ſolus.* uero ſuffragio carebunt. ¶ Meum quidem eſt, nequaquam tuum, uias rectas, cui uoluero, patefacere. De bono uobis commiſſo, ueſtris proficientes animabus, eleemoſynas facite ſinguli. Deus enim ſingulis ſuas reddet,
*Verecũdis inopibus præcipue ſuccurrendum.* neminiq; malum faciet ipſe. Maxime tamen illis benefacite pauperibus, qui uno loco morantes, & pro uerecundia nil poſtulantes, diuitibus uel ſibi ſuisq; ſufficientibus qualitercunq; connumerantur. Hoc enim ſummè
*Cõtra uſuras. Deu. 25. Eze. 18. Pſal. 14.* deo placet. Generaliter quidem ſubſtantiã ſuam die noctuq; palàm & clam in Dei nomine diſtribuentes, diuinam miſericordiam aſſequuntur, nec hic, nec in alio ſæculo timorem habituri. De fœnore uiuentes, non niſi quaſi
*Pœnitentibus condonantur peccata: quod ſæpe dicit, cauſam autem ignorat: nempe Chriſti ſeruatoris mortem.* dæmoniaci reſurgent, cum ipſi fœnerare, quod deus nefas & illicitum ſtatuit, licitis annectant: dicentes fœnus eſſe, qualis eſt mercatura. Linquens peccatum, & pœnitens, factum præteritum deletum & ad nihilum redactum extimet: regrediens autem, & reincidens, ignem perpetuum ſine termino ſentiet. Hunc etiam, ſicut & omnem incredulum ac peccatorem, Deus abhorrens, deprimit. Eleemoſynarios quidem & beneficos omnes, quales ſunt credentes, & orationibus inſiſtentes, ac debita Deo perſoluentes, ſua dilectione ſummoq; bono ditat. Boni itaque uiri, Deum timete, & fœnerare prætermittite. Sin autem, iram & odium Dei atque
*Cũcta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, &c. Eccleſ. 12.* prophetæ ſuſtinebitis. A' fœnore digrediens, capitale ſolum accipiat: nihil quidem ex alieno, nec alij de ſuo, debitore perſoluere nequeunte, ſuam poſſibilitatem expectet, & eleemoſynas agat. Hoc enim ſibi commodius eſt, atq; melius. ¶ Diem ueſtri reditus ad Deum, qua quiſque ſecundum modum atq; menſuram ſuorum operum, Deo nemini malum faciente, ſuſcipiet, timete.
*Emptionis tabulæ quomodo fiant.* Emptionibus ad terminum factis, adſit ſcriba fidelis, & Deũ timens, qui nihil addat ſeu minuat, nec quid falſitatis immiſceat. Et ſi bene promere neſcius & infacundus fuerit, alius ueridicus pro eo dicat. Sintq;

duo

duo uiri teſtes, uel unus uir duæq; mulieres idoneæ, ut alteram immemorem altera reducat ad memoriam. Diligenter quidem hoc intuendum, ut omnibus mercationibus ad terminum factis, aliter non ſemper eſt neceſſe, teſtes atque ſcriptor adhibeantur, ut nulla lis ſit, aut controuerſia de re ipſa uel termino, breui ſeu longo oriatur. Sed ſi ſcriptorem, uelut in itinere, reperiri ſit impoſſibile, pignus ſumatur. Quod ſi alter alterius fidei mercaturam commiſerit, debitori ſummè cauendum eſt, ſi Deum timeat, ne dolum aliquem ſeu moleſtiam inde faciat creditori. Teſtimonium nullatenus negetur, cum hoc magnum peccatum ſit. Et Deus, cuius ſunt uniuerſa cœleſtia atque terreſtria, omnia occulta perſpicit, & omnia librat æquanimiter, tam corde retenta, quàm uoce patefacta, ijs ueniam & bonum, ijs malum pro uelle ſuo diſcreto conferens, ſuper omnia potens. Teſtes atque ſcriptorem nemo lædat, nec eis moleſtiam inferat: Sin autem, ſummè Deum offendet. ¶ Libro ſibi cœlitus miſſo propheta fidem adhibuit. Sicq́ue boni uiri cuncti crediderunt in Deum, & ſuis angelis ac libris atque prophetis conſenſerunt. Inter prophetas diſcutere nemo præſumat. Quorum hic habetur ſermo: O Deus, nos ad te rediturí, tuum audientes præceptum paruimus, ueniam expectando, & præcando, ne uindictam de obliuione uel errore noſtro ſumas, uel nobis ut anteceſſoribus noſtris tuam iram immittas, ſeu noſtris humeris intolerabile quicquam imponas, cum tuum ſit, à nemine quicquam niſi ſecundum uires ſuas exigere, & ſingulis ſecundum opera ſua facere. Tu Deus eſto nobis miſericors atq; propicius, ueniæq; dator, qui es Dominus noſter, & nos à malis hominibus protege, & contra ſeditioſos auxiliare.

Teſtes.

Pignus.
Depoſitum.
Teſtimonia.

Imo ſpiritus prophetarum probandi ſunt Deut. 18 & Matth. 24. 1. Ioan. 4.

Præcepta Dei uiribus humanis præſtari poſſe, ſubinde dicit cum Pelagio.

*De gente Ioachim ducentorum uerborum.* AZOARA V.

† DEus pius atq; miſericors, ſcilicet uiuus, & altiſſimus, præter quẽ nõ † eſt alius: qui prius teſtamentũ, deinceps Euangeliũ rectas uias hominibus tradidit: poſtremũ libr; ueraciſſimũ * uidelicet Alfurcã ueſtrę legis cõfirmatorẽ uobis deſuper præbuit. Iſteq́ cõtinet uerba quædã firmiſſima, & infringibilia, quæ ſunt libri ſcilicet mater ac materia: quædã uero contraria, quæ nutantis peruerſiq́ cordis homines ad cõtrouerſiã cæteris inferendam, & ad expoſitionis ſuæ notitiã exequũtur. Expoſitio uero ſua ſoli Deo & ſapiẽtiſſimis, qui toti libro credentes, totũ à Deo datũ eſſe teſtãtur, cuius nulli niſi ſapientes memores exiſtunt, patet. Increduli quidẽ, & huic libro cõtradicentes, cruciatus grauiſſimos, & omnimodas anguſtias patientur, altiſſimo Deo uindice: cuius ſapientiæ nulla ſunt incompræhenſibilia, qui ũuluæ conceptũ prout uult, cuilibet ſimilẽ operatur. Ille igit̃ poſt legẽ ſuã rectã à ſe nobis intimatã, cũ ſit omnium bonorũ largitor, omnium gentium congregator, illa die poſt certum à Deo terminum propoſitũ uentura, qua nec proles, neq; pecunia, nec eloquiũ prodeſſe quibit, animos noſtros infirmari, mutariue nõ patiatur. ¶ Per Pharaonis ſuæq; gentis & proprioꝝ etiam mandatis Dei contradicentium exitium, diuinamq; uindictã, & per miraculũ etiã factũ in illis duobus exercitibus, quorũ alter Deo ſeruiẽs, alterum Deo cõtrarium quadruplũ uiſu iuuante uicit: increduli diuinã grauitatem atq; uindictã pertimeſcere, & ad fidem cõuerti, & tuo nunc parẽre præcepto deberent. Mulierum coitus, & filiorum amplexus, & auri argentiq; pondus innumerum, & equos, boues, ac pecora, ſimul & agriculturam, quæ cuncta ſecularia ſunt, quibus meliora Deus timentibus eũ pollicetur, paradi-

in Arabico incipit, In nomine dei pij & miſericordis.

*Teſtamentũ quidẽ ſeu lex & prophetæ cum Euangelio per omnia cõgruunt: alphurcam autẽ iſte non item.

Pharaonis ultione Inuitat, ut ipſi credatur.

Temporaria bona minime beatum faciũt Luce 8. quid prodeſt &c.

paradiſum ſcilicet,ubi perſeuerantes ſponſas decentiſſimas, deiq; dilectionem omnia uidẽtis habebunt,plures uelut ſummè decora gaudent aſſequi. Credentes quidem in Deum, peccaminumq; ſuorum ueniam poſtulantes, & ab ignis feruore liberationem, abſtinentes,& ueraces, orationibus inſiſtentes, & eleemoſynarij, deo teſte,& angelis atque ſcientibus, qui unum ſolum deum incompræhenſibilem & ſapientem creatorem eſſe fatentur: coram quo nulla lex perhibetur,niſi tantum hominum ſeſe totos ſuaq; negotia deo uouentium,paradiſi gaudio perfruentur. Contradicentium autem, ſeu non credentium Dei præceptis, deus ipſe iudex facta ſua conferens exiſtit.Si quis tecum diſceptare uoluerit, dic tefaciem tuam ad deum eiusq; ſequaces conuertiſſe, quòd agendo tam legem ſcientes quam illiterati bonam legem ſequentur. Sin autem,tuum eſt mea præcepta gentibus ſolummodo patefacere. Increduli, & propheticidæ, & iuſtorum quorumlibet interfectores, in hoc ſeculo contemptibiles, & in alio perpetuè damnandi,pœnam grauiſſimam tortoris atq; uindicis expertes ſubibunt. Partium libri latoribus ad librum aſcitis, ut inter eos iudicium diſcretionem præbeat,quidam eorum renuunt: Quorum hæc eſt ſententia,quod ignem gehennæ non niſi numero dierum præterminato ſentient, & ad diem ueritatis quilibet accedens, operum ſuorum mercedem accipiet, Deo iudice nociuo nemini. Tu quidem gentes edoce, quod deus imperij dator, rex regum & poteſtatuum potentes deprimens, pauperes eleuans, cum in ipſius potẽtis manu ſint omnia,diei noctisq; continuator, uitæ dator,& mortificator,cui uult dona facit innumera. Nemo uir bonus incredulum amicum loco boni,niſi pro timore ſolo ſuſcipiat. Hoc igitur ſummoperè cauendum, cum ex hoc multam offenſionem contrahat deus. Dequè ſecreta deus, & uoce prolata, & quæ que cœli terræ que condita noſcens: die, qua cuique ſua reſpondebunt opera, omnis malus ſui ſuorumq; factorum intercapedinem atque diſtantiam eſſe plurimum uellet, deumq; ſimul abeſſe: cum ipſe tamen ſingulis benefaciat. ¶ Deum diligentes me ſequentur, ſicq; diuinam dilectionem, peccaminumq; ueniam à Deo pio ueniæ datore conſequentur. In deum itaq; credentes, prophetæ credite,niſi deitatis amore carere ſtudeatis. Adam, ac Noë, & Abraham, illiusq; poſteritatem, & Ioachim, alios ſcilicet aliorum filios Deus elegit, & ſuper omnem gentem extulit.Mulier Ioachim ſe grauidam ſentiens inquit: Tibi uentris mei conceptum Deus omnium creator uouens, ipſum tibi ſoli ſupplicem, ſeruientem deuotè poſtulo:colligere digneris. Cum natam autem peperiſſet,eiq; nomen Maria poſuiſſet,deum teſtem ſexus ſui partus aduocans inquit:Natam meam, ſuamq; prolem, tuo penitus obſequio deuotas, à tentationibus & inſidijs diaboli protege. Hoc matris uotum Deus benigne ſuſcipiens, natæ ſuæ crementum optimum,corq; firmiſſimum præbuit. Hanc Zacharias in domum ſuam atq; tutelam ſuſcipiens, quotiens ut orationes funderet, ad altare proceſſit, fructus optimos intempeſtiuos ſuper eam inuenit. Quæ ab ipſo quæſita, unde ſumeret? inquit, à Deo, qui cui uult,dona facit innumera.Zachariæ deinceps Deum ut filium ſibi gratum & honorificum tribueret, deprecanti, cum orationes ad altare coram Deo funderet,angeli reſponderunt: Deus ueſtræ petitioni ſatisfaciens, optimoq; nuncio lætificans,filium permittit Ioannem,confirmantem uerbum Dei. Eritq; uir bonus,uirgo perſeuerans,magnusq; propheta, Zacharias inquit: Cum ſim

ſenex,

*Bona opera, quæ felicitatẽ paradiſi conferunt.*

*Non diſceptãdum cum incredulis.*

*Prophetarum & iuſtorũ occiſores puniẽtur grauiſſime.*

*Purgatorium.*

*Infida igitur cum Machumetiſtis amicitia.*

*Machumetum ſequentes bona conſequuntur.*

*Chriſti genus.*

*Mariæ natales.*

*Maria in domo Zachariæ educata, nimirum iuxta fabulas pſeudochriſtianorum apocryphas.*

*Ioannes baptiſta.*

*fermè ut in Ireneo.*

senex, mulierq; mea sterilis, quomodo prolem Creator faciam? Inquiunt angeli: Deo nihil est impossibile. ¶ Zachariæ pœnitenti, sibiq; difficile quid imponi postulanti, triduanam taciturnitatem nisi signis tantum cum hominibus, & di†uinam inuocationem, precisq; studium serò maneq; Deus iniunxit. Angeli rursus Mariam alloquentes inquiunt: O Maria, omnibus uiris et mulieribus splendidior et mundior atq; lotior, soli Deo perseueranter studens, ipsum cum humilibus, genuaq; Deo flectentibus adora. Tibi, qui nequaquam intereras sortes proiicientibus, & curam agentibus quis Mariæ custos efficeretur, hæc arcana secretissima committo. Angelis dicentibus, O Maria tibi summi nuncij gaudium cum uerbo Dei, cuius nomen est Christus Iesus filius Mariæ, † qui est facies omnium gentium in hoc sæculoq; futuro, senes, & infantulos cunabulas seruantes conueniens, prudens, sapiens, uir optimus ab uniuersitatis creatore mittitur. Respõdet illa: O Deus, cum uirum non tetigi, filium quomodo concipiam? Inquiũt angeli: Deo nihil occurrit impossibile, omnia prout uult operanti: cuius mandatum omne suum placere perficit: Ipseq; filium tuum cum diuina uirtute uenientem, librum legiferum, omnisq; magisterij peritiam, & testamentum ac euangelium, mandatumq; filijs Israël edocebit. Ille namq; formis uolatilium luteis à se compositis insufflans uolatile faciet: cæcos & mutos curabit: morpheticos atq; leprosos emũdabit: mortuos creatore cooperante uiuificabit: quidq; commestui, quidue dispositioni deputatum sit, propalabit. Quæ cuncta in Deum à credentibus miracula censentur. Vetus testamentum confirmabit: quædam tamen prius prohibita licitis annumerabit, seq; cum diuina uirtute, potentiaq; uenisse patefaciens inquiet, Timentes Deum me sequamini: Deus enim mei uestriq; dominus est: Quem adorantes, recto procedetis tramite. ¶ Sciens Iesus eos in sua incredulitate obstinaces manere, inquit: Quis in Dei nomine me sequetur? Viri quidem albis induti uestibus respondentes, dixerunt: Nos in Dei nomine te sequentes, in Deum credimus, te teste, dixerũntque, O creator nos huic libro fidem adhibentes, legatumque tuum imitantes, fidelibus atq; credulis adscribe. Fraudulenti uero, eum decipere nitentes, ab ipso uelut à callidiore potius delusi sunt. Quem creator taliter affatus est: Ego tuam ad me reducens animam, & exaltans, & ab incredulis te liberans, eos qui te secuti sunt, eisq; tuo uerbo non crediderunt, usque ad diem publicæ resurrectionis supponam. & tunc ad me tuo reditu facto, controuersiam tuam atque litem discutiam, & incredulos omni uindice tutorèque carentes summis cruciatibus hic seculóque futuro profligam. Fidelibus quidem & benefacientibus, merita sua cum gaudio perpetuo conferam, malos atque flagitiosos perhorrescens. De uirtutibus atque iustitijs Iesu, quodammodo gerentis Adæ similitudinem, ista tibi reuelare decreuimus. Adæ quidem de terra plasmando Deus inquit, Fiat: & factus est. Tu quidem dubitans & incredulus, ut qui nunc hoc asserit, nunc renuit, cum habueris firmum, sic nullatenus esse velis. Et si quis ratiocinationem huius rei & controuersiam post hanc scientiam tibi desuper traditam inire uoluerit, dic, filijs uestris, & uiris, mulieribusque similiter aduocatis, eorum utique singulis mendacio consentientibus anathema iramque Dei iniungamus. ¶ Creatorem non nisi solum unum, incomprehensibilem, & sapientem, ueracissimus perhibet sermo,

*Deprauat hi storiã Luc. 1.*

*Iesus Christus facies omniũ gẽtiũ. Gẽ. 49. expectatio 22 Esa. 11. sperabunt in eo. Zach. 3. super lapidem unũ septem oculi.*

*Hoc tenete boni uiri Saraceni, & facile concordã in tegrabimus. Matth. 1. historia intexpolata hic.*

*Nenia confictorum miraculorum, ut eleuetur fides ijs, quibus declaratus est filius dei.*

*Non uenit soluere legem, sed implere.*

*Ascẽdo ad patrem meum et patrẽ uestrũ.*

*Alluditur ad illa quæ sunt in Apoca. 3. 4. 7.*

*Similitudo Adæ et Christi, non Pauli no more tractata.*

*Anathemate feriuntur, qui non de Christo sentiunt iuxta Mahumetis opinionem.*

sermo,præter quem non est alius.Cuius si quis uerbum quidpiam mutans incredulus extiterit, Deum agnoscentem uiolentos & flagitiosos iudicem habebit. Vos uiri leges scientes,huius sermonis sectatores,ut unus idemq; sermo sit omnium nostri,constanter estote:ut nos non nisi deum unum participe carentem adoremus, nec uestri quis alius quasi uerbum dei constituat.Illis autem hoc facere renuentibus dic,quod nos in deum credimus. Testes estote uiri legum: Cur uestræ ratiocinationis & sectæ firmamentum ex Abraham illicitis? cum testamentum, nec non & euangelium post ipsum traditum fuerit,affirmantes quod nescitis. Ipse quidem nec Iudæus, nec Christianus,sed uir dei fidelis,& non incredulus uixit, eiusq; sequaces uiri præelecti. Hic quidem propheta,eiusq; sequax,omnesq; credentes in deũ, ut uiri boni Dei sunt: secundum uelle uero quorundam gentium legi subiacentium, erronei cæciq; uiuentes. Sed licet ipsi nesciant,animas suas solũ error abducit. Viri legis,cur cur Dei præceptis agnitis non creditis? Cur scientes ueritatem tacetis? ¶ Pars gentium legis inquit, præceptis traditis bonis uiris per diei portionẽ credite:completoq; die,usquequo cõuertãtur,negate. Et nemini nisi legem uestrã sequenti credentes dicite, Omnes uias cuilibet à deo traditas, cum ille sit benignus atq; sapiens, optimas existere:qui sibi dilectis propicius atq; misericors,munera pro uelle suo maxima facit. Sunt quidam legi subditi, qui auri talentum sibi commendatum optimè reddunt. quidam uero solidum commissum abnegant,de postulante se minime curare dicentes,& de Deo scienter mentientes.Sermonem firmum & constantem, deumq; timentem,deus ipse diligit. Fideiussionem & iusiurandum pro modico gerentes, nil boni sæculo futuro sumpturos, nec deus alloquetur, nec aspiciet die iudicij, nec illis qui pœnam grauissimam subeant, quicquàm prodesse poterit. Quidam item homines uerba libris, quę licet opinio ferat, de ipso minime sunt,admiscentes, Deo scienter mendacium imponunt.Non est cuiquam idoneum & opportunũ,cui deus librũ & sapientiam permiserit, atq; prophetiam docentem homines, persuadere, ut Dei loco adoretur.Sed potissimé persuadete,ut pręsules & sacerdotes cũ notícia sibi tum à libro, tum à legatis comparata diuinis obsequijs perseuerẽt,nõ angelos,non prophetas deos existímando, cũ prius uias rectas edocti sint. Deus quidem à prophetis, quibus libros & sapientiam tradidit, prius pacto fœderis sumpto legatum firmantem, quod nostris ineſt manibus, cui uult nos adhibere fidem,& auxiliari,misit. & illis hoc pollicentibus inquit: Huius pollíciti firmati testes,quibus et ego testis accedã,statui te.¶ Omnis huiusmodi testimonium imitans,malis & flagitiosis annumerabitur. Cur alius,quàm Dei legem,quẽ omia cœlestia atq; terrestria,ad quẽm & ipsa rediburit,& pro uelle possęq; uenerantur,tanto desideratis studio? Dicite uos credentes in Deũ,pręceptisq; tibi,& Abrahæ & Ismaeli, & Isaac atq; Iacob duodecimq; tribubus,similiter et Moysi et Cristo prophetisq; cęteris,quos discernere nimis est, desuper á deo fide nostra missa,fidem et testimoniũ ad hibemus.Quis aliud per fidẽ quàm legẽ assequi studet? Ois quidẽ incredulus sæculo futuro dãnandis annumerabitur. Viã ueritatis agnitã linquentes,cum prius miracula uidentes ueritatis prophetæ teste se extitissent,quò nam modo sua doctrina deus instruetur? Malis etenim ira dei ac cunctorũ angelorum & hominum promerentibus,omnis humana diuinaq; pietas,recta q; uiæ doctrina subtrahuntur:eisq; sic semper manentibus,malũ expers

*Atqui ô Machumet,Christus,cuius te ocium fingis, docuit baptizare in nomẽ patris & filij et spiritus sancti.*

*Christianus, pater omnium credentium & Iudæus circumcisus.*

*Talenti allegoria ex Euãgelio.*

*Veritas fides, periurium.*

*Falsarij librorum Christum deũ asserunt.*

*Religionis antistites hortatur d. cõstantiam. Prophetiæ.*

*Fides legem assequitur.*

alleuiatio-

alleuiationis & decrementi, respectusq; diuini superincumbet: nisi qui postea pœnitentes & bene agentes fuerint. Illis enim ueniam gaudiumq; tribuet. Eorum reconuersionem, qui prius credentes increduli facti suam augmentant nequitiam, deus minime colligit: nec eorum cuiusuis sic in errore mortui redemptionem quicquid auri terræ capacitas sustineret, acciperet. Pœnam igitur grauissimam absq; uindice suffragioq; patietur.

*Negat ueniã deficientibus à fide, ut Nouatiani. Cui tamen promũciato alibi cõtradicit.*

AZOARA VI.

PLenam dei gratiam dilectionemq; nostri nullus assequetur, nisi prius de sibi dilectis distribuerit. Ante testamentum positum atque firmatum, omni cibo, nisi quem Israël sibi posuit illicitum, uesci filijs Israël licuit. Allato testamento, an uerax sit hic sermo uideamus: Et quisquis deo mendacium ulterius imposuerit, malis adscribatur. Tu uero cæteris intima, deum ueraciter iniunxisse, quod Abrahæ sectam imitentur: qui nec incredulus, nec idololatra, primam orationis domum Mecham, scilicet locum benedictum, ubi ex ipsius Abrahæ ædificio uirtutes sunt manifestæ, primò fundauit. Quo quilibet ingressus, omnis timoris expers, quietus existit: Huncq; locum ab omnibus honorari, & à quolibet sua facultate permittente peti, deo summè placet: Incredulos autem, minimè curat. Homines legum factores, cur dei præceptis, qui testis est omnium suorum operum, non pareant: uel quare quicquam in ipsum credentes de lege sua iniustè peruertant, cum ipse singula sua facta dinoscat, percontare. Viri boni, si illos legum factores imitari uelitis, uos prius bonos, malos efficient. ¶ Cum uirtutum Dei lectionem uestrum prophetam habeatis, ad dectum sectam cur conuertimini? Omnis Deum inuocans, rectam uiam exequitur. Viri boni, Deum, quantum ille meretur, pertimescite, lege bona perseuerantes, omnesq; Deo tutori nostro cohærentes, eiusq; misericordiam petentes, dilectionis fœdus factum nunquam rumpite. Si qua uestris quibusdam hostilitas inciderit, omni semota discordia, se secundum Dei uelle consimiles & unanimes quasi fratres efficiant, Deum imitando, qui solus uos insidentes præcipitio, ignisq; concauo, ne casum & pestem pateremini, diligenter extulit. Suarum uirtutum atq; miraculorum notitiam uobis Deus taliter pandit, ut sitis sibi gens fructuosa, & antecedens, res scitas atq; licitas præcipiens, & illicita prohibens: non eorum imitatrix, qui post uirtutes agnitas, schismate facto multa nociua perpessi, maxima grauissimaq; pericula subibunt, die qua facierum quædam albescent, quædam uerò nigrescent. Nigrescent quidem, quæ fide relicta, factæ sunt incredulæ, summum malum ob hoc gustaturæ. Horum autem albescent facies, qui lege bona perseuerantes, diuinam adepti sunt misericordiã. Istis diuinis uirtutibus tibi ueraciter patefactis, scito Deum, cuius sunt uniuersa, & ad quem cuncta redeunt, suæ gentis malum nequaquã uelle. Vos quidem gentem meliorem esse constat, quæ dei præceptis prius per uirtutes agnitas parens, & illicita prohibens, Deum inuocat & adorat. Et si legũ factores uobis consentientes uestram legem sequerentur, sibi commodiores & meliores existerent. Eorum tamen quidam credunt, quidam uero minimè. ¶ Illi quidem uobis nequaquam, nisi uerbo solo, nocere poterunt. In litibus namq; terga uertent, nec adiutorem inuenient, cum pusillanimitate pressi, & ubiq; rei constituti ac affligendi, nisi propter fœdus mutuum Dei nutu factum, iramq; Dei promeriti, & ad inopiam ac paupertatem redacti

*In Arabico incipit, ut superiores, In nomine dei, &c. Ciborum delectus.*

*Mechæ templum conditũ ab Abraham.*

*cõtra diuorũ ueneratione.*

*Redintegranda concordia mox inter fratres. Matth. 5.*

*Stolidè arrogat sibi & suis, q; Deut. 4. tributur populo dei. &c.*

*Victoriã certam contra infideles promittit suis sectatoribus.*

sunt. Omnia quidem hæc illis incumbunt, & eo quòd incredulí & iniusti prophetícidæ omnibus uim inferentes pro posse suo simul & uelle, nil pro iustitia perfecere. Viri legum, de nocte surgentes, lectioniq́ue uacantes, qui credentes in Deum, ipsum tota nocte deprecantur, diemq́ iudicij timentes, licita peragunt, & ad omne bonum festini, & illicita prohibentes, cæteris meritò præferuntur. Deus omnium iudex, secq́ diligentes agnoscens, neminem quicquam bonæ operationis suæ perdere sinit. Incredulis autem nec proles, necq́ substantia sua prodesse poterit, quin flamma interminabili torqueantur. Horum quidem sumptus in hoc sæculo tento nociuo, flatu suo cultus hominum noxiorum confundenti, assimilantur, ipsíq́ sibi malum inferunt, nequaquam Deus. Viri boni, nemo uestri uerbis eorum credat, quoniam abhorritionem odiumq́ uestri, lingua sua propalant, maius autem intrinsecus abscondunt. Vos itaq́ tum dogmate nostro, tum proprio sensu præmuniti, eos uobis diligentibus inimicari, perpendere potestis. Ipsi tamen uobis toti libro credentibus immixti, uestram legem penitus amplecti confitentur: semoti autem obstrepunt, & ex ira nimia sæpius ungues rodunt. Dic illis, ut cum hac ira moriantur, Deum tamen omnium secreta cordium noscere sciant. Quanquam illis uestri meriti gaudium adueniens dolorem, uester cruciatus gaudium pariat, eorum uelle nil nocumenti uobis inferet, si deum timentes indurueritis. Ipse namq́ nostros actus omnes circumuallabit. ¶ Die qua mane domum tuam egressus, ad loca litibus aptanda, uires Deo audiente atq́ sciente plurimum animasti, duabus uestris cohortibus omnimodo fatigatis uos omnium bonorum auxiliatores, qui uobis etiam pauca manu multorum uictoriam in Badar præbuimus, uim atq́ suffragium contulimus, uestrisq́ bonis hominibus quodammodo desperatis, atq́ dicentibus uestram manum aduersus hostes minime sufficere posse, licet ipse Deus angelorum armatorũ tria millia mitteret, dixisti: Si Deum timentes indurueritis, dominus uobis auxiliabitur, huc citò missurus quinq́ millia angelorum, belligerantium similium. Hoc quidem miraculum non ob aliam causam Deus uobis edisserit, nisi ut uos sæpe bono gaudioq́ue firmet, & partem incredulorum debilitet, suis faciebus plagas inferens, aut ad nihilum deducens. Eius enim solius sapientis & incomprehensibilis est omnis uirtus, atq́ uictoria. Tua quidem manus nihil horum possidet: quippe cuius sunt uniuersa cœlestia atque terrestria ipse pius, ueniæq́ue dator, aut ad se trahens illos ueniam faciet, aut illis malis malum inferet. Omni timenti Deum summè cauendum, ne de fœnore uiuat. ¶ Ignem incredulis præparatum timentes, Deo obsequium præstando, & ipsum legatumq́ suum sequendo, ueniam atq́ paradisum timentibus Deum fabricatam, cuius capacitas cœlo terræq́ coæquatur, promerebitis. In tempore famis & ubertatis, sua pro Deo distribuentes, iramq́ corde fundítus prementes, & condonantes iniurias, & pro peccatis pœnitentes, nec ipsa scienter celantes, castos etiam, omnes tandem Deum inuocantes, & benefacientes, Deus illis ueniam faciens, in paradiso quemq́ secundũ merita sua ditans locabit. Illicita uero, animabusq́ suis nociua gerentes, igne feruebunt indeficienti, Mores & consuetudines antecessorum uestrorũ pertranseundo perspicite, ut quis qualisue finis contradicẽtium esset, percipiatis. Hęc quidem timentibus Deũ, eiusq́ sequacibus manifesta sunt castigamina. Tu quidẽ omnem dolorẽ & tristitiam, ac desperationem

*Bene operantes non perdẽt mercedẽ suã.*

*Felicitas incredulorum uento noxio similis.*

*Cauendi infideles. At nunc Christianis scilicet ystũ est cum eis fœdera pangere.*

*Cõflictus meminit in Badar, qua Saraceni grauiter laborarunt.*

*In auxilio diuino ponenda spes uictoriæ.*

*Non fœnerãdum. Machumetũ sequentes paradisum ingredientur.*

*At Christus dit, Ego sum uia &c.*

*Et si cæcus cæco dux, &c.*

*Inferos petent mali.*

*Exemplo maiorum deterret à contumacia.*

tionem

tionem expelle : quia tu tuíq; ſuper cæteros ſublimati eſtis, ſi in lege bona perſeueraueritis. Si uobis aduerſitates incubuerint, ſimiliter & cæteris incubuerint. Iſti quidem ſunt dies caſus, atq; fortunæ. Deus malos abhorrens, in ſe credentes agnoſcat, de cunctis teſtes accipiendo. ¶ Bonos homines deus mundat & purgat : incredulos autem, ut ferri purgamentum eiiciens, ad nihilum reducit. Opinati eſtis uobis aditum paradiſi patêre, niſi prius adeò fortibus & magnanimis in bello perſpectis? Ante litis ingreſſum, uos morti paratos firmabitis: Nunc eam uidendo, quid agetis? Machumeto non niſi legato Dei, quem & cæteri præceſſerunt prophetæ, natura cædeúe perempto, ueſtram legem defendentes, ſuum terminare negotium ſtudeatis. Sic enim uobis deo grates referentibus, ſuffragium atq; munimẽ tribuet diuina manus. Nullus igitur mortem ſubire poterit, niſi deo uolente, tempore ſcilicet ſtatuto. Deus omnium uota dinoſcens, omniumq; dines, mundana quærentibus temporale, petentibusq; cœleſtia ſummum bonum tribuit. Conſtat item, multorum prophetarum uiros ſummates, pluresq; bonos interfectos eſſe: nec inde detrimẽtum ſeu timor oppreſſit Deo pugnantes, qui fortes & induratos diligit, atq; ſuſtẽtat, & hanc ſuam orationem benigne ſuſcipit: hic ſæculoq; futuro illis miſericors atq; propicius, ueniæ dator, cum cunctis benegerentibus benefaciat. O deus, culpas noſtras ablue, peccata dimitte, pedes firma, & uim atq; uirtutem nobis contra malos & incredulos tribue. Incredulos nullatenus quis ſequatur, ne deuium et erroneum, illum uertendo, faciant, ſicq; damnandis adſcribãt. Deus autem omnium optimus iudex, ſemper eſt ſequẽdus. ¶ Cordibus incredulorꝫ ob incredulitatem & obſtinantiam in uia praua turbationẽ immittam, ignisq; perpetui feruori tradam. Priuſq; ueſtris cordibus diſſenſio titubatioq; fatigãs inhæſiſſent, uobis digredientibus à cæteris, ut ueſter ſucceſſus clareſceret, me prius tamen uobis dilecta patefaciente, Deus uobiſcũ pro ſuo uelle fœdus firmauit, uobis omnia peccata ueſtra, ſola gratia miſericordiaq; condonans. Vobis tamen poſtea lite relicta, per rupes atque conuexa fugientibus, nec prophetam uos retrouocantem, ut qui fortiter agendo ſæculi futuri gaudium aſſequeremini, exaudientibus, curam atque dolorem Deus immiſit. De prædæ quidem amiſſione, ueſtriq; detrimento, deo daturo ueniam, conſolemini, nihil timentes, cum poſt dolorem habitum uobis quietum ſomuum deus induxit. Quo uobis refocillatis, ueſtri quidam animarum ſuarum commodo ſtuduerunt : quidam de Deo rem iniuſtam atq; nefandam cogitauerunt, intrinſecus retentam maliciam nequaquam propalantes: cum in ſolius Dei manu cũcta, in noſtra uerò nulla ſint poſita. Vnde illis dicentibus, ſe nequaq; interfici, ſi manus ſua diſponeret, manifeſta eos, licet in proprijs domibus atque lectis quieſcerent, hoſtium manu ſuperueniente perimendos. Deusq; cognitor omnium ueſtrorum, arcana cordium cognoſcit. Sciendum quidem, diabolũ omnibus die belli retrocedentibus, regreſſum propter actus antecedentes machinatum eſſe. Horum tamẽ omnium ueniam deus, omnibus benefaciẽtibus propicius, permittit. Viri boni, nullatenus incredulis conſentiatis, qui ſuis amicis prædatum pugnatumúe proficiſcentibus diſſuadent, dicendo: Veſtris domibus immorando, naturæ cædisq; mortem euitare poſſetis. Horum tamen corda dolor & deſperatio penitus occupant : Deusq; ſingulos ueſtros actus diſcernens, hos uiuificat, illos uerò uelle ſuo mortificat : omnibus in itinere ſuo mortuis

*Scoria ſunt infideles.*

*Animat ad bellum, utq; religionẽ armis defendãt, ipſo mortuo.*

*Machumet nil quam legatus Prouidentia.*

*Non deſperandum prophetis occiſis.*

*Implorat Dei auxiliũ cõtra infideles.*

*Cauẽdum cõmercium infidelium.*

*Gratuita peccatorum condonatio.*

*Fuga Saracenorũ, nequicquam reuocãte illos Machumete.*

*Vires hominũ nullæ.*

*Prouidentia Dei conſtituitur, qualem Bardeſanes.*

*Fugientes in bello, diabolo inſtigante.*

*Non audiendi à bello deterrentes.*

*Præmia in expeditione morientium.*

uenĩam, quæ cunctis uestris possessionibus præualet, largiens, & ad iudicium mitissimum reuocans. Si tu grauis rigidiq; cordis existeres, nequaquam discederent. Sed tua tibi tuisq; mollicies obfuit. Vnde nunc illis condonans, illis à Deo uenĩam perpetra: eosq; deinceps consulens, de omnibus tuis negotijs delibera, & in omnium rerum exordio te Deo tutori commenda. Quo uobis auxiliante, quis uos uincere quibit? eo uero nocente, quis subueniet? Cui singuli sapientes se commendant. ¶ Dedecus & illicitum prophetæ censentur, ut cum prædatum uenerit, quid prædæ negetur. Hæc namque faciens, die qua quisque à Deo nemini nocente sua merita suscipiet, secundum graduum coram Deo distinctionem, cum negato coràm ueniet. Deus quidem è uobis prophetam docentem prius erroneos uias rectas, & legem, & castigantem animas, atque mundificantem excitans, bonis hominibus multum beneficium contulit: uobis semel mala, secundoq; duplicata passis, & mirantibus hoc unde contingeret, uosmetipsos causam illius esse patefeci: quia Deus est omnipotens, qui die coniunctionis exercituum mala uobis accidere permisit, ut fortes & bonos ab hominibus praui cordis & inconstantis discerneret, qui scilicet pugnare, hostesue reijcere in Dei nomine rogati dixerunt: Si pugnare sciremus, uos sequeremur. Sed illi potius incredulis quàm bonis consentientes, aliud quàm corde retentum, uoce proferunt, morantes domo, sibiq; dilectis dicentes: Si modo uerbo parêrent, nullatenus interficerentur. Si ueraces sunt, se morti subtrahant. In uijs Dei morientes, nequaq; mortui dicendi sunt. Illi namq; de bono Dei dilectioneq; gaudentes, apud deum uiuunt, expectantes post se relictos, nilq; timentes.

*Si Deus pro nobis, quis cõtra nos?*

*Nõ præda neganda prophetæ.*

*Eximio Dei beneficio Machumet exhibitus, uel potius ex ira Dei.*

*Probatio per calamitates & cladem.*

*Felices & uiuentes qui moriuntur in uijs Dei, id est, bello.*

## AZOARA VII.

ISTis, sicut & cunctis obedientibus Deo, prophetæq; suo, beneq; facientibus, bonam de Deo spem habentibus, deus iudex, nulli quicq; auferẽs, maximam mercedem tribuet, post laborum sustentamentum. Illos quos sermo uentilat aduersus uos, congregati, timete, uos præmuniendo, Deoq; commendando, fidem suam augendo, dicentes: Deus suum uelle faciet cum prosperitate, commodoq;. Illæsi reuersi, Dei summè diligendi, & honorificentissimi, dilectionem adepti sunt. Illos quibus diabolus timorem immittit, nemo uir bonus timeat, sed me tantũ. Increduli rursum, & ad malũ ueloces ac proni, penitus negligendi, uelut sibi, non Deo nociui, malũq; grauissimum sæculo futuro passuri ubi nequaquam Dei participes erunt. Hic autem omnis uitæ status iocũdus & prosper illis à Deo permittitur, nõ ut suis animabus fructificent, sed ut peccata sua multiplicẽt. Ad uestræ legis item confirmationem, & bonorum in ea perseuerantiam, ferruginem prius atq; fecem abijcere Deus uoluit: qui uos ad incognitum & absens sublimare uolens, legatum pro uelle suo uobis doctorem misit. In deum itaq; credite, suoq; legato parête, mercedemq; maximam & gaudium accipietis. Dissimulatores & auari, non efficaciter intelligunt, bona sua sibi sæpius malum grauissimum generare, Deo totius hæreditatis cœli terræq; domino facta sua sciente, illis mercedem æqualem suis meritis allaturo. ¶ Eorum sermone scripto, qui deum pauperem, seq; diuites asserentes, prophetícidæ facti sunt iniustè, eos sic alloquemur: Damnati, reiq;, pœnam, ignisq; feruorem, uobis propter actus uestros antecedẽtes paratũ gustate, me nemini malũ uel iniuriam agente. Dicentibus deum sibi mandasse, ne cuiquã legatorum

*Ad famã hostis aduentantis cauti esse debent, & Deum inuocare.*

*Contemnendi mali.*

*Felicitas prauorum, perdit eos.*

*Machumet datum ut ferruginem extergeret ab hominibus &c.*

*Auaris opes nocent.*

*Prophetarum interfectores, Iudæi scilicet.*

*Contra postulantes mirabilia ex Machumet.*

rum, nisi prius igne diuino aduenient, & holocaustum consumente uiso crederent, dic: Ante te legatos cũ multis uirtutibus, & hac ab illis quæsita ueniſſe, & ab illis nequaquam ueridicis interfectos esse. Non mirandum itaq; si uobis non paruerint, cum prædeceſſoribus ueſtris uenientibus cum uirtutibus, & psalterio, libroq; splendidissimo contradixerunt. Omnis homo mortem gustabit, nec aliàs quàm sæculo futuro mercedem habebit. Illeque solus felix, quem Deus ab igne liberans, paradiso locabit. Illa namque firma: hæc uero uita, omniaq; mundana, fortuita sunt. Veſtrorum corporum detrimentum, damnumq; pecuniarum incurretis, & à uiris legum contumelias atq; conuicia sæpius audietis. Sed si patientes, & fortes, Deumq; timentes perseueraueritis, æterni gaudij præmium possidebitis. Inter Deum uirosq; legum pacto fœdereq; firmato, scilicet quod ipsi doctrinam à Deo susceptam nec gentibus negarent, nec inuitè dissimulando darent, omne pollicitum post terga proijcientes, ad nihilum redigentur. Suorum factorum ostentatores, & ex operibus alienis, reue non facta laudis affectatores, malum diutinum atq; graue subibunt. Cœli terræq; machina, & noctis atque diei uicissitudo, quarum opifex solus omnium est rex, & omnipotens, manifestæ sunt sapientibus uirtutes. ¶ Omni modo Deum inuocantes, & cœli terræq; compositionem mirando, sciendoq; Deum hoc pro nihilo non feciſſe, dicentes: Tu domine misericors, nobis tuum præconem exaudientibus, ut legem rectam sequeremur, nostra condona peccamina, nosq; defunctos bonis adiunge, à te nobis per prophetas atq; legatum pollicitum complens, nec die iudicij nos contemnens, ab ignis feruore, quo malos sine remedio grauiter affliges, libera: quia tu termino proposito, ueraciter omnium causarum iudex existes: Isti inquam sic dicentes, huiusmodi responsum audiunt: Neminem, seu uir sit, seu mulier, hic uel ille, quicquam suorum operum amittere sinam. In litibus prædictis, mortem seu damnum amore mei passos, & à domibus suis eiectos, suorum data peccaminum uenia, secundum gratiæ meæ, suiq; meriti modum, cum mea retributio sit maxima, paradiso locabo. Summopere cauendum, ne uobis in terra, cum illa sit angustissima, participes, uel ueſtrorum negotiorum executores efficiantur: cum ipsi ad sedem malam atque gehennam proficiscuntur. Velut è contrario, Deum timentes ad paradisum, ubi est quies & aquarum fluxus: qua melius etiam apud Deum ad opus bonorum exiſtit. Homines legum, deum adorantes, & in ipsum credentes, suisq; mandatis super te & super cæteros, Dei uirtutes nequaquam pro modico ducentes, positis, fidem adhibentes, misericordiam atque præmium à Deo, omnium operum promptissimo computiſta, susc ipient. Viri boni, Deum timentes, ut præcedatis, omnibus resistendo uitijs, bonum assiduè peragite.

*Scripturæ sacræ uelut psalterium.*
*Ante obitum nemo felix.*
*Res mortalium incertæ.*
*Iudæorum & eorum qui legẽ acceperunt Dei, fuit illam communicare.*
*Ostentatores bonorum operum punietur.*
*Deum inuocantes saluabiantur.*
*Consortium infideliũ prohibet.*
*Deus in numerato habet omnium ficta.*
*Vincendum uirtutibus.*

## AZOARA VIII.

DEum, primi uiri plasmatorem, unde sua consequenter mulier, & ex illis deinceps totum humanum genus, sicq; uos Deo operante facti estis, timentes adorate: nec fœminis ueſtris consanguineis beneficia dilectionemue subtrahatis, cum Deus & angeli custodes existant. Orphanis pecuniam suam, nil inde, sed de ueſtro comedentes, persoluite, nequaquam boni uicem malo supplentes. Sed si uos illis orphanis non æquilibre rectum facere putaueritis, aliàs quotcunque placuerit, duas scilicet, aut tres, uel

*Hominum procreatio: ex qua profluat amor cõiugũ.*
*Orphani haud fraudandi.*

*Vxores plures ducere licet, modo quis ſpe ret pacem inter eas conſer uare poſſe.*

quatuor uxores ducite, niſi timueritis eas nullatenus pacificare poſſe. Tunc enim uel unam, uel quod ſua manus caſtigare quiuerit, quibus rem determinatam donet, ducat. Res autem ſuas illis permittentibus, ueſtra uoluntate poſtulante, licitè comedere poteſtis. Neſcijs & temerarijs ante dies diſcretionis ſuæ ſolum uictui ueſtituicp neceſſaria tribuite: Adultis uero, ſæpiusqúe probatis, & moderatis, ac prouidis inuentis, integrè reddatis, nil inde comedentes, ſi diuites fueritis: ſi pauperes autem, parum: hocqúe determinate. In reddítione pecuniæ teſtes adhibete. Deus autem totius computi cognitor eſt. Rerum à patribus ſeu parentibus relictarum filij, ac filiæ,

*Vxorum numerus pro facultatibus temperandus.*

*Hæreditatem diuidentes beneficí ſint erga inopes.*

cæteric̃p portionem rectam parum ſcilicet, an multum accipiant. Horac̃p diuiſionis propinqui, & orphani, ac pauperes, & miſeri, aliquam ſaltem portiunculam cum miti dulcic̃p ſermone ſuſcipiant. Linquentes infantes paruulos, ſi timuerint Deum, pertimeſcant, & inde bene loquantur. Pecuniam orphanorum comedentes, uentrem ignis ſolus cibabit: ipſec̃p ſemper flamma torquebitur in ipſa. ¶ Deo iubente, quantum duæ filiæ unus habeat filius. Et ſi plures quàm duæ fuerint, ille duas tertias: ſi una ſola, mediam: omnesc̃p parentes ſextam obtineant, ſi filius affuerit. Sin autem, parentes ſint hæreditarij, mater tertiam, niſi fratres habuerit. Tunc enim habebit mater ſextam, poſt perſolutionem debitorum & eleemoſynarum patris. Vos neſcitis, quis in Dei mandatis uobis erit magis commodus, cognatus ſcilicet, an filius. Si mulier moriens infantem uobis non reliquerit, ſuæ pecuniæ medietatem habeatis: quartam autem, ipſa prolem linquente. Pecuniæ uero mariti mortui filio carentis, quartam mulier habeat: octauam autem, ſi proles aſſit, poſt debitorum & diuiſionum perſolutionem. Cumc̃p non filius, ſed alius hæres acceſſerit, uir ſeu fœmina germanum uel germanam habens, eorum quilibet partem ſextam habebit. Et ſi plures fratres ſororesúe fuerint, poſt debitum eleemoſynasc̃p ſuas peractas ſextam inter ſe partiantur. Omnis horum præceptorum obſeruator, paradiſum, quod eſt maximum: inobediens omnis & præuaricator ignem atque gehennam, mala contemptumc̃p paſſurus, poſſidebit. Mulier adulterio quatuor fœminis teſtibus conuicta, in domo uſque dum illi uiam Deus aperiat, uel ipſa moriatur, ſit detenta: & accedentibus ad illam malum ingeratur, niſi malo relicto benefecerint. Tunc enim Deus pius ueniam dabit. Neſcienter autem fornicantes, citoc̃p digredientes non ſic affligendos, Deus leuiter exaudit. Male quidem operantes, nec ante mortem, ſed in ipſo mortis articulo digredi uolentes, & ſimiliter incredulos morientes, Deus abhorrens pœnis affliget. Viri boni, uim mulieribus inferre, easúe decipere, uel eas ſibi blandicijs ſubripere, ut ab ea prius ſibi data, niſi rea fuerit, extorqueantur, minime licet: ſed illis benefaciendo procedere. Cumc̃p contigerit uos illas non diligere, quanquam forſan adeò multum proficuum allaturo dilectæ fuerint, unam pro alia mutare licet. Sed licet mutandæ, unum quintare, ſeu quantumlibet daretur, nihil inde reſumere licet. Sin autem, iniuſtum atc̃p peccatum facietis. ¶ Quónam modo qualiue mente cum inter uos coitus inter nos firmati fœderis pactum fuerit, quicquam reſumere quiueritis? Cauendum quidem maximè, ne ductas à parentibus ſecundum morem temporis gentilium ducatis, cum fornicatio mala uia ſit & immunda. Et ut generaliter ueſtrum procedat eloquium, omnes hæ mulieres uobis interdictæ ſunt & illicitæ, ueſtræ ſcilicet

*Adulterarum pœna.*

*Raptus, et fucus mulieribus factus.*

*Vxorum mutatio.*

*Fornicatio.*

matres

matres & filiæ, sorores & amicæ, neptes atq; materteræ, nutrices atq; germanæ collacteæ, matres etiam & filiæ mulierũ uestrarũ, si à uobis tactæ fuerint: sin aũt, licitæ sunt. Nurus etiã, duæq; germanæ, quæ tamen alijs tẽporibus quasi licitę sumptę sunt. Deus quidẽ pius & misericors ueniã efficiet. *Personæ prohibitæ in matrimonio.*

## AZOARA IX.

Liber hic uobis cœlitus missus, licitum atq; tenendũ hoc uobis statuit, ut pecunijs uestris castas mulieres undecunq; quæsitas, quæ malicijs semotis nec meretrices nec; fornicatrices existant, ducatis: illis pecuniã scitam & determinatam præbendo. Illis itaq; uestris taliter factis, quòd deinceps placuerit, ruboris atq; timoris expertes agite. Et Deus quidem sublimis est atq; sapiens. Impotens quidem ob diuitiarũ tenuitatem huiusmodi bonas atq; generosas ducere, secundum manus suæ potentiam, mancipia bona & ad legem conuersa ducat: estq; Deus legis sapiens. Nubant quidem ea suis scientibus, munera danda cum determinatione sumentia, ut bonæ fiant mulieres, non fornicatrices, nec amasios habentes. Illis autem deinceps fornicantibus, medietas malorum atq; cruciatuum generosis fornicantibus inferendorum ingeratur. Indurare tamen atq; perpeti melius est, Deo uolente, qui maiores antecessorum afferens ueniam largitur: cum ille sit sublimis & sapiens, ueniæq; dator, leuia præcipiens & possibilia, cum hominem fragilem atq; debilem effecerit. Sequentes uero suos luxus & desideria, nos omnes imitatores sui esse uellent. Viri boni, pecunias uestras propter mendacia, ubi pactum mercaturæ firmatur, inter uos acciderit, non comedite, nec animas uestras interficite. Hoc namq; sponte malitiose faciẽs, in ignem proijcietur: quod Deo leue est. ¶ Omnem se diuertentem à rebus illicitis & pessimis, indeq; declinantem, in loco gaudij pleno, summoq; bono Deus ipse collocabit: nec uos dei munera cæteris, non uobis, parata adipisci studeatis. Quisque namq; uir seu mulier operum suorum mercedem à deo, qui solus est omnia sciens, obtinebit, singulis suis officijs patefactis, Patribus atq; cognatis portionem suam de rebus à se relictis præbete: quia Deus est omnium testis. Cum uiros mulieribus præesse deo placuit, ut ipsi corrigant eas, cum quibus suam expenderint peeuniam, ipsæq; deum inuocent, & maritis pareant, & eorum secreta sibi commissa celent, ius æquum postulat. Quæ si fortè præcepta non obseruauerint, à uobis correctæ & castigatæ, in domibus lectisue detentæ uerberentur, usquequò uestris nutibus atq; prę-ceptis pareant. Tunc autem nequaquam: quia Deus est excelsus & immensus. Seditione quidem uobis superueniẽte, seu suspecta: si pacem uoluerint, utriusq; partis uiri reconciliatum eos accedant, Deo qui est incompræhensibilis & excelsus directionem atq; connexum facturo. Deum timentes, nullum ei participem æstimetis. Vestrisq; parentibus, & propinquis, & orphanis, ac pauperibus, atq; uicinis, & coitinerantibus, ac peregrinis, subditisq; uobis benefacite: totius ostentationis, quam deus abhorret, expertes. Auaris negãtibus bona sibi à deo cõmissa, & persuadentibus cæteris, ut idẽ faciãt, malũ et dedecus inferemus. Suã quoq; pecuniã, ut homines uideãt, expẽdentes, nec deo alterius sęculi iudici credẽtes, diabolis cõsociabunt. Quare uel hos in deũ alterius diei iudicẽ credere, uel illos bona sibi desup data distribuere grauat? Omniũ tamẽ deus cõscius est, qui nullũ librũ, licet etiã sit formicæ portiũcula minus, quin computando remuneret, prætermittit, meritũq; magnũ & cõpletum beneficium multipliciter reddet, ex se etiam

*Pudicæ uxores ducendæ.*

*Fidei consortes ducendæ. Deut. 21.*

*Possibilia præstitu Dei præcepta.*

*Non fraudes admittendæ.*

*Summum bonum Deus bonis confert.*

*Viri præsint mulieribus. Gen. 3. &c.*

*Vxores quæ nolunt parere castigentur.*

*Reconciliationes.*

*Auaricia.*

*Ostentatores hypocritæ.*

*Incrẽduli damnandi.*

multa daturus. ¶ Die quã nos cunctarum gentium teſtimonium afferentes, horum uobiſcum teſtes acceſſerimus, omnes Deum non inuocantes, prophetiſq; minime credentes, ſecretam planam effici, nec unquam de creatore quid negaſſe, ſummis uotis affectarent. Oratum euntes, nequaquam ebrij, ſed penitus ſobrij ſint, ut quid acturi dicturiue ſint, ſanè cognoſcant. Poſt coitum item, & egeſtionem, antequam orent, abluantur: niſi uel ægroti, uel in itinere fuerint, ubi repertus aquæ ſit impoſſibilis. Tunc enim terræ mundæ puluere, quaſi aqua tergendo emundari licet. Deus namque pius ueniam dabit. Partis uero libri datores, errorem ſequentes, uos ſimiliter erroneos perſuadent. Deus autem omnium cuſtos & uindex, ueſtros hoſtes agnoſcet. Iudæis uerba legalia diſtorquentibus, & in lege plurima mala proferentibus, & ſe quidem audiſſe, & non credidiſſe fatentibus, commodius atq; melius eſſet nobis credidiſſe & paruiſſe. Sed horum pauciſſimi fidem aſſequentur, cum Deus ipſe gratiam ſuam atq; pietatem ab illis penitus retrahit. Homines tamen legis, hic noſtrum munus cœlitus miſſum ueſtram legem confirmans, ante quàm ueſtras facies retrorſum agam, & ſicut cæteros die ſabbati confudi, deſtruam, credite. Deum adorantes, qui ſummè criminalia peccata uidet, cæteris maiora nequaquam, ſed minora, cui uult condonat. Nónne uidetis, qualiter ipſi glorificantes ſuas animas exaltando, deo mendacium, quod eſt peccatum maximum, imponunt? Deus tamen quos uult, exaltat, nulli faciens iniuriam, nec auferens pondus nuclei oſſis. ¶ Partis item libri datores magos, & idola credentes, dicentesq; ſe uiam rectiorem atque meliorem exequi, Deus à ſe repellens confundit, abſq; ſpe tutoris & uindicis. Sed rurſus diuitiarum regniq; partem, unde nihil præbent, habere dicentes, hominibus de diuino munere ſibi collato multum inuident. A me quidem genti libro & ſapientia regnoq; & maximo tributis, cum eorum quidem quidam crediderint, quidam minime, incredulos, noſtriſq; uirtutibus contradicentes in ignem proijciemus, eorum cutem conſumptam ſemper renouantes, ut ignem ſine termino guſtent: credentes autem, & bene gerentes, in paradiſo ſub umbra refrigerij collocabimus. Hoc uobis à Deo præceptum ſummè conſiderandum, ut depoſitum remunerationemq; ſuæ genti reddatis, iudiciumq; facturi rectè iudicetis. Hinc enim Deus omnia uidens & audiens, uos bene caſtigat. Deo, ſuoq; legato, uobiſq; præſidenti, parête. Cumq; uerbum ambiguum ignoratumue uobis inciderit, ad deum atq; prophetam, in Deum, ſæculoq; futuro credentes, uos conuertite: & hæc uobis melior expoſitio fiet. Nónne uidiſtis dicentes, credere ſe præceptis ſuper uos & anteceſſores ueſtros deſuper miſſis, qualiter Athenienſes iudiciũ poſtulant, in quem neminem credere ſeu parêre mandauimus? ſed illos quàm longius aberrare diabolus ſuggerit, quod ad Dei prophetæque mandata conuerti roganti, quàm effrenes atque proteruí uiæ ſuæ malæ ſemper innituntur. ¶ Quid facient, cum flagitium & mortem ſecundum ſuarum manuum opus antecedens inuenient? Malis tamen peractis redeuntes, coram Deo ſe nil niſi bonum & directionem ulterius uelle pollicentur, Deo tamẽ eorum corda agnoſcente. Tu quidem ab illis diſcede poſt caſtigamen & dictum mentibus ſuis intimato. Nullum legatum, niſi quem, cuiusq; mandata ſequerentur, miſimus. Et ſi illi tecum deum ueniam culpis neglectis poſtularent, eũ pium ueniẽq; datorẽ inuenirent. Illi uerò diuino præcepto minimè

*Ablutiones, ſeu luſtrationes.*

*Iudæi falſarij legum, & increduli.*

*Ambigui in fide, magi, idololatræ, Deo inuiſi.*

*Obedictia deo & legato, & principibus debetur.*

*In dubijs ad Deum et prophetam confugiendum.*

*Pertinaces poſt admonitionem relinquendi.*

*Cur igitur alibi iubes occidi?*

nimè parebunt, usquequò te iudicem suæq; controuersiæ discussorem constituam, & illi suis animabus nequaquam odium uel iram, sed ueritatem firmissimam gestent, & ad inuicem se salutent. Si mortem uel exitium iniungeremus, perpauci concederent. Nostrorum tamen præceptorum effectus plus commodi bonisq; ferret, cum eis mercedem maximam tribueremus, rectamq; uiam doceremus. Omnis quidem Deum legatumq; suum sequens, prophetis, suisq; credulis, Deiq; nomine peremptis, quibus Deus misericordiam contulit, associabitur, Deo dante: ex cuius uelle & misericordia, cunctorum abundantia bonorum procedit. Viri boni, summè cauete uobis in loco timoris atq; periculi, uos inde remouendo, aut bene curando. Quidam uestri recedentes, si manentibus illic mala contigerint, inquiunt, Deum sibi ob suam absentiam minimè fuisse: Si bona uero, se non affuisse dolent, tanquam aliquid magnum per præsentiam adeptos. Istud pro sæculo futuro uidentes, propter Dei uiam rectam lites efficiant. Omnẽ enim sic pugnantem, seu uictorem, seu peremptum, maximo donabo gaudio. Propter uiros debiles, & mulieres ac infantes deprecantes, ut eos à uilla propter malos homines educat, sibiq; tutorem ac uindicem præbeat, pugnam quare non committitis? In nomine Dei uiri boni pugnent: Incredulí prauiq; pro Amotheut, dæmonis adiutores expugnate: quia gens sua debilis existit. Nónne uidistis quosdam inito sibi prælio homines, ut Deum, plusue timere: cæteris persuadere, ut manus subleuarent, & orationes ac eleemosynas facerent, ipsiq; deo dicere: Quare nunc, non ante uel postea termino litis statuto, nos litibus adscribis? Huiusmodi uiris manifesta, quod omnis huius mundi pecunia possessa pauca est timentibus Deum: alius uero maxima ubi nemo molestiam uel iniuriam sentiet, nec locorum quisquam licet turres cemento fabricatæ, mortem remouere potest. Hi quidem commodum sibiq; placitum adepti inquiunt, hæc Dei sunt: mala quidem tibi penitus adscribunt. Tu uero dic eis, omnia Dei esse. Quid de hac gente sentiendum, quæ nullius scientiæ capax esse potest? Quicquid boni quis fecerit, Dei est: quicquid mali, suæ animæ, Deo teste. Sequens legatum, Deum imitatur. Discedente quidem nulli custodem uigilem superponas: Præsentes, se tui præcepta sequi testantur: absentes noctu transmittant, Deo tamen suorum secreta cordium dinoscente. Ab illis igitur tu diuertens, te Deo commenda, qui est imperatorum optimus. ¶ Alchoram fidem quare non adhibent? Qui nisi uir dei esset, contrarietates * multas obtineret. Mandato securitatis seu timoris illis adueniente, parum inde tractant. Sed si legatum homines sapientesq; sequerentur, suis retenta cordibus patescerent. Nunc autem nisi diuina pietate & abundantia suffulti, diabolum omnes, paucis admodum exceptis, sequerentur. Tu uero Dei nomine pugnam cõmitte, nullius nisi tuæ solius animæ custos: bonisq; similiter litis effectum persuade. Deus namque cæterorum maliciam, cum sit eis fortior & efficacior, repellit, eisq; plurima mala retribuet. Postulans ab alijs beneficia ad opus inopum, beneficij partem habebit. Ad opus quidem aliorum mala quærenti, peccatum duplicabitur. Deus autem est creator omnium, & custos. Cuilibet te salutanti, salutationem æqualem redde, uel saltem bona uerba congerendo multiplica: & Deus omnia nosci.

*Qui recipit prophetã, propheta mercedẽ percipiet.*

*Cautio in bellis, & præmiũ militiæ pro fide.*

*Timidos uituperat.*

*Non fidendum in certis diuitijs, sed futuri sæculi bonis.*

*Bona Deo, mala homini adscribendo. Machumet sequens Deum sequitur scilicet.*

**Cõtinet autem multas cõtradictiones: igitur non ex Deo.*

*Ad bellum instigat.*

*Pauperibus cõquirens beneficia præmiũ habebit.*

*Saluiantes resolutandi.*

NOn est Deus, nisi unus, omnes congregaturus die resurrectionis: ubi nullus est locus mendacij: Cuius uerbo quid est uerius? Viri boni, quid cũ illis incredulis, quasi duabus cohortibus, quorũ capita deus ob errorem suum subuertit, cõmunicatis? An ad uiam uestram rectã subleuare, Deo nolente eos nisi uia mala procedere, queritis? Ipsi quidẽ uellẽt nos sibi in errore & incredulitate coæquari. Vos itaq; neminẽ eorũ uobis negociatorẽ, seu sociũ, uel amicũ, nisi prius recta Dei uia pugnatũ seu prædatũ iuerint, associate. Sin aũt, eos ubicũq; repertos, si sit possibile, capite, & interficite. Eorũ aũt nullum uobis sumatis adiutorem, nisi cum quo fœdus firmaueritis, aut cuius cor dũ est ut se cõuertat, ne uos, gentemúe suã expugnet, deo quidẽ si placeret, eos ad uos expugnandũ excitando subleuaret. Quod illis non agentibus, sed uobis spõte sua se subijcientibus, nullã eis molestiã inferatis. A uobis sibi suisq; securitatẽ petentes, & deinceps cõtra uos pugnam ineuntes, nisi uero uestrãq; pacem acclamauerint, manusq; suas retraxerint, eos inq; ubicunq; repertos, capite & interficite, quibus eminentem instigatorẽ & imperatorẽ deus imposuit. ¶ Nemo bonus bonum scienter interficiat: Ignoranter quidem perimens, alĩ bonũ propter hoc redimat, & insuper parentelæ reddat homicidiũ, nisi illa cõdonare uolente. Huius effectus impotens deo se pœnitentẽ, & ulterius ab huiusmodi recessantem reddens, duobus mensibus cõtinuis ieiunet. Spontaneus boni uiri peremptor, ignẽ gehennæ perpetuũ irãq; dei pœnã ei summã inferentis & abhorrẽtis patietẽ. Viri boni, prædatũ eũtes nullatenus acclamãtibus eos, surdas aures adhibeant, dicentes eos nequaquam credendos, ut suã exorqueant pecuniam: cum Deus summas diuitias innumeraq; bona possideat: qui, sicut prius cæteris incredulis, ita uobis uiam rectam tribuit, omnia sciens. Domo manentes, nullo morbo grauati, euntibus prædatum atq; certatũ in nomine Dei, cum pecunia sua uitaq́e, nullatenus meritis coæquentur. Hos namque sic euntes, illis perendinantibus, Deus omnibus bona mandans, per gradum excelsum superponet, uelut maioris meriti, purioris q; ueniæ uiros. Ab angelis malis interfecti, detrimentumq; suis animabus operati, quæsiti qui nam essent, se debiles in terra fuisse testati sunt. quibus & hoc responsum est: Nónne terra Dei spacioſa satis & immensa, qua profectum iretis, extitit? Isti quidẽ gehennã, uiãq; malã incurrẽt, nisi uiri debilissimi, & mulieres ac infantes ingeniorum & itineris inscij fuerint: quibus forsan Deus ueniæ largitor, ueniam præstabit. Terrarum propter Deum expugnatores, & è domibus suis propter deum atque prophetam quæsitum exeuntes, in terris abundantiam adipiscentur, ibiq; morientes Dei misericordiam integrè consequentur. Quando prædatum pugnatumúe profecti estis, orationem aliquam uel omnes prætermittere non timeatis: si timueritis, malum uobis ab hostibus futurum, cum illi uobis summè inimicentur. ¶. Cum tu in exercitu ad orationem surrexeris, & tecum plures, quidã tecũ orent, quidam arma teneant: qui deinceps uice mutata, fundant orationes, uobis arma tenentibus. Secundum eorum namq; uelle, uobis illi superuenientes, & uos interficerent, & substantiam uestram tollerẽt. Vos item, uel infernos, uel loco pluuioso, uel lutoso manentes, arma uestra ponere, uosq; bene custodire, nõ sit uobis tædiosum, seu difficile. Eis namq; deus malũ cõtemptibile dedit. Oratione terminata surgentes, seu iacentes, Deum nomi-

*Non communicandum incredulis.*

*Qui socij adsumendi.*

*Ne resistatis malo, &c.*

*Rebellantes opprimendi.*

*Non occidendi boni.*

*Cædes imprudenter facta ut expianda.*

*Deu. 19 aliter.*

*Cædes spontanea gehennæ ignibus punitur.*

*Prærogatiua belligerantiũ pro religione.*

*Orationes in expeditione.*

mate. In loco uero timoris experte, orationes uobis bonis impositas per suas horas dicite, nec propter eos timidi, pusillanimesque sitis. Quia si uobis dolores incubuerint, & illis: similiter uos insuper, quod illi nequaquam, à Deo speratis, qui est incomprehensibilis & sapiens. Librum ueraciſſimum super te cœlitus missi, ut secundum dogma nostrum inter homines iudices, nec cum malis causam ineas. Sicq; tibi tuisq; Deus pietatis ueniæq; dator, reatus condonabit. Pro illis item hominibus, qui animæ suæ detrimentum operantur, minimè Deo, & sui cordis arcana dissplicita ipsi Deo, qui omnes actus suos circuit, celantibus, ratiocinari desiste. Licet enim in hoc sæculo pro eis differas, quis in alio contra Deum causam tractabit? Vel quis adiutor erit? Omnis fornicator, & animæ suæ detrimentorum operator, si Deum precando pœnitentiam egerit, ipsum pium ueniæq; datorem inueniet. Peccata perpetrans, nulli nisi animæ suæ nociuus existit, cum Deus omnia sciat. ¶ Quisquis culpam peccatumue perpetrans alij imputauerit, sibi nociuus existit. Vnde in iudicio errans, suæ tantum animæ nociuus, tibi minimè iudicium à te iudicatum falsum prædicaret, nisi pietas amorq; Dei subuenisset. Deus namque tibi magnus & abundans, te nescita docens, hunc librum atque sapientiam super te descendere desuper fecit. In eorum autem uerbis nulla perpenditur utilitas, nisi tantum illius, qui de substantia sua rem scitam eleemosynamue distribuit, & concordiam inter homines firmauerit. Huic namque tali ueniam mercedemq; maximam tribuemus. Omnem autem post res scitas, uiamq; bonam agnitam prophetæ contradicentem, ei uiam desideratam permittendo, gehenna malaq; usa torquebimus. Deus enim nequaquam criminalia, sed illis minora, quibus uult condonat: cum criminale gerens, in longissimum errorem abijciet. Inuocantibus nil nisi fœminas, ferocemq; diabolum, deus amorem suum retrahit. Cui diabolus inquit, de gente tua partem agnitam ego sumens, eam abuiam, & instigando ac suggerendo malo pronam efficiens, ut aures & membra tum bestiarum tum hominum secet iniungam. Omnis autem loco Dei diabolo seruiens, iacturam manifestam incurrit. Qui licet illis hoc & alia facere polliceatur, nulla penitus pollicita persoluit: Ipsiq; gehennam ob hoc ingressuri, non inuenient exitum. ¶ Omnes benefacientes in paradiso aquis subtus fluentibus amœna perseueranter collocabo. Hoc Dei uerbo quid est ueriusꝰ Secundum uelle uero tuum, et plurium hominum legum, nemini male gerenti uicissitudo remunerans reddetur: Sed ex Dei parte nec suffragium nec uindictam Deo præsente reperiet. Omnis autem benefaciens, legemq; rectam tenēs uir, seu fœmina, paradisum, ubi nullus, quantum est granum sinapis, iniuste perdit, ingredietur. Vbi reperiri potest lex melior quàm hominis humilis, deo penitus deuoti, sequentis legem Abrahæ, quem electum sibi deus omnia complectens, omnia possidēs, dilexit? Quæstione facta de mulieribus orphanis, quibus determinata scripto minimè soluūtur, & quas in uxores ducere postulatis, liber hic inde gerenda tradit. Infantulis, & cæteris orphanis rectum examen facite: Deus enim omnes actus annumerat. Si mulier sui mariti discessum derelictionemue timuit, ei pacem quærere, cum pax melior sit, non sit difficile. Similiter & cæterę mulieres auaræ, super alias zelotypæ, pacem confirmēt, atque corroborent. Omnis timens & benefaciens, Deo singula sciente, mercedem accipiet. Inter uestras mulieres pacem & æqualitatē retinere cū sit impossi-

*Secūdum Alchoran iudicandum.*

*Pro malis non intercedendū.*

*Peccata nō alijs imputāda, sed sibi.*

*Re non uerbis inanibus declarantes studiū legis, præmiū accipiūt.*

*Criminalia peccata, id est mortalia, & uenialia.*

*Diabolus instigator mali.*

*Diabolus uana promittit suis. Paradisus.*

*Etiam minimum bonum remunerabitur in paradiso.*

*Abrahæ lex optima.*

*Orphanis cauet.*

*Mulieres pacem studeant.*

impossibile, earum contrarietates prout minus poteritis patiamini. Vobis enim pacem firmantibus, deus pius dabit ueniam. Illis quidem diuisis, cuicq; portionem amplitudinis suæ deus immensus & sapiens, cunctaq; possidens, præbebit. Hominibus quidem legum, tuis antecessoribus, tibiq;, timere deum iniunximus. Sin autem, Dei cuncta scientis atq; uidentis sunt uniuersa: cui si placuerit, omnia mundana & transitoria destruens, cum aliis ueniet super hoc summè potens, apud quem est, quicquid de hoc, sæculoue futuro quislibet expetit. Viri boni, directores uel dilectores hominum, & æquilibres coram Deo testes, licet de uobismetipsis sit, uel de parentibus, seu propinquis, diuitibus uel pauperibus, cum deus omnium sit iudex, estote, nec uiam falsam & erroneam sequi uelitis. Rem etenim inuoluentes, aut de recto discedentes, deus agnoscet. Viri boni, in deum credentes, suo legato libroq; super eum misso, & libro quoq; prius posito, & angelis acalius diei aduentui credite. Sin autem, longus error uos abducit. Prius in deum credentes, postea factos incredulos, exhinc legales, postremoq; malos, si in illa perseuerent incredulitate, ipse deus penitus abhorrens, nec ueniam dabit, nec rectam uiam patefaciet. Quibus tu manifesta, quod ignem grauissimum introibunt. Loco bonorum, incredulorum amicitiam & societatem propter honoris adeptionem, cum Dei sint honores uniuersi, nemo fortiatur. Liber enim super uos cœlitus missus, quòd cum renuentibus mandata Dei non sedeatis, nisi prius ipsis mutantibus uerbum, instruit atq; castigati. Sin autem, illis couniti & consimiles eritis. Quia deus raptores, iniustos, & incredulos in gehennam congregabit. Vobiscum blandiendo morantes, à uobis commodo lucroq; suscepto, se fuisse uobiscum asserunt: Incredulis autem aduenientе successu, se suos protectores & auxiliatores esse testati sunt. Sæculo uero futuro inter eos iudicium dabit Deus, illos malos bonis nequaquam præferens. ¶ Increduli Deum fallere nitentes, ab ipso potissimè falluntur. Qui surgentes oratum, inconstanter & ægrota mente orationes fundentes, hominibus benefacientes censentur: cum illi nec hinc, nec illinc deum nequaquam nisi parum diligunt: nec quis, quem Deus aberrare uult, uiam rectam inueniet. Illi inquam mali & increduli, in fimo septimo puteorum igneo sine omni spe suffragij mergentur: nisi qui uia praua relicta bene facientes, Deo paruerint, & se in Dei nomine in sua lege purgauerint. His namq; sociandis bonis hominibus commodum, præmiumq; multum à Deo speranda sunt. Vobis quidem malum inferri non uult Deus, si ei cui grates omnes reddendæ sunt, in eum credentes gratias retuleritis.

*Testimonium sancte reddendum.*

*Alchoran fides tribuatur.*

*Apostatæ peribunt.*

*Commercium infidelium fugiendum.*

*Amici ollæ & fortunæ.*

*Astuti capiuntur in astutia sua.*

*Deus benefacientibus hominibus gratis.*

## AZOARA XI.

DEus omnia uidens atq; sciens, solis male gerentibus necem contumeliosam, uerbumq; malum fieri diligit. Omnis operator boni clàm coram ue, & iniuriarũ condonator, ueniam à Deo omnipotente consequetur. Deo suisq; legatis inobedientibus, & inter eos discutere uolentibus, secq; parti, non toti, sicq; rectam uiam assequi putando, credere confitẽtibus, uelut ipsius ueritatis incredulis, malum atq; contemptum ingeremus. ¶ Credentibus autem prædictis, nec inter eos discutientibus, mercedem innumeram pius ueniæ largitor Deus tribuet. Illis te precaturis, ut super eos liber de cœlo descendat, dic, quosdam à Moyse maius hac re petisse, uidelicet ut ipse Deum eorum oculis monstraret: & ob hoc cœleste fulgur eos percus-

*Semifideles non placent Deo.*

*Contra portẽdorum petitores Iudæos.*

sit

fit. Visis uirtutibus, eis taurum adorantibus ueniam fecimus, Moysicp regnum immensum & manifestum dedimus, & super eum montem extulimus: eiscp præcepto, ut se per portam humiliantes ingrederentur superbicp nihil agerent, pactum inde firmatum sumpsimus. Quod deinceps illis rumpentibus, propheticidiscp factis, atcp testantibus se corda dura & obdurata gestare, eorum corda Deus ipse sigillauit. Quorum præter admodum paucos, nulli credent unquam. Vnde Mariæ blasphemiam & immoderatam contumeliam inferunt, secp Christum Mariæ filium Dei nuncium peremisse perhibent. Sed nequaquam eum, imò sui similem suspendentes interfecerunt: profites etiam se suæ cædis authores, cordibus suis non minimam ambiguitatem inde gerunt. Sed eum nullatenus interfecerunt. Quia Deus incomprehensibilis & sapiens, eum ad se transmigrare fecit. In quem uiri legum ueraciter ante mortem credent, & eorum sæculo futuro testis adstabit ille. Ob eorum iniuriam atcp malitiam, quædam prius licita illis statuimus illicita: qui quoniam uiam Dei ferè penitus derelinquunt, mecp prohibente fœnus accipiunt, hominumcp pecunias pro mendacijs & iniurijs comedunt, malum atcp dolorem expectant. ¶ Horum tamen constantes, atcp sapientissimi, deumcp inuocantes, præceptis super te tuoscp prædecessores cœlitus missis credunt. Quibus sicut & cæteris in Deum dieicp futuræ credentibus, & orationes atcp eleemosynas agentibus, mercedem maximam tribuemus. Vobis quidem nuncium, sicut Noë & prophetis succedentibus ipsum, scilicet Abrahæ & Ismaëli, & Isaac, atcp Iacob, & tribubus, ac Iesu, & Iob, & Ionathæ, & Aaron, ac Salomoni simul & Dauidi, cui dedimus psalterium, fecimus. Quorum legatorum nominibus signatis, sunt & alij minime nominati. Moysen quocp Deus affatus inquit: Isti sunt lætitiæ bonorumcp nuncij, malorumcp correptores, ne post ipsos missos à Deo incõ prehensibili & sapiente, iuste Deum ob suam accusent ignorantiam. Præceptorum tibi diuinitus datorum, quod diuina tantum perfecta sunt sapientia, Deus est testis, angelicp similiter, licet Dei testimonium sufficiat. Incredulis aũt, quos longus error abducit, & male gerẽtibus, Deus nec ueniã dabit, nec uiam nisi gehennæ, quo perpetuò manebunt, demonstrabit. Quod ei leue satis est, atcp possibile. Legato ad uos cum diuina ueritate misso, credite, ut boni efficiamini. hocp uobis erit optimum. Sin aũt, Dei sapientis & incomprehensibilis, sunt uniuersa cœli & terræ. Sũmopere quidẽ cauendũ, ne lege uestra quid indignum & iniustum proferatis, nec de Deo quicquam nisi uerum dicatis. Iesus Mariæ filius, Dei nuncius, suusp spiritus, & uerbũ Mariæ cœlitus missum existit. In Deum itacp, illicp suo legato credentes, ne dicatis Deos tres esse, cum non sit nisi Deus unus, qui filio caret: Eicp omnipotenti, uniuersa cœli terræcp subiecta sunt. ¶ Christus quidem ipse minimè negare poterit, sicut & nec angeli, Deo propinqui, quin Dei subsit imperio. Omnem negantem se in Deum credere, & se sublimantem, Deus suę manui subiugabit. Credentibus uero, & bene gerentibus, mercedem pro suo merito tribuet, eorumcp gaudium ex proprio uelle semper augebit. Incredulos autẽ, & se sublimantes, pœnis maximis affliget. Ita uobis lucẽ atcp splendorẽ Deus ipse patefecit, qui cũctis in se credentibus, pius atcp propicius, munimẽ firmissimũ perseuerat, suis uiã rectã manifestãs. Perscrutãtibus te de iure hæreditario, hoc Dei uerbũ respondet: Si quis germanã habẽs absep prole moriat, ipsa mediũ substantiæ suæ relictæ sortiat. Si è cõuerso cõ-

*Iudæi pertinaces & duriceruices.*

*Christus non crucifixus à Iudæis sed alius ei similis. ut Cerdo, & alij hæretici, loquitur.*

*Iudæi credent olim in Christum.*

*Fœneratores Iudæi.*

*Ismael pro pheta.*

*Psalterium Dauidi à Deo datum.*

*Fabulæ Iudaicæ de Moyse.*

*Legato credendum.*

*Iesus Dei nuncius, spiritus, uerbum, non tamen Deus.*

*Qui negat filium, negat et patrem. &c.*

*Infideles & superbi perdentur.*

*Hæreditarius.*

tigerit,germanus totum hæreditet. Si sorores duæ fuerint,duas tertias accipiant. Si fratres uero multi,sororesq; plures,sexui masculino duæ partes, & fœmínino una tribuatur. Taliter,ne uos ignorantía turbet,Deus omnia sciens uos instruit.

AZOARA XII.

*Cibi uetiti.* VIri boni, in omni pacto uobiscum firmato constantes, mecq; timentes estote,nec animalium fœtus,quos illícitos dixero,cum omnes alij licíti sint,nisi peregrinantibus,comedere uelitis. Peregrinanti quidem cauendum,ne uenatus interficiat, Deo prohibente,nisi prius mense prohibitionis peracto: Tunc enim uenatus summere fas censetur. Omnis Dei domum inuocans,nequaquam oblationes in alto ponat: & ut misericordiam à Deo consequatur,in ipsum credat: nec ob homines prauos à uia recta se diuertat, Deiq; dilectioni,suisq; bonis,nequaquam malis atq; peccatis studeat, Deum timens: quoniam ipse grauis atq; difficilis super rerum fines inuenitur.

*Leuitico quæ dam cõcinũt.* Sunt autem uobis hæc illicita, sanguis & morticínium, animal quodlibet nequaquam Dei nomine peremptum, & suffocatum, ac igne combustum, uel ruina morti deditum,& à lupo tactum,nisi quis illud interfecerit. Nullus item nisi per Deum iuret. Sin autem,iniuriam effecit. Malis quidem exhinc certum erit,eos uobis nunquam dominaturos,cum hodie tibi tua lex, mihi propter te placita,donumq; Dei necessarium atq; sufficiens complean tur. Me itaq;,non illos timete. Si cuiquam rerum istarum aliquam,quasi sibi necessarias quis quæsierit, nec culpæ nec peccati reus erit: quia Deus pius inundabit ueniam. Quærentibus à te,quæ res sint licitæ: dices,sapidæ & odoriferæ. Venatum tendens,si sui canes ab eo docti,sicut & à Deo,ipsi bestias cœperint,super eas Dei nomen inuocans,eas comedat, Deum timens, cui subest omnis rerum numerus. Amodò rursum hic à Deo uobis datur licentia,ut de dapibus hominum legum comedatis,illiq; de uestris. Eorumq; fœminas bonas & timentes,ac in Deũ credentes,& nequaquam amasios habentes,cũ illis munera danda tribueritis,ducite. Omnis legi nõ credens, omnia sua perdit opera,in die iudicij connumerãdus amissoribus. Viri boni, cũ oratũ surrexeritis,facies uestras ac manus ac brachia usq; ad cubitũ,& pedes usq; ad tibias abluere,& capillos reuoluẽdo caput abstergere,& post coitũ mulierũ balneari uos oportet. Infirmi quidẽ,uel in itinere ab egestu,uel mulierũ coitu uenientes,& aquã minime reperiẽtes, facies suas atq; manus terræ mundæ puluere tergãt. Deus nãq; uestrã diligit mundiciã,officiũq; diuini perfectionem,cũ gratiarũ sibi redditione,& deitatis inuocatione. Cũq; uos cõfessi fueritis corã Deo,uos fœdus inter uos firmatũ audire et credere, Deũ timete,cũ ipse arcana cordiũ cognoscat. Omnem talẽ esse decet,ut nequaquam propter homines rectũ dicere sinat,sed corã Deo, omnibus timẽdo,quoniam omniũ opera noscit, rectum quo nihil est melius peragat,Deo credentes,& omnes benefacientes spe confirmaturo, & ueniã ac mercedem innumeram eis daturo. ¶ Increduli,nostrisq; præceptis resistentes,ipsi gehennæ deputantur. Viri boni,manus hominum ferè uobis impositas, ego diuertẽs à uobis retraxi. Vos itaq; me Deum,omniũ bonorum tutorẽ,timẽtes adorate. Inter Deũ filiosq; Israël pacto fœderis firmato, xij. expugnatores atq; p̃cones iustitię ministros ex eis Deus elegit,quib.& ipse dixit: Ego uobiscũ semper prẽsens adero. si in me crediderítis,prophetis meis fidẽ adhibẽtes,& eis auxiliãtes, & oratiões ac eleemosynas in meo nomine feceritis: uobisq;

*Cibi conceßi.* *Venatus.* *Quatenus participandũ cum Iudæis.* *Lotiones.* *Deo, non hominibus seruiendum.* *Dubiũ, an de exploratoribus xij. an de principibus tribuum loquatur.* *Iurandum in Dei nomine, Machumet autem iurat per cœlum, &c. Lex Machumetis propter ipsum Deo placita.*

uobísq; dans peccaminum ueniam, paradísum & æternam mansionem tribuam. Omnem hæc linquentem, deuius error abducet. Illis autem nequaquam fœdere firmato constantibus, amorem nostrum retrahentes, corda sua peruersa duraq; fecimus, suæ legis partem retinentia & distorquentia: unde semper res iniustas facere eos innitendo uidemus. Tu uero Deum, omnes benegerẽtes diligentem, pro ipsis, ut ueniam faciat, deprecare. Cum uiris item Christianæ professionis, nostræ dilectionis fœdere firmato, illi quorundam eis præceptorum obliti sunt. Illis autem, & istis, hostilitatem & infestationem ac abhorritionem usq; ad diem iudicij Deus immisit, eorum secundum opera sua uenturus iudex. Viri legum, uobis nuncius uester missus, uos multa prius à nobis negata docturus, multa uero adhuc taciturnitati commendaturus, lucem secum librumq; cœlitus missum, qui timentibus Deum uiam saluam & rectam ostendit, & à tenebris eijcit, affert. Scien dum quidem eos incredulos esse, qui Iesum Mariæ filiũ Deum esse dicunt. Quis enim eis quicquam faceret, inde si Deus omnipotens, omnia prout uult faciens, cuius imperio cuncta subiacent, Christum atq; Mariã, omnesq; mundanos mori faceret? Vos Iudæi atq; Christiani, si Dei filij, suiq; dilecti estis, pro ut uos dicitis, cur uobis culpas atq; peccata gerentibus pœnas & malum ingerit? Certe uos nihil aliud quàm homines estis, à Deo ueniæ mercedisq; maximæ datore, ad quem omnium erit reditus, creati. ¶ Vobis, uiri boni, nuncium uestrum alium prophetam à longe sequentem dimisimus, ne uos iuste conqueramini, uos carere doctore, qui gerenda præcipiat, illicitaq; prohibeat. Moyses suæ genti persuadens, ut Deum ipsum inuocando adorarent, quia eis prophetam, & reges, ac diuites, multaq; nulli cæterarũ gentium commissa contulit, inquit: Terram sanctam, scilicet Hierusalem, uobis à Deo prædestinatam, intrate retrouertentes. Sin autem, damnum & detrimentum incurretis. Dixerunt illi: Cum homines ingẽtes, graues, atq; fortes illic immorentur, nos nunquam nisi remotis illis ingrediemur. Tunc duo uiri Deum timentes inquiunt: Vosmetipsos, si boni estis, Deo commẽdantes, per portam super eos ingressum facite, sicq; uictoriam adipiscemini: Illi tamen obstinaces, quasi Moysen improbando, inquiunt: Nisi prius illis expulsis, nos nequaq; aditũ tentabimus. Sed tu Moyses, atq; Deus, eos expugnate, nobis hic adstãtibus. Quibus Moyses respondẽs, se nullius animæ nisi suæ fratrisq; moderatorẽ & imperatorẽ esse, Deũ, ut inter eũ illosq; malos discuteret, precatus est. Dixitq; Deus: Noli solicitari, uel quicquã de huiusmodi malis hominibus cogitare. Ego namq; illos malos & noxios, xl. annos inducã, & per terras uagari faciam. ¶ Illis historiam filiorum Adæ, ut sciãt qualiter alter alterũ interfecerit, retexe. Illis holocaustũ igne superposito faciẽtibus, alterius holocaustũ, alterius minime à Deo collectũ est. Vnde alteri dicenti fratri suo, Ego te interficiã: alter respondit, Deo nullius holocaustũ acceptabile, nisi timentis ipsum. Idemq; dixit: Licet manũ tuã ad mihi mortem inferẽdam superextẽderis, ego nequaquã ut te necem, manũ extendã. Deum namq; sæculi totius imperatorẽ timeo. ¶ Vt tu enim peccati sarcinã feras, sic igni deputandus (talem nãq; mercedẽ maleficus assequitur) minime perhorresco. Illi itaq; diu deliberãti, anima sua cædẽ fratris persuadente, fratrẽ occidit, deinceps perditis associatus. Coruus aũt à Deo missus in terrã, quid de fratre suo gerendũ esset, insinuauit. Ille igit̃ nec inertia nec pigricia re[illegible]etus, fratrẽ suũ, ut coruus coruũ, terra cooperiẽs, semetipsum

*Intercedendũ pro Iudæis.*

*Christiani legem traditã sibi deseruerunt.*

*Machumet legum lator.*

*Iesum Deum confitentes, increduli.*

*Christiani & Iudæi non filij Dei dilecti, quia propter peccata affligũtur. at Prouerbiorum 3. refellitur.*

*Historiam Num. 13. 14. perperam replicat, ut solet.*

*Historiam occisi Abel, Gen. 4. uertit in fabulam.*

*Homicidium scelus maximum.*

deinceps reum & repræhensibilem notauit. Hac itaque de causa filijs Israël scripsimus, ut quisquis hominem uita priuauerit, nisi ipse primus alius interfector, terræq; uastator extiterit, quasi totius gentis peremptor existat: uniusq; uiuificator, quasi totius gentis resuscitator habeatur. Multis ad uos iam prophetis cũ uirtutibus missis, postea tamen eorum multi in terra manentes iniustitiam secuti sunt. Omnes Deo suisq; prophetis resistentes, & ubiq; locorum, ut iniurias hominibus terræq; uastationem ingerant, discurrentes, cædem & suspectionem, aut pedum uel manuum per oppositum abscissionem promerentur, atq; de terra proiectionem. Istiq; tales in hoc sæculo contemptum, & in alio grauissimum malum patientur, nisi prius illi mala dereliquerint, quàm uos eos aliquibus malis præmatis. Sciatis etenim, Deũ sua benignitate ductum, ueniam daturum. Viri boni, Deum timentes, factis per quæ uos ipsi propinqui fitis, studeatis, ipsiusq; nomine usquequò uos meliores & elatiores efficiamini, prædatores & expugnatores estote. In credulorum autem die iudicij nulla fiet redemptio, licet tantum quantum bis terra caperet, pro se darent. Ipsi namq; maximis affligẽdi pœnis, ab igne glisscentes exire, nunquam inde euasuri, summè torquebuntur. Furum manus abscindantur, eo quod Dei grauis atq; sapientis offensionem & irã promerentur. ¶ Post malum perpetratum pœnitenti, beneq; facienti, Deus pius & misericors, sibi dilectis ueniam, inimicis malũ pro uelle suo præbẽs, cũ ipse sit omnipotẽs, eiusq; sint uniuersa, ueniã tribuet. Pro festinãtibus secũdũ uires suas ad incredulitatẽ, qui scilicet ore fidẽ cõfitentes, corde renuunt, nec curã multã nec dolorẽ, tu nũcie sustineas. Iudeorũ falsa loquẽtiũ, alijsq; cõsimilia fari persuadentiũ, qui uerba distorquẽtes dicũt: Si nobis hæc uel illa dederit, sumite: sin aũt, uos ab illo cauete, cũ ex Dei parte nemini quicquã proficere queat, cui Deus nocere uoluerit: Horũ inquam uerba nequaquã esse mũda Deus censet, eis in hoc mũdo dedecus, & in alio graue malũ allaturus. Istos quidẽ sic falsa proferẽtes, & illicita ac iniusta præmia comedẽtes, si ad te uenerint, aut à te repelle, q̃d nec tibi nocebit: uel cũ ueritate, quã Deus diligit, iudica. Cum ipsi testamentũ habeãt iudiciũ Dei docens, uiãq; rectã & lucẽ ac sapientiã præstãs, suis cordibus & mẽtibus ad gerendorũ notitiã à Deo monstratũ, cũ quo prophetæ, timentesq; Deũ, & sacerdotes atq; pontifices iudicãt, cur à te iudiciũ postulant? Ego quidẽ timendus uobis sum, non homines: nec mea mãdata pro modico precio uendere uelitis. Omnis secundũ Dei positum nõ iudicans, malis & incredulis adnumerabitur. Est aũt illi co à Deo positũ, ut anima pro anima, oculus pro oculo, naris pro nare, & dẽs pro dente tribuatur, & pro uulnere cõsimile fiat. Hoc tamen condonãs, Dei misericordiã, peccatiq; decrementũ accipiet. Christũ itẽ Marię filiũ, cui cõmisimus Euangeliũ, quod est lumẽ & cõfirmatio testamenti, & castigamen ac recta uia timẽtibus Deũ, ad uestræ legis cõplementum misimus. Omnis igitur euãgelij seruus, ipsius pręcepta iudicãdo sequatur. sin aũt, malus erit. Tibi quoq; librũ ueritatis, suorũ præceptorũ confirmatorẽ, cũ quo tuum est iudicare, desuper misimus. Tu igiẽ secundũ ipsum inter eos discussurus, eorum uelle nequaquã, sed solũ ueritatem amplectere, cũ sui cuiq; posita sint à nobis lex & iudicia. Sciendũ quidẽ, Deum, si sibi placuisset, omnes gentẽ unã effecisse: sed scire quærit, quid de suis mãdatis quisq; perficiat. Sit igitur intentio uestra, semper benefacere, cũ ad Deum uestras lites cõtrouersiasq; discussurũ omnes redibitis. ¶ Tu inter eos iudiciũ daturus, secundum Dei

*Grassatorum pœna.*

*Inter se benefici Machumetistæ, alios persequantur.*

*Furti pœna.*

*Remissio peccati.*

*Contra Iudæos doctrinam Machumetis oppugnantes.*

*Iuxta legem Dei iudicandum.*

*Exod. 21. Math. 5.*

*Euangelium Christi lumen, & confirmatio ueteris testamenti.*

*Liber Machumetis, Christi præcepta confirmat, si dijs placet.*

*Deus posset si uellet, omnes*

dispo-

dispositionem, caue ne suum uelle sequendo, te à dato tibi cœlitus in suam partem distrahant. Sciendum quidem, Deum illis malum etiam pro minimis peccatis daturum, si tuis iudicijs non obedierint. Et eorum multi sunt increduli, quæruntq; iudicia brutorum & insipientium: cum Deo non sit iudex melior. Vos uiri credentes, super uos nequaquam constituti præfectos seu iudices Iudæos ac Christianos permittatis. Omnis enim hæc agens, eis consimilis efficitur: cum Deus homines prauos ad uiam rectam minime dirigat. Viri tamen infirmi cordis, dicentes se malum sibi futurum timere, quibus suo corde reprehendenda timentibus, Deus, aliquis ue pro eo, qui sua superueniet, illis obediunt, sicq; bonorũ testimonio sua perdunt opera, perdendis associãdi. Viri credentes, si quis uestri suam legem liquerit, uiros se dilectiores Deus ipse diligẽdos eliget, qui pij dulcisq; cordis in bonos atq; fideles, grauis autem atq; crudelis in incredulos habet. Expugnatores Dei nomine lites aggressi, nihil timeãt. Hæc sua munera Deus cui uult tribuit, cum ille sit diues & largus, ac sapiens & immensus. Solus Deus, suusq; legatus, uiriq; boni, uidelicet eleemosynarum ac orationum factores, seq; Deo penitus subijcientes, uobis auxilientur. Pars enim illis commendata, uictoriam adipiscitur. De nostra lege ludum atq; ridiculum facientes, qui scilicet priusquã uos legi subiecti fuerãt, ei similiter incredulos, qui uos orãtes illudunt, cum sint insipientes, nullatenus uobis participes, nec uestrorũ tractatores negotiorũ statuatis, Deum timentes, si boni estis. ¶ Viri legum, cum nos in Deum credimus, suisq; præceptis super nos & prædecessores nostros missis paremus, uosq; peiores existitis: cur de nobis uindictam sumitis? imò peiores estimando uos ueraciter estis, & à recta uia magis deuij. Quibus Deus amorem suum retrahens, uestri quosdam simias, & porcos, ac idololatras cõstituit. Vos item accedentes fidem uestrã cõfitemini, qui semp & aduentu atq; discessu corda gestatis incredula, Deo cordium uestrorũ secreta dinoscente. Horũ multi malorum studiosi, mala gerunt, & illicita præmia comedunt. Cum igit à suis primatibus & tacenda dicãt, & non agenda gerãt, hæc prætermittere nõ iubentur: Manus Dei manicis ferreis cõiunctas, ludęis dicẽtibus, suas manus meritò sic uinciri, seq; pessundari, uerbũ illud exigit, cũ diuinæ manus capacissimæ, & penitus expansæ, prout uult, & quantũ uult, largiãtur. Sed eorũ semper error augmẽtabitur, ut minus præceptis super te cœlitus missis fidẽ adhibeãt. Vnde uobis hostilitas et abhorritio, ante diẽ iudicij nequaq; terminãda intercidet. Sed hoc quidem tibi minime curandũ, quia flãma eorũ inertiã Deus extinxit. Terras tamen adhuc uastatum, quod Deus abhorret, proficiscunt. Nos qdem hominibus legũ, si crederent atq; timerent, ueniã peccaminum facturi, paradisum sufficietem tribueremus: Et si testamẽti, simul & euãgelij, ac cœlitus sup eos missi præcepta sequerẽtur, tot cibis totq; bonis abũdarent, quod etiã suis substernerentur pedibus. Eorũ tamẽ pauci fidẽ obtinẽt, plurimi qdem sunt increduli. Tu donũ tibi cœlitus missum, nuncie, cæteris docẽdo tribue. Sin aũt, te Deus ab illis hominibus liberabit, qui malos ad uiã rectam nequaq; dirigit. Sciendũ quidem, uiros legũ nullius legi fideiue perfectionẽ assequi, nisi testamẽti et euãgelij ac huius libri à Deo positi præceptis pareãt. Hic aũt multis eorũ incredulitatẽ atq; maliciã & obstinantiã augebit: quod tibi nullã curam iniçiat. ¶ Credentes atq; ludęi, & angelos loco Dei adorantes, qui scilicet legem pro lege uariant, Christiani etiam, omnes hi inquã, si in Deum crediderint, & iudicij

*digere in unã fidem: Atqui uult omnes saluos fieri. Homines autẽ diligunt tenebras.*

*Magistratus fidei Machumeticæ sint. Notate uerba, signate mysteria.*

*Boni tantum uiri sunt adscribendi ad militiam.*

*Cõtra Machumetistarum hostes.*

*Aeterna hostilitas indicitur doctrinæ Machumeticæ cõtemptoribus. Transeuntibus insectam Machume. paradisus promittitur.*

*Doctrina cœlitus missa Machumet. adijs tradenda. Nulla doctrina perfecta, quàm uetus testamentum, & Euangeli: & Alchoran.*

diem expectantes benefecerint, nihil timeant. Cum filijs Israël dilectionis fœdere firmato, nostrorum legatorum eis deinceps missorum, quia displicita difficiliaq; illis nunciauerint, quibusdam contrà dixerunt, quosdam autem interfecerunt, hoc nequaquam certamen atque seditionem extimantes, surdi cæciq; facti sunt, Deo singulos suos actus annotante. Omnes quidem dicentes Christum Iesum Mariæ filium Deum existere, mendaces & increduli reperti sunt. Cum Christus ipse dixisset, Filij Israël in Deum dominum meum atque uestrum credite: Cui quisquis socium atque participem posuerit, ingressum paradisi illicitum sibi reperturus, & in ignem ibit, in perpetuum expers adiutoris atque uindicis. Sunt iterum increduli, firmantes deos tres esse: quia non est nisi Deus unus. Vnde si huiusmodi uerbum non mutauerint, malo grauissimo percutientur. Cur igitur se non conuertant ad Deum, ueniam'que precentur, mirandum. Ille namque ueniam atque misericordiam illis tribuet. Christus quidem Mariæ filius, non est nisi Dei nuncius, quem & plures nuncij præcesserunt: matérque sua uera, & illi, uterque comestibilibus uescebantur. Qualiter res, ex plano perspice: & quare non credant, postea perpende. Quia loco Dei, quod nec bonum nec malum nobis dare potest, adoratis: cum Deus omnia sciat, & audiat. Viri legum, nil nisi ueritatem in lege uestra sublimate, non imitantes homines, qui prius erronei multos errare fecerunt. Filios autem Israël, ob incredulitatem suam atque maliciam, ab amore suo Deus per linguam Dauid, Christiq; filij Mariæ, prorsus eiecit. ¶ Plures se nequaquam à rebus illicitis & flagitiosis abstinentes, plurima mala perpetrabant. Eorum item plures incredulorum negotia, ad quæ manus extendisse nefas est, cum ob hoc Deus eos confundens semper in igne comburet, illis amici facti tractabant: quod nequaquam fieret, si in Deum crederent, suoq; prophetæ, libroq; super eum cœlitus misso fidem adhiberent. Sed eorum pars plurima semper in sua manet malicia.

*Iesum Christū Deum confitē tes, increduli.*

*Imò spiritus omnis qui negat hoc, ex Deo non est.*

*Negat trinitatem cum Sabellio hæretico, &c.*

*Nos unum essentia trinum in personis orthodoxè confitemur.*

*Magni consilij angelus.*

*Contra diuorum inuocationem.*

*Iudæi à Dauid & Christo damnātur.*

## AZOARA XIII.

*Christianorū præsules nescio qui Mahumetizantes.*

*Leuissima ratio Paradisum adipiscendi.*

*Iuramentum ex animo fiēctum obligat.*

*Eiusq; uiolati expiatio.*

*Vinum, alea, scaci ludus uitantur.*

GRauioris hostilitatis & infestationis Iudæi semper erga nos, amicitiæ uero maioris Christiani reperiuntur. Christianorum etenim sacerdotes & præsules non indignantes, præsumptuosiúe, cum uerbum super prophetam positum audiunt, ueritatemq; cognoscunt, lachrymantur, & dicunt: O Deus, nos cum illis bonis hominibus credentes, te nos illis associaturum summè speramus. Cur enim in Deum, & est quod nobis de ueritate datum est, non crederemus? Hoc autem uerbo, sicut & omnes benefacientes, paradisum aquarum fluxu dulcissimam promerentur. Increduli uerò, meisq; præceptis contradicentes, igni deputantur. Viri boni, res à Deo uobis illicitas statutas, uel è conuerso, cum Deus à se prohibita gerentes abhorreat, nequaquam efficientes, bona sapida uobis à Deo concessa, ipsum timentes, quem adoretis, & inuocetis, comedite. ¶ Iusiurandum ex corde factum, non aliud uos coram Deo reos efficit. Illius quidem ueniam adipisci studens, decem pauperes pascat, sicut suam gentem pascere mediocriter consuetus est, aut eos induat, uel hominem redimat. Horum omnium impotens, tres dies ieiunet. Hoc itaque propter iusiurandum

dum facturi, ea diligenter obseruantes, maxime nitetis: Deo uos sic sua secreta docenti, grates reddite. Viri boni, uinum, & aleas, & scacos, cum non sint res licitæ, sed diaboli machina, per quæ inter homines inimicitiam & abhorritionem inijcere, & eos ab orationibus & inuocatione Dei retrahere maxime nititur, prætermittite. Dimittetis igitur, an non? Sed Dei mandatum sequentes, legatoq; suo parentes, uobis cauete. r. Sin autem, non plus nuncio quàm mandatum perficere pertinet. Quando timuerint, & crediderint, & benefecerint: itemq; timuerint, & crediderint, & benefecerint: sicq; tertiò, de cibis eorum nullam curam custodiamúe susci-
10 pias. Deus enim benegerentes diligit. Viri boni, Deus uos in paruo uenatu manibus uestris seu lanceis sumendo tentare uoluit, ut sic timentes se dignoscat. Prohibitum faciẽs, graue malum tolerabit. In mensibus igitur prohibitionis & peregrinationis, nemo bonus uenatum interficiat: quem quilibet sponte perimens, pro illius modo coram testibus in cibis pauperũ apud Mechan, uel deinceps ieiunio persoluat. Hoc itaque præceptum amodò seruate, transacta pro nihilo ducentes. Deus enim incomprehensibilis & sapiens, ulterius inde uindictam sumet. Omnis uenatus maris, euntibus Mecham, ac discedentibus, ad comedendum licitus est: Terræ uero uenatus, minime. Ad Deum itaque redituri, ipsum timete. Mechæ domum, uel
20 mensas, ac oblationes, Deus aram hominibus constituit: ut sciant, omnia cœlestia seu terrestria comprehendi sapientia Dei, omnia scientis. Qui licet pius & misericors sit, grauis in fine censetur. ¶ Ad prophetam nil nisi mandatum patefacere pertinet, Deo sciente singula, manifesta scilicet, & cordis arcana. Mala & insipida, licet ipsa plura sint, saporiferis minime coæquãtur. Homines sapientes, ut in anteriora procedatis, Deum timete. De præceptis huius libri quare quis quæstionem querimoniamúe mouet? Post Alchorã enim positionem, quicquam inde mutare nefas est. Et mutatio si fieret, uobis iram atque molestiam generaret. Hæc & his similia, priusquam uos, cæteri quæsiuerunt, sed eis postea minime crediderunt, nec Bahiratin, nec Ce-
30 hibatin, nec Cehiletin, nec Ham Deus mandauit. Increduli quidem, & minime Deum adorantes, deoq; mendacium imponentes, cum ipsi postulantur præceptis à Deo positis suoq; legato fidem adhibere, inquiunt, se nolle quicquam imitari, nisi quod parentes sui imitati sunt. Quibus talis fit obiectio: Vtrúmne patres, nisi uiam rectam tenentes, imitaminí? Viri boni, cum cuiusque sua sit anima, nec sibi rectam uiam proficiscenti alius error noceat, uos ad Deum, omnia facta uestra uobis dicturum, conuertamini. Inter uos item testimonia facite, cum quis ad mortem hora diuisionis appro-
pinquauerit. sint que duo uestri, aut alius professionis, testes. In itinere uero mortem præoccupatos, usque post orationem terminatam, tenere debea-
40 tis. Suique testes per Deum iurabunt. Sed nec quicquam falsitatis apponere, nec minus dicere, nec pro pecunia testimonium uendere, cum quilibet modorum istorum peccatum pariat. Si eos tamen illic peccare contigerit, alij super eos testimonium dantes, iureiurando probent suum testimonium uerius quàm priorum existere. Deum timentes, ipsum exaudiant, cum ipse malos uiam rectam nequaquam doceat. Dic Deum omnes nuncios congregaturum, eos que quæret quid scilicet proficuum quisque fecerit: quod tamen nequaquam eorum est scire, sed ipsius Dei, qui cuncta nouit cordium arcana. Deus Iesum Mariæ filium affa-

*Legati officium exponere, mandata.*

*Venatio licita quando.*

*Mecha.*

*Alcoran. doctrina non uocanda in dubium.*

*Patrum traditiones eadẽ facilitate reijciuntur, qua allegantur. Testamenta.*

*Testimonia.*

*Legatorum Dei iudicia. Iesus animam habet mundã & benedictã.*

*Miracula partim uera, partim ficta. Vt 5. cap.*

tus, cui tribuit animam mundam atq; benedictam, qua iuuenes & infantulos affatus est, & formis uolatilium luteis à se factis insufflans uolatum præbuit. Cæcum natum, atq; leprosum curauit: Mortuos resuscitauit: quē item librum, & sapientiam, nec non Euangelium & testamentum docuit, inquit: Te sic ad filios Israël cum uirtutibus meo uelle ueniente, eorum increduli magum esse perhibent. Tu uero de bonis tibi matriq; tuæ diuinitus datis, mihi gratias redde. Deo item à uiris uestibus albis indutis quærente, an in se nunciumq; suum crederent? responderunt, Ita, credimus, & tu testis es.

*De mensa & cœna dominica more suo nugatur. Pascha.*

Inde eisdem à Iesu Mariæ filio quærentibus, an Deus super omnes mensam cœlestem ponere potens esset? Iesus ipse respondit: Si creditis in Deum, ipsum timete. Illis autem dicentibus, Volumus inde comedere ad nostrorum cordium confirmationem, utrum te uerum dixisse sciamus, cum nostro testimonio confirmemus. Deus inde sic exorat: O Deus, nobis mensam cœlestem quæ sit nobis pascha, omnibusq; præsentibus, primis scilicet, atq; cæteris, atq; miraculum tribue. Quem Deus exaudiens inquit: Illis eā præbebo.

*Iesum negat Deum esse. Mariam pro Dea coli obijcit. Quod utinam non quibusdam competeret.*

Sed quisqs eorꝝ deinceps incredulus factus fuerit, eū præ cūctis mūdi gētibus, pœnis atq; miserijs affligā. Ipsi iterū Deo dicenti: O Iesu Mariæ fili, tu persuades hominibus, ut Dei loco te matremq; tuā duos deos habeāt, & uenerentur? respondit Iesus, Nolit Deus, ut ego quid præter uerum dicā. Et si ego protuli, tu nosti. Quia tu omniū secreta cordiū noscens, mei cordis arcanū penetras: ego uero nequaq; tui. Tu scis itaq;, me nil hominibus nisi mandata tua dixisse, scilicet quod te Deum meum atq; suum inuocēt, & adorēt: quorꝝ quādiu tibi placuit, testis affui. Nunc aūt tu, qui es testis omniū, post quā ab illis ad te me sublimasti, eorꝝ cognitor existas. Quibus si malum feceris, gens tua sunt: Si cōdonaueris, tu es incompræhensibilis & sapiens. Dicit Deus: Nunc instat dies, quo sua uindicis ueritas proficiet. Eis etenim ueniā quoniā me secuti sunt, quod sibi pręcæteris lucrū est maximū, & paradisum aquarum fluxu dulcissimam, ubi perseuerent, tribuam. Ego namq; Deus omnipotens, cœlo & terræ, & uniuersis quæ sua capacitas continet, impero.

## AZOARA XIIII.

DEo cœli terręq; creatori, qui lucē tenebrasq; posuit, grates reddēs, ipsum inuoca: q tui cunctorumq; plasmator, uobis terminum & placitū ab eo præscitū imposuit: q̄d uos ambigētes, nunc sic esse, nūc nō esse dicitis. Sed ipse cœlo terraq; manens, omnia nostra benefacta, tā arcana quā manifesta, dinoscit.

*Increduli Christum æqualem Deo ponentes. Exemplis gentium quæ ob contēptos prophetas perierunt, fidē Alcorano captat. Alcoran fides abnegatur, quia per quartas manus traditus.*

Increduli uerò, alium Christi Deo consimilem & æqualem ponūt. Tu quidem nequaq; ad eos cum Dei miraculis manifestis uenies: quoniā ea uelut odiosa atq; cōtraria reijciūt, & ueritati ad eos ueniēti cōtradixerunt. Nunc aūt ad eos scientia rei, quā irridebāt, ueniet. Nonne uidere queunt, quot gentes nostra tēpora pręcedentes, quibus præ cæteris diuitiarꝝ & uitę quantitatē dedimus, & aquas de cœlo uenire, riuosq; subtus currere fecimus: ob suas postea culpas cōfudimus, & nouas generationes hominū formauimus? Illi tamē hunc librum manifestū, magicum esse cōfirmarent, si eū in quarta positum manu tetigissent, dicentes, illi credendū esse, si uel super angelos, uel cum illis uenientem, poneretur. Quod nos minimè curamus. Si enim angelum mitteremus, ei formam humanam atq; uestem tribueremus.

¶ Iis qui nuncios te præcedentes deriserunt, secundum irrisionis modum atque mensuram pœna præparatur. Terras perscrutando perquirite, quis finis contradicentium fuerit. Tu uero quem cœli terræ que dominatorem

esse

esse firmas? Inquit, Deum: qui pñissimus die ueracissimo, quo contradicentes omnes, licet: nesciant, suas ammittent animas, omnes coadunabit: cuius omnia scientis & audientis, sunt uniuersa, mobilia scilicet, motúue carentia. Nocte dieq; neminem nisi Deum cœli terræq; factorem, qui cunctos nisi semetipsum cibat, uobis in negotijs uestris adiutorem uocate. Præceptum est quidem, ut primus in Deum credat, ne cõnumeretur incredulis: qui nisi fecero, me malum grauissimum die magna passurum pertimesco. Illa die, inde recedẽti Deus pius uenia, quod est immensum, largietur: cuius ictum & illationem pœnæ nemo reuelabit, beneficiumq; nemo nisi ipso doctore prænoscet. Ipse enim est omnipotẽs, imperatorq; sapiẽs, uim atq; uirtutẽ super gentẽ suã obtinens. Qui cuius testimonio nil maius est, inter me & uos testis assidet: qui mihi hunc Alchoran, ad uestri correctionẽ atq; castigationẽ, misit. Sed uos alios cum ipso Deo esse testamini. Ego uero nõ alium nisi ipsum unum, præter quẽ nõ est alius, cum ab hoc quod uos dicitis, ego penitus sim liberatus. ¶ Non minus quàm prolis suæ detrimẽtum, atq; perditio animarũ incredulorũ innotescit his, quibus librum dedimus. Quid enim peius est, quã Deo mendacium imponere, suisq; uirtutibus cõtradicere? His profecto nunc̃ suum beneficium Deus afferret, eisq; die congregationis onium dicet: Vbi sunt uestri participes, quos uobis auxiliaturos credebatis? Tunc tandẽ se errasse cognoscẽtes, inquiẽt: O Deus, nos fuimus increduli. Considera qualiter errando, mihiq; mendacium imponẽdo, suis animabus nocuerunt, eisq; parentium oculis repagulum, auribusq; plumbum immisimus. Qui licet omnes uirtutes, omniaq; Dei miracula uiderẽt, nunc̃q; nisi tecum disceptatione facta credent: cum dicãt hæc nequaq; fieri, nisi per primas incãtationes. Eos tamen, minime credentes ei, de ipso malũ auditũ turbat atq; molestat. Nec ipsi alij quã suis animabus officiunt. Isti qdem in igne ponent̃, suo corde prius retenta propalabũt, tãdem dicendo: Si liceret nobis regredi, Dei pręceptis pareremus, nosmetipsos efficiendo bonos. Sed si dare tur reditus, ut prius, mendaces effecti, nullã nisi suam uiã rectã esse, & se minime resurgere dicerent. ¶ Si quæreres ab illis, quãdo stabunt ante Deum, hoc ne uerũ sit an nõ: ita esse, per Deum affirmarent. Sed Deus eis dicet: Gu state malũ, ob errorem uestrum & incredulitatem. Qui congregationi ante Deũ usq; ad horã subitã cõtradicunt, perdendis associati, se nimiũ ob incredulitatẽ errasse cõfitentur: quãdo sua peccata nimiũ eos aggrauãt atq; premunt. Mundus aũt iste nil nisi ludus est atq; ridiculũ, quem tamen insipientes plus assequũtur. Alius uero melior est, curia timẽtibus Deũ. Scio te molestari atq; pigere, quod ipsi tibi cõtradicunt. Sed ipsi cũ sint increduli, Dei prius præceptis resistũt. Alijs qdem legatis priusquã tibi cõtradicendo resistebãt, sicq; obstinaciter eis flagitium atq; malũ intulerunt, usquequò diuinum illis subuenit auxilium. Dei tamẽ uerbum nequaq; suo uerbo immutare queunt, prophetarũ fine cognito. Si tibi molestum sit atq; graue, qd tibi minime credunt: si tibi sit possibile, totã terrã perscrutare, aut cœlos per scalas ascẽde, ut cum uirtutibus atq; miraculis aduenias. Nonne si Deo placet, omnes sub eadẽ lege uiaq; recta colligeret? Tu igit̃ brutis assimilari desiste.

*Alchoran, à Deo exhibitus, ad corrigendos homines.*

*Vnus dunta-xat Deus.*

*Obdurati, & excæcati.*

*Resurrectioni & iudicio generali contradicentes.*

*Sæculum hoc fabula & somnium.*

AZOARA XV.

TV nullatenus eũ auditu carentibus sermonem ineas. Deus mortuos resuscitabit, & ad se redire faciet. Petentibus ut eis uirtutes miraculáque Dei fácias, dic, Deum omnipotentem illa facere, licet plures eorũ hæc igno-

*Non disputandum cum incredulis.*

ignorent. Omne genus animalium terrestre, seu uolatile (hic enim liber nil prætermittit) sic ut uos ad Deum redibit. Nostris præceptis contradicentes, surdi mutiq́, obscura gestant uelamina: Deo, quibus uult, rectam uiam monstrante: quos uult, aberrare faciente. Si uos hora resurrectionis ira Dei percusserit, quem tutorem aduocabitis, nisi qui malum uobis subtrahere, uel illius detrimentum aut obliuionem facere potest? Plures etiam gentiũ ante tempus tuum summis afflictionibus atq́ malis, ut ad uiam rectam conuerterentur, astruximus: sed eorum pluribus factis lapideis, diabolus sua mala dulcia formosaq́ suis apparêre uisibus effecit. Illis itaq́ sic oblitis præcepta nostra, omnium rerum portam & abundantiam, usquequo nostra munera summum sibi contulerunt gaudium, aperuimus. Tumq́ secundò à nobis ipsis subitò capti & desperati, stupidiq́ facti sunt, & eorum primos atq́ postremos prostrauimus, gratias Deo cunctarum gentium domino, Deo uobis auditũ atq́ uisum auferente, cordaq́ uestra sigillante, & alius nequaquam deus ipse reintegrare potest. Me taliter res intelligi faciẽte, quare nõ creditis? Ita quidem Dei subitò patenterue contingens, non nisi gentem malam subruit. Legatis autem meis nil aliud iniungo, nisi quod uobis opus bonum & gaudiorum effectum persuadeant, & illicita nefandaq́ prohibeant. Quibus omnis credens, & se diligens, ac benefaciẽs, nil timeat, cum nil mali passurus sit. Nostris autem præceptis resistentes, malum iraq́ Dei pro factis suis trucidabunt. ¶ Nec arcana Dei, nec ipsius arcam me possidere, cum non sequar nisi quod mihi missum est à Deo: nec me angelum existere, cum nec æquales sint cæcus atq́ uidẽs, quod uos sic esse cognoscitis, unquã confirmabo. Huiusmodi sermone Deum timentibus, ut ipsum prorsus imitentur, ipsumq́ timeant, cum nullus alius eis auxiliari queat, persuadens, Deũ mane uesperecq́ deprecãtes, Dei quærẽdo faciẽ, ab eo minime repelle. Sin aũt, malis associaberis, cum nec suorũ operũ numerus tibi, nec tuorũ eis imputet. Cæteri uero plures alijs, inuidia sola repressi, bonũ diuinitus datũ patefacere noluerunt: licet Deus sibi grates afferẽtes dinoscat. Sed tu cũctis ad fidẽ uenientibus, præceptaq́ nostra sequẽtibus dic: Salus Dei super uos, cuius anima misericors est, & pijssima. Quisquis uestri post malũ ignorãter gestũ à malo declinauerit, & benefecerit, ueniã & misericordiã à Deo consequetur. Vt incredulorũ uię patescãt, res penitus discutiẽdę sunt. Ego quidẽ castigor, ne inuocẽ uel adorẽ, quod uos loco Dei adoratis. Nec uelle uestrũ amplectar: quoniã uiam rectã, secundum Dei mandatũ nusquã errans, licet & uos cõtradicatis, proficiscor. Nec est apud me, ad quod uestri festinẽt animi: quia solius Dei, qui est ueracissimus, & discussor optimus, cuncta sunt audicia. Si id quod affectatis, nostræ subesset manui, inter me & uos res ad effectũ tenderent. Deus aũt malos discernit, apud quẽ sunt secretorũ claues: Cũ ipse solus uniuersa terra mariq́ cõtenta, omniũq́ foliorum labentiũ numerũ, ac terræ germina, siccũ itẽ omne & molle, uelut apud illũ in libro firmata dinumerat. ¶ Solius Dei est, omnia facta uestra diurna dinoscere, & uos nocte mortificare: & deinceps uos expergefaciẽs die, & secum uobis omnia facta uestra dicturus, uos ad eum redituros ad placitũ scitũ ducens, uelut omnibus gentibus imperans: uos custodit usque ad mortis horã, in cuius momento festinãtissime uobis mortem inducit, ille committit. deinceps omnibus ad se uersis, Deus ipse dominus noster cuncta cito dinumerans, iudicium dabit. Nubibus maris & terræ uexati, inuocantes atq́ timentes, & se humilian-

*Gentes incredulæ punitæ.*

*Legati officium docere.*

*Quis haberi uelit Machumet.*

*Non imputantur aliena opera.*

*Doctrina propaganda.*

*Remissio peccati.*

*Afflictiones sustinere se dicit, ob ueritatem & inuocationem unius Dei.*

*Deus habet claues secretorum.*

*Prouidentia Dei, uel potius omniscientia.*

*Deus omnium gubernator.*

*In periculis Deum confitentes, postea sunt ingrati.*

humiliantes,quærenti,Quis liberaret eos? dixerunt: Si nobis præsidium atq; suffragium in his malis feceris,nos ulterius reddemus gratias.Ille uero respondens ait: Ab ijs & ab omnibus malis uos Deus liberabit. Vos tamen uestra manentes malitia,non credetis. Est tamen Deo possibile,uos ira sua pessimisq; pœnis undiq; circumdare, & uos schismatibus, & alternis contrarietatibus induere, uestriq; quosdam aliorum expugnatores & infestatores efficere. Rebus taliter ad uestri noticiam explanatis,licet ibi nil sit nisi uerum,uestræ genti malicioſi contradixerunt. Quibus tu dicas,nequaquam uestri custodes existere. Hora namq; scita omnium dictorum atq; factorum probatio censetur. His quidem dubitantibus de præceptis nostris,te usq; uerbum aliud proferant,subtrahe. Cumq; diabolus tibi rerum obliuionem ingesserit,memoria restaurata, cum malis hominibus ulterius ne moreris. Timentibus quidem Deum, nequaquam malorum numerus adscribitur: sed ut eos castigando,ad Dei noticiam atq; timorem reducant. Suam legem pro ludo ridiculoq; tenentibus, & de huius mundi uita tantum sollicitis, manifesta, quod ob actus suos nullius boni spem neq; suffragium à Deo uenturum expectare debent, sed iram Dei & flammam ignis, uelut omnes increduli. ¶ Vijs rectis nobis à Deo patefactis, cur in fine nostro uertentes,impotem boni maliúe uenerantes adorabimus? Sicut ille brutus & inscius, qui à diabolo seductus & irrisus, socios aduocat, dicens: Venite,hæc est uia recta.Sed illi solius Dei uiam rectam esse firmant,sibiq; mandatum esse,ut non nisi dominum totius mundi inuocarent. Orationes itaq; coram Deo fundite,ipsumq; timete. Quia ipse cœlum terramq; cum ueritate fecit. Ad quem omnes redibitis: Quo dicente,Fiet,facta erunt: omneq; uerbum eius uerax,secundum quod ipse iudicium illa die daturus, cum buccinis canere faciet, ut omnes res absconditas atq; manifestas agnoscat,ipse sapiens elocutor. Abrahæ patrem suum Azar increpando quærenti,cur imagines sibi deos efficeret, unde ipse gensq; sua tota in errorem manifestum incideret,dixi: Te quicquid inest cœlo terræq;,docebo,ut tuum cor firmum atq; fidele sit.Nocte deinceps superueniente,uidens Abraham stellam,inquit: Hæc est Deus. Sed cum eam in occasum tendentem agnouit,inquit: Rem transitoriam,& in occasum tendentem minimè diligo. Lunam item orientem aspiciens,inquit: Hæc est Deus. Sed eadem ad occasum tendente,dixit: Nisi Deus me rectam uiam docuerit,erroneis adscribar. Sole deinde oriente, eum esse Deum, quoniam maior erat, firmat. Sed eodem in occasum uergente, dixit: Vos homines,à uestra credulitate fideque, cum falsa sit,amodò recedo. Ad Deum enim cœli terræq; conditorem faciem meam uerti, ulterius nequaquam incredulis adscribendus. ¶ Hominibus suis inde secum disceptantibus,inquit: Contra Deum uiarum rectarum doctorem, huiusmodi causam atq; certamen agite, non contra me derelinquentem uiam uestram. Nihil enim ulterius efficiam, nisi præceptum Dei: cuius scientia complectitur omnia. Vnde uos minime memores estis: quum uos non pertimescatis, in Deum non credere,& ab ipso non statuta sequi, uiam uestram quare timendo sequerer? Scitis ne, quis nostrûm nil timere prometetur? Illis uero non respondentibus,inquit: Credentes in Deum, suæ que fidei nullum malum annectentes, uiam rectam proficiscuntur, timoris expertes. Huiusmodi rationem Abrahæ contra gentem suam tribuimus, & quem uoluimus, super cæterorum gradus

*Contentio pœna perfidiæ.*

*Cura sæculi occupati & legem contemnentes, à spe felicitatis excidunt.*

*Contra diuorum & imaginum adoratione.*

*Verbum Dei firmum.*

*Abrahæ & Tharhæ disceptatio de idolis.*

*Fabula Iudaica, orta ex eo, quod Philo et alij, tribuunt Abrahæ Astronomiæ scientiã egregiam: indeq; fidei uiæ occasionem.*

*Præceptum Dei uera sapientia.*

*Credentes & bene agentes, tuti sunt.*

gradus exaltauimus: cum ego Deus ſim, Deus ſapiens & incompræhenſibilis. Iſaac rurſum, & Iacob, & Noë prædeceſſori ſuo, ſuiſq; poſterioribus Dauid, & Salomoni, & Ioſeph, & Moyſi, & Aaron, & Zachariæ atq; Ioanni, & Ieſu ac Heliæ, omnibus ſcilicet his bonis, & Samueli & Ezechiæ, atq; Loth, uias rectas patefecimus, & eos ſuper omnes gentes exaltauimus. Et ſimiliter quoſdam parentum ſuorum, & fratrum, ſuorumq; ſucceſſorum rectum iter duximus. Ita Dei lege ſibi dilectis patefacta, ſi fierent incredulí, omnium ſuorum operum iacturam incurrerent. Si illi quibus librum & iudicium atq; prophetam dedimus, non crediderint, ipſum credere uolentibus committemus. ¶ Credentibus itaq; Deus, quos nequaquam cæteri ſequuntur, uias rectas manifeſtauit: nec antè precium aliud pro huiuſmodi re poſtulat, niſi gentem ſuam ammonere atq; docere. Dicentes Deum non poſuiſſe quicquam ſuper aliquem, interroga, quis Moyſi librum clariſſimum homines edocentem plura, quorum quædam chartis inſcripta propalatis, plura quidem abſconditis, tradidit? Sed ille quidem nec uobis, nec parentibus ueſtris omnia enodauit. O Deus, eos in ambiguitate diſceptationeq; ſua dimitte. Mater uillarum, circaq; poſitis uillis atq; credentibus aduentum alius dei perſuade, ut hunc librum multiplicantem probantemq; ueritatem, obſeruationes orationum, cæterorumq; beneficiorum præceptorem credant, atq; ſequantur. Quis eſt deterior, magisq; reus, quàm Deo mendacium imponens: uel ſe miſſum fuiſſe nuncium falſò perhibens: uel ſibi poſſibile leueq; fuiſſe, ſe talem librum facere, qualem Deus edidit? Quid ſi in mortis articulo, angelosq; manus eorum tenentes, & taliter alloquentes eos uideretis? Vos hodie malum atq; contemptum ob mendacia Deo à uobis impoſita, ſuorumq; mandatorum contradictionem accepturi, ueſtras animas emittite. Et ſicut uitam ingreſſi, ſemoti accedite, omnia ueſtra retro relicturi. Vbi ſunt uobis pollicíti, ſe prece ſuá que potentia uobis ſuffragaturi, particípésque fieri? Nuſquam uideo. Hodie ueſtrum errorem diſcutiet Deus, qui grana fructuum diuidit, & ex mortuis uiuos & è contra facit: & diem ac noctem diſcernens, noctem quieti deputat, & ſolem ac lunam certo numero promouens, ſtellasq; uarias diſponens, ut per eas nocte, terra mariq; rerum aliqua ſumatur notitia. Aquam ad ortum omnium rerum atq; nutritionem, quales ſunt res uirides, grana ſimplicia, atque multimoda, palmæ ac uites, & oliuæ, malaq; punica, ſimilia atq; diſſimilia, quæ omnia tum ortu ſuo, tum crementó credentibus in Deum magnum præſtant miraculum, è cœlo mittit, qui uos omnes natos atq; fœtus ex una produxit anima. Hic quidem Deus ſolus eſt, & unus incompræhenſibilis, & ſapiens, nec aliud quiſquam corde ſuo gerat. ¶ Quorundam quidem eſt poſitio, diabolos ſocios atq; participes Dei eſſe, ipſumq; Deum filios & filias habere. Ipſe uero omnium conditor, omniumq; cognitor, præter quem non eſt alius, nil nouit talium. qui omnibus uiſibus incompræhenſibilis, omniũ oculos atq; mentes penitus penetrat. Nunc autem uobis præcepta manifeſtiſſima largitus eſt: quorum ignorantia, ſeu notícia, cuílibet inſita, ſuæ ſemper incumbit animæ: Nec enim tu ſemper illis, nec ego tibi ſemper cuſtos inſidebo. Tu uero res ita diſcernens, illos Dei mandata, præter quem non eſt alius, edoce: cũ Deus uult eos recto tramite proficiſci. Ab incredulis quidem, nil mali ſeu contumeliarum illis inferens, licet illi per iram & inſciẽtiã de Deo male loquãtur (cuicq; nãq; gentiũ ſua ſibi placita formoſaq; uideri fecimus)

recede.

*Si non credãt Saraceni libro Machumetis, ad alios digniores transferetur.*

*Moyſis doctrina probat, ſibi librum datum.*

*Moyſis lex partim ſcripto, partim non, compræhenſa, ut Thalmudici Iudæi etiã tradunt.*

*Petitione principij probat, ſibi librum datum à Deo.*

*Nudus in terram ueniens, nudus exit.*

*Patroni & intercessores nõ ualent coram Deo.*

*Stellæ, ſigna.*

*Rerum omnium origo ex una anima.*

*Quidam aſſerunt, dæmones eſſe diuinæ conditionis: & Deum habere filios & filias.*

*Increduli relinquendi, nõ cogẽdi armis.*

recede. Ad deum autem cum redierint, opera sua deo pandente cognoscent, & per Deum ipsum iurabunt, se nuncio credidisse, si quem habuissent. Apud deum solum sunt ea, quæ quæritis. Quibus forsan cum aduenerint, non credetis. Deus autem incredulorum corda, quia prima uice non crediderunt, probabit: & nos eos prauis cogitationibus suis immorari permittemus.

AZOARA XVI.

LIcet eos cum angelis, ac etiam cum mortuis loqui, & omnibus mundi rebus atque uoluntatibus abundare fecerimus, nunquam tamen nisi deo uolente fidem assequerentur: eorumq; pars plurima brutis animalibus assimilatur. Cum cuiq; prophetarum homines atq; diaboli, quorum sermones auscultãt, semper increduli, dicentes eos ueros esse, cum de nihilo sint, aduersentur, Deo permittente, hos & illos, locutionesq; suas dimitte, Deus quidem iudex omnium optimus, hunc librum boni maliq; discretiuum, & ueracissimum, illis testibus, quibus ille missis uobis largitus est: nec tu sicut plures sis, nunc hoc negans, nunc affirmans. Hic namq; Dei omnia scientis & audientis uerba, uera & recta, quæ nemo mutare poterit, completa sunt. Sed si plures, nil nisi dubium & ambiguum sequentes, imitari uolueris, te prorsus deuiare facient à uia recta dei, quæ perspicaciter credentes & incredulos discernit. Cum omnes in deum credentes, suisq; præceptis obedientes, licitè de rebus omnibus, super quas nomen dei inuocatum est, de alijs uero nequaquam nisi necessitate cogente, uelut superius dictum est, comedere queant, eos minime comedendo sequantur: quos uelle propriũ, non aliqua discretio trahit in errorem: quos & Deus annotat. ¶ Cum opere penitus, clàm atq; palàm, mala semper euita. Omnis namq; peccans, æquam sui meriti mercedem accipiet. Nullatenus quicquam, supra quod Dei nomen non inuocatum fuerit, comedatis, quia peccatum est: diabolicq; suis persuadent hominibus, ut uobiscum inde disceptent. Quibus si uos assenseritis, eritis increduli. Nos autem mortuos ad uitam reducimus, lucem dando, qua inter homines morari queant. Incredulis quidem, & in tenebris sine termino manentibus, modum suæ sectæ sibi formosum apparêre fecimus. Singulis uillis maiores à nobis constituti, se callidos & astutos facientes, se decipere cæteros arbitrantur. Sed licet ipsi nil inde cogitent, animas suas solummodo fallunt. Isti dei uirtute superueniente, obstinaciter dicunt, se minimè credere, nisi prius sibi dato diuinitus, quod nuncio tributum est. Deus autem scit, quibus præcepta sua committit, & quem sibi nuncium elegit. Ista dicentes, contemptum atq; pœnam ob dolum suum à Deo suscipient. Eorum cor capax & immensum ad legis intelligentiam Deus efficit, quos uiã salutis docere uoluerit: quos uero errare permittit, illis malum inferens, cor angustum & anxium, ui tamen & ira sursum tendens, generat. Hæc est uia dei recta, quæ singula reminiscentibus discernit. Quibus Deus dans donum salutis, auxilium atque gaudium secundum opera sua præbebit. Cum omnes coram Deo congregati, diabolos de derisione atq; deceptione hominum increpauerimus, confessiq; fuerint homines, se his & illis credidisse, & ad horam iniunctã cõgregatos esse, Deus eis dicet, qui est incomprehensibilis & sapiens, quod in igne perpetuo manebunt, nisi quos ipse uoluerit. ¶ Plebs hominum atq; diabolorum, nonne uobis meus missus est nuncius, qui uos meas uirtutes atque mandata, & huius diei resurrectionem

*Diaboli de nihilo sunt.*

*Diuinus codex Alcoran.*

*Per diuini nominis inuocationẽ alimentum sanctificatur.*

*Vetiti & concessi cibi, ut 12. cap.*

*Edere sine benedictione, peccatum.*

*Deum seductionis humanæ authorem dicit. Verum non eo sensu, quo Paulus ad Thess. etc.*

*Iudicium generale.*

ctionem & aduentum ante me doceret? Dicens, Ita! Sed se stulto mundo credidisse, animarum suarum testimonio confirmabunt. Deus cuiq; suorum factorum, expers obliuionis, nullis malum inferre desiderat: cum ipse sit pijssimus, & omnium abundans. Cui, si uoluerit uos delere, & deinceps quos uoluerit renouare, uelut de filijs uestrorum prædecessorum fecit, tum possibile, tum leue est. Quod quidem uobis accidet, sed uos minime creditis. Vos itaque pro more uestro & uelle facite, sicut & ego pro meo. Vos autem deinceps uidebitis, quem hoc factum finem habebit, & ad quid quisque uestri deueniet. Sciendum quidem, Deum nequaquam auxiliaturum malis, qui uerbotenus Deo partem suarum frugum atque pecuniæ ponunt, dicentes: hic est pars Dei, hic nostrorum participum: sed iudicio nequam atque prauo, portio participum minime deo, Dei uero participibus præbetur. Eisdem quoque sui participes prolem suam interficere, sicq; contra legem suam litem inire, quasi decens atque formosum persuadendo fecerunt. Quod minimè facerent, Deo uolente resistere: sed eos in suis operibus immorari permittit. Secundum quosdam omnes bestiæ agricolæ cuilibet, nisi quem uoluerimus, ad comedendum sunt illicitæ. Secundum alios, latera tantum: & secundum alios nulla, super quam nomen Dei inuocatum fuerit. His omnibus hæc non nisi falsa Deo superponentibus, pro suæ locutionis modo Deus ipse retribuet. Dixerunt item, omnes fœtus in uentre bestiarum comestui licitos, si masculi fuerint: illicitos uero, si fœminei. Et si mortui, omnes comestionis sint participes. Hi quidem omnes pro modo dicendi mercedem accipient. ¶ Suorum interfectores filiorum, licet nescij, perdendis associandi, & bona sibi diuinitus data non secundum Dei præceptum illicita statuentes, & Deo mendacium imponentes, errantes atque deuij facti sunt. De fructibus, quos omnes deus, faciens uineas iacentes & sursum eleuatas, & palmas, messesq; dissimiles, & oliuas uarias, uobis tribuit: cum tempestiui fuerint, comedite. Cumq; collegeritis, inde reddenda persoluite, sed non superfluè. Deus enim odit superflua. Cum bestiarum quædam ad sarcinas leuandas, quædam tantum ad decolandum sint commodæ, uos de bonis uobis à Deo datis comedentes, errorem diaboli, qui uobis maximus hostis semper aduersatur, non sequamini. Parilium VIII. camelorum, & boum, caprarum, & ouium, de singulis scilicet duorum, utrum masculos an fœminas ueraciter illicitis annumeratis? Vos hæc testificantes, quando diuinum inde præceptum habuistis? Quid peius deteriusue, quàm Deo malos minimè uiam rectam docenti, mendacium imponere, & hominibus inscijs errorem immittere? In omnibus quidem, nisi diuinitus mandatis, nil comedere uolenti illicitum & contra legem reperio, nisi sanguinem, & carnem porcinam, & morticinium. Ex his tamen necessitate cogente comedenti, Deus in sibi dilectos pius, ueniam dabit. Iudæis autem, ob suam maliciam omnia fecimus illicita, ungulam continuam habentia, & uaccarum ac ouium pinguedines, nisi costis aut carni uel ossi commistas, quod licet ipsi contradixerint, Deus sapientissimus atque pius, eis suam non subtrahet maliciam. Dicent tamen increduli, se parentesue suos nequaquam incredulos, uel eis aliquid illicitum fuisse, si Deo solum placeret: quod & prædecessores sui fecerunt, usque dum malum grauissimum eis incubuit. Si quid constans atque scitum habetis,

*Sacrilegorum damnatio.*

*Opiniones de uetitis animalibus.*

*Occisores liberorum, & concessa in cibum illicita statuentes, & Deo mendacium obtrudentes, pariter puniendi.*

*Fructus uitiũ concessus: non tamen uinum.*

*Modus in beneficentia. Leuit. 11.*

*Dispensare licet ex necessitate.*

*Quare Iudæis tot uetita sint*

*Disputat contra Iudæos*

*Andabatarum more.*

betis, coràm ueniat, nec ulterius pro more ueſtro rem incertam ſequamini. Deus quidem, quo uolente omnes uiam rectam ſequerentur, omnem ueſtram controuerſiam diſcutiet. ¶ Veſtri participes, teſtantes Deum res prædictas illicitas feciſſe, quibus uel incredulis legiq; reſiſtentibus tu nullatenus aſſentias, aſſint, ut quas ſibi Deus res illicitas propoſuit, addiſcant. Nullum igitur illius participem faciant: parentibus ſuis auxilientur: prolem ſuam nullatenus ob paupertatem (his etenim ac illis metum dabimus) interficiant: nec aliud unum, quod Deus illicitum poſuerit, deinde nil culpabile clàm palàm ue perpetrent: Orphanorum pecunias ante dies ueneri ſtatutos nec rapiant, nec diſpergant: Examen atque pondus recte trutinent. Hæc præcepta Deus, hanc q; uiam rectam, ſi reminiſcimini, tradidit. Eam itaque non plures uiarum uarietates, ne diſcrepemini, ſequentes, Deum timete. His peractis, Moyſi librum, prædicti confirmationem & complementum, omniumq; rerum diſcretionem, & uiam, atque miſericordiam omnibus credentibus ſe redituros ad Deum, præbuimus. ¶ Librum utilimum è cœlo miſſum ſequentes, ut miſericordiam adipiſcamini, timete: nec dicentes, Deum illis duabus gentibus præmiſſis tantummodo legem ſcripſiſſe: nec uos melius legem obſeruare, ſi uobis daretur, quàm illi, præſumatis. Vobis iam Dei uirtute legeq; tributis, illis reſiſtere, ſeu aliàs diuertere, cum hoc nihil ſit deterius, nolitis. Sed ſcio, nil niſi angelorum, ſeu Dei aduentum, & miraculorum effectum expectatis. Sed uobis nil fides proficiet, quando uenerint, quia prius non credidiſtis. Si uos expectatis, & ego. Vos tamen minime credo de multitudine ſuam legem derelinquentium exiſtere: quibus Deus ſuos actus enucleauit. ¶ Omnibus ſuum beneficium decuplabitur: omni quidem peccatori ſui mali merces æqualis, Deo nemini nocente, reddetur. Ego quidem, cui Deus uiam rectam atque directam, illam ſcilicet Abrahæ non incredulis patefecit, & immiſit, primo credens omnibus præceptis ſuis: (in quem enim crederem, niſi in dominum omnium rerum?) teſtor, omnes noſtras orationes & holocauſta, uitam etiam meam ac mortem, prorſus Dei, totius mundi dominatoris, ſocioq; carentis, eſſe, qui nobis omnibus ad ſe redituris, omnia facta noſtra propalabit, & controuerſias diſcutiet. Illa autem nos in terra uiciſſim & ſucceſſorie creans, hos illis prætulit, ut uos in ſingulis commiſſis uobis experiatur, & probet. Ipſe namq; potens eſt, rerumq; finis, miſericordiæ totius ueniæq; largitor:

*Præcepta officiorum.*

*Vnum ſalutis iter ingrediendum.*

*Alcoran ueteri & nouo teſtamento confert.*

*Signa, quæ fidem Alcorar adſtruant, nor neceſſaria.*

*Decuplũ præmium bonoũ, ſimplum malorum ſuppliciũ.*

*Proteſtatio Machumetis ampulloſa.*

*Deus finis ultimus.*

## AZOARA XVII.

NEc ſit tibi graue, neque moleſtum, hunc librum tibi cœlitus miſſum penitus ſequi, uerba brutorum & inſciorum minime curando, & per ipſum bonos homines caſtigare, & ad boni memoriam rectamq; uiam producere. Quoties enim uillis ueſtra cõfuſio noctu ſuperuenit, illi bruti malo læſi nil aliud reſpondent, niſi quod nos male fecimus. Nos uero illa die, qua uerax æquilibritas omne põdus examinabit, perſcrutabimur, quod illi nuncijs uel è conuerſo dixerint: uide utrum noſtra præcepta nunciata fuerint, me tamen omnia ſciente. Erunt autem boni, quorum pondus maximum fuerit: mali uero, quibus minimum, quia noſtris præceptis non crediderint. Ego quidem uos formans, terram ueſtræ uoluntati, licet cum minima reditione gratiarum, ſuppoſui: & ut angeli ſe patri ueſtro Adæ proto-

*Alcoran tenendus conſtanter.*

*Stathera iudicij diuini: ex Daniele acceptа.*

*Diaboli ruina.*

*Fabula de adoratione Adæ, ex dignitate Christi & ministerio angelorũ deducta.*

plasto humiliarent, iniunxi: præceptoq; meo cuncti, Belzebub excepto, paruerunt. ¶ Deo quidem illic quærenti, qua de causa minime parêret, inquit: Quia ego factus sum ex igne, illi de terræ limo plasmato: præualeo. Inquit Deus: Hinc igitur, ut minimus efficiaris, descende: cum tibi super me sublimari sit impossibile. Ei deinceps terminum à Deo ante diem ueracissimum postulanti, respondit Deus: Terminus quidem est positus. Cui ipse: Quoniam tu mihi sic molestus, malum hoc ingeris, ipsi suæq; posteritati rectam uiam sequentibus, circumquaq; suggestiones & assultus inferens, efficiam quod eorum nemo tibi grates persoluat. Quem Deus sic increpans, inquit: Tu minime, tuq; repulse, descensum accelera, & de te tuisq; sequacibus gehennam prorsus implebo. Adæ uero, suæq; mulieri præcepit, ut in paradiso manentes, quod sibi placeret comederent: una tantum arbore minus, nisi se malos esse mallent. His itaq; diabolus, sugestionem faciens, & ad membrorum uirilium atq; pudendorum detectionem nitens, Deum eis illam arborem uetuisse fallaciter insinuauit, non ob aliud, nisi ut uel illi nequaquam angeli fierent, uel ibi perpetuò manerent. ¶ Diabolus itaq; iurans se nequaquam illis suo nocitura um alloquio, eos in uiam prauam atq; peruersam distorsit. Gustantibus igitur illis de arbore, sexus atq; pudenda membra apparêre cœperunt. Quæ ipsis è paradisi foliis tegentibus, Deus inquit: Nonne uobis hanc arborem interdixi, uobis hostilitatem atq; maliciam diabolicam enodans? Responderunt illi: ô Deus, nos nostris animabus nocuisse confitemur. Vnde nisi per te data uenia, perdendi peribimus. Quibus ipse: Aduersantes alter alteri, ad terram usq; descendite, moram horalem illic habituri, ibiq; uitæ uestræ peracto spacio moriemini. & deinde uos resuscitabo, uobisq; uestræq; proli uestes daturus, unde membra genitalia tegatis. Horum itaq; recordando, Deum uobis diuitias daturum timete. Et hoc est præceptum dei optimum. O filij Adæ, nullatenus aurem seu mentem diabolo uelitis adhibere, qui patres uestros è paradiso proiecit, uestes, apparêre faciendo quæ prius operta uidebantur, abstulit. Hoc quidem bellum uobis summè cauẽdum, cum uos diabolo suæq; genti sitis uisibiles, illi uero uobis inuisibiles. Diabolis incredulorũ consiliatoribus effectis, cum ipsi scelestã nefandaq; gerant, aiunt patres suos illiusmodi facta gessisse, & Deum hoc sibi præcepisse. Sed Deo nil nisi rectũ præcipienti, mendacium imponunt: & uiam rectam delinquentes, falsam sequuntur, extimantes tamen se recte facere. O filij Adæ, ad templum tendentes, uestros optimos ornatus sumite. Versus templum quoq; facie uersa orationes fundite, & Deum corde puro inuocate. In cibis & potibus uestris superfluitatẽ euitate. Quis constituit uestes & ornatus, cibosq; bonos & sapidos, uobis illicitos? Illi quidẽ liciti sunt bonis huius sæculi, & puris ac emũdatis alterius. Tali ratione discerno res hominibus, ut ipsi percipiant & intelligant. ¶ Deus ipse nil nisi criminalia modicaq; peccata, ut falsas rapinas & iniurias, positionemq; societatis & participationis in deitate, ipsiq; Deo falsum imponere, & his similia, statuit cuique uestrũm illicita: nec cuiquam est possibile, terminum à Deo sibi præscriptum transgredi. Filij Adę, uobis iam aduenit de uobis nuncius, mea præcepta laturus: quibus omnis contradicens, & se retrahens, igne perpetuo punietur. Timens autem, & obediendo benefaciens, expers timoris atque molestiæ paradisi gaudio perfruetur. Quis uero peior imponente Deo mendacium, aut suis contradicente

*Lapsus hominis iterũ narratur, historia Græcos fabulis contaminata.*

*Cauendus diabolus astutißimus.*

*Orandum uersus templum.*

*Temperantia*

*Peccata quæ Deus imputat.*

*Machumet audiendus.*

cente præceptis? Horum quidem quisque libri partem habebit, usque ad nostrorum angelorum aduentum, qui ducentes eos extra lumen uitæ, dicent: Vbi est, quem adorauistis in Dei loco? Respondebunt, eum aufugisse, tuncq; suarum animarum testimonio perhibebunt, se incredulos fuisse. Tunc Deo eis iniungente, ut cum diaboli clientibus præ cæteris ignem ingrediantur, non desinent ipsi gentem prius ingressam increpare, usquequo omnes in igne depositæ fuerint, dicentq; O Deus, isti nos aberrare fecerunt, unde tuo præcepto ignis eis duplicetur. Respondens quidem Deus dicet: Ita esse, licet ipsi nesciant. Primi uero succedentibus inquient: Bono q; gaudio carentes, gustate nobiscum malum, quod fecistis. Nulli namque contradicenti mandatis nostris, aut se inde retrahenti, aperietur cœli ianua, paradisiue patebit aditus, usquequò camelo peruius per acus foramen gressus pateat: Sed eis in gehennam præparatur lectus igneus, & simile coopertorium, ut mali merentur.

*Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadent in foueam.*

*Alludit ineptè ad illud Mat. 19. Facilius camelum, &c.*

¶ Credentibus, & benefacientibus uos, nemini nisi quam post iniungentes paradisum aquarum fluxu iocundissimam dabimus mansionem per petuam: ubi ipsi per me prorsus malicia suorum cordium emundati dicent, Deo grates referimus, qui nos uias rectas nemini nisi per ipsum comprehensibiles docuit. Tunc accedentes ueraces Dei nuncij dicent: Hæc est paradisus, quam uobis pro factis uestris hæreditatem polliciti sumus. Ipsiq; paradisi hæredes, hominibus igni deputatis, sibi Deum uerum dixisse confitentes quærent, an ipsi similiter inuenerint. Quod & ipsis testantibus exclamabitur uoce magna, Deum omnes suam uiam reijcientes, malumq; gerentes, alijq; sæculo minime credentes perditurum, & summis pœnis afflicturum. Inter hos quidem, & illos, in quodam quasi limite sublimi stabunt quidam, discretè scientes horum & illorum facies, qui nequaquam paradisum ingredientes, sed illud sperando expectantes, paradiso uisis inquient, Saluet uos Deus: oculos suos deuergendo. Illis uero apud inferos dicent: Nónne ualuit uobis numerus uester ad resistendum? Tu Deus, nunquam nos illis malis associa. Dicent illi: Ecce quibus Deus non mandauit misericordiam suam. Sed uos confidenter paradisum intrate, nil timentes. Malis quidem in paradiso manentes deprecantibus, ut eos aquarum suarum cæterorumq; bonorum à Deo sibi datorum participes efficiant: respondebunt illi, Deus hic incredulis suam legem in ludo ridiculoq; tenentibus, & suas uoluptates in hoc sæculo perficientibus, illicita statuit. Nos enim ibi nostris præceptis contradicentes, & irridentes obliuiscemur. ¶ Iam illis libro cœlitus misso, qui rectam uiam sapienter credentibus discrepat, omnes suam explanationem expectantes, sciant, quod die qua uenient omnes, una uoce confitebuntur, iam dei nuncios cum ueritate aduenisse, dicentq; prius increduli, tunc ob errorem suum animas perditi: Si quis pro nobis intercessor reditum exorasset, melius quàm primò faceremus. Nunc autem dominum Deum nostrum, qui cœlum & terram & uniuersa sex diebus creauit, & thronum ascendit, qui diem nocte cooperit, lunam & solem ac stellas suo præcepto promouet, uentis imperat, nubes subleuat, & inde ad arborum ortum & herbarum aquas ad terram mortuam demittit, qui & mortuos resuscitabit: Ipsum inquam omnium pijssimum, cum omnes suis præceptis obedientes diligat, cum timore & spe inuocantes adorate atque diligite: huiusmodi

*Inferi.*

*Incerti quidã paradisum expectantes, inter beatos & damnatos medij.*

*Filii, accepisti bona tua in terris, &c. Luc. 16.*

*Dei maiestas.*

Terræ allegoria de hominibus, ut ad Hebræos 5. Noë. Gen. 8. 7 Vnus Deus timendus.

iusmodi rerum semper memores estote. Terra quidem bona Dei præcepto germen bonum pariet, mala uero nil præter malum & insipidum. Noë, suæq; genti olim iam iniunximus, hæc hominibus dicere: Vnum solum Deum, & non alium, ut debetis, inuocate. Aliter enim summè timendum est uobis, die magna. Pars uero plurima suæ gentis respondens, ait: In errore manifesto te uidemus. Sed ille dixit, hoc non esse errorem, sed Domini mundi mandatum.

¶ Dei mandatum inde quod minime percipitis, libenter atque deuo è uobis nuncio. Nec uos miremini, quod uobis à Deo uenit natiuus nuncius, uos castigans atque docens uiam Dei, uobis ueniam daturi. Cùmque Noë contradicerent, eum suosq; fautores in arca protexímus: Cæteros omnes uelut cæcos summersimus. Hut ad Hath gentemq; suam mittens, inquit: Inuocate Deum, alius enim non est adorandus. Nónne timetis eum? Sed eorum plures increduli, dixerunt: Te uiam erroneam sequi cernimus, atq; te mendacem æstimamus. Quibus ipse: Non sum erroneus, sed Dei nuncius, uobis suum mandatum nil addendo seu minuendo ferens. An admiramini Deum uobis nuncium & castigatorem misisse, natiuum hominem? Reminiscamini quæso, quomodo Deus Noë, suæq; gentis uicarios constituens, uobis augmentum uirium atq; staturæ præbuit. Ipsum igitur ut præcedatis, adorate. Respondérunt: Præcipis'ne, quod unum solum Deum adoremus, & morem atq; culturam patrum nostrorum omittamus? Aequum est igitur, ut tu dicti tui probationem præbens ostendas, quid Deum facturum nobis pollicêris. Ille uero dixit: Vos iam iram odiumq; Dei promeriti, mecum de nominibus impositis à patribus uestris, quæ Deus nunquam præcepit, non disceptabitis: sed ipsum Deum discussorem expectate. En ego uobiscum expecto.

Hut missus ad Hath.

¶ Eum, suosq; factores, nostra pietate liberauimus: Præceptis uero nostris resistentes, & incredulos, à summo ad infimum destruximus. Schale ad Zeuth à nobis missus, inquit: Tu homines q; tui Deum unum, quia non est alius, adorate: Et ego uobis uirtutes atque miracula sua, mihi nota, uobis patefaciam. Vos recordantes, qualiter Deus uos uicarios Hath suæq; gentis posuit, ipsius præcepto in plana terra domos ædificate, & similiter in rupibus uobis mansiones excidite: nec ulterius terras uastatum eatis, inuocantes nomen Dei. Camelæ libera pascua permittite, nullam ei molestiam inferentes: Sin autem, graue uobis malum incumbet. Eorum quidem plurima pars incredula, credentibus debilibus & paucis inquit: Scitis'ne Schale Dei nuncium esse? Inquiunt, Ita: Nos scimus & ei credimus. Quibus è contra illi plures increduli responderunt: Vestræ fidei nos sumus increduli. Mandatum itaque Dei spernentes, camelam interfecerunt, & ipsum Schale sic affati sunt: Si tu es nuncius, tua dicta nobis comproba, faciendo uidere quod promittis. Quibus ipse: Vobis Dei mandatum beniuolè, uelut bonus consiliarius, attuli: quod uos abhorrentes, minime curatis. Vnde ipso Schale se conuentibus eorum subtrahente, terræmotus superueniens, suas domos funditus diruit.

Schale prophetæ missus ad Zeuth. Nugatur, ut et aliàs, de cameli occisione.

¶ Loth rursum increpante suam gentem ob scelus inauditum, & nefas à nemine perpetratum, cum nemo prius uiris abuteretur, respondit ipsa: E'uilla tua cunctos incredulos eíjce. Ipsum quidem Loth, sibiq; credulos, præter mulierem suam uetulam, quoniam suam non liquit maliciam, saluauimus,

Loth Sodomitas increpuit ob nefandum scelus.

saluauimus,& imbre salubri sufficienter irrigauimus. Quisque prouidus, illorum malorum finem consideret. Schaibh rursum Middenæ mittens inquit: Mihi mandata Dei ferenti parentes estote: Deum unum,cum non sit alius, adorando,nulli quicquam mensuræ ponderisue dolose subtrahendo,nec terram bonam uastando. Vobis item cauete,ne qualibet uia morando,credentes in Deum à uia recta diuertatis. Debetis enim tum commemorare, Deum fecisse uos multos è paucis: tum quis sit finis incredulorum,perpendite. Licet ei nequaquam omnes fidem adhibeant,credentes tolerando sustineant, usquequò Deus optimus iudex uenturus litem discutiat. *Schaibh Middenã missus.*

¶Primatum conuentus incredulorum illius gentis respondit Scaibeh: Te,tibiq; credentes è uilla nostra profjciemus, nisi more nostro uixeritis. Quibus ille: Nulla uis,nullaq; coactio nos ad hæc deducet, ut Deo mentientes, suamq; legem linquendo, ad uestram transeamus: ex quo nos ille liberauit ab ea,& nos ipsi sponte nostra subijcimur. Quem supplici uoto precamur, ut ipse ueritatem inter nos patefaciat, cum sit ueracissimus, & omnia sciens. Incredulí uero gentem suam increpando inquiunt: Si Schaibe sequaces sitis,perdemini. Contradicentes autem illi,pessundati perditi sunt,suæq; domus per terræmotum diruptæ.

¶Ipse Schaib iam retractus ab illis, residuis solatium præbens, inquit: Ego uobis mandata Dei beneuolè,beneq; consulens,applicui. Quid curandum de incredulis? Omnes uillas ad quas nostros prophetas misimus,prius pœnis & anxietatibus,ut conuerterentur, pressimus: deinceps peccatorum ueniam facientes, ut augmentarentur & sublimarentur, usque dum bonum & malum perpessæ fuissent,sicq; secure fierent, quod nec eis noctu sopitis, nec die uigilantibus atque ludentibus, nostra uindicta superueniret. Eas deinde ob sua facta sceleraq; pessundedimus: quibus ubertatem cœli terræq;,si timuissent,& credidissent,aperuissemus. Ex hoc igitur sui successores perpendere possunt, quod eos pro factis suis punire, sicq; sua corda sigillare, ut nihil exaudiant, nostræ uoluntati satis est possibile: Quod uillis,quibus missi sunt nuncij,iam sæpius per nos contigit.

¶Horum qui nobis dilectionis fœdus pepigerint, parte plurima nequaquam firma fideliq;, sed incredula reperta, deinceps Moysen cum uirtutibus atque miraculis ad Pharaonem suamq; gentem misimus. Quorum non credentium, quis esset finis,uideatur. Moysi igitur Pharaonem alloquenti, dicentiq; se Dei nuncium, nil nisi ueracissima Dei præcepta ferentem,ut secum filij Israël adueniissent, ad eum accessisse. Respondit ipse: Si cum uirtutibus adueniisti, eas ut ueridicus existas, uideamus. Ipsius itaque manu suus baculus proiectus, draco factus est, manusq; uersa apparuit candidissima. Ob hoc Pharaonis homines eum magum sapientissimum, & regem à suo deijcere regno uolentem perhibentes, quid rex inde uelit, perquirunt. Ipse quidem eum fratremque suum custodiri, & per singulas urbes omnes sapientes magos coadunari præcepit. *Moysis cum Pharaone acta, figmentis deformata.*

¶ Illis igitur aduenientibus, & quam pro adeptione uictoriæ mercedem susciperent, quærentibus, dixit Pharao: Familiaritatem mea m sumam, & propinquitatem. Illis deinceps Moysiq; conuenientibus, & alternatim opesum exordio postulato, illi parentes, uisibus humanis miranda atque timenda obiecerunt. Deinceps Moysis ba-

culus noſtro nutu proiectus, cæterorum omnes machinas & fantaſias deuorauit. Et ſic illis repreſſis, & ad minimum redactis, ueritas apparuit. Omnes deinceps magi ſuperati, genua ſua coram Moyſe flectebant, confitentes publicè, ſe Deo Moyſis & Aaron, creatori uidelicet orbis, ſe ſubijcere. ¶ Ob hoc indignatus Pharao, quod in eum niſi nutu ſuo crediderant, inquit: Vos artibus ueſtris atque dolis enitentes, ut ſuam ex hac ciuitate gentem educatis, ueſtris manibus & pedibus abſciſſis ex oppoſito ſuſpendam. Cui illi: Cur de nobis ad Deum ituris, quoniam Dei præceptis aduenientibus credimus, uindictam ſumere quæris? Tu Deus nobis fortem tolerantiam, & in uera fide legeq; tua perſeuerantiam, benignè præſtare digneris. Homines quidem Pharaonis ſic eum affati ſunt: Si Moyſen fratremq; ſuum terram tuam ſic uaſtare, tuamq; ſibi gentem allicere dimiſeris, tuum idolum & te prorſus negligendo dimittent. Reſpondit: Ego ſuper eos fortis atque potens, infantes interficiam, fœminasq; cuſtodiam. Moyſes item ſuæ genti ſolatium præbens, inquit: Deum adorantes, ipſius auxilio fortes, omnia libenter tolerate. Qui finis uitaq; timentibus ipſum, terræ ſuæ quem uult hæredem conſtituit. Ipſis autem indignantibus §* & obſtrepentibus, ſe ante ſuum aduentum, & ſimiliter poſtea mala plurima perpeſſos dixit: hoſtem ueſtrum Deus exulabit, & perdet, uobisq; terram deinceps daturus, effectus ueſtros ipſe uidebit. Hominibus deinceps Pharaonis, ſuisq; fructibus pedetentim annorum intercapedine, ut per hoc caſtigati magis Dei memores eſſent, decrementum immiſimus. Sed illi uelut inſcij, quotiens eis aliquod commodum contigit, hoc ſuum eſſe: quotiens malum, hoc per Moyſen ſuosq; factores contigiſſe, cum omnia tamen Dei ſint, affirmabant. ¶ Illis dicentibus Moyſi, quod incantationibus arteq; magica ſuos effectus compleret, nec ideo ſibi crederent, locuſtas, & bruchum, & ranas, ac ſanguinem diſcerptim ingeſſimus. Ipſi tamen non minus increduli perſeuerabant, & Moyſi ſupplicando, licet increduli, precabantur eum: Tu Moyſes, Deum propter amicitiam ueſtram atque fœdus inter uos firmatum, ut malum iſtud expellat, exora, nosq; tibi credituri, filios Iſraël tecum mittemus. Vnde illis ad horam malis ſubtractis, accedente termino, ecce dimittere noluerunt. Quod nos præuidentes, uindictam ſumendo, quoniam noſtris contradicendo præceptis increduli manebant, in mare ſummerſimus, illamq; terram ab oriente in occidentem pauperibus incolendam tribuimus. Sic igitur Pharaonis ſuaeq; gentis factis dictisq; deletis, filios Iſraël noſtra uerba complentes tolerando, transfretare fecimus. Qui deinceps tamen inuenientes homines idolorum cultores, Moyſen precati ſunt, ut eis imagines ſimiliter conſtitueret. Quibus ipſe: Vos uere cæci eſtis, cum hanc gentem operaq; ſua quicquam eſſe putatis. Vnus enim ſolus deus uobis eſt adorandus, qui uos ſuper omnes extulit, & liberauit de gente Pharaonis, quæ uobis ſemper noxia prolem ueſtram interfecit, ueſtrasq; mulieres, quod Deo ſummè diſplicet, ſubduxit. ¶ Moyſes accepto termino alloquendi deum poſt XXX. dierum peractum ſpacium, cui X. dies ipſemet adiunxit, ſicq; ſunt facti XL, Aaron fratrem ſuum affatus inquit: Tu meus interim in mea gente uicarius eſto, & benefaciēs nullatenus uiam errantium exequere. Ad horam itaq; conſtitutam, ipſum aduenientē, deo affato Moyſes inquit: Tu deus, ut te uideam, mihi preſta. Contra quē ſic

*Tranſpoſita fuere hæc in tribus quibus uſi ſumus exemplaribus ut ſigna indicāt, infrà paulo.*

*Aegypti plagæ aliter expoſitæ quàm in Exo.*

*Secus quā habeatur Exo. 33. & 34. exponit, ut Deus Moyſi apparuit.*

Deus

Deus : Me quidem non uidebis, nisi meus à te uisus loco suo permaneat. Deo montem ascendente, ipse in minimum atque minutum redactus est. Vnde Moyses quasi mortuus cecidit, curatus autem inquit: O Deus, ego uester sum, & in te primus credens. Dixit deus: Ego super gentem meam te præ cæteris electum, mea mandata ferentem constituí, tuq; munere meo sumpto, quod iam tabulis inscribitur, Deo grates persolue. Continet autem illud omnem gerendorum doctrinam, & castigamen, ac discretionem. Quod tu constanter & firmiter sumpturus, ut tua gens similiter accipiat, intima. Domos incredulorum mihi nostrisq; fallaciter resistentium, tibi monstraturus illos, licet qui omnia miracula uiderint, nostraq; præcepta sæpius audierint, nec ipsis nec alij sæculo fidem adhibent, & utraque uia uisa falsam semper proficiscuntur: Illos inquam, suaq; negotia penitus confundam, & sibi suorum operum uicem reddam. Moyse quidem absente, sua gens ex annulis suis & torquibus tauri statuam, sonitum quasi stertentis emittentem, sibi fecit.

*Historiâ Exodi. 32. male reddit, ut suprà etiam.*

¶ Sed cum uiderent eam nil dicere posse, nec uiam rectam edocere, eam suis tractando manibus, se confitentes errasse, dixerunt: Nisi Deus ueniam misericordiamq; fecerit, nos perdendis annumerabimur. Moyses itaque reuersus, multa permotus iracundia, eos ob sui maliciam, Deiq; mandati festinationem post suum discessum, increpans, tabulas proiecit, fratremq; suum capillis arripuit. Ille uero respondit: Me debilem ipsi uolentes interficere, ferè uitam abstulerunt. Vnde de me uindictam minime sumas, ne sim ridiculum hostium, nec me malis hominibus illis admisceas. Moyses hoc audiens, Deum orat, ut sibi fratriq; suo ueniam & misericordiam, cum ipse sit omnium pijssimus, præstet.

¶ Qui taurum adorabant, iram Dei & dedecus huius sæculi meritò sustinebunt. Qui peccatis commissis, ad Deum postea pœnitendo se conuerterint, ueniam & misericordiam consequentur. Moyses deinceps ira semota, librum & tabulas, uiam & misericordiam timentibus Deum manifestantes, sumens, ad horam sibi mandatam, LXX. suorum hominum elegit, quibus pessundatis inquit: O Deus, qui quibus uis rectam, quibus uis malam uiam præbes, nunc hos ob suam inscientiam factaq; nefanda condemnans, si tuæ subesset uoluntati, prius eos confudisses. Sed tu discretè, licet arcanè, omnia gerens, tu ueniæ largitor optime, nobis ueniam & misericordiam præbe, simulq; da huius, sæculiq; futuri bonum, nobis te, non alium adorantibus. Inquit Deus: His bonum, illis uero malum, meo præcepto semper accidit. magnamq; misericordiam, omnium capacem, timentibus me, & obedientibus meis mandatis, ac eleemosynarijs præbebo.

*Machumet ignarum literarum. Quod alibi negatur. Inductionem absoluit, ex prius recitatis similibus inferens, ipsi legato Dei credendum esse.*

¶ Imitatores nuncij atque prophetæ, legendi scribendiue nescij, cuius nomen atque mentio reperitur in testamento & Euangelio, qui gerenda præcipit, aliaq; prohibet, bona saporiferaq; uestro comestui licita, alia quidē illicita ponit, cogitationes prauas & errores ejicit: Omnes inquam illi credentes, & auxiliantes, atque sublimantes, suisque mandatis obedientes, & boni sunt, & bonis associabuntur. Vos uiri, ego quidem ad uos uenio, Dei nuncius, regis cœli & terræ, præter quem non est alius, qui mortificat & uiuificat. In eum, mihique, suo nuncio, legendi scribendique nescio, penitus ipsi suisq; præceptis subiecti credite, suis præceptis obedientes, ut boni efficiamini.

ciamini. Quidam autem de gente Moysis, ad ueritatem istam se conuertunt, secundum illam operantes. Nos quidem in terra duodecim gentes diuisim constituimus. Nos quoque Moysi, cum sua gens aquam peteret, ut cum uirga petram percuteret, iniunximus: apertiq; sunt fontes duodecim, eorum locis notis omnibus. Eos quoque nube protexímus, & manna simul & coturnices ad comedendum præbuímus. Nunquam illis nocui, sed ipsi quidem suis animabus nocuerunt. Eisdem item iniunximus, ut uillam quamlibet frequentarent, & quidlibet sibi placitum comederent cum gratiarum redditione, & ut in portarum ingressu se humiliarent: Sicq; semper peccaminum ueniam tribueremus, & bonum semper augeremus. ¶ Horum uero prauis atque peruersis nostrum præceptum mutantibus, malum cœlitus ob suam malicíam intulimus. Cum quídam in uilla iuxta mare in sabatho piscium multitudine capitibus subleuatis adueniente, quod cæteris diebus minime contigit, nos enim ipsis uicem suorum operum reddidimus, non gerenda perpetrabant, ab alijs castigati dixerunt: Quare cæteros castigatis, cum Deus eos confundet, aut graue malum eis superueniet? Responderunt: Nostrum est Dei mandatum commemorare, cum forsan hoc timorem immittet. Eis autem castigamina non curantibus, gerenda docentes saluauímus, cæteros autem pro suis factis damnauímus. Diximus quoque uertentibus ad prohibita, ut simiæ perditæ fierent, in hoc sæculo dedecus & opprobrium, in futuro malum grauissimum accepturæ. Ipsius præcepto, qui est pius ueniæq; dator, gentibus per terras diuisis, quarum quædam bonæ sunt, quædam autem infrà, eis nunc bonum nunc malum exhibendo, ut sic eorum ad fidem esset conuersio, tentauímus eas. Sed primis peiores succedentes, libri partem sibi, uidelicet in hoc sæculo placita ferentem accolunt, residuumq; dimittendo dicunt, Deum inde sibi daturum ueniam. Nónne fiduciam & firmitatem à uobis cepi, quod in hoc libro nil nisi uerum esse diceretis? Cur insensati uiuitis? Alia quidem curia multo melior habetur, quam libri factoribus, & orantibus, sua persoluendo præmia tribuemus.

¶ Montem super Iudæos nubi símilem, cuius ruinam super se pertimebant, ut sic saltim ui legem nostram reciperent, & eam assidue ad timoris adeptionem legerent, extulimus. Cumque cepi de filijs Adæ eorumq; posteris testes super animas suas, dixi: Nónne ego sum Deus uester? Dixerũt, Ita: Huiusq; rei testes super animas nostras adsumamus. Quibus ego: Imò in alio sæculo testes adestote, ubi non dicatis me nequaquam huius rei noticíam & intelligentiam uobis intimasse: nec iterum sequendo patres uestros prius incredulos, quæratis, Cur ob facta prædecessorum mala patiamini? Ita quæq; distinguo diligenter, ut ipsi Deum diligentes efficiantur. Ille, cui prius iniuncto meo mandato deinceps subtraxi sapientiam, malus effectus, diabolum secutus est. Eum tamen cum sua sapientia ad me sublimare meæ uoluntati possibile esset: Sed ipse mundanam manſionem magis diligens, suum amorem amplexus est. Hic quidem talis, cæteriq; meis contradicentes præceptis, sicq; suis nocentes animabus, cani assimilantur: qui seu ad ipsum accedas, seu nõ, latrare nõ desinit. Solus aũt ille fi mitatẽ obtinet, cui Deus rectã uiam prædestinauit. Omnis illinc aberrãs, in gehennã ponetur: quò multitudinem diabolorum, & hominum habentium corda sine discre-

*Historias Exodi perperam adducit, ut superius.*

*Fabula Iudaica absurdissima de sabatho uiolato.*

*Alcoranũ quidam partim recipiunt, partim reijciunt.*

*Nubem, siue quæ ad montẽ Sinai apparuit, siue quæ agmen circumdedit, montẽ dicit, inepties more suo.*

*Temporaria æternis bonis præferentes, Deiq; uocationem spernentes, canibus similes.*

tione,

tione, oculos sine uisu, aures absq; auditu, qui brutis animalibus magis erronei, negligentes existunt, mittemus. Illos igitur incredulos, quibus Deus mercedem pro merito tribuet, dimittentes, cum ξ* Dei plurima bona sint nomina, ipsum cum eis inuocate, sequentes ratione, uiq; doctorem, & secundum illam operatorem. ¶ Sic contradicentibus præceptis nostris, quibus inscijs mala formosa uideri fecimus, quod omnibus callidior, omnibus arte præualeo. Nonne perpendunt, seruus è diabolo socius sortitus sit, utrũsim alius quàm nuncius uerus? An cœli terræq; machinam, omneq; diuinum opus non considerant? cum forsan iam suæ mortis terminus accessit, post quem, cui uerbo credent? Cum nemo, quem Deus aberrare fecerit, uiæ bonæ doctorem inuenire queat, eos in cæcitate sua dimittamus. Quærentibus à te aduentum horæ postremæ, dic, illius noticiam nulli nisi Deo compræhensibilem esse, quæ in cœlo terraque grauis subitò pluribus nescientibus superueniet. Sic enim tu nil nisi Dei uelle bonum siue malum tuæ animæ commendare potens, absconditum agnoscens, multum boni, nec quicquam mali adipiscêris: cum nil nisi Dei nuncius, suorumq; uerborum ad incredulos applicator existas. Adam patre uestro à Deo creato, & ex eo fœmina ad suum concubitum, in primo coitu mulier concepit, sicq; deinceps grauida multum facta est. ob quod maritus ac mulier Deum deprecati dicebant: Si tibi nobis bona præbere placuerit, grates tibi referemus. Deo itaque prosperitatem atque bonum eis conferente, eis suorum donorum participem, unde te Deus liberet, constituerunt. Quomodo Deo socium atque particeps quicquam, non creans aliquid, sed creatum, nec sibi nec inuocantibus ipsum auxiliari potens, opinantur? ¶ Hi ad rectam uiam à uobis aduocati, nullatenus uos sequentur. Aeque namq; proficit eos aduocare, atque tacere: homines tamen sunt, sicut & cæteri. Qui si fides uestra uera esset, uobis responsa facerent. An habent illi pedes, quibus ambulent? an oculos, ut uideant? an aures, ut audiant? Illos itaq; participes inuocando, si uobis sit possibile, decipite me, qui soli Deo libri datori, sicut & omnes boni homines, me commendo. Illi uero quos loco dei adoratis & inuocatis, nec sibi nec animabus suis prodesse queunt. Ad uiam rectam uocati, prorsus auditu uisuq; carent. De decimis & beneficijs sume, & inde secundum morem consuetum operare. Inscijs, te subtrahe semper. Si aliqua fortassis diabolica suggestio seu fraus acciderit, te diuina sanctificatione præmuni, Deo audiente atq; sciente. Omnis enim deum timens, cum ei quicquam diabolus intulerit, Dei memor est, ad bonum se conuertens. Cũ te minime cum uirtutibus uenientem quærant, cur eas non efficis? dic, te nil nisi mandatum dei imitari. Hæc quidem sunt res manifestæ, uiaq; uera, & misericordia timentibus deum. Cum legitur Alchoran, eum cum toto corde, deuotaq; mente, ut Deus tibi misericordiam præstet, ausculta, & deum in anima tua, unaq; uoce mane & uespere, nequaquam horum aliquid negligẽs, cũ humilitate & timore inuoca & adora. Apud ipsum qdem manentes, nullatenus indignant ipsum inuocare, humiliq; prece exorare.

*Signum quod remittit ad superiora. Sed hæc bene cohærent.*

*Pertinaces relinquendi.*

*Incerta hominibus dies nouissima.*

*Adæ & Euæ prima proles.*

*Protoplasti cito idololatræ.*

*Contra idola, ut Psal. 113.*

*Decimas percipere, ac bene uti conceditur.*

*Sine miraculis doctrinæ nudæ credi postulat.*

*Alchoran religiosa mente audiendus.*

## AZOARA XVIII.

OMnis rerum & orationum quæ Deo debentur excessus, Deo legatoq; suo gratus existat. Omnes Deum timeant, & uicissim benefaciant, Deum adorantes, suo legato, si boni fuerint, fidem adhibeant, eos imitando, qui lachrymas deum inuocando effundunt. Diuina legendo miracula,

*Bona opera.*

miracula,ſuam fidem corroborant, & ſe prorſus Deo commendant, facientes orationes de bonis ueſtris ſibi datis expendunt. Illi namq; ueritati bonoq; credentes,ueniam ſummumq; bonum à Deo recepturi,coram ipſo gradum excelſum obtinebunt. Poſtquam te Deus uirtutibus atq; ui à domo tua traxit,plurimæ gentes ad fidem coactæ,in ueritate iam manifeſta,ratiocinantes diſceptant:iſs comparabiles, qui ad mortem ſcientes adducuntur.

*Dei auxilium in bello.* Cum Deus uos expugnaturos ire gentem illam præcepit,nequaquam opinati eſtis ipſum uobis auxiliaturum. Sed ipſe quidem ueritatem ſui uerbi confirmat, incredulos à primo ad infimum damnat, ueritatem probat, falſum quidem delet,aut infirmat. Vnde uobis inuocantibus Deum,licet hæc incredulis dolorem párerent, me daturum uobis auxilium, mille angelorum pollicitus ſum. Sciendum quidem,Deum,cuius eſt omnis uis & auxilium atq; uindicta,totum hoc feciſſe,ut plenum uobis gaudium cordiumq; firmamentum infunderet. ¶ Quoniam uobis Deus ſomnum ad cordium ueſtrorum quietem induxit,& aquam, qua loti mundiq; eſſetis, ut ſic à uer-

*Angeli boni ultores malorum.* bis diaboli retracti,corda ueſtra pedesq; firmaretis,cœlitus demiſit. Angelis ſuis ait:Ego uobiſcum ſemper præſens adero:uos autem euntes,illos meos homines firmate,& adiuuate: Incredulorum ceruices atq; manus, quorum cordibus ego timorem inijciam, percutite, quoniam mihi meoq; legato non crediderunt. Omnis etenim reſiſtens,me grauem in fine ſentiet,ig-

*Metu fugiens in bello gehennam promeretur.* nemq; gehennæ ſubibit. Nullus uir bonus incredulos aggrediens, eis terga uertat, niſi cauſa commodioris adaptationis, & præmunitionis: Sin autem, iram diuinam ignemq; perpetuum, malamq; uiam incurret. Nullatenus te cædem meis intuliſſe,uel eos proiecíſſe præſumas. Ego namq; peremi,ego proieci. Conſtat autem hoc diuinitus factum,ut Deus omnium auditor & cognitor,ſuorum cordium effectus atq; ſecreta cerneret, qui ſemper artem atq; negotium incredulum infirmat. Si litem atq; uictoriam quæritis,ecce iam ueſtris adeſt manibus. Sed nos conuerti, uobis eſt utilius atq; melius: Sin autem, licet ueſtræ gentis maior ſit numerus, nil prodeſſe poterit. Quia deus eſt adiutor bonorum. Viri itaq; boni,Dei legatiq; ſui ſequaces eſtote, nuſquam ab eis ſcienter diſcedentes. ¶ Confi-

*Homo indiſcretus, uel inſipiens, odioſus Deo.* tentes ſe audiſſe,cum nihil audirent,imitari nolite. Nullum enim animal coram Deo peius, quàm ſurdus & mutus & indiſcretus. Eis tamen audi-

*Timens Deũ uitam conſequetur.* tum præſtaret, ſi boni quicquam illis ineſſe perpenderet. Licet enim bonum audirent,in eo minime perſeuerarent. Omnis bonus,Deo legatoq; ſuo uocantibus eum, ut uiuificetur, reſpondeat: Timens Deum, hominis cordisq; ſui iudicem,ad quem omnium ſit reditus. Nullatenus item obli-

*Bella metuenda, quippe quæ bonos etiam auferunt.* uiſcamini ſuffragij,uindictæq; diuinæ. Vnde grates reddidiſtis, quando pauci debilesq;,gentes uobis maleficas timebatis. Lites quidem ſummè timendæ, quoniam ipſæ non ſolum malos uendicant,finisq; Dei grauis occurreret. Viri boni,nihil Deo,ſuisq; nuncijs,uel ſibi uiciſſim ſcienter ſubtrahant. Sciant enim,pecuniam ſuam atq; prolem inuidiam párere. Apud

*Prohibet fraudes, ipſamq; auariciam.* Deum, ſummarum diuitiarum eſt ſumma copia, qui muneribus omnibus abundans, timentibus ſe peccatorum ueniam atq; ſalutem præbebit, qui putantes te capere,aut interficere, aut eijcere ſuis artibus fruſtratur, cum

*Contemptores Alcoran.* eius artes omnibus præualeant. ¶ Cum huiuſmodi uiris uerba Dei leguntur,indignanter inquiunt: Iam audiuimus,& tale quid noſtra uoluntate ducente faceremus. Hæc enim ſunt anteceſſorum miracula, precanturq;

canturq; Deum, ut si illa sit sua ueritas, semper eos lapides malumue graue pluendo cœlitus irruat. Deus autem eis nocere noluit, tum quia tu præsens illis intereras, tum ut pœnitendo se conuertant. Sed cum ipsi se prauis meritis indignos agendo, licet inscij, à templo Haran se retrahunt, nec uersus templum aliam orationem quàm sibilationes gestusq; manuum peragunt, cur malum Deus eis non ingerit? Malum quidem ab illis perpetratum, ipsi gustabunt. Increduli uero, suam pecuniam expendentes, ut uiam Dei rectam derelinquant, multimodam iacturam sentient. Post substantiæ namq; consumptionẽ, difficultatem inextricabilem incurrent, uincientur, & ad gehennam mittentur, ut purgaminis atq; purgati sit disgregatio. Ipsorum quoque purgaminum perdendorum aliud alij in gehenna superponetur. Sciant tamen increduli, se præteritorum ueniam accepturos, si se conuerterint. Sin autem, more priorum iam perierunt. Eos semper usquequo ad Deum omnes conuertantur, nullaq; sit seditio seu lis, expugnate, eorumq; conuersorum Deus ipse facta dignoscet. ¶ Sciant omnes se conuertere nolentes, Deum esse dominum nostrum bonum, & uindicem optimum. Sciat item omnis in Deum credens omnipotentem, posito super prophetam die conjunctionis exercituum, quod totius prædæ quinta Deo atq; prophetæ, & propinquis ac orphanis, & mendicis ac pauperibus debetur. Die qua uos citra aquam prope, & alius uester exercitus subtus uos, alij quidem ultra longe sedes sortiti eratis, si uobis terminus poneretur, forsan fallaces uideremini. Sed Deus priusquam quid esset, omnia præuidit. Sciendum quidem illum uerum mortuum, illumq; ueraciter uiuum, qui mortem seu uitam testibus missis adeptus est, Deo res omnes audiente atq; sciente: quo uos pauca docente, si multa numerositas uideretur, corda uestra debilia timidaq; fierent. Sed ipse omnium cordium secreta dinoscens, sua uoluntate singula moderatur, qui uestris oculis cæterorum paucitatem, uisibusq; suis uestri minimam quantitatem, ut suum die illa mandatum compleretur, ad quem omnia redeunt, reputauit. Omnis uir bonus in exercituum congressu firmus fiat, & Deum inuocando suum increatur auxilium, sequens ipsum, suumq; legatum. Cauendum quidem, ne uobis incidat contrarietas: Hæc enim uos debiles efficeret, uestrumq; successum minueret. Sed tolerantes & indurati perseuerate. Talibus enim Deus præstat subsidium. Eos item non imitemini, qui domos suas egrediuntur plus populi fauore, quàm deitatis amore. Eorum tamen actus diuina sapientia circuit. Diabolus incredulos suos actus sibi formosos apparere faciens, inquit: Hodie quidem non uincemini, quoniam uobis ego auxiliator adero: sed exercitu uiso, moram fugæ non distulit, dicens: ℣ * Ego uidens & uobis minimè uisum, Deum timeo, cuius finis grauis est, & intollerabilis. ¶ Increduli cordisq; prauí deinceps dicentes, nos uestram legem extimare meliorem, cognoscant ipsum legi bonæ adhærere, qui se prorsus Deo commendat. Angeli quidem illos incredulos faciebus & tergis cedẽtes, & interficientes, dicebant: Malum feruoris ob actus uestros antecedẽtes, Deo nemini nocente, gustate: sicut illa gens Pharaonis, suiq; prædecessores, nostris institutis cõtradicentes, ob culpas suas proprias, Deo nemini nisi delinquenti munus suum auferente, perierunt: Sed Pharao, suiq;, per summersionem: quia ceteris animabus coram Deo deteriores sunt increduli, qui prius datam firmitatem Deũ non timendo uariant. In lite captos, uel captiua, uel

*Templũ Meochæ id est, Haram.*

*Armis cogendi increduli.*

*Quinta prædæ Deo & prophetæ, etc. danda.*

*Fortitudo in bellis retinenda.*

*Propter Deũ non propter existimationẽ hominum beligerandum.*

*Signum istud superius positum, omnia exemplaria trã sposuerant.*

*Pharao.*

*Captiui aut occidendi aut seruandi.*

perime,uel per hoc sui castigẽtur posteri,& si timueritis aliquem quid subtrahere,dic illi,hoc Deo displicere. ¶ Cauendum,ne uos nimia securitate firmatos,increduli uicti rursus aggrediantur. Vosmetipsos igitur armis,& bestijs,atq; pecunijs præmunite. Omnes etiam uestros in uia Dei sumptus, deus nil diminuens,multipliciter reddet. Vobis pacificè se subijcientes,diligenter uobis reconciliate,Dei scientis & audiẽtis præcepto,qui tibi tuisq; præsens aderit. Si te fallere quæsierint,sine cuius uelle minimè pax inter uos oriretur,licet omnem terrenam substantiam propter hoc expenderetis: Tu nuncie,me tui tuorumq; factorum adiutore,tuis pugnã persuade, Tui namq; uiginti sustinentes & indurantes,ducentos alios superabunt: & centum uestri,cæterorum mille, quia sunt indiscreti. Deus autem hoc primo propter uestram debilitatem faciens,nunc imminuit. Si centum enim fuerítis,eorum ducẽtos uincetis:& uos mille,cæterorum duo millia,Deo præside indurantium sustentamine. Prophetarum alicui captiuos habere usq; quò terras expugnasset,nondum accidit.Sed uos hunc mundum,Deus autem sapiens & incompræhensibilis alium diligit. Propter hoc quidem graue malum atq; pœnam pateremini, nisi Dei liber præcedẽs omnia complectens subuenisset. Nunc quidem de præda bona comedite,timentes Deum pñssimum,ueniæq; datorem. ¶ Captiuis in tua manu propheta retentis,si Deus bonum inesse tuo cordi cognouerit, tua cogitatione plus atq; maius tibi tribuet,cum sit pius ueniæq; largitor. Si quid uero tibi simulare dissimulareue quæsierint,Deus grauis atq; sapiens uindictã inde recipiet. Terrarum expugnatores Dei nomine & illius obsequio, cũ pecunia uitaq; sua semper indurantes, & eorum auxiliatores, sibi mutua societate cõnectunt: quibus cæteri usququo lites ingrediantur,nullatenus cõnumerantur. Tunc autem illos uestrum petentes suffragium, nisi tantum contra homines uobis fœdere pacis munitos adiuuate,Deo singulos actus uestros dinoscente. Increduli quoq; suiq; factores alternum societatis connexũ inibunt. Vobis quidem prædicta negligentibus,lis uastatioq; multa terrã occupabũt.Boni expugnatores,& ob Dei gratiã indurantes, eos quoq; recipiẽtes & adiuuãtes corã Deo cõstantes,& boni ueniam plenam adipiscẽtur.Illi quoq; boni, qui postea pugnaces effecti,uobiscum passiones sustinuerunt,dilecti simul & electi, cum libro Dei singula scientis & audientis,uobis annumerantur.

*Victores ne sint securi.*

*Dedẽtes se in fidem recipiendi sunt.*

*Sine Dei fauore pax nullis humanis rationibus firmari potest. Vtinã hoc proceres Christiani perpendant. Ex Deuit.20. & Deut.28.sumpta, sed male aptata.*

*Captiuos clementer tractans prophetã recipiet præmium amplißimum: Militare docet.*

## AZOARA XIX.

*Contra finitimos bella gerenda.*

HAec epistola est Dei legatiq; sui illis increduli missa: cũ qbus terminũ posuistis.Libere per quatuor menses quóuis terrarum pergite,scientes uos Deo cũctorũ incredulorũ cõfusori,minime nocere posse.Die quidẽ peregrinatiõis in mẽse gẽtibus Deũ suũq; legatũ prædicãte,dicentes,qd Deus se suũq; legatũ ab increduli libera uit.Cõuerti quidẽ,uobis esset melius:Sin aũt,Deo minime nocere potestis, qui uobis malũ grauissimũ ingerit,illis exceptis,qui pacẽ firmatã tenuerint,nec in uiros nostræ legis surrexerint.Illi namq; in termino statuto cõuersi,cum Deus timẽtes diligat,colligendi sunt.Conuerti nolentes,ubicunq; repertos,mensibus Harã peractis sumite,& interficite,omnibus uijs insidiantes illis.Si uestrã legẽ sequi,& orare,ac decimas dare uobiscũ uoluerint,dimittendi sunt: quia Deus pius & misericors ueniã illis tribuet. Eorũ quẽlibet ad te uenientẽ humiliter,diligenter collige,ut sic cũ sit uelut animalia bruta, uerbũ Dei audiẽt,quo forsan eorũ corda penetrabunt. Qualiter firmi cõstantesq; contra Deum legatosq;

*Persequendi sunt armis increduli. O prophetam immemorẽ,qui aliquoties dixit, pertinaces in dicto diuino relinquendos esse.*

tosq; ſuos, niſi qui uobis templum Haram fiduciæ pignus poſuerint, aut aliud quid reperiuntur? Quamdiu tamen apud uos ſua perſeuerauerit iuſtitia, ius apud eos mutare nolitis, Deo timentes diligente. Et ſi eos uobis ſuperapparere contigerit, aliud ore, aliud corde tenentes, cum eorum pars ſit plurima incredula, Dei præcepta pro minimo uendiderunt, & ſic aberrando malum operati ſunt. ¶ His cum nullius ſint ſubſtantiæ, ſed gratia uos hoſtilitatis maximæ nemo bonus credat, niſi prius conuerſis & oratoribus & beneficis factis. Tunc enim in lege noſtri fratres exiſtunt, quod ſapiens quiuis diſcretè perpendit. Poſt iuraiuranda ſe uertentes, & in lege ueſtra malum aliquod dicentes, cum eorum ſacramentum ante conuerſionem nihil ſit, expugnate. Cum illis qui nuncium è loco ſuo eiícere uoluerunt, nobis tamen prius eiectis, cur bellum non initis? An eos timetis? Deus quidē omnibus credentibus plus timendus. Eos expugnare non differatis, cum Deus malum atq; dedecus eis per manus ueſtras ſit illaturus, uobisq; ueniā atq; uictoriam, ueſtrorumq; cordium moleſtiam eis accumulabit. Nec antè fortitudinis & audaciæ ueſtrorum cordium notícia ceſſabit: nec ipſi rurſum parti Dei omnia ſua facta ſibi reuelaturi, ſuiue legati, cæterorumue bonorū níl eorum cuiq; celatè gerentium aſſentiant. Increduli, quorum animæ teſtes ſunt erroris & prauitatis ſuæ ſectæ, quorum ſcilicet actus hic nihil ſunt, ſæculoq; futuro manſio focus, templum Haram adire minime digni ſunt: nec etiam aliquis, niſi qui in Deum credidit, nullum alium timens, dieiq; futuræ fidem adhibuerit, & eleemoſynas ac orationes fecerit. Hic namq; rectè proficiſcens, itinere bono dignus eſt. Nullus extimet peregrinantes ad templum Haram, & ibi potantes aquam, æquales exiſtere bonis expugnatoribus, alium Deum expectantibus, & in Deum credentibus, qui malos homines in uiam bonam non dirigit. ¶ Expugnatores etenim tolerantes ardua, pecuniamq; ſuam pro Dei nomine conſumentes, plenum gaudiū habituri corā Deo gradum maiorē obtinebunt, & præmio maximo perenniq; donabūtur. Nullus ueſtri filijs ſuis, ſiue fratribus, niſi ſuæ legis fuerint, cōfidat: Sin autē, malis annumerabitur. Si patres ueſtros, & filios, aut fratres, & mulieres, gentēq; ueſtrā atq; ſubſtātiam acquiſitā, & mercaturā, cuius ſumptū pertimeſcitis, & ædificia pulchra, pluſq; Deū, ſuūq; legatū & expeditionum effectus propter Deū diligitis, indurate, uſq; quò Deus illos malos abhorrens, ſuum mandatū afferat. In multis aūt locis, & maxime in die Heunaim, qua ueſtra multitudo uobis placēs minime uobis profuit, quin fugā terra ſpacioſa ſe uobis abbreuiāte iniretis, Deus uobis ſuffragiū præſtitit: tūcq; uobis ſtationariā manſionē figens, cum exercitibus nō uiſis à uobis, malum incredulis intulit. Hic em̄ exegit ſuū meritū, deinceps Deus cui uult cōdonans, uobis inde ueniā præbuit. Viri boni, qui legem ueſtrā nō ſequuntur, ſcilicet illoti, poſt hunc annūad templum Harā nō accedāt. Et ſi paupertatē & inopiā ob hoc timueritis, Deus ditiſſimus & ſapientiſſimus uobis de ſua pecunia largiet̄. Nō credentes in deum, dieiq; futuræ, & nō facientes Harā, q ſuo legato Deus Harā cōſtituit, & nō recte litigantes uelut cæteraq; legū homines, uſq; quò ueſtri tributarij ſubiectiq; fiant, expugnate. ¶ Iudæos, dicentes Ozair eſſe filiū Dei: Chriſtianos uero, Ieſum, quorum uerba prædeceſſorum nugis aſſimilant̄, cōfundat deus: qui etiā ſuos ſacerdotes atq; pontifices, Ieſumq; Mariæ filiū ſibi dominos loco Dei ſumentes, uenerant̄: cum ipſis præceptū ſit, non niſi Deum unū adorare: Ipſi quidē Dei lucem ore ſuo

*Fides ſeruanda.*

*Proſelyti.*

*Increduli à tē plo Mechæ excludantur.*

*Milites boni præcellūt ade untes Mechā.*

*Nemini fidendum præterquam fidei cō ſortibus.*

*Qui non omnia religioni poſtponūt, malum accipient.*

*Clad m dome ſticā refricat.*

*Illoti non admittuntur ad templum.*

*Chriſtianos taxat, quod Ieſum pro filio Dei colant, et pontifices pro ſuis dominis & Dei loco uenerentur.*

nituntur extinguere: sed ipsis nolentibus, lucis suæ complemẽtum efficiet. Suum itaq; nuncium cum uia recta legeq; bona misit, ut ipsam manifestet, & super omnes leges extollat, licet cæteri nolint atq; resistant. ¶ Sacerdotes atq; pontifices substantias hominum gratis comedentes, non rectam uiam proficiscendo, uos uiri boni improbate. Omnis thesaurizans aurum & argentum, nec expendens in Dei nomine, malum grauissimum sortietur, ipsiusq; die futuro, uenientis ad gehennam, frons & latera, dorsum & nares inde comburentur, effectumq; thesauri malum ipse reperiet. Cum in libro Dei, die qua cœlum & terram condidit, sit totus mensium numerus XII, eorum quatuor hac lege data super Haram, in quibus nihil animabus uestris nociuum agatis, omnes incredulos, uelut ipsi uos omnes, expugnate, scientes deum timentibus auxiliari. Nulla fides est incredulorum, sed error maximus, cum omnium rerum Haram numero apud Deum determinato, ipsi Hale quod deus Haram, & ecõtra: & quod hoc anno Haram, alio Hale, & ecõuerso cõstituunt: quos suis factis sibi uisu pulchris, per uiã rectã Deus minime dirigit. Vos uiri boni, cum uobis iniũgitur iter Dei, cur recusatis, hoc sæculum plus quàm aliud diligentes, cum suæ res ad rerum alĩus cõparationem nihil sint? Ire nolentibus, Deus summã pœnam inferet, alios eorũ locis altiscens, cui nemo nocere potest, cum ipse sit omnipotens. ¶ Licet uestrũ desit auxiliũ, Deus minime suũ subtrahit subsidiũ: Qui tũc adiutor adfuit, quãdo in cauernã ob persecutores solus uno comitatus intrauit, socioq; suo dixit: Nil timeas. Deus enim nobiscũ est, qui cordibus eorum quietẽ induxit. & cũ exercitibus occultis uos adiuuãs, suũ uerbum super eorũ uerba sublimauit, cũ ipse sit altissimus & sapiens. Leues igit atq; graues in litibus cũ substãtia uestra, uitaq; pro amore dei, quasi sopitis, uobis nihil est melius, indurate. Sunt quidã suarũ animarũ perditores, Deo teste mendaces, qui si locus sterilis et cõmodus, uiaq; breuis et leuis esset, te sequerent. Sed cum sit difficilis atq; longinqua, per deũ iurãt se minime posse uobiscũ exire. Quid de suo dixisti exitu, tibi uenią meruit, quod ueritatẽ mẽdaciũue loquentiũ apparere uoluisti, uiris bonis nequaq; hærẽtibus, sed firmissime credẽtibus in Deũ, dieiq; futuræ, & similiter hominibus contrarijs illis, se ad litẽ ituros cũ substantia uitaq; sua pollicentibus, cum illi suũ persoluãt pollicitũ, hi saltim necessaria pręuiderent, se pręmuniendo, si uox sua cordi cõsonaret. Sed Deus timentes discernens, & horũ iter abhorrẽs, cũ nil nisi maliciam cordiũ & pusillanimitatem profecti uobis augerẽt, cõmorantibus in domo eos manere uoluit. Illis uestrum malũ atq; seditionẽ affectantibus, nostraq; mandata usquequò manifesta ueritas illis nõ diligentibus apparuerit, uariãtibus, quidã uobiscum uiuentes, quos Deus agnoscit, obediunt. Eorum quidã sanius intelligentes exorant, ut eis quęlibet nõ uoluptuosa nec illicita præcipias, eo quod huiusmodi uiros sibi gehenna uendicat. ¶ Si profectis expugnatum successus cõmodus occurrit, mali domo relicti molestia grauãtur. Ipsis uero dictis, uel nil lucratis, sed sibi bene prouidisse, quod nõ ibãt, ostẽtant, maximeq; gaudent illis inani manu redeuntibus: huiusmodi uiris manifesta, neminẽ quid habiturũ, nisi quod sibi præscripsit dominus Deus noster: cuius tutelæ nos, sicut omnes credentes atq; boni, cõmendamur. Sciendum quidẽ, uestrã nobiscum morã esse causam uestri boni, uestrã uero nobiscũ esse, ut malũ recipiatis, uel ipso deo dãte, uel per manus uestras: Vnde si uos stetis & nos, omnis sumptus noster siue spõtaneus siue coactus, à Deo minime,

*Pontifices & sacerdotes opes corradentes, & non ministrantes, uituperat.*

*Ex XII mensibus, IIII impugnandis hostibus cõsecrati.*

*Sacra & prophana dijudicare cõuenit.*

*Exemplo domestico docet fidendum auxilio diuino, quũ deest humanum.*

*Contra militiam detrectantes.*

*Hypocritæ.*

minime, quia mali estis, colligetur. Quippe nec in Deum, nec legato suo crediderunt, nec orationes corde puro, nec sumptus nisi contra uelle suum effecerunt. ¶ Horum nec proles nec substantia tibi placeat, cum Deus nolit eas alius quàm mali causas & effectus in hoc mundo existere: & eos item uita priuabit, ipsis incredulis. Qui licet iurando per deum se uestros perhibent, non sunt nisi gens à nobis & à uero disgregata, sed munimina seu cauernæ uel concaua, quò fugerent, illis patêrent, cito recedentes & retrambuli fierent. Eorum quibusdam à te petentibus aliquid de decimis & beneficijs, si datur, est eis placidum: Sin autem, conquerentes & irati recedunt. Sed si Dei legatic sui munus bonum esse faterentur, dicerent: O deus, tu legatusq tuus nobis pro uelle nostro munera facietis, qui te precamur & adoramus. ¶ Eleemosynæ quidem & beneficia non sunt nisi pauperum, & miserorum petentium, & in Dei nomine redimendorum, ac peregrinantiũ inopum, secundum dei præceptum, omnium sapientissimi. De propheta male loquentes, & dicentes se non dixisse, graui malo punientur. Et licet uos coniurando, ut uestrum amorem habere queant, se uelle simulent, tamẽ Dei nuncijq sui dilectionem atq fidem habere melius esset. Omnis deo molestiam & odium inferens, ignem gehennæ passurus, dedecus magnum subibit. Cauendum incredulis, ne sibi superueniant azoaræ, quæ sibi cordis sui secreta notificant. Irrident tamen, quod Deus ab illis seruata pandet: qui percunctati, se deliberando dubitare fatentur. An de deo suoq propheta ridiculum agunt? Quid uobis incredulis factis, post credulitatem prodest excusatio? Licet enim quibusdam uestrorum Deus ueniam largiatur, cæteris tamẽ, uidelicet incredulis, malũ inferet. ¶ Resistẽtes atq perturbatores, & insurgentes uiri, seu mulieres, hi uel illi prohibẽda præcipientes, & è cõuerso, suarũq manuum cõstructores, Deũ oblíti, à deo minime cõmemorantur ob malicia suã. His & huiusmodi similibus ac incredulis, ignẽ geheñæ perpetuã mansionẽ deus tribuet: quos ipse perpetuò cõfundet. Prædecessores uestros uobis maiores, & fortiores, atq ditiores, pluriũq filiorꝫ patres, sua negotia pro uelle suo sicut & uos perficientes, & dicẽdo dubitantes imitari nolitis. Hic etẽ sua perdiderũt opera, sæculo futuro perdendis associandi. ¶ A' prædecessoribus suis, Noë scilicet, & Baath, & Themuth, & Abrahã, suisq factoribus, & à gẽte Madian & Almutesichech, Dei mandatũ cũ uirtutibus atq miraculis allatũ est illis qui sibi nocuerũt, Deo neminẽ lędẽte. Bonorꝫ quidẽ illorum, uirorꝫ seu mulierũ, alij credẽtes alijs res scitas iniungunt, nõ agenda quidẽ interdicunt, orationes ac eleemosynas faciunt, deum atq prophetã exaudiunt, & sic à Deo sapientissimo ueniã promerentur, paradisum aquis amœnã, & in Gedena perpetuã mansionem, amoremq Dei maximum, quo nihil est maius, susceperunt. O propheta, incredulos & insurgentes aggrederè, illis manifestans, quod ad gehennã uiamq malã proficiscẽtur, qui post uerbum incredulorꝫ à se dictum, fidemq suã derelictã, se nõ dixisse iurando, Deum testẽ uocãt. Velle tamen suũ nequaq ad actũ perduxerunt, nec aliud quàm quod deus suusq legatus eos à sua uolũtate repulerunt, adepti sunt. Si redierint, cõmendabile est: Sin aũt, graue malum in hoc, sæculoq futuro, absq repertu tutoris atq uindicis sui in terra patient. Eorꝫ quidam hac utuntur oratione: O deus, si nobis tuã uoluntatẽ dederis, inde deinceps beneficiaq, boni efficiemur. Deo quidẽ illis postulata præbẽte, errori cõsentiendo, nil dare uoluerũt. Vnde deus eis finem cõtrarietatem cordium,

*Noli æmulari in malignantibus.*

*Leues, qui suum commodũ semper spectant.*

*Eleemosynæ sunt congruæ præceptò Dei &c.*

*Detrectantes Prophetæ Machumet, luent pœnam.*

*Offensa Dei gehennam meretur.*

*Prophẽtarum contemptores puniti à Deo.*

*Eadem locus paradisi, in Genesi.*

dium,& anxietatem,ut ſic ſaltim ad eum conuerterentur, immiſit,eo quod ſua Deo pollicita non ſoluendo,mendaces reperti ſunt. Nonne ſciunt,Deũ omnium occultorum cognitorem,æque ſuorum arcana cordiũ & uoce prolata percipere? Deriſores bonorum in eleemoſynis,quas facere nituntur,& nil niſi per laborem ſuum habentium Deus irridebit, grauibuſq; malis affliget. ¶ Reſiſtẽtibus Deo,atq; ſuo legato,& ſic ingratis deo,ſiue tu condones,licet etiam ſeptuagies,ſiue non, Deus nequaquam ueniam faciet. Succeſſores uicariſq; prophetæ, quiete gaudentes, pugnatum ire nolunt cum ſubſtantia uitaq; ſua propter Deum, perſuadentes ne quis tempore feruente pugnatum eat. Sed notãdum ſapienti cuilibet,ignem gehennæ callidiorem exiſtere. Nunc aliquãtiſper rident: ſed multæ quærimonię cum lachrymis ob actus antecedentes ſequentur. Quanquam Deus ad aliquam iſtarũ gentium acceſſerit,ſicq; tecum ire pugnatum illa deſiderat,dic ei,quoniam primò domo manere maluiſti, nunc quoq; cum aduerſis atq; contrarijs perendina,nunquam mecum profectura,nec hoſtes expugnatura. Nec ego ſuper ueſtri quenquam orationes fundam,nec ad ipſius morti foueam accedã, tum ob hoc quod Deo legatoq; ſuo contradixerunt,tum quoniam increduli mortui ſunt. Huiuſmodi uirorum neq; ſubſtantia,neq; proles tibi placita ſit,quos ſibi Deus tãtum malorũ materiã eſſe quærit,animasq; ſuas ipſis incredulis extrahet. Cũ azoaram perſuadentẽ ut in Deum credãt, & cum ſuo legato pugnatũ proficiſcantur,inſpicis,eorũ primates inquiunt, Bonũ eſt, ut nos perendinantibus remanere dimittas. Eorũ itaq; cũ illis contrarijs cõmorari cupientiũ corda,licet illis neſcijs,ſigillata ſunt. Prophetę uero,ſuisq; factoribus pugnatũ profectis, cũ ſua uita ſubſtãtiaq; deus ſua ſemper negotia ſublimaturus,paradiſi manſionẽ perpetuã,quod prę cæteris eſt lucrũ maximum,tribuet. ¶ Deo quidẽ ſuoq; legato rebelles,domiq; morantes,niſi debiles uel infirmi,uel nõ habentes neceſſaria,tales enim abſq; reatu ſunt,ſi ſolum bona uoluntate Dei ſuiq; legati præcepta corroborent, prædicta nõ agendo,graue malũ patiẽtur. Arabum namq; plures,cæteriq; ſimiliter ad te uenientes,nequaq; uictũ cęteraq; neceſſaria à te quæſita,ut te comitarẽtur, recipientes,miníme dãnandi ſunt, cũ ob ſumptuũ inopiã lachrymando reuerſi ſunt. ¶ Illi tandem rei ſunt,qui nulla debilitate,ſeu morbo,uel inopia preſſi,cũ aduerſis cõmorantur: quorũ corda,licet ipſis neſcijs,Deus ſigillat. Illis corã te redeũte ſe excuſantibus,dic: Vobis nequaq; ob aliq; excuſationẽ credã ulterius,qa iã Dei facta ueſtra uiſuri,ſuiq; legati pręceptũ audiſtis, ad deũ adhuc redituri,q oẽs actus ueſtros occultos propalabit. Quidã eorũ tui pręſentis diſceſſum per deũ cõiurando poſtulãt: & tu, cũ nihil niſi malũ, ſint gehennã ob ſua merita recepturi,diſcede. Eorũ quibuſdã ueniã petentibus,& obſecrantibus,miníme da ueniã: Quia licet tu dones, Deus miníme dabit. Arabes peiores increduli ſunt,& expugnatores peſſimi,dei pręcepta ſapientiſſimi ſuo legato ſuperne poſita prorſus ignorantes. Eorũ quidã ſuos ſumptus pro tributo cõnumerantes,uobis malũ inferre nitũtur: ſed illud in eos redundabit. Eorũ uero quidã deum inuocantes,iudiciq; diẽ expectantes, Deo legatoq; ſuo appropinq̃tionem ſua beneficia fore credẽtes,miníme fallunt. His etenim deus ueniã,ſuiq; dilectionẽ tribuet. ¶ In litibus pręeuntibus & primis,cordeq; beniuolo ſibi ſuffragãtibus, Deus integrã peccaminum ueniã daturus,paradiſum riuis amœnã,quod maximũ eſt lucrũ,tribuet. Arabũ aũt & Meduentiũ quibuſdã,qui iã te neſcio,tibi litẽ atq; ſeditionẽ machinantur,

*Etiam ſi Machumet ueniã delictorũ donet, non tamẽ ſtatim & Deus.*

*Intentata gehenna inſtigat ad bellum.*

*Pro mortuis orationes.*

*Bonum notabile pro uigilijs & exequijs, &c.*

*Quis immunis à militia.*

*Arabes.*

*Militantes, et qui eos iuuãt, gratiam peccatorum promerentur.*

machinantur, bis nocebo, & ad ignem diuertã. Sunt alij sua confitentes peccamina, sicq; bona malis cõmiscentes, quibus forsan deus ueniæ largitor ignoscet. Eleemosynas de sua substantia suscipe, & eos emenda, bonumq; suum multiplica, Deum pro ipsis inuocando, ut ipse cuncta sciens & audiens eorũ cordibus quietem inducat. Deus em̃ suæ gentis pœnitentiã benignè colligit, & eleemosynas ac beneficia suscipit, qui est misericors, ueniæq; dator. Malã igitur derelinquentes benefacite, ad cognitorem & reuelatorem secretorũ redituri: qui, suusq; legatus, uiriq; boni uestra uidebunt opera. Sunt item alij spem in Deo ponentes, quibus aut ipse malum faciet, aut ignoscet. Templo ob malum & incredulitatem, bonorumq; diuisionem ab illis constructo, quos corã inuocãtibus deum, suoq; legato prius se nõ nisi bonum facere uelle iurãtes, Dei testimonium mendaces comprobat, nunq; assurgas. Melius em̃ est orationes fundere in templo timore Dei fundato, ubi se lauare uolentes cõmorantur, Deo mundiciã uolente. Quod em̃ melius est templum, dei gratia fundatum: an illud, quod super præcipitium conuexum & cõcauum ædificatum, sua ruina secum suos in ignem gehẽnæ deuergit, quò Deus solum malos demittit? ¶ Eorum cordibus, qui templum intentione tali fundauerunt, nõ aberit malum atq; cõtrarietas, nisi suis animis prorsum immutatis. Bonis dei nomine belligerantibus, Deus paradisum tribuit, præcium pro suis animabus atq; substãtijs, siue perempti, seu emptores existãt. De dei quidem pollicito nemini dubitãdum, quod testamento, & Euangelio, & Alfurcan cõfirmatur. Sit itaq; uobis pro uestris operibus summum solatium, quod deo uestras animas, substantiãq; totã uendidistis, cum aliunde tãtum lucrum nequaq; accidat. A malo diuertentes, & orantes assiduè, gratesq; reddentes, & se humiliãtes, genuaq; flectentes, & præcipientes gerenda, prohibendaq; cõtraria, tãdem oẽs obseruatores diuinorũ præceptorum plenũ gaudium atq; perpetuũ sortient. Nemo propheta, nec uir bonus pro illis deprecetur incredulis, quos malos igniq; deputãdos esse dinoscit, licet sibi sint illi cõsanguinei, siue propinqui. Abrahã uir bonus, assiduus orator, nequaq; iracundus, licet patri suo prius propter spem habitam consentiens ueniã faceret, tamẽ deinceps percipiens ipsum deitatis hostem existere, manum suam penitus retraxit. Deus homines post adeptionem fidei non errare permittit, priusquam eos quid timere debeãt, ipse doceat. Omnia sciens, cœlum & terram regens, uiuificans atq; mortificans, qui non alius est tutor uindexq; noster, idemq; pius, ueniæq; largitor, suusq; legatus, expugnatoribus, & suis in hora necessitatis auxiliatoribus, iam suis debilitatis cordibus, ignoscunt. Idem quoque pijssimus tribus uiris usquequò sub ipsis terræ capacitas angusta, animæq; suæ breues sibi uidebantur, & se non alias ire posse, quàm ad Deum solum perpendebant, fugientibus ueniã, ut redirent, largitus est, Ipsum igitur omnes boni timete, & ueridicis perseueranter obedite. ¶ Nec Arabes, nec Medenenses euitare poterant, quin cum legato pergerent, & pro suis animabus orarent. Nec enim sitim, seu laborem, aliquodue malum pro Dei gratia, uel exuuiam ab hostibus sibi uendicant, nec sumptum breuem seu magnum faciunt, nec aquas abducũt, nec transitũ ad incredulorum molestiã atq; malũ transcendunt, nisi quos Deus, bonorũ operum præmium omnibus plenè largiturus, bonis operibus adscribit. Oẽs tamẽ adesse nec opportunum, nec necesse fuerat: sed singularum gẽtium aliquos abesse, qui iuris ministri legi prouiderent, & credentibus quid gerendum

*Confitentibus peccata spem ueniæ aliquã aperit.*

*Atqui Esaias dicit, qui speraat in eo, non confundetur. Templũ Mechæ commendat.*

*Dei nomine militantibus ampliſſimum præmium pollicetur, ut ſolet.*

*Alcoran Euãgelio & ueteri ſcripturæ æquat.*

*Pro incredulis nõ orandũ: Abraham patrẽ idololatrã deſeruit.*

*Legũ periti.*

dum esset, intimarent. Incredulos in uestri directo cõstitutos, uos uiri boni scientes Deum se timentibus auxiliaturũ, sic expugnate fortiter, ut uestrã sentiant audaciam. Sunt quidam, qui azoara posita quærunt, Cuius fidem nostrum augmentat? Hic autem corroborat, credentibus quidem plenum habituris gaudium fidem confirmat, & augmentat: Incredulorum quidem uariisq; cordis malo malum accumulat, unde sua peribunt incredulitate. Nónne patet, eos singulis annis deteriorari: cum semel aut bis credentes, & item increduli, nec se conuertunt, nec sui memores existunt? Hi quidem azoara sumpta, se inuicem cuicunq; respicientes quærunt, an eos quis uideat: deinceps corda sua Dei distrahunt obsequio, qui sunt indiscreti. Nũcius de uobis met ipsis immutabilis & constans uobis datus est, quem cum sit boni pijsq; cordis, incredulitas uestra turbat, atq; molestat, ut bonorum fides atq; dilectio lætificat. Sed si nullatenus credere, fideq; perseuerare uoluerint, tu Deo, præter quem non est alius, immensi cœli domin, te cõmenda.

*Vis Alcorani, quæ Dei uerbo syncero detrahitur. Blasphemat igitur pro more suo.*

*Laudum suarum præco liberalißimus.*

AZOARA XX.

HAec huius libri sapientis doctoris mirabilia, cũctis hominibus admirãda, qbus hominem de semetipsis afferentem illa, & mõstrantem Deus maximum præmiũ bene gerentibus, incredulis pœnas daturus, misit: increduli manifestas incãtationes esse dixerunt. Sed ipsi qdem nec oratorem sibi, nec tutorem inuenient, nisi nutu cõsilioq; Dei, qui est dominus noster, cœlum & terrã sex diebus creans, & postea cœlos ascendens, rerũ omnium deliberator. Hunc itaq; dñm nostrũ, ad illũ redituri (sumus etẽ terminus est ueracissimus, si memores estis) aduocate. Qui creator oĩm, ad se post mortem reuocabit oẽs, ut bonis & credentibus rectũ & æquũ, incredulis ignem malũq; graue largiat. Idem etiã soli lumen, lunæq; claritatẽ, & mansiones, ad annorũ cæterorũq; spatiorũ numerũ ueritatis tantũ noscendæ causa tribuit, & diei noctisq; uicissitudinẽ res sapientibus discernit, omnibusq; se timentibus mirãda in cœlo terraq; cõposuit. Horum nostrorumq; præceptorũ negligentes, igni ob suos actus insidebunt. Sperantes aũt se redituros ad nos, hoc sæculũ alij postponentes, sicq; fidẽ adepti benefacientes, in paradiso perseuerabunt. Hi qdem tales Deum inuocãt, & sese mutuo demum salutãt, in uocationisq; fine Deo totius mundi dño grates soluunt. ¶ Si deus adeò festinus atq; pronus in malum hominum existeret, quã in bonum, iã eorũ accessisset terminus. Vnde nõ habentes spẽ redeũdi ad nos, in errore suo quasi cæcos errare patimur: qui malo cõtingente, secundũ ipsum sui status modũ, scilicet iacendo, seu stando, sedendoue Deũ quantocius adiutorem inuocãt: quo demente malũ, quasi nunq; inuocassent Deũ, redeunt. Ita sua facta sibi uisa pulchra fecimus, plures generatiões præteritas, quia legatis nostris uirtutẽ afferentibus miníme crediderãt, & malefecerãt, ex merito suo prorsus deleuimus. Quorũ uos iam uicarios, usqquo facta uestra uideamus, cõstituimus. Cũ eis uirtutes manifestas Dei lego, ad deũ nullũ sperãtes reditũ inquiunt: Aliũ Alchorã nobis aporta, uel istũ uaria. Quibus me id miníme facturũ respõdeo, tũ ob diuinorũ præceptorũ obseruationẽ, tũ ob malorũ die magna timorẽ. Notandũ item, me longo tẽpore prius inter uos cõmorantẽ, nullatenus uos cum eo uisitare, nisi diuina uoluntas cõpelleret. An uos error & inscitia uexant? Quis enim peior imponente Deo mendacium, aut suis contradicẽte preceptis? Cum huiusmodi uiris nullum bonũ Deus dirigat. An uos increduli, & inuocãtes loco dei, putantes ipsum pro uobis precaturum,

*Deo motũ localem tribuit. Deus ultimus finis, & summum bonum.*

*Longanimus Deus.*

*Contradicentes Alcorano.*

quod

quod utriuſq́, boni malíq́ uidelicet ineffícax reperitur, Deum agnoſcere, nec cœlo nec terra ſcitum cogitatis? Ab his quidẽ ſuis dictis deus me liberauit, cum gens prius una, ita nunc uarietur, niſi propter Dei uerbum præſcriptum de ſua cõtrouerſia liteq́ fieret iudiciũ: inquiunt, ſi diuina ſibi præcepta nõ adſcripſiſſet. Deus eſt omnium occultorꝝ cognitor: expectetis igítur, & ego. ¶ Hominibus poſt malí paſſionem bono rehilaratis, artẽ atq́ dolum in noſtris præceptis facere nitentibus, díc, Deum callídiorẽ & prouectiorem eſſe, qui ſuís legatis omnes ueſtras machínas atq́ dolos agnoſcit. Ille uobís tranſitũ terrarꝝ & animum præſtans, uſq́quo omnes ín una nauí coadunauit, uentum proſperꝝ gaudíq́ datorẽ primo cõtulit, deínceps uento peruerſo ſuperueníente, & undas circũquaq́ coagitãte, ílli timẽtes hoc obſídionẽ eſſe, Deum legís bonũ adiutorem ínuocãdo dixerunt: Sí nos ab hoc malo líberaueris, ulteríus tibí ſubiecti gratías reddemus. Sed ílli en liberati, terraq́ poſíti, malũ fallaciter & íniuſte perpetrãt, ſibímet ſolís hoc agẽdo noxíj: quíbus à me facto ſuo reditu, oẽs ſuos actus reuelabo. Nõne perpendunt paucitatem atq́ breuitatem huíus mũdanæ ſubſtãtiæ? Hæc nãq́ uíta campo cõparatur, quí per aquã cœlitus míſſam ſe ſuo fœtuí cõmíſcentem, ut uíctũ humanũ atq́ feralẽ educat, floríbus et fructu decoratur: hominíbus me tũc †pœnitentem eſſe fatentíbus, deínceps noſtra uolũtate díe noctuúe ducente, ad ſtipulam reducítur, príori formæ ualde díſſimílem. Me res ita díſcernentem, ſapientem exaudiet Deus, ad uíam ſalutís uocans, & electís uíam rectam notificans. Benefacientibus tríbuet bonum, & ſupra quorum faciebus nunq́ ínerit pallor ſeu moleſtia, eruntq́ paradíſi dominatores perſeueranter: Peccatores autem æquum ſibí ſímileq́ præmium ſuſcepturí, dedecore premundí, nullum tutorẽ ſeu ſaluatorẽ habituri, uelamẽ quaſi noctẽ nigrã, faciebus ſuís apponẽt. Et hi ſine termino ígnis míníſtri manebũt, díe cõgregationís omnium, corã me dícturo íncredulís, uobís ueſtríſq́ partícipibus, etiã uos nullatenus adoraſſe me perhíbentibus poſtulabítis, dei teſtimonium ínter nos & uos ſufficiẽs adſit, nos ob íncredulitatem ueſtrã negligentes extitiſſe: tuncq́ ſe ad Deũ ſuũ ueritatis dominũ conuertentes, príus deſerẽt uerbũ ſuũ, cum omnís anima præmiſſorũ mercedẽ accípiet. ¶ Datorem tamẽ uíctus ín cœlo & terra, oculorum & aurium iudícem, uítæ mortíſq́ largítorem, omníũq́ rerꝝ prouíſorem, Deũ eſſe teſtãtur. Cur ígitur nõ tíment eum? Hic eſt Deus ſuus, dominus uerax: Et ueritatem deſerens, níl præter errorem atq́ iacturã ſequitur. Cur conuerti negligítis? Dei quídem uerax eſt uerbũ, quod íncredulos nunq́ conuertendos affírmat. Eſt'ne quís ueſtrorꝝ partícipũ homínes creans, & ad ſe reducẽs? Deus quídẽ erat, & ad ſe reditum præſtat. An eſt eorꝝ quís, qui rectam uíã ínſtruat? Deus quídem eas edocet: quẽ ímitari melíus eſt, quàm ígnorantẽ, uſq́quò doceat. Cur híc, ſíc eſſe nõ díſcernitis? Sed horꝝ plurima pars ambíguitatíbus & opinionibus, quæ ueritatí collatæ níhil ſunt, abducit, Deo ſua facta dinoſcente: cuíus nutu p̃ceptoq́ ſolíus, hic Alcorã oís falſitatís expers, quoniã eſt Dei domíní mũdí, cõſtituit. Dicentíbus eũ tuũ eſſe fígmentũ, díc, ut ſaltẽ unã azoarã harum alícui cõſímílem, quolíbet adiutore níſi ſolo Deo ſuffulti, efficiãt: ut ſic an ueridíci ſint, appareat. ¶ Plures quídẽ cõtradícunt, eo quod noticiã eíus ſe mínime poſſe cõpr̃ehendere fatentur. Quid ſi ſua qualís eſt explanatio, ſibí mitteretur? Anteceſſorũ ueſtrorꝝ ſímíliter cõtradícẽtíum, qui finis, proſpícite. Eorũ tamẽ quídã ílli credũt, quídã mínime, Deo ſíngulos díſcernente.

*Gratulatur ſibi quod Deus ipſum liberauerit à Chriſtianorum opinionibus diſſidentibus.*

*Allegoriam naufgij ſuæ ſectæ accommodat.*

*Parabola humanarum rerum non inſcita.*

*†Al petẽtem al. potentem.*

*Dei attributa quædam. Argumentatur non futiliter contra fictitios deos.*

*Contraria ſæpius dicit, nẽpe quod increduls pœnitentibus ſalus obtingat.*

*Alcoran carere mendacio, quod facilius eſt pronuncíare, quàm probare.*

*Alcorani difficultas intelligendi.*

*Tardis ad credendum subinde mittit libellum repudij, doctrinæ suæ diffidens.*

*Resipit hæresim, quæ temporibus Origenis perualerat Arabiã, animas interire cum corporibus: utraque uero restituenda nouissimo die.*

*Esa. 5. Impij dicunt, Festinet & cito ueniat, etc.*

*Nouissimi diei memoriam subinde inculcat.*

nente. Contradicentibus dicito, ut sibi sua sint negotia, tibiq; tua, ipsiq; à tuis factis, & tu à suis liber. Te quibusdam eorum auscultantibus, es ne potens, ut illi surdi, cum sint indiscreti, tuam uocem intelligant? Eorum quidã ad te respiciunt, Tũne cæcos uiam rectam docebis? Deus ipse nemini facit iniuriam: sed homo ipsemet sibi officit. Die resurrectionis opinabuntur singuli, se non plus quàm per unius horæ spacium iacuisse: & ad inuicem se cognoscent: ibiq; summam iacturam sentient, qui erronei congregationi coram Deo contradicebant. Eorum quæ dicemus, te partem docebimus, aut mori faciemus, & ad nos facto reditu cuiusq; gentis, suus nuncius sibi missus ueracissimus iudex, nemini faciens iniuriam, aderit, Deo omnium operum assidente teste. Quærentibus illius horæ noticiam, ad tuæ ueritatis probationem responde: animæ meæ bonum seu malum nequaq; iudico, nisi quod Deus discernens tribuit. Cuiq; gẽtium terminus suus adscriptus est, quem præcedere uel subsequi nemini licet: nec cuiq; prospicere datur, utrũ die noctuue suum malũ accidat. Sed uos increduli, cur ita properatis? ¶ Siquidem cum aduenerit, credetis. Nunc uero cur antecedere nitimini? Vos increduli maliq;, uestra malefacta non nisi pro modo lucri uestri gustate: & deinceps ansim uerax, quærite, quod esse, sic per ipsum iurando testabuntur. Ego siquidem uerax sum: sed uos id minime dixistis. Quilibet male gerentium tunc semetipsum ob malefacta redarguens, cum iudicium inter omnes ueracissimum, omnis expers iniuriæ fiet, omnem substantiam mundanam si possideret, eam pro sui redemptione redderet. Cur igitur uestri reditus ad Deum uniuersorum regem, uitæ mortisq; datorem, cuius terminus, licet plures nesciant, est ueracissimus, non recordamini? Vobis quidem iam à Deo castigamen, & salus nostrorum cordium occultis, uiaq; recta & misericordia bonis hominibus dei misericordia nutuq; gaudium uobis afferens aduenit, quod omni uestra substantia melius est atq; preciosius. Cum deus uobis uictum sufficienter exhibuit, cur de ipso hoc Haram & illud Hale constituitis? Vtrum hoc præcepto suo, an impositione uestra facitis, de Deo mentientes? Quid de semetipsis in alio sæculo cogitant? Ipse quidẽ hominibus prorsus utilis, licet ipsi grates minime persoluant. ¶ Amodo licet uerbum in omnem partem uergitis, omnium cogitationum uestrarũ & electionum atq; factorũ testes erimus, nec alicui cœlestium seu terrestriũ addi subtrahiue potest, nisi quod libro lucidissimo inscribitur. Deo quidẽ se cõmendantes, uidelicet credentes atq; timẽtes, secundum Dei uerbũ immutabile, tum in hac uita bonum, tum in futura plenum gaudiũ timoris expertes sortientur. Neminem aggrauet nos dicere, solius dei scientis & audientis omnia, cuius imperio subiacent uniuersa, qui noctem quieti, diem motui deputat, quæ sunt satis audiẽtibus admirãda, immensitatẽ uerumq; preciũ esse. Nõ imitemur inuocantes loco Dei participes, cũ ignorata dicẽtes, nil præter opinionẽ sequanr: dicẽdo, Deum sumpsisse filiũ, quo nequaq; indigens est, cum sit omniũ abundantissimus, uniuersa cœli & terræ possidẽs. An habent inde rationes hoc demonstraturas? An deo nescitũ imponunt? Omnis deo mendacium illud imponens, hic bono carebit, & ad ipsum suo reditu facto malum grauissimum ob incredulitatem ab ipso recipiet. ¶ Audiant isti Noë, suæ gẽti dicentem: Si sit uobis molestum atque graue, me uobiscum præsentem existere, ut præcepta Dei uobis intimẽ, rebus uestris atque participibus, ne uos tenebrositas, & error includat, ceadunatis,

*Religiosi & in hoc sæculo & in futuro beati.*

*Deum carere filio probat argumento friuolo, quod nullius rei sit indigus. Rationes quæ probent Deum habere filium, extant sempiternæ et liquidæ.*

mihi

mihi memetipsum Deo commẽdanti patefacite, retinaculum uestrum atq; sectam. Sin autem, à solo Deo, qui me credentibus associauit, nequaquam à uobis pręcium postulo. Ipsis quidem contradicentibus, eum suosq; factores in æquore uase, saluauimus: & contradicentibus summersis, alios eorum in terra uicarios constituimus. Ecce quis eorum finis contigit, quibus maxima merces promittebatur. Post hunc cæteros cum uirtutibus prophetas hominibus misimus: sed eorum credere renuentium, hostilitatemq; malentium, corda sigillauimus. Moysen item & Aaron, cum nostris præceptis ad Pharaonem suamq; gentem misimus. Sed illi ob maliciam & superbiam suam resistentes, ueritatem uisam diuinitus, artem magicam esse perhibebant: quam Deus odit, & abhorret. Moysi quærenti cur hoc facerent, dixerunt: Ideóne ueneristi, ut nobis, qui tibi non credimus, à secta patrum nostrorum deiectis, in terra nostra super nos sublimeris. Tumq; Pharao quatuor sapiẽtes magos ad se iussit adduci. ¶ Illis quidem iam præsentibus, Moysiq; pręcepto mutationem pro uelle suo gerentibus, inquit Moyses, Cur incantationibus studetis, quas deus ipse confundet, Operibus etiam huiusmodi sua uerba confirmans, licet malis nolentibus, detrimẽtum immittit. Paucis uero, illiusq; gentis minimis Moysi credentibus, Pharaonem ut nimiæ potentiæ, & operis immoderati, suamq; gentem nimium timentibus, ipse Moyses solatium præbens inquit: Si in Deum creditis, eius uos tutelæ commendate. Ipsi igitur se Deo commendantes, deum deprecantur, ut eos minime malis gentibus ridiculũ atq; prodigiũ constituat: sed pro sua pietate misericordiaq; ab illis liberet. Moysi deinceps fratriq; suo præcepimus, ut in Mezara sui gentibus domos uersus orientem cõstituerent, & in eandem partem orationes funderẽt, dicerentq; bonos summum bonum possessuros. Moysi deinceps Deum oranti, ut Pharaonẽ ornatu diuitijsq; mũdanæ uitæ donaret, suisq; diuitijs repagulũ cordiq; sigillũ obijceret, ut sic obstinaciter erroneus ante mali grauis aduentum nullatenus crederet, inquit Deus, se suis orationibus rectis respõdisse, & ne uiã errantiũ insequeretur iniunxisse. Quãdo cũ filijs Israël mare transiuimus, & Pharaoni, exercituiq; suo ob inuidiã et inimicitiã eos insequẽtibus, ferè submersionẽ induximus, Pharao iã nõ in aliũ quàm in deũ filiorũ Israël se credere cõfessus est. ¶ Tandẽ ne nunc hucusq; malefactor & incredulus, hodie tuum corpus liberari, ut sit posteris miraculũ, quæris? De nostris miraculis atq; uirtutibus pauci cogitãt. Nos deinde filijs Israël in Asia locũ optimũ præstantes, eis bona saporiferaq; cõtulimus, nullã eis nisi præmunitis et castigatis cõtrarietatẽ inferẽtes, et eorundẽ in sæculo futuro post scientiã datã cõtrarietates discutiemus. Si de mandatis tibi missis quicq; dubitas, antecessorũ tuorũ lectiones perlegendo, ueritatẽ tibi missam agnosces, ne sis ambiguus, nunc negãs, nũc affirmãs. Oĩs eñ nostris præceptis cõtradicens, perdendis annumerabit: nec quis super se dei uerba firmãs, ante grauissimorũ malorũ aduentũ credet, licet oĩa mundi miracula uideat. Adhuc nulli uillarũ, nisi tantũ gẽti bonæ, sua fides interitũ surripuit: Ei uero huius mundi dedecus ob fidẽ suã auferẽtes, usq; ad terminum nõ à nobis in antea positum promouimus. Si Deus ipse uellet, omnes terræni simul crederent. An tu gentes ad fidem & credulitatem cogere studes? nisi Deo uolente, nemo credere poterit, qui malos & indiscretos in sua sordicie dimittit. ¶ Constat euidenter, nil cœlestium seu terrestrium, nec miracula seu uirtutẽs incredulis quicquam proficere posse, qui suorũ antecessorum

*Moyses et Aaron.*

*Magica Deo inimica.*

*Fabulæ Iudaicæ de magis Aegypti, & Pharaone.*

*Soli Niniuitæ per Ionã conuersi, malum eis impendens effugerunt. Cur igitur gladio persecutus es, & alios id facere docuisti?*

cessorum dies euentusq; consimiles, nil aliud expectant. Expectent igitur, & ego deinceps, ut nos decet, nostros nuncios cum credentibus illis saluabimus. Ab eis, quibus huius legis ineſt ambiguitas, ego dissentiens, non adoro, quos ipsi: sed unum Deum solum, qui nobis omnibus mortem inducturus, me conuertens ad legem rectam credentem fecit, prohibens me, participes, & aliquid loco Dei nec officere nec iuuare potens, adorare: cuius bonum munus nullus auferre poterit, quin pro suo uelle cuilibet accidet. Malum nemo nisi ipso præmonstrante prænoscere poterit. Iam diuina ueritas nobis data, rectam uiam proficiscentibus ostendit, cuius obseruatio salutem obseruantibus generat, error quidem detrimentum. Vobis itaq; cauete, quoniam ego non semper uester custos existam. Tu quoq; super te cælitus missum sequere, & sustine, usq; quo Deus iudex optimus dijudicet.

*Machumet ex pagano cõuersus ad fidẽ, qui nõ semel dicit infideles non conuerti.*

## AZOARA XXI.

*Alcorano eloquentiam arrogat.*

HVius uoluminis quàm optime à sapientissimo & eloquentissimo cõpositi, discernentis & castigãtis uerba, me inde castigatore manifesto, promptoq;, uobis persuadent, ut non nisi Deum unum inuocetis, & ab ipso ueniam & misericordiam postuletis. Ille etenim exoratus, usq; ad terminũ prædestinatũ uobis hic sæculi prosperitatẽ, deinceps cuiq; scilicet suũ meritum tribuet. Sin aũt, super uos ad Deum omnipotentẽ redituros, qui uestrę uocis cordisq; uariã dissonantiã uobis inhærẽtem perspicit, diei magnę malum proijciemus. Deus quidem cœlum & terrã sex diebus perficiens, cuius super aquas sedes prius extiterat, & à quo solũ omnis creatura uictũ accipit, qui rerũ omniũ loca præsentia futuraq; dinoscit, uos in terra cõstituit, ut qs uestri melius operaretur, agnoscat. Si post mortẽ eos resurrecturos dixeris, hic nihil nisi fantasiã & incantationẽ manifestã esse perhibebũt: dicũtq;, me nequaq; potentẽ illis malũ immittere, cũ illis euentũ usque ad determinatã horã differo. Sed sciat omnis, hoc ꝓaciter futurũ esse, licet incredulí hoc derideant, & ulterius nunq; auferendum: Si post bonum à nobis eis datũ, eius subtractionẽ seu malum ingesserimus, hoc eos ad incredulitatẽ & cor malũ diuerget. Si post malũ habitũ, bonum eis per nos acciderit, gaudẽtes ostentant, à se peccata sua recedere, exceptis patientibus atq; beneficis, qui ueniã plenũq; gaudiũ sunt habituri. Sed fortassis tuo cordi tædiosum atq; difficile uidebitur, cũcta præcepta nostra patefacere. Vnde quærẽt cæteri, an tibi datus sit thesaurus cœlitus, an angelorũ aduẽtus? Tuũ aũt nõ est, nisi tantũ iuncta tibi illis nunciare, Deo oĩm cognitore. Dicẽtes hoc à te fuisse cõpositũ, tales decẽ azoaras quolibet aduocato, nisi solo Deo, afferãt, ut sic suũ dictũ probẽt esse possibile: Sin aũt, hinc diuinæ sapiẽtiæ positũ esse cõfirmẽt. An creditis in Deũ, præter quẽ nõ est alius? Omni quidẽ uitã istã, huiusq; sæculi decorẽ diligenti, facta sua nõ minuẽdo, præmiũ hic persoluemus: sed in sæculo futuro nullũ bonũ pro factis suis recepturus, nil præter ignis feruorẽ habebit. Oẽs aũt Dei recto procedẽtes tramite, per testes cõfirmato, quibus est lex Moysis, iã præmissa docens, & condonans credentibus illi, bonũ possidebit. Incredulus autem, & deuius, ignẽ. De ueritate præceptorũ eorũ tibi missorum, quanq; plures nõ credant, tu nullatenus hęsites. Imponentes Deo mendaciũ, sicut pessimi, à pietate dilectioneq; diuina repellũtur. Quis enim illis est deterior? Incredulis semper, atq; fidem uiamq; Dei sponte linquẽtibus, in sæculo futuro malũ, nullo subueniẽte uindice, duplicabiẽ, quia nec audire nec uidere poterunt. Qui suas animas hic operando, & uerbis errando

*De origine rerum opinio.*

*Resurrectioni mortuorũ cõtradicentes.*

*Simplex credulitas requiritur.*

*Antè prouocauit ad unius Azoare compositionẽ: nũc ad decem, forte conditionẽ aspernatus.*

*Malorũ prosperitas nõ est felicitas uera.*

errando perdunt, ueraciter sæculo futuro perdentur: Credentes autem, & benefacientes, & ad Deum se cõuertentes, paradiso perseuerabunt. Horum quidem membrorum est assimilatio, quasi cæci & surdi, ac uidentis & audientis. An hæc æqualia & similia memoratis? Noë quidem iam suæ genti castigatorem, clarumq; doctorem cum præceptis nostris misimus: quo persuadente, ut unum solum Deum inuocarent, quoniam eis magnæ diei malum futurum timebat, eorum plurima pars incredula dixit: Te quidem nõ aliud quàm hominem, sicut nos, nec plus quàm nos sublimatum, nec alios quàm nostri deteriores, nulliusq; consilij te sequi uidentes, te mendacem opinamur. Inquit ille: Ego forsan uiam Dei rectam per suam misericordiam mihi datam proficiscor, quod uos cæci minime perspicitis. An uero nolentes ad eam cogemur? A uobis quidem inde nullam, sed à Deo solo mercedem expecto. Vnde nequaquam credentes, quomodo Deo counientur? Sed uos brutos & inscitos à me repello. Quis enim à Dei uindicta me tueretur, si bonos homines reijcerem? An nulla memoria solidati estis? ¶ Nec apud me thesaurũ Dei depositum, nec me angelum esse, nec Deum non daturum illis bonum, quos uos irridetis, quoniam suorum scit arcana cordium, nunquam perhibebo: quoniam malis annumerarer. Illi quidem indignantes responderunt: Hoc nimia disceptatio terminetur: tuq; pollicita uirtuosa miranda q;, si uerax es, perfice. Dixit Noë: Nullus præter Deum si sibi placuerit, cum his uirtutibus ueniet. Qui si uos uiam malam aberrare fecerit, cum ipse sit Deus uester, ad quem omnium fiet reditus, nec meum consilium, nec ammonitio prodesse poterit, cum iam etiam impotentes stupidiq; sitis uos. Deinceps præcipientes Noë, ne contristaretur nimium pro factis humanis, eo quod plures fidem iam adepti minime crederent, ut arcam iussu præceptoq; nostro non præmuniens incredulos & malos, ut summergerentur, fabricaret, iniunximus. Ipse itaq; parens, maiori suæ gentis portioni ridiculum inde facienti dixit: Vos illudentes me, ego quidem irridebo, uidebimusq; malefactorem, & cui dedecus perpetuum incumbet. Ipse quidem ammonitione nostra, omnium rerum duo parilia, cum mandati nostri signum, aqua uidelicet emergens decannos apparuit, in arca reposuit, omnibus pereuntibus præter admodum paucos, cum eo credentes in Deum. ¶ Noë cum Dei nomine, per quem motum atq; stationem habebat, arca eũ per montes quasi per undas uehens, in ipsam conscendens, filium suum in alia parte stantem aduocans ait: Fili, nobiscum equita, nec sis ulterius incredulus. Qui respondens ait: Ad montem, qui ab hac aqua me proteget, ego proficiscar. Cui Noë: Nisi cui Deus misericordiam fecerit, nihil omnium rerum hodie saluari poterit. Eos ita colloquentes, interueniens unda disgregauit. Nobis tunc imperantibus terræ, ut aquã emitteret, cœloq; ut pluuiam demitteret, facta est Dei mandato aquarum congregatio, montes ipsos transcendens. Me imperante incredulis, ut se remouerent, inquit Noë: O Deus, omnium sapientum doctor, cuius omne mãdatum est ueracissimum, præcipe de mea gente meum filium esse. Cui Deus sic respondit: Tuus filius minime de tua gente dicentibus, quia nequam est atq; peruersus, nec tu quicquã à te nescitum ulterius à me postules. Te brutum enim & insciũ esse nolo. Dixit itaq; Noë: Tibi Deus me commendo, uouens me nil perscrutaturum, quod scire non debeam: Et nunc supplici uoto precans, ut ueniam et misericordiam, ne sim perditus, facias. Noë rursum finito diluuio diximus,

*Fidelium & infidelium collatio,*

*Noe diluuio superstes memoratur, fabulis admixtis.*

*Curiositas Noe à Deo castigatur.*

*Aliter quàm Gen. 8. & 9.* Cum salute tuorumque saluatione descẽde, sitq; super te gentemque tuam multiplicatio magna. Erit autem hic tua gens, terras diuitiasq; possidens & iudicans, usq; quo malum item magnum illis immittemus. Hæc sunt Dei secreta, quæ ante tempus hoc à te genteq; tua sciri non poterant. Tu quidem patienter indura, quia finis est timentium Deum. Genti quoq; Haath frater suus Huth ita persuadet: O gens Deum inuoca, quem, non alium, deum habetis, quæ nunc es solum falsitatis prolatrix. ¶ Ob istud à solo Deo mercedem, non à uobis, cum sitis indiscreti & inscij, postulo, Deum supplici uoto precamini, ut uobis peccata uestra dimittat, & imbrium abundantiam inducat, uestrisq; uiribus inde accumulet, ne post fidem adeptam sitis unquã increduli. Responderunt: O Huth, nos quidem pro uerbis tuis quibus nõ credimus, minime refutabimus quod adoramus, cum tu nequaquam cum miraculis & uirtutibus accedis. Opinamur enim aliquem eorum, quem adoramus, tibi plurimum nocuisse. Quibus ipse Deum testor, me liberum ab illis quos adoratis existere, & omnium expertem, nisi tantum solius dei, qui est dominus meus & uester, cui omnis mundana creatura subiugatur: Ipsiusq; est omnis uirtus uiaq; recta. Vnde uos mihi commendato ipsi deo, pro uestra facultate potentiaq; nullatenus me præmunientes nocete. Si cõuerti nolueritis, post dei præcepta nobis applicata dictaq;, alios uestri uicarios in terra cõstituet Reus omniũ custos: nec uos ei nocere poteritis. Huth quidem, ipsiq; credentes, à magno malo nostra pietate subueniente proteximus. Homines uero Haath suo † legato resistentes, & contradicentes, mãdata grauiũ hominũ atq; mendaciũ secuti, ob incredulitatẽ suã repulsam hic, sæculoq; futuro sortiti sunt. Gẽti quoq; Themuth suus propheta Schale sic locutus est: O gens Deum, præter quem creatore cares, qui te de terræ limo plasmauit, uitæq; spacium in terra tribuit, adora, ueniamq; postula, pollicẽs te nil mali facturam ulterius. Ipse namq; præsens est, respondere paratus. ¶ O Schale, nos tibi plurimum hucusq; confisos, ob hoc quod fratres nostri inuocauerunt, deijcere studes, cum de hoc quod tu nobis prædicas, nos dubitantes ei minime credimus. Respõdit ipse: O gens, unde tibi scire cõtigit, utrum rem à Deo mihi sua pietate datam non imiter? Quis me nõ agentem Dei præceptũ, cõtra ipsum tuebitur? Vos quidem nil nisi damnum mihi generatis. Hanc Dei camelã pro suo modo in terra dei comedere sinite, nullũ ei malum inferentes: Sin autem, in proximo uos malũ percutiet. Illis autem eam percutientibus, dixi: Omne placere uestrum in domibus uestris per triduũ efficite. Hic enim terminus uobis indubitanter positus est. Eo quidem finito, Schale, secumq; credentes, ab illius diei malo mea pietate saluans, hominibus mihi cõtradicentibus à gratia mea repulsis, uidelicet Themuth, suisq;, malum terræmotus intulimus. Vnde facti sunt quasi nunquam essent. Abraham meis nuncijs sibi missis, gaudiũ atque salutem afferentibus, uitulum saginatum attulit. Sed illis manus suas non apporrigentibus, hic stupidus & timidus factus est. Illi uero dicentes, se non nisi ad Loth suamq; gentẽ missos, sicq; solatium & securitatem illi tribuentes, mulieri suæ adstanti ridentiq; dixerunt: Isaac filium paries, unde Iacob orietur. ¶ Hoc à Deo miraculum quomodo fiet, cum ego sim annosa, martiusq; meus senex? Respõderunt illi: Hoc quidem minime mirandum, Deo uolente, uobis grato atque benefico, cuius misericordia munifica super huius domus gentem descẽdit. Illi sic gaudij nuncij facti, cum Abram iam facto securo, mitti, nõ iracundo,

*Imò ante te Moses rectißimè ista perscripserat.*

*Haath & Huth, ut suprà.*

*†Nuncio Huth.*

*Schale propheta gentis Themuth.*

*Ineptit super camelo.*

*Abraham ut angelos hospites acceperit, exponit: sed discedens à Mose, Gen. 18*

bonorum

bonorum uerborum credulo, de gente Loth disceptantes Abraham ammonent, ne causam illorum ulterius tractet : Quia Dei mandato malum eis nunc inferetur, nunquam eis auferendum. Eis itaq; deinceps ad Loth uenientibus, dolor & angustia cor eius oppresserunt. Illis etenim hospitatis, uenit gens sua, scelere nefando prius imbuta, perscrutatum illos. Quam Loth taliter affatus est : Has meas filias uobis aptiores & mundiores assumite, Deum timentes, nec meos hospites dedecoretis, licet nullus uestri discretus, seu legis obseruator existat. Illi uero respondentes, dixerunt: Constat quidem apud te, nos minime filiabus potituros, & quid facere uelimus. Quibus ipse respondit : O si super uos potentiam obtinerem, uel esset adiutor, quem inuocarem. Tunc eruperunt nuncij, dicendo : O Loth, nos solius Dei sumus nuncij, ad quos ipsos applicari minime fas est. Tu uero in termino noctis proposito, aurora uidelicet propinqua, cum tota tua gente, præter tuam mulierem, idem quod cæteri passuram, surgens discede. In proximo namque, post horam scilicet prænominatam, summa deorsum, & infima sursum uertemus, & super eos silices acutas & luteas pluere faciemus. Sicq; factum est. ¶ Gentem Madian suus propheta Schaibe sic allocutus est : O gens, Deum inuocá, qui, non alius, est uester Dominus : ipsiusq; præcepto, licet auari sitis, unde timeo uobis diei futuræ malum, pondus atque mensuram implete, & res cuiusquam nequaquam utilipendite, nec terras uastatum pergite. Quia Dei residuum, si creditis in ipsum, uobis est melius atque commodius : nec ego uester custos semper existam. Responderunt illi: O Schaibe, Præcipis ne nos dimittere, quod patres nostri inuocauerunt ? Es ne mitis, & prouidus, atque discretus? Respondit ipse: An scire potestis, utrum ex parte Dei sim? Quo mihi uictum bonum prębente, uestrum à me discessum minime, sed mandati diuini uobis per me patefacti perfectionis studium affecto. Quia pro posse meo Dei uiam, cui me commendo, & ad quem rediбo, uobis patefaciam, & ad eum dirigam, nec uobis difficultatem siue molestiam mea uerba pariant : sed Deum precamini, pœnitentiam agendo, pium ueniæq; datorem. Sin autem, uos incurretis passiones gentis. Noë, seu gentis Huth, seu Schale, seu Loth, quæ nequaquam multum remota est. Illi quidem hæc audientes, dixerunt: O Schaibe, cum tu sis debilis & ignobilis, te paruum appreciantes, à gente nostra prorsus eijcimus, nec de tuis præceptis quic quam retinemus. Respondit ipse: Ad meam generositatem plus quàm Deum ipsum attenditis, omniaq; complectentem post terga proijcitis. ¶ Vos itaque pro modo uestro facite, uelut & ego meo, expectantes, & ego, quis uestri probabitur mendax, malo dedecoreq; superincumbente. Ipsum itaq; Schaibe, suosq; factores, termino statuto liberantes, malos & incredulos ad nihilum redigendo, quasi nunquam essent, suas domos fundítus diuulsimus. Moysi quoque cum præcepto nostro uirtuteq; magna ad Pharaonem gentemq; suam misso, Pharao resistens, suamq; gentem distorquens, ipsa uolente, ipse dux illius in aliud sæculum, & ignem, locumq; malum effectus est. Illis autem in hoc sæculo repulsam & letum, & in alio malum multimodum patientibus, nos minimè nocuimus: sed ipsi suis animabus detrimentum operati sunt. In mortis quidem articulo, & malorum euentu parum eis profuit, sed immoderate nocuit, quod Dei loco adorabāt. Omnium quoque uillarum diuina captio grauis est, & ineuitabilis. ¶ Hęc

*Gen. 19. Sodomæ scelus punitum.*

*Schaibe Madianitarum propheta.*

*Pharao Moysen utilipendens à Deo punitus.*

quidem satis sunt admiranda, timentibus malum illius diei: qua post terminum præscriptum adueniente, omnium coram Deo fiet congregatio, nec quispiam, nisi diuino nutu quid loquetur, ubi felicitas & infortuniũ omne patefiet. Infortunati namq; nisi quos ipse Deus uoluerit, omnia sciens prout uult, ignem gementes ingredientur, quo dum cœlum terraq; durauerint, perseuerabunt: Et per spacium consimile felices omnes, quos Deus uoluerit, paradisum obtinebunt. De his qui nihil nisi quod sui patres adorauerũt, inuocant, nil dubites, quin sibi partem suam absque diminutione reddamus. Nisi Dei uerbum præscriptum firmum esset, & immutabile, eos qui libro Moysi contrarietates inferunt, cæterosq; similiter dubitantes, Deus ipse iam iudicasset, omnia sciens, omnibus sua reddens opera. Tu igitur te, credentesq; tecum, sicut nos præcepimus, corrige: nec se unquam inde diuertat quispiam, cum Deus omnia uideat. ¶ Nolite uos male gerentibus associare: Sin autem, uos comburet ignis, omnis adiutoris expertes. Coram deo in diei capitibus, parteq; noctis, ad peccamina delenda, bonaq; commemoranda, orationes fundite, expectantes mercedem, quam nemini Deus auferet. Si generationum præteritarum, eorum paucorum qui liberati fuerant, quis residuus esset, ne malum in terra fieret, præciperet. Sed malos, nil nisi sectam patrum suorum sequi uolentes, Deus ipse confundit, uillas suas pessundare nolens, ne bonis hominibus iniuriam inferat: quo uolente, tota gens una fieret. Sed inerit semper contrarietas, nisi quibus Deus ueniam & misericordiam fecerit: Cuius uerbum indubitanter complebitur, uidelicet quod infernus de diabolis omnibus & hominibus replebitur. Inibimusq; sermonem cum omnibus de nunciorum nostrorum præceptis, ut corda uestra firmentur, & in hac re ueritatem, & castigamen, atq; memoriam credentibus uideat. Incredulis autem dicito, uestra negotia pro modo uestro facite, expectantes, & ego mea similiter peragam. ¶ Dei sunt arcana cœli & terræ, ad quem omnia mandata redeunt. In eum credite, uos commendantes illi, quoniam ipse factorum uestrorum non est negligens:

*Patrum cæcozeli.*

*Homines eruditantur per Machumet.*

*Sodalitiũ malorum cauere iubet.*

*Orationes.*

*Damnatorum multitudo.*

## AZOARA XXII.

Libri Alchoran Arabice facti, spe nostræ conuersionis atq; scientiæ res discernentis, hæc suut manifesta. Nunc autem omnium uerborum tibi missorum pulcherrimũ enarrabo ijs, qui prius negligẽtes atq; secordes extiterant. Quãdo Ioseph patri suo retulit, se uidisse XI. stellas, & solem & lunam, se illi humiliãtes, inquit pater: fili, somnium hoc fratribus tuis ne reueles, ne per inuidiam tibi quicquam molestiæ machinentur, diabolo suggerente, hoste manifesto totius humani generis. Deus quidem sapiens & excelsus te uerborum expositionem docebit, te bono replẽs, & super gentem Iacob patresq; suos te sublimabit. Audiant omnes, quid mirabile Ioseph fratribus suis contigit. Fratres enim percipientes nimiam dilectionem paternam in Ioseph, dixerunt: Cum eum solum pater plus diligit, quàm nos gentem immensam, ueraciter errat. Nos igitur eum interficiamus, aut è terra proijciamus. Sicq; fiet pater deinceps nobis mitis & hilaris, & nos in eum boni. Eorum autem quidam eius mortem dissuadens, inquit: Non perimatur Ioseph, sed in cisternam, si uelitis, dimittatur, ut aliquis euntium uel redeuntium eum inueniens, hinc auferat. ¶ Fratres huius rei studiosi, patrem suum sic affati sunt. Quare Ioseph, cum eum summe diligimus, nobis nunquam committis? In crastinum nobiscum, pastum mittatur, & nos illius

*Res Ioſephi ex Gen. cap. 17. &c. deprauatè replicat.*

fideles

fideles custodes erimus. Mane itaq; facto, in eorum exitu inquit pater: Doleo te illos comitari. Timeo namq;, quod lupi rapaces, te cum sis inscius & negligens, deuorabunt. Cui fratres responderunt: Si lupus eum comederit, nos genti perditæ connumeremur. Eo itaque illos comitante, consilio ponendi eum in cisternam omnes adhæserunt. Nos tamen mandatum patri, unde percipiat istud, interim misimus: sed ipse tum negligens ipsius, tum inscius, remansit. Fratres crepusculo lachrymando redeuntes, in huiusmodi uocem eruperunt: O pater, Ioseph nostræ fidei traditum, cum nostro pecore relictum lupus deuorauit. Et argumentum inde, interulã suam falsò cruentatam, afferunt, dicentes: Ecce pater argumentum cędis uerax, tu licet nobis fidem minime adhibeas. Pater respondens, inquit: Vos quidem hoc factum in corde uestro uoluistis: sed ego patienter atq; †formosè sustinebo, & Deum adiutorem in hoc, quod uos dicitis, habebo. Viatoribus uenientibus, & suum clientem ad aquam hauriendam mittentibus illis, ipse bonũ retulit nuncium dicens: Ecce puer hic captiuus est. Fratres uero sui dicentes, eum suum captiuum esse, eum pro precio modico, uidelicet pro nummorum numero certo uendiderunt, sibimet ipsis malefacientes. ¶ Emptor suus de Mezara, suę præcepit mulieri, ut eum diligenter & honorifice susciperet. Sperabat enim illum filium suum adoptiuum, aliterue sibi commodum futurum. Ita Ioseph in terram duximus, adiuuantes eum in omnibus suis negotijs, quanquam paucis id scientibus, ut uerborum expositor optimus efficeretur: Ipsiq; iuueni facto, sapiẽtiam attulimus. Sic enim boni promerentur. Mulier autem prædicta ipsum in thalamo suo repertum, ostium claudens precata est, ut secum cõcumbere non respueret. Cui ipse dixit: Nolit Deus, me lædere dominum meum, mihi benefacientem: seu Deũ, malos nõ exaudientem. Ferè tamen utriusq; consensus affuit, anteq; Deus illi, quoniam de nostra gẽte pura fuerat, rationem incluſit, quæ maliciã illã penitus diuertit. Ipsum itaq; fugientẽ mulier insecuta est, quę manũ suã inijciens camisiæ suæ, retrorupit eam. Quo facto, domino suo ad ostiũ facti sunt obuiã. Illa quidẽ prius in uocẽ erumpẽs, inquit: Quid meretur, tale quid à me petẽs, nisi carcerem, malũue graue? Ille uero dixit: Ipsamet me precata est. Ad hanc rem discutiendã homines, illius mulieris aduocati iudices cõijciebãt, hoc apparere uerũ, illumq; mẽdacem cõuinci, si camisiæ pars anterior rumperetur: omnia uero conuersò iudicari, parte posteriori rupta. Illi deinceps rupturam antè perspicientes, perhibebãt hoc de fœmineis artibus esse, quę maximæ sunt: persuadentq; Ioseph, ut ab illa re se diuerteret: mulieri aũt, ut ueniã, quoniã erraſit, postularet. Hinc inter mulieres ciuitatis crebra cõfabulatio nata est, dicẽtes: En en illius sublimis atq; prę lati mulier, suũ seruiẽtem diligens, eius concubitum precata est: Et sic eorum uterq; uiã erroneã ingressus est. ¶ Illa uero huiusmodi rumorum uentilationem percipiens, condoluit, illasq; mulieres adduci præcepit. Eis quidem lectisternia, ut accumberent præparauit, & earum cuiq; cultro dato, Ioseph coram uenire fecit. Quo uiso, omnes menstruatæ sunt, & sibi quoq; manum suam secuit. Eis itaq; dicentibus, nolle Deum illum hominem esse, sed de melioribus & clarioribus angelis, illa respondit: Hic est, unde me redarguitis, qui me eius precantem concubitum non exaudiuit. Et si meum mandatum cõplere noluerit, ipsum incarcerabo, & ad infimorum mensurã reprimã. Ille quidẽ hoc audiens, inquit: O Deus, illum carcerem malo, quàm precantẽ me. Sed nisi

†Formosè pro moderatè, ut alibi etiam.

Artes fœmineæ.

O fœdum & obscœnum prophetam.

ſuas artes à me diuerteris, forſan ego brutus effectus cum ea peccabo. Deus quidem eum exaudiens, qui eſt omnium conditor & auditor, artes ab eo ſemouit. Re manifeſtè percepta, ut uiſum eſt eis hunc uſq; ad horam certam incarcerandum, duo cum eo iuuenes in carcerem detruſi ſunt. Quorum alter deinceps dicens, ſibi uideri ſe uinum expreſſiſſe, alter uero ſe panem ſuper caput portare, unde aues comedebant, precati ſunt Ioſeph, ut ipſe ſe bonũ probans, quid illa uerba prętenderent, diligenter exponeret. Ipſe autem eos certiores, ſibiq; magis credentes facere intendens inquit: Non dabitur uobis quid ad comedendum, quin ante ſuum aduentum ſuã expoſitionem ediſſeram. Hoc enim me Deus docuit. Quoniã gentẽ nec in Deum, nec aliį ſęculo credentem, dimittendo, ſectam patrum meorum ſecutus ſum, ſcilicet Abraham, Iſaac, ac Iſmaël atq; Iacob: nec cuiq; noſtrũ accidit, ut Deo ſociũ ſtatueremus. Hæc eſt enim eius ſuper nos uoluntas. Sed plures hominum ingrati ſunt. Vos mei carceris ſocį percunctor, an deos diſgregatos meliores, an unum ſolum Deum omnipotentem & uirtuoſum eſſe dicitis? Vos autem nihil niſi nomina à uobis patribusq; ueſtris præſcripta, cum quibus Deus, cuius ſolius ſunt iudicia, qui ſe ſolum adorari præcepit, nullas uirtutes poſuit, inuocatis: legem uero à Deo ſancitam plures neſciunt. ¶ Sit hoc quidem conſtans atq; manifeſtum cordibus ueſtris, quod alter ueſtri, domini ſui pincerna ſtatuetur: alter uero ſuſpendetur, de cuius capite comedent aues. Ita ſibi ſuis patefactis ſomnijs, ei quem liberandum agnouit, inquit, Me nominando, tuo domino notifica. Sed quoniam diabolo ſuggerente, hęc iniungendo Deum nominare oblitus eſt, in carcere nouem annorum ſpacio moratus eſt. Tunc rex per ſomnium uidens ſeptem uaccas macilentas deuorare ſeptem pingues, ſeptemq; ſpicas ſiccas conſumere VII. uirides, hominibus ſuis cõuocatis, ut ſuum exponerent ſomniũ, ſi ſcirent, iniunxit. Illi quidem cõfitentes, ſe talium expoſitionũ ignaros, hoc inſomnium eſſe putabant. Tunc tandem à carcere liberatus, ad memoriã ductus, inquit: Si ad Ioſeph ueridicum me miſeris, uerã hic tibi expoſitionẽ referã. Ad Ioſeph itaq; nuncij trãſmiſſi, ſomnij ſibi reuelati uerã expoſitionẽ inde requirunt, ne rex ulterius inde ſollicitet. Dixit Ioſeph: Septẽ annis cõtinuis ſemina terræ cõmittite, indeq; ſpicarũ collectarum minimã portionem comedite, cæterasq; ſpicas cõſeruate. Septem enim anni graues ſuccedent, cõſumpturi prius ſeruata, niſi modicũ à uobis reſeruatum. His ſuperueniet annus hominum penuriam alleuiaturus, fructus & uuas laturus, quibus hominũ multi liberabũtur. Hac expoſitione corã domino recitata, eum adduci ante ſe præcepit. Ipſe uero nunciũ uenientem, ad dominum redire fecit, ut ſciſcitaret, cuprę dictæ mulieres manus ſuas ſic ſecabant: quarum artes Deus ipſe dinoſcit. ¶ Domino quęrente, quid habebant, quãdo Ioſeph cõcubitum poſtulabãt: per Deum iurando cõfirmabant, ſe mali in eo nihil percepiſſe. Tandẽq; regis mulier inquit: Ad ueritatis euidẽtiam, me precatã eius coitũ, eumq; recuſaſſe confiteor: Huiusq; ſecreti ipſe uerax eſt teſtis, & Deus, mendaces abhorrens. Nec ego quidem nego, animam hominis malorum ſtudioſam eſſe: Sed Deus pius ueniæq; dator, mihi miſericordiam largitus eſt. Tunc rex eũ adduci iuſſit, ut ſuus ſeruiens efficeretur. Illum igitur adductum alloquens, eum coram omnibus prælatum & ſublimatum, fidelem ſibi ſeruientem effecit. Quem Ioſeph ſic affatus eſt: Pone me cuſtodem atque ſcientem ſuper omnia granaria, atque depoſita regni tui: Et ego ſingũla more boni cuſtodis

*Ioſeph nouem annis in carcere incluſus: quia ſe commendans pincernæ, Deum non nominauit.*

*Non rex fuit, ſed regius præfectus.*

dis tractabo. Ita Ioseph terram, quo uelle suum impleret, præbuimus, qui cuilibet electo misericordiam utriusq; sæculi largimur, nulli bonum opus auferentes. Omnes quidem credentes, atq; timentes alius sæculi, misericordiam præferunt. Deinceps suos ad se fratres uenientes, non cognoscentes eum, Ioseph optime nouit. Qui ipsis discedentibus cum illo, propter quod uenerant, iniunxit, ut fratrem suum ex paterno sanguine secum redeuntes adducerent. Sin autem, ulterius non accederent, uelut nihil habituri, persuasione dicens: Nonne uobis mensuram optimam, & pro leui precio tribui? Illis itaq; pollicentibus, se patrem suum exoraturos, ut id in actum ducant, clientibus suis Ioseph præcepit, in eorum sarcinis suam reponere pecuniam: ut ipsa reperta, facto reditu, domum libentius & festinantius redirent. Ipsi igitur ad patrem reuersi, sic eum allocuti sunt: Nobis interdicuntur reditus atq; mensura, nisi fratrem nostrum adduxerimus. Eum itaque nobiscum mitte, nostræ tutelæ fideiq; commissum. Vnde pater indignans, ait: An eum, sicut fratrem suum, uestræ comittam custodiæ? Deus quidem piorum pijssimus, melior custos adhibetur. Post sarcinarum apertionem, deinceps sua reperta pecunia patrem lætificant, eam sibi redditam ostendendo. Eoq; sic hilarato, fratrem suum secum ductum exorant, affirmantes se propter eum cameli sarcinam sumpturos, & eum insuper ueraciter reducturos. Pater quidem asserit, eum minime tradendum illis, nisi prius ex parte Dei † reductus firmitate sumpta, nisi quis eis uim uel iniuriam inferret. Firmitatis itaque fœdere sumpto, Deo cunctorum custode, pater illos ammonens, inquit: O filij, per portas uarias minime, per unam ingressum facite. Ego quidem, cum Dei solius omnia sint iudicia, cuius tutelæ me commendo, cuius præsidio omnes boni subiacent: si quid ipsius nutu uobis accidat, depellere nequibo. Ipsi pro paterna dispositione portas ingressi, nihil molestiæ senserunt. Animo uero Iacob inerat sollicitudo pro dogmate nostro, cuius ipse testis est, quanquam pluribus inscijs. Ioseph deinceps fratri suo sibi præsentato, se suum fratrem esse reuelabit, prohibens ne cuiquam hoc reuelaret, & ne de factis fraternis multum curaret. Emptione facta, illis discedentibus, in sui germani sarcina uas regium reposuit, edictoq; facto, missisq; perscrutatoribus, illis sumptis inquit: Vos uiri latrones. ¶ Responderunt, Quid quæritis? Dixit Ioseph, Vas regium: quod quisquis attulerit mihi, sui cameli sarcinam accipiat, & insuper illi benefaciam. Illi uero responderunt, adscisentes præsentium testimonium, se nec causa terram prædandi aduenisse, nec latrones existere. Istisq; querentibus, Quid meretur, in cujus sarcina repositum fuerit, si mendaces essent, cæterisq; permittentibus quamuis aliquid exigeret. Tũc omnibus sarcinis perscrutatis, deinde in germani sui sarcina repertum est. Ita Ioseph artem sumendi fratrẽ suum patefeci, exaltans singulos pro uelle meo, & sapientem sapienti præferens. Adstantes quidem, illos increpando dixerunt: non mirandum, si furtum fecerint, qui prius similiter fratrem suum subduxerũt. Ioseph hoc quidem uerbum intrinsecus amplectente, nec inde quicquam proferente, responderũt: Vos deteriores estis, uestrumq; sermonem Deus agnoscit. Et ad Ioseph conuersi, sic fati sunt: Domine, cum tu uir bonus & iustus uidearis, loco sui quempiam nostrum accipe. Adhuc enim illi pater senex superstes est. Quibus ille respõdit: Nolit Deus, nos quenquam nisi latronem sumere. Sic em̃ iniuriã faceremus. Fratribus itaq; liberatis, & de retẽti nullo reditu-

Gen. 42. &c.

† Reductus nemẽ ut reditus.

certis, maior eorum conquerens dixit: Nonne scitis, nos patri ex parte Dei confirmasse, sui reductum filij: qui de Ioseph opus cõsimile perpetrauimus? Terram nullatenus ingrediar, usq; quo ueniam à patre, reditusq; præceptũ habere merear: Aut Deus suum inde iudicium faciat. ¶ Ad patrem reuertite, dicentes: pater, tuus filius furtum perpetrauit, prout nobis uisum est, secretum & occultum, inde nescientibus. Nos quidem nil nisi uerum dicere, tum uilla apud quam fuimus, tum cohors nobiscum rediens interrogata, testis aderit. Pater igitur hoc audito, dixit: Cordibus uestris secreta reprimitis. Ego quidem pulchre patiar, usq; Deus sapientissimus illos ambos forsan reducet. Et de Ioseph conquerendo, & illum assiduè nominãdo, lachrymarum emanatione iugi oculi albugine uelati, ipseq; miser factus est, quẽ sui filij interrogabant: An Ioseph usq; ad amentiam mortemúe tuam nominare non desines? Quibus ipse: Soli Deo meam querimoniam facio, à quo uobis ignorata percipio. Sed uos obsecro filij, ut rumores de Ioseph fratreq; suo nullatenus desperantes (incredulí namq; soli desperati sunt) perscrutatum proficiscamini. Tertio itaq; profectis, & ad Ioseph peruenientibus, dicendo: O uir sublimis, nobis malum & gente nostra perpessis, pecunia minutis mensuram adauge, dando beneficium. Benefici namq; Deo grati sunt. Ipse respondit: Vtrum facti uestri de Ioseph memores estis, an oblíti? Responderunt: Tũne es ille Ioseph? Inquit: Sum, & hic est frater meus. Iamq; Deus suam in uobis operatus est misericordiam: qui nunquam suum meritum aufert timenti, & benefacienti, ac perseueranti. ¶ Demum sui fratres confessi sunt, eum super illos sublimatum, & se quàm longius aberrasse. Ipse uero consolans eos, dixit: Nolite contristari, nec dolore tabescere. Hodie namq; Deus, ueniæ largitor optimus, uobis ueniam præbebit. Hanc meam camisiam patri nostro ferentes, in eius faciem, ut lumen percipiat, proijcite, & cum omni familia uestra huc redite. Iam cohorte proficiscente, pater suus inquit: Odorem Ioseph filij mei ego sentio: quãquam uos minime mihi creditis. Cui adstantes, dixerunt: Adhuc senectutis errore deliras. Sed gaudij nuncio ueniente, ipsoq; uisum per camisiã in faciem proiectã recuperante, dixit ipse: Nõne me de Deo scire uobis nescita firmaui? Responderũt: O pater, dimitte nobis peccata, quoniã errauimus. Quibus ipse pollicetur: Deũ ueniæ misericordięq; datorẽ ego precabor, ut uobis ueniã largiatur. Eis deinceps omnibus ad Ioseph proficiscentibus, parẽtibus suis ab eo honorifice susceptis, inquit: Mezarã introite, totius, Deo propitiante, timoris expertes futuri. Eisq; super sedem suã exaltatis, omnes corã eo humiles se reddebãt. Hoc facto patrem suũ affatus est: O pater, præteriti somnij hęc est expositio, à Deo iam uerificata, qui mihi benefaciens, è carcere liberauit, & uos ad me duxit, post diabolicã cõmixtionem inter me fratresq; meos. Ille nãq; sapiẽs, omnia perspicaciter & facile penetrat. ¶ O Deus cœli terræq; cõditor, qui mihi potestatem dedisti, & uerborũ expositionem docuisti, hic, sæculoq; futuro tibi me cõmendo, tuq; perfice me fide perseuerãtem mori, & deinceps bonis associa. Istud tibi uerbum secretũ cõmitto, qui nequaq; intereras illis res suas cõgregantibus, qui te decipere nitebãtur. Licet enim omnia perpetrares, tota gẽs tibi nequaquam crederet. Tu uero precium nullum eos postula, nisi tantum, quod memores existant, perpendentes uniuersa cœli terræq; transitoria esse. Eorum tamen pars plurima minime credit, sed à fide se nequiter diuertit, præter constantes & firmos, non timens, quid mali illis

*Ex recitata historia Iosephi fidem sibi cõciliare studè nititur.*

à Deo

Deo futurum,nec aduentum illius horę improuisę,Deum quidem solum adorare,suisq; præceptis †adhærere,ut ego meiq; sequaces facimus. Non eñ sum incredulus. Recta uia recte censetur. Ante te quidem prophetas misimus, ut hominibus de uilla prædicarent, & quis suorum anteceſſorum finis esset,edocerent, & patefacerent, aliam curiam timentibus Deum meliorem existere.Sed nos uestrã insciti am nequaq; reliquistis. Vnde illis tandem desperantibus,& omnes esse contradicturos opinantibus,nos uindictã nostram sumpsimus ab illis malis, nunq; malum oblaturi, nostris amicis liberatis atq; saluatis.¶ Hæc quidẽ prædicta timentibus Deũ maxime mirãda sunt. Hic eñ sermo nõ est ficticius,sed cõfirmans atq; corroborans quod uestris inest manibus,omnia discernens,& uiã rectã credentibus patefaciẽs.

† Vel comparere.

AZOARA XXIII.

HVius uoluminis præcepta,& cætera tibi cœlitus missa,licet pars plurima maneat incredula,ueracissima sunt. Deus cœlum,columnis uisibilibus minime fulcitum,extulit.Et deinceps ipse thronum ascendens,solem & lunam ad terminum statutum promoueri iussit : rerumq; prouisor, discretionem uobis immisit , qua uestrum reditum futurum ad Deum perpendatis.Ipse quoq; terram extendens,in ea montes & aquas & omnium arborum duo parilia,hortos item & uineas,ac messes & palmas, tum singulorum fœtum,tum uarios parturientes,pomosq; dissimiles dispositit,noctẽq; diem succedere præcepit , quæ cuncta sapientibus atq; discretis manifesta sunt miracula.Omnis autem admirans illa,maximè uerba sic dicentium admiretur:Nos terra facti,quomodo rursum efficiemur homines?Hoc dicentes,in Deum minime credunt. Vnde plus ad malum quàm ad bonum proni,colla cathenati grauiter in igne perseuerabunt. Deus tamen,cuius finis grauis est, mala quibus uult ignoscit. Sed iam bono cœlitus misso, dicent incredulí:Si Dei præcepta illis mitterentur,tuum quidem est solum applicare mandatum. Deus quidem sapiens & immensus,fœtum omnis fœminæ, uel quid addat seu minuat, agnoscens, cum apud eum sit omnium rerũ mensura,cunctorumq; secretorum noticia,scit quid cuiq; gentium facturus sit. ¶ Vnum est apud Deum & æquale,siue corde seu uoce quis loquatur, & seu die an nocte faciat . Ipse namq; custodes omnium factorum ante manus & retrorsum apponit,nemini malum faciens,priusq; ipse suę detrimentum animæ faciat. Quo cuiq; nocere uolente,nemo tueri uel prodesse poterit,ad quẽ omnium erit reditus. Ille corruscationes & fulgura,& nubes immẽsas,unde timore atq; spe trepidatis,producit , suãq; gratiã tũc pro metu tonitruis & angelis postulãtibus fulgura,quibuscũq; uult,immittit. Isti tamen incredulí in Deum ratiocinanť,cuius artes arduæ sunt,& quẽ solũ adorare æquũ est & iustũ. Aliud eñ quàm ipsum adorantes, erronei sunt, nullũ responsum recepturi. Deum quidem uniuersa cœlestia atq; terrestria,tum sponte tum uí ueraciter adorant. Vmbra etiam tota die loca permutans,ad Deum se semper humiliat.Quis est cœli terręq; dominator?Deus ipse.Cur igitur illius loco sumitis , quod nec nocere nec prodesse potest animabus? Suntne sibi símiles & æquales, uidens uisuq; priuatus, aut lux & tenebræ? Cur suas formas posuerunt participes Deo ? qui solus omnipotens omnia facit,aquas è cœlo dimisit. Vnde torrentibus atque riuis secundum aquæ mensuram discurrentibus,quod est incommodum seu leue,transit,& remanet. Cui fõcũ apponitis,ut illic annulos & torques,hisq; similia fabricetis?

*Inepte philosophatur , uel potius poetatur,de rerum creatione.*

*Resurrectio mortuorum.*

*Omniscius Deus.*

*Contra idololatras efficaciter pugnat, ex potentia et operibus Dei ratiocinando.*

Sicut

Sicut ipse Deus hæc falsa ueris uidet, spumam, transitoriam scito rebus commodis in terra mansuris: Ita quoque omnes eum adorantes, & incredulos ipse coniungit. Sed licet increduli duplum totius terrenæ substantiæ pro se redimendo tribuerent, non colligentur, sed malum grauissimum perpessuri, igni malæq; uiæ semper insidebunt. ¶ Quis scit illa diuina præcepta tibi tradita uera esse? Aut quis eorum est conscius? Immemores enim sunt omnes, præter discretos. Illi namque diuinis præceptis prorsus parent, Deiq; mandatum illis iniunctum efficiunt, Deum diemq; computi timentes: & pro Dei dilectione sustinentes, orationibus insistunt, uestraq; bona sibi commissa clàm atque palàm ad suorum deletionem peccaminum distribuunt. Vnde bonum in alio sæculo finem, uidelicet paradisum, adipiscentur. Illuc enim patebit aditus omnibus, qui parentibus suis, atque mulieribus, & filijs benefecerint. Quos & omnes angeli per omnem portam ingredientes salutabunt, & dicent: Quia patienter sustinuistis, domum optimam sortiti estis. Rumpentes uero fœdus cum Deo firmatum, & delentes, quod ipse delere noluit, terramq; uastantes, hic à Deo repulsam, & in alio sæculo malum pessimum suscipient. Increduli quidem hac uita, quæ nihil est ad aliam collata, gaudentes, cum pluribus abundent, Deo pro uelle suo huic multam, illi paucam substantiam tribuente, dicunt: Si tu faceres Dei uirtutes, illis accidere. Deus quidem hunc aberrare, illum recta uia progredi pro uelle suo perficit: per quem credentes, & constantes sua corda corroborant. ¶ In deum credentes, & benegerentes, recto tramite procedunt. Ad gentẽ priorum sequacem, ut eam præceptis diuinis instruas, licet plurimi manebunt increduli. quod etiam contingeret, quanquam hic Akhoran montes applanaret, aut terras scinderet, mortuosue loqui faceret: quæ cuncta Dei sunt, cui si placeret, totum humanum genus una gens fieret, atq; bona: te mísimus. eiq; dicito: Solus Deus est dominus noster, cui me commendo, & ad quem omnium fiet reditus, ad terminum quidem à Deo præscriptum, qui ueraciter accidet. Increduli, obstinaciter suum errorem sequentur. Deriſoribus tuorum prædecessorum pœnam parũper distulimus: quos deinceps sumptos, ad malum finem deduximus, die qua facta sua cunctis animabus numerabuntur. Illi malefici & erronei, qui Deo participes secundum placere suum posuerunt, in hac uita malum, & in alia peius, uindicis & adiutoris expertes sortientur. Sed quis ad rectam uiam diriget, quem Deus aberrare facit? Paradisi quidem, quã Deus se timentibus tribuit, status aquarũ fluxu pulcherrimus est, & cibus indeficiẽs, ac umbra dulcissima. Et hæc est credẽtium meta, sicut incredulorũ ignis. Cum illi quibus librũ dedimus, nostris præceptis tibi cõmissis gaudeãt, licet eorũ quidam parti cõtradicant, eis dicito, mihi nil iniunctũ est, nisi Deũ solũ adorare, nec illi participẽ extimare, cui memet cõmendo, & ad ipsum redibo. Ita discretione rerũq; indicijs Arabice tibi scriptis, si post hanc scietiam prædictos sequaris, corã Deo nec uindicem nec tutorem habebis. Ante te quoque prophetas, quibus mulieres prolemq; cõcessimus, singulos cũ libris diuinorum præceptorũ ad terminũ redactis, unde Deus, apud quem est librorũ mater, hoc pro uelle suo delet, hoc firmat, misimus. ¶ Horũ quæ te docuimus, portionem aliquã gentem docebis, aut forsan te morti succumbere faciemus. Tuum quidem nihil est, nisi tantũ illis mea precepta nunciare, nec eis suus subtrahet numerus. Non ne uidet, qualiter terrarũ capita minuimus? Deus iudicat, citoq; denumerat, eiusq;

*Finis bonorũ paradisus.*

*Sine miraculis Alcorano haud credentes, nec miraculis crederẽt*

*Paradisus uoluptatibus corporis affluẽs, qualem & Corinthus finxit, &c.*

*Librorum mater apud deũ. Bonorum quidem librorum fons est sanctus spiritus. Eccl. ultimo.*

eiusq́ iudicium nemo diuertit. Sed antecessorum quidam astuti, deceptionibus innitebantur. Dei tamen sunt omnes artes, scientis quid animarum quæq́ sibi lucratur: quod euidenter patefiet, incredulis dicentibus, te non esse Dei nuncium, cum qualitatem finis alius sæculi perspicient. Tu quidē inter te & illos constitue Deum testem, libri cognitorem atque doctorem

*Iudicium Dei ineuitabile.*

## AZOARA XXIIII.

HVnc librum super te posuimus, ut per ipsum homines ab umbris ad lucem, ad uiam uidelicet Dei, qui est incompræhensibilis & sapiens, qui cunctis cœli terræq́ creaturis imperat, diligenter extrahas: Incredulis uero, uidelicet huius sæculi uitam alij præferentibus, & à uia Dei recta se distorquentibus, suum errorem redarguendo, malum grauissimum sibi futurum patefacias. Nullum prophetarum hucusque, nisi cum suæ gentis linqua, ut singulorum optimus interpres haberetur, misimus. Et Deus omnium sapientissimus, hos in uiam prauam abducit, illos in uiam rectam dirigit. Sic Moyses missus suæ genti, ut eam à tenebris ad lucem reduceret, & dierum Dei eos memores efficeret. In quibus sunt admiranda sustinentibus, gratesq́ reddentibus, ei persuasit, unum Deum adorare, ipsiusq́ beneficium exorare, qui eam de gente Pharaonis & ipso liberauit, quæ prolem suam peremit, & suis mulieribus potita est: quod est coram Deo detestabile, qui & dixit, uestra se bona multiplicaturum, post gratiarum redditionem. Sed si uos, omnisq́ terrenus, increduli maneatis, de uobis Deus nullatenus curabit, quoniam ipse cunctorum est abundantissimus, & gratia plenus. ¶ Nónne recordamini prædecessorum uestrorum, uidelicet gentium Noë & Haath & Themuth, suorumq́ posteriorum, mandatiq́ diuini illis missi, quo Deus solus agnoscit? In hora quidem nunciorum cum miraculis aduenientium, increduli manus inijciebant dicentes: Vestris præceptis, quoniam mendacia nobis sunt, nunquam credemus. Responderunt nuncij: In Deo non est quid ambiguum, seu falsum, cœli terræq́ conditore, qui omnes aduocat, ut ueniam faciat, terminumq́ scitum in antea uobis constituat, & ad tempus nominatum uos dilatet. Ipsi uero respondentes dixerunt: Cum uos uelut nos homines sitis, cur nos à nostrorum patrum institutis repellere nitimini? An cum rebus mirandis, ut in eas credamus, uenitis? Quibus nuncij dixerunt: Nos quidem nil aliud quàm homines, sicut uos, existimus, facitq́ Deus in sua gente misericordiam: nec nos uestra possumus adimplere desideria, nisi Deo uolente, iam rectam uiam edocente. Cui nos sustinentes malum nobis per uos illatum, nos commendamus, sicut & omnes sapientes atque boni. Responderunt increduli: Aut ad legem nostram conuertimini, aut è terris nostris eijciemini. Horum deinceps confusionem Deus intulit ipsis incredulis, ut sic credentes, & me diemq́ futurum timentes, terram illorum incredulorum loco colant: quibus terras adperui, incredulos ad nihilum redigendo. Quibus deinceps in g henna aqua uenenosa potum tribuetur, quæ cum attrahitur, ferè suffocat: mori tamen minime poterūt, sed illos malum grauissimum passuros cruciatus ambiet circumquaq́. ¶ Incredulorum facta cineri per uētum impetuosum disperso similia sunt: cum utrobiq́ impossibilis sit coadunatio, & prolixus error. Nonne cœli terræq́ conditore satis est leue, uos quacunq́ uoluerit hora, confundere, aliamq́ gentē facere? ad quem omniū erit conuentus. Tunc etiam

*Alcoran ad salutem hominum exhibitus. Sanè diligentibus Deum, ut omnia, utilitatem afferet. Non tamen id Satan uult, sed perdere.*

*Prophetæ omnes lingua uulgi locuti sunt. idq́; Paulus requirit in Ecclesia.*

*Adulterium detestabile, quod Machumet non abhorruit.*

*Noe natio.*

*Hath.*

*Themuth.*

*Argutationes æmulatorum paternarum traditionum.*

*Inferi.*

*Impij ut puluis, quem disijcit uentus. Psal. 1.*

*Vltimo iudicio seducti accusabunt seductores, sed frustra.*

etiam pauperes suis dominis atq; prælatis inquient: Vos si alicuius estis potentiæ, uestri semper sequaces à malo protegite. Sed ipsi dicent: Si Deus nos in rectam uiam direxisset, uos nobiscum duxissemus. Nunc autem unum nobis incumbit, siue patienter sustineamus, siue gemamus & lachrymemur, cum in manu nostra nihil sit ulterius. Tunc tandem diabolus ipse confitebitur, uerum dicens: Deus quidem uobis ueritatem, ego falsitatem persuasi. Et licet nil constans uel euidens induxissem, uos uocati statim me secuti estis: Vnde me nullatenus, sed animas uestras reas censete. Hic enim nullus nostri præsidium alij tribuet, cum nos omnes incredulissimus, pœnas grauissimas passuri: Credentes autem Dei præcepto paradisum possessuri, sibi inuicem salutem afferent. Vir quidem bonus gerit similitudinem arboris bonæ, radicem firmam habentis, & in altum se porrigentis, quæ Dei præcepto fructum suum semper tribuit. Vir malus arbori malæ similatur, quæ nec radicis firmitatem, nec retinaculum aliquod obtinet. Istæ similitudines homines ad boni memoriam perducant. Deus omnia prout uult faciens, credentes in hac uita q; futura, bonis uerbis confirmat: Incredulos deuiare facit, qui bonum sibi diuinitus datum ob incredulitatem spreuerunt, se suos q; factores in domum ignis detruserunt. ¶ Videlicet in gehennam, ubi positores participum Deo, simul & omnes deuij in loco malo permanebũt. Hic igitur ipsi omne suum uelle perficiant, igni postea tradendi. Credentes autem, orationes & eleemosynas sibi de bonis datis clàm atque palàm efficiant, antequam dies superueniat, omnis emptionis & mutuationis expers. Deus cœlum & terram creauit, & imbres ad ortum arborum uictum præbentium de cœlo demisit, mare cursui nauium uestrarum adaptauit, aquas & solem & lunam motus indeficientis, & diem ac noctem disposuit, omnia q; uestra uota tribuit. Cuius omnia bona uobis data numerare cuiquam non est possibile. Vos tamen uestram incredulitatem ac malicíam non deseritis. Abraham exorans Deum, ut terram suam securam efficeret, & se suos q; filios, ne idolis, quæ multos aberrare fecerant, crederent, corroboraret, inquit: Quisquis me secutus fuerit, meus erit. Cęteris autem tu Deus ueniam & misericordiam tribue, tu q; sic corda hominum uelis ædificare, dans illis hermodactylorum copiam, ut templum Haran ædificatum in terra Aman, gente filijs q; meis culta, unde messis non oritur, oratum & peregrinatum accedant, tibi q; grates persoluant, qui scis æque corde meo retentum & ore prolatum: quoniam te nullum occultum cœli terræ q; latère potest. ¶ Tibi grates deuotè reddo, qui mihi munus maximum, uidelicet Ismahel & Isaac tribuisti: qui respondens orantibus, Tu me meamq; gentem tibi placitas orationes fundere perfice, & illis tu benigne responde, & mihi parentibus q; meis, simul & omnibus bonis die dinumerationis tu pijssime ueniam largire. Nemo cogitet Deum ignorare incredulorum opera, licet eorum iudicium us q; diem iudicij dilatet: quo capitibus ereptis, nusquam oculos uergere potentes, corde q; mortui coràm uenient dicentes: Deus pone nobis terminum propinquum, & tuorum dicta prophetarum sequemur. Respondebit Deus: Ita quidem uos prius esse facturos pollicíti, minime perpetrastis: Licet cohabitantes inter homines suis animabus nociuos, nostram uindictam de illis sumptam sæpius uidistis, post artibus atque dolis studentes. Nónne Deus omnium machinarum & artium est cognitor? Sed quanquam artes uestræ montes extulissent, non minus tamen deberetis agnoscere

*Diabolus mendaciorum parens.*

*Probatum est in Machumetistis. &c.*

*Boni similes sunt arbori pulchræ, ut psal. 1. & 91. Et in Euangelio, arbor bona & mala proponitur.*

*Operandum bone dum tẽpus datur.*

*Obiurgat beneficiorũ Dei immemores.*

*Abraham orauit Deum, ut suos ab idololatria præseruaret.*

*Amonitidi attribuit Mecham, geographiæ imperitus.*

*In inferno rependetur malis, ubi nulla redemptio.*

agnoscere Deum preciosissimum, & omnium uindicem esse firmum & immutabilem in omnibus, quæ per prophetas suos mandauerat. ¶ Quoniam terra mutabitur in aliam, & cœlum similiter, fietq; coram Deo solo cūctipotente conuentus omnium: ueniet gens incredula, manus & collum cathenata, camisijs ex Alchitrā induta, faciem igne cōbusta, dabitq; Deus promptus dinumerator illis, sicut & cunctis animabus, secundum suum meritū. Ad bonorum memoriam confirmandam, & incredulos ad fidem excitandos, mea præcepta propala, docens unum solum Deum adorandum esse.

*Cœlum et terra mutabuntur.*

AZOARA XXV.

HIc est liber & Alchoran euidens, hora quidem ueniet, qua uellent omnes increduli credentes existere. Quod adhuc ueracissime scient, licet nunc nec comestiones nec actus infra uelle suum reprimant. Nos quidem adhuc nullam uillam pessundedimus, nisi prius ei libro scito tradito. Gens item nulla suum antecedet terminum, uel succedet. Dicentibus, te dæmoniacum esse cum hoc libro uenientem, & se tibi minime credere uelle, nisi cum angelis mentiri nolentibus adueniisses, nos firmamus, hunc librum à nobis esse positum, cuius nos custodes perseuerabimus. Omnes quoq; cæteri prophetæ præmissi, ridiculum & contumelias passi sunt. Quanquam enim nostros in suis antecessoribus effectus uiderint, non minus suorum cordium prauitas eos nostris resistere præceptis & errare perficit. Et si cœli ianuam ut sursum ascenderent, eis patefaceremus, dicerent, Oculorum nostrorum ebrietas nos nil uidere permittit: sumus etenim incantati. Ego quidē in cœlo signa disponens, ad ipsius ornatum & pulchritudinem uidentibus apparantē, ipsum ab omnibus malis diabolis custodio, præter auscultatum uenientem, quem sidera fugientem lampas assequitur. Terrā itē extendens, illiq; mōtes altos apponens, & omnes res ponderosas in ea nasci faciens, uobis illic uictū rē ue gestabilem, cui uos nihil redditis, constituī. ¶ Non est ibi quicquam à nobis abscōditum, qui certū modū atq; mensurā ubiq; seruamus, uentis imperantes, & imbres ad rerū uegetationē, quos minime pro libro retinere queūt, è cœlo dimittentes, uitā damus, & mortē inducimus, omniū heredes. Nos quoq; natos & nascituros agnoscimus, omnes coadunaturi, cum simus potētes atq; periti. Nos item hominē de terra & luto, diabolo prius ex igne pestifero creato, plasmauimus. Cūq; me plasmaturum hominē de luto, & eidē animæ meæ portionem insufflaturū angelis intimaui, illis iniungēs, ut se corā eo proijcerēt, humiliantes omnes paruerūt. ¶ Præter Belzebub, se subijcere nolentem. Qui cur hoc faceret interrogatus à Deo, dixit: Qualiter homini de luto cœnoq; nigro plasmato me subijciam? Respondit Deus: Quoniam malus es & nequā, descende à me usq; ad aliū diem reijciēde. Ipsi quidē terminum ad diē publicæ resurrectionis postulanti, Deus inquit: Ad diem horæ scitæ terminum posui. Ipse quidem nequicia plenus respōdens ait: Ob hoc in me perpetratum à te, faciā eis suisq; mundana pulchra uideri, eos omnia mala docturus, preter gentē, quę bono puroq; corde te super omnia diligat. ¶ Inquit Deus: Meæ gentisq; meæ uię rectæ sunt: unde tu minime potens es credentium in me, nisi tantum eorum qui malos uestri secuti fuerint: quorum omnium uobiscum fiet cōgregatio in inferno septē portis discreto, quarum quæq; portionem notā recipiet. Timentes Deum, paradisum cum salute timoris expertes ingrediantur: quorū cordibus omnē tollemus maliciā, fietq; fratres † ex sectis delicioſissimis, mu

*Fatum Bardesanis et Valentini. &c.*

*Diabolus ex igne pestifero creatus.*

*Homini pars animæ Dei inspirata: confutatur ab Aug. ut hæreticū.*

*Infernus distinctus septē portis.*

*Paradisus. † exlectis.*

tuo sese respicientes, nunquam illinc ejiciendi, nec aliquo labore malóue lędendi. Dic meæ genti, quoniam ego sum misericors, ueniæq; largitor, & in manu mea malum grauissimum retinens. ¶ Eidem quoq; manifesta, quod hospitibus Abrahæ ad eum ingressis, eumq; salutantibus contigit. quos Abraham uidens inquit: Ego uos non mediocriter timeo. Inquiunt illi: Timere desiste. lætos namque rumores de puero sapiente à te generando ferimus. Quibus ipse: Hoc mihi quomodo gaudium accidet, cum sim senex? Inquiunt: Gaudium est uerum, sed tu minime despera. Inquit ipse: Nullatenus desperabo, cum hoc nemo nisi malus agat. An alia de causa aduenistis nuncij? Responderunt: Ad malorum hominum Loth perditionem, & illius suæq; gentis, præter mulierem suam antiquissimam, liberationem atq; salutem accessimus. ¶ Illis igitur nuncijs ad gentem Loth uenientibus, dixit ipsa, Se nequaquam eos agnoscere. Quibus ipsi responderunt: Nos uenimus, uobis ignorata patefactum, nil falsitatis admixturi. Secretoq; Loth sic conueniunt: In parte noctis tu cum gente tua fugiens, illam subsequere, nō alias uisum dirigens: & uade quò tibi ductum præbebimus. Hæc enim gens à primo ad postremum delebitur. Illis deinceps ciuitatis illuc cum gaudio properantibus, Loth inquit: His meis hospitibus obsecro, nullatenus malum seu dedecus inferatis, sed Deum timete. ¶ Illi quidem interdicebant ei, ne causam illam tractaret ulterius. Quibus Loth: Per Deum, uos sectam pessimam amplectimini. An uos uexat ebrietas? En filiæ meæ, quibus pro uelle uestro potiamini. Illos autem obstinaces uox excelsa turbauit, summa deorsum & ima sursum uergens, eosq; funditus pluuia lapidea subruit. Quod discretis admirationis satis imprimit. Hanc itaq; rectam uiam, non illud malorum prodigium, credens sequatur. De hominibus arbores inuocantibus, & sic temerariè deuiantibus, nostram uindictam sumpsimus: sicut & homines. Alhigero, nostris prophetis contradicentes, prorsus deleuimus. ¶ Ipsi namq; nostris uirtutibus sibi missis minime credentes, in rupibus secando domos sibi subterraneas, ad sui protectionem atq; salutem ædificabāt: quibus nostra uoce diluculo sumptis, omne suum opus minime profuit. Nos cœlum & terram, & illis uniuersa contenta cum ueritate creauimus. Horaq; ueniet uestræ formosæ ueniæ. septem uerbis & Alchoran immenso tibi nostra gratia dato, nullatenus oculos ad maritatas erigas, nec eas in corde tuo concupiscas, sisq; subiecti cordis & humilis, teq; nuncium præcepta mea disceptatoribus de Alchoran dubitantibus, facturum, clarifica. ¶ Illos quidem discerptores, per memetipsum iuro, pro factis suis atq; sermonibus ante me uenire faciam. Tu quidem interim illis mea præcepta notifica, ab incredulis te retrahens, & ab irrisoribus tuis ego te liberabo. Deo Deum alium associantes, an uerum sit, ipsi scient. Iamq; uidemus hoc quodam modo suis mentibus dissonum & molestum existere. Tu quidem Deum unum adora, eum inuocare, usquequo mors superueniet, non desinens: & te humiliando, & infringendo, orationes funde.

*Angeli Abrahæ hospites.*

*Loth seruatus per angelos, pereunte Sodoma.*

*Idololatræ perditi.*

*Non mœchus sit Machumet*

*Plures Deos constituentes, sui dogmatis piget.*

## AZOARA XXVI.

NOlite nimium festinare. Ecce iam aduenit præceptum Dei, qui super omne dictum uestrū sublimatus est, quiq; pro suo uelle super quēlibet angelos animatos, ut dicant ei, non esse nisi Deum unum, demittit. Eum itaq; timete, cœli terræq; conditorē, qui ob nostra de eo dictu se sublimauit. De spermate hominē producit: quē postea causidicum & eloquentem, atq; discretum

*Angeli animati.*

*Beneficia Dei in homines.*

discretum fieri cõtingit. Idem quoq; munificus bestias tales fecit, ut uos inde calorem, & commodum, ac uictum, & ornatum, atq; decus, ad eundum spaciatum, uestrasq; sarcinas ad quaslibet terras portatum, quod uobis esset tum difficile tum impossibile, quales sunt equi, & muli, & asini, sortiamini. Idem etiam uobis ignorata faciens, uiam rectam, licet eorum quidam pro eo nil faciant, plures edocet. Ipso tamen uolente, omnes uniusmodi eiusdēq; secte fierent. Per eum imbres desuper in terram ad uites & arbores educendas descendunt. ¶ Vnde uos uictum sumitis. Habetis etiam per ipsum messes, & oliuas, ac palmas, & arborum genus omne. Idem diem & noctem crearis, & solem, & lunam, ac stellas, omnesq; suo præcepto sua negotia perpetrant, resq; multiformes atq; dissimiles in terra perficiens: mare uestro uictui & uestitui, tum carnes recentes, cum cætera commoda extrahendo, nauiumq; cursui, ut per ipsum bona tum acquiratis, tum multiplicetis, Deo fauente, cui grates sunt reddendę, commodum & idoneum statuit. Et in terra montes & aquas, ac uias ad itinera negotiaq; gerenda, & stellas ac signa ad rectarum uiarum noticiam in cœlo dispositi. Quæ cuncta uirtutes & euidentia miracula bonis atq; discretis apparent, quantum inter est Deo potenti creare hominem, & homini talis operis impotenti. Sed quis Dei mirabilia dinumerare potest? Ipse quidem est ueniæ misericordiæq; largitor, æquè sciens cordis arcana, uoceq; prolata. Illi quos Dei loco adoratis, facti sunt, nil facere potentes. ¶ Vita quidem carent, & insensibiles sunt. Hora quidem suæ resurrectionis singuli scient, unũ solũ esse Deum. Quisquis aũt alij sęculo nõ crediderit, cor malũ atq; præsumptuosum gerit. Plures interrogati, quę Dei præcepta sint illis tradita, dicũt, illa mirabilia priorũ. qui sęculo futuro peccatorũ cumulo prementur, tũ propter pondus suorũ peccatorum, tum propter sarcinas incredulorũ, quos sibi stultè credere fecerãt. Prędecessorũ uero suas artes facientiũ, ædificiorũ fundamenta Deus diruẽs, super eos tecta subuertit. Et sic unde minus extimabant, malum eis incubuit. Quos die futuro interrogabimus, ubi sint, quos mihi participes statuerunt? Sapientiũ quidẽ testimonio malũ & dedecus illius diei inferent incredulis. Incredulis perseuerãtibus usq; dum angeli suas animas eliciũt, tuncq; se illis cõmendando dicẽtibus se plus nescire, Deus eorũ facta dinoscẽs inquiet: Intrate portas gehennæ, postea nunquã egressuri. Resistẽtes itaq;, malã uiã gradiũtur. Timentes Deũ, quęsiti quid diuinitus illis sit datũ, inquient, Bonum. Sciãt omnes hic sæculoq; futuro bonũ promerentes, illi sæculi bonum melius & præcioſius esse. ¶ Illis, quos angeli mortis hora bonos inueniunt dicẽt: Saluete, & pro factis uestris paradisum, domũ optimã, ubi sunt fontes & fluxus aquarũ idonei, introite, omne uelle uestrũ habituri. Tale quid enim bonorum meritũ exigit. Non expectant increduli nisi aduentũ angelorũ, uel alius à Deo dati. Similiter & sui prædecessores fecerũt, quibus Deus nequaquã, sed ipsi sibi mala fecere. Vnde propter ridiculũ, cęteraq; peccata merito perierũt. Dicẽt aũt increduli: Si Deus uellet, nec nos nec nostri parẽtes aliud quàm ipsum adorassemus, nec quicq; nisi præceptũ suũ faceremus. Sui uero prædecessores similiter fecerunt. Sed nuncio nil aliud pertinet, nisi tantũ præceptũ applicare. Cuicq; gentium missis nuncijs, ut Deũ adorare & idolis minime credere prædicãdo persuaderẽt, quandã illius partem ad uiã rectam, quandã ad malã Deus deduxit. Terras perscrutẽtur, ut uideãt, quis erat finis cõradicentium. Non preceris ut Deus malos uiam rectã edoceat.

*Ex enumeratis operibus Dei demonstrat quantũ ab eo distent q titulo Deorum colũtur.*

*Patrum æmulatores inepti.*

*Bona futuri sæculi longe præponderãt præsentibus.*

*Paradisus.*

*Munus legati, exponere mãdata.*

*Exempla pereuntium ob*

*falsam religionem mouēt.* Nil enim proficiet, nisi cui Deus uoluerit. Iureiurando suo firmantibus, mortuos nunquam resurrecturos, respondet Deus: Imò & terminus ille uerissimus est, quanquam plurimis nescijs. Ego uobis contrarietates explano: Post uero cognoscent incredduli, se mentitos fuisse. Quando quid fieri uoluimus, dicimus Fiat, & factum est. ¶ Post malum laboremq; perpessum factis expugnatoribus Dei nomine indurantibus, & se ipsi commendantibus, hic bonum sæculoq; futuro maius si sciuerint, tribuam. Ante te non alios misimus nuncios quàm homines, qui discretos perscrutarentur, an librorum mirabilium atq; psalterij noticia affectaretur. Tibi quoq; librum istum tradidi, ut eius præcepta dicas & explanes hominibus, ut intelligant, & cogitent, quid prioribus contradicentibus contingit. Culpabiles & peccatores nequaquam opinati sunt, quod uel tellus eos absorberet, aut inopinabile malum illis incumberet: uel in negotijs suis, seu timore, nil facere potentes caperentur: Deus tamen pijssimus & omnipotens, uoluntatem suam in actum deduxit. Nonne percipiũt, qualiter omnes Dei creaturæ dextrorsum & sinistrorsum, omnemq; partem uersus umbram proijciendo, sese Deo humiliant, ipsumq; precantur. Omnes rursum cœlestes angeli, bestiæq; terrestres, Deum super eos exaltatum omni superbia depositа timent, omneq; præceptum illis ab eo perpetrant. ¶ Nullatenus uobis Deos diuersos statuite: quoniam non est nisi solus unus, & illum adorate. Eius enim sunt uniuersa cœlestia atq; terrestria, & omnis bona lex atq; recta. Cur alium quàm eum inuocatis? Quid nisi ab ipso cõmodi uel uictus habetis? Malo uos percutiente illũ adoretis, atq; precemini: quod ipso tollente, uestri quidã minimè credẽtes, præcepta diuina sibi data illi participes ponunt. Et nostrorum bonorũ sibi datorum portionẽ rei à se ignoratę tribuũt, Deoq; filios, quod ipse nõn uult, omnia pro uelle suo dicentes adscribunt. Nunc pro uelle suo agant quidlibet, atq; dicãt: Deus aũt omnia uerba sua perscrutaturus, eos se cognoscere faciet. Cum eorũ cuipiam filia nascitur, suã inde denigrat faciẽ, suspiriaq; trahit, & ab hominũ conuentu recedit, usq; quo deliberet, utrũ eã natã teneat, an uiuã sepeliat. Heu quàm prauũ est iudicium, & quàm iniqua similitudo eorum, qui minime credunt aduentui futuræ diei. Dei quidem sublimis & sapiẽtis similitudo celsitudinis est. ¶ Si Deus ad hominum malefacta semper respiceret, nequaquam in terra quidpiã animal dimitteret. Sed ipse mitis atq; propitius ad horã scitã spacium differt, quã, cum uenerit, nemo præire uel sequi poterit. De Deo plurima nõ dicenda, illi bilingues atq; mẽdaces proferentes, ostentant se bonũ habituros, cum nil præter ignẽ ob stultiloquium suum sint accepturi. Per memetipsum iuro, me genti precedenti uos, mandatum fecisse. Sed diabolus eam distorquens, sua sibi uisu pulchra fecit: Cui nunc se commendãtes, malum grauissimum passuri sunt. Hunc librum non alia de causa tibi commisi, nisi ut hominibus suas contrarietates exponas, & uiam rectam, atque misericordiam credentibus patefacias. Deus de cœlo dimittit imbres, ut terram mortuam uiuificent: & de uentribus bestiarum lac purum ex egestione & sanguine decolatum ad bibendum dulce, uictuique commodum educit: & in arboribus ac palmis & uitibus creat, quod inebriat, & optimè pascit. Hinc que uos assumitè uobis. Quæ cuncta non minima sunt miracula sapientibus & audientibus. Apibus item iussimus, ut in montibus & arboribus sibi suas mansiones ædificarent, & deinceps de pomis omnibus gustarent, neq; quóquam pergere

*Resurrectio.*

*Vmbræ, adoratio quædã Dei.*

*Filios attribuit Deo, indigne fert.*

*Taxat immanitatem quorundam, qui liberos fœmoderunt.*

*Longanimitas Dei.*

*Blasphemiæ.*

*Alcoran datus, ut dissidia religionis tollat, & uiam salutis indicet.*

*Apes.*

ad suum querendum commodum Dei nomine differrent, ut sic ex uteris suis syropus multicolor saluber hominibus oriretur. Quod & ita contingit summe sapientibus admirandum. Ipse itidem Deus uos creauit, & perire faciet. Et uestri quidam ad peiorem uitam deuergentur, usquequo à scientibus facti sunt inscij. ¶ Deo huic maiorem uictus copiam, illi uero minorem tribuente, exigit ne uis, ditiorem à suo participe, quàm ipse de rebus singulis accipere? Cur Dei bona negatis? Deus de uobis metipsis uobis mulieres, & inde prolem, ac inde consanguineos, uicissimq; res bonas tribuit. Cur igitur mala creditis, uobisq; bona data negatis, Deiq; loco nullum uobis uictum cœlestem seu terrestrem dantes, dareue potentes adoratis? Ipsi nulla proponatis exempla, omnia scienti, uobisq; nescientibus parabolam istam proponenti. Sunt'ne sibi similes an æquales, quorum alter summa miseria calamitateq; premitur, alter nostrorum bonorum abundans, ea clàm palãq; † distribuit, minime Deo gratus, quod eorum pars plurima manet insciat? Aut sunt sibi similes alicuius clientes, quorum alter mutus & nequam, & in suum dominum, præceptiq; nunquam efficax: & alter, qui quolibet missus, nunquam redit incommodus & inanis, nil præter æquum & rectum postulans? Nolite alia proficisci quàm recta uia Dei, cuius sunt cœli terræq; secreta: qui uos ab aluis matrum uestrarum uobis nescijs eduxit, & aures ac oculos cordaq; simul uobis ad suarum gratiarum redditionem atq; noticiã præbuit. Horæ quidem aduentus non est, nisi qualis ictus oculi ad cœlum penetrans, aut uelocior etiam. Nonne uidetis aues cœlo propinquas, non aliunde quàm Deo sustineri? quod credentibus admirandum est. Vobis aũt domos usq; ad mortem inhabitandas, & de bestiarum pellibus uestes, tum in negotijs gerendis, tũ in domibus ferendas, earũq; lanã & pilos atq; crines uobis omnia proficuũ tradidit. ¶ Ita quoq; Deus uestræ materiæ iocundam umbrã, uobisq; loca mõtuosa frequẽtationi, uestesq; tũ causa caloris tũ causa frigoris, tũ gratia timoris expellendi præbẽs, uos adeò bonis omnibus repleuit, ut sanitatẽ atq; salutẽ habeatis. Illis aũt credere nolẽtibus, tuũ est tantũ præcepta nũciare. Eorũ etenim pars plurima manet incredula, bona cognita respuẽs. Die, qua de singulis gẽtibus testimoniũ quæremus, nõ incredulorũ testimoniũ postulabimus, nec eos auscultabimus, nec eorũ malũ uisum minuemus, nec ad eos uisum reflectemus, qui uisis à se positis participibus inquient: O Deus, isti sunt, quos tui loco adorauimus. Illis uero respõdentibus, eos inde mẽtiri, illa tandem die Deum adorabunt, respuẽtes prius adorata. Et tũc incredulis à uia Dei se diuertẽtibus, malũ aliud sup illud ob suã malicią accumulabimus. Singularumq; gentiũ testibus de semetipsis aduocatis, tecũ gentis huius testis aduenią. Tibi librum istũ tradidi, ut cũcta præcepta mea patefacias, uiamq; rectã, & misericordiam, bonumq; nunciũ credentibus intimes, Deo præcipiẽte, ut iustum bonũq; facias, tuisq; cõsanguineis beneficus existas, qui culpas & inuidią prohibet, te castigans, ut memor efficiaris. ¶ In Dei nomine uota tua perfice, nec non adauge. Iusiurandum firmatum, cum Deus omne tuum opus aspiciens, inde fideiussor existit, nullatenus mẽtiaris: nec imiteris eum, qui uerba prius firmata cõtradicẽdo falsum inducit iusiurandũ, uolens in hoc sæculo nobis probare mendacia. Hic enim fœneratoribus annumerabit. Et si pes tuus primo firmus labitur, mali grauissimi passionem sustinebis. Inter uos falsa sacramẽta nullatenus facite, nec diuinam firmaturam pro modico uendite. Quod enim apud Deum

*Contra idololatras.*

*Consanguinitas.*

*Comparatio ueri & falsi cultoris Dei.*

† *Alias distribuit? Minimę. Deo grates.*

*Aduentus hominis ad iudicium pernicissimus: ut Matthei 24. &c.*

*Vota exoluenda.*

*Iusiurandum religiose præstandum.*

*Munificus bonorum remunerator Deus*

referuatur nobis, multo melius censetur. Res enim mundana cito transit, diuina nunquam. Secundum optimum modum suorꝫ operum quemcꝫ Deus remunerabit, uitã tribuens æternã, siue uir fuerit, siue mulier. Si uellet Deus, uos unam gentem efficeret. Sed hunc aberrare, illum uero credere facit.

*Alcoran legẽdus cum diuina sanctificatione aduersus diabolum.*

Quando legeritis Alchoran, uosmetipsos diuina sanctificatione à diabolo protegite cui impossibile facere quicquã nisi tãtum incredulis, & Deo participes ponentibus. ¶ Cum sit hoc alicuius uerbi pro uerbo mutuatio, Deo positionem suã sciente, dicunt increduli. Tu quidem non es nisi mendax, cũ adeo uerba tua uaries. Sed huius rei plures eorum sunt inscij. Ipse nãcꝫ Deus, spiritusꝫ suus benedictus, hunc librum ueracissimum cõposuerunt, ut

*Cur Latinis nõ Latine scribat, frigide dicit.*

recta uiã credentibus, pleniꝫ gaudij rumorem bonis cõfirmet. Scimus quidem eos ia dicturos, linguę Latinę uirum doces, & Alchoran est Arabicus. Eos nunquã Deus uiã rectam docebit, qui Dei præceptis cõtradicendo, soli mendacissimi sunt: sed malum grauissimum eis inferet. Post fidem habitam incredulus ui coactioneꝫ factus, fidem legẽcꝫ corde suo retinens non damnabitur. Sed hoc spõte faciens, quia huius mundi uitã alij prætulerit, nunc

*Vnd negandum fidem adactus, corde tamen eam retinens, nõ dãnabitur. Id cũ hæreticis qui busdam habet commune.*

à Deo in uiam rectã dirigendus, grauissimis cruciatibus affligetur. Talium enim corda Deus sigillat, & aures oculosꝫ simul. Vnde hic negligentes & inscij uiuunt, deinceps perdẽdi. Expugnatoribus post laborꝫ atcꝫ malorum sustentamen effectis, ueniam & misericordiã Deus impertietur. ¶ Die qua quiscꝫ pro se disceptabit, cuicꝫ secundũ opera sua, abscꝫ uiriũ & iniuriariũ illatione, mercedẽ Deus tribuet: qui hãc uobis parabolã prębet. Villę cuidã

*Ingratitudo cuiusdam oppidi erga Deum, grauiter punita.*

prębsens nihil timẽti, futurorũcꝫ securæ, sui uictus copia multis locis redũdabat. Sed ipsam nullas Deo pro suis beneficijs grates referentẽ, fames atcꝫ timor, Deo iubẽte, presserunt: & suos incolas, nũcio sibi misso cõtradicentes, pestis mortifera pessundedit. Vos itacꝫ Dei bona saporifera, & hale comedẽtes, Deũ adorate, ipsicꝫ grates persoluite: multũcꝫ cauete, ne qd propter uestraꝫ uoluptatum perfectionẽ, hale ponatis à Deo cõstitutũ harã, uel è contra, ipsi mendaciũ imponentes. Tales etenim nec multũ nec parũ antecedũt,

*Id est, illicitum.*

malũ grauissimũ habituri. Deus quidẽ nil fecit † harã uictui uestro, nisi mor

*Prohibita uesci.*

ticiniũ, & sanguinẽ, carnẽcꝫ porcinam, & animal nõ Dei nomine decollatũ. Inde tamẽ necessitate cogẽte sumẽti, Deus ueniã dabit: Et similiꝫ id faciẽti nesciẽter, & postea pœnitenti, ac bene faciẽti. Eadẽ quocꝫ Iudæis harã cõstituimus, nec eis nos, sed ipsimet sibi fecerunt iniuriã. Abrahã uir in Deũ credẽs atcꝫ bonus, pro bonis sibi collatis Deo grates persoluit, quas Deus beni

*Abrahæ pietas.*

gne suscipiẽs, & eũ in semitã rectã dirigens, ei bonũ in hoc sęculo tribuit, &

*Machumet fidei.*

in alio bonis associabit. Postea te misimus, ut ipsius Abrahæ legẽ sequaris,

*Abrahæ conförs.*

nuscꝫ discrediẽs, ne sis incredulus. Sabathi quidẽ custodiã nõ iniunximus, nisi qbus inerat cõtrarietas atcꝫ disceptatio, quas Deus futurus iudex discutiet. Cũ sapiẽtia prescripta, bonocꝫ castigamine Deũ inuoca. Disceptãdo ho-

*Vanißime. Sabathum.*

nesta uerba, bonacꝫ tantum profer. Deus quidem discutit sapienter, qui rectam uiam, quiue tortam proficiscitur. Omni tibi quid ingerẽti, modo simili respõde. Patiẽter tamẽ sustinere, melius est. Igitur & nõ nisi cum Deo patienter indura. Contradicentes minime timeas, nec pro dictis suis aliquatenus cõtristeris. Quia Deus cũ se timẽtibus & benegerẽtibus semper existit.

*Modestia seruanda in disputando. Idẽ planiß. docet Petrus Apostolus.*

## AZOARA XXVII.

*Portentosum mendaciũ ad*

SEruum nostrum dilectum, cui uidelicet multũ profuimus, à templo haram ad templum longinquũ noctu sustulimus, ut eum de nostris uirtutibus

tibus & mirabilibus doceremus, qui omnia simul audimus atq; uidemus. Moysi quidem librum patefacientem uiam rectã filijs Israël posteris illius bonæ gentis, quam in arcam extulimus, & illicita prohibentem dedimus, dicentes illis in eo, quod bis terram ammitterent, illicq; multum insurgerent, terminoq; primæ destructionis aduenientes homines ferocissimos atq; fortes super eos suis domibus immitteremus. Quod & ita fecimus. Deinceps illis auxiliati, & eos super primos multiplicantes, filijs atq; pecunijs abundantes fecimus, dicentes: Si benè feceritis, uestris proficietis animabus si male, nocebitis. In aduentu quidem termini secundi hostes superuenientes uestris faciebus malum inferent, & templa, ut prima uice, ædificiaq; uestra funditus diruent, nec quid uestrarum possessionum dimittent. Forsis tamen Deus uobis adhuc ignoscet. Sed si uos reuersi fueritis, & ego, carcerẽ omnibus malis infernũ positurus. hic Alchorã gaudij nũcius mercedẽ maximã seculo futuro cũctis credẽtibus, incredulis malũ grauissimum nũciat. ¶ Homo suis negotijs impetuosus, eq; uè Deũ, p malis ut bonis obsecrat. Sed q̃sq; suis humeris sua facta gestabit, siue fuerit erroneus, siue credens. Quod cuicq; fiet euidentissimũ, cum singulis librum apertũ omnes suos actus cõtinentẽ, ut p legatis dinumeratos trademus. Nũc saltim peccatis uestris impona t̃ terminus, prius à nobis duobus luminibus clarissimis, altero noctis, altero diei cõstitutis: illi noctis deinceps tenebrositatẽ, illicq; diei splendorẽ adiũximus, singula manifestè discernẽtes, ut homo cum sciat annoꝝ cæterorũq; temporum cõputum, tum sibi uictũ cõmodumq; perquirat. Nos hucusq; neminẽ lædentes, nisi prius illi dato nũcio, cũ uillã pessundari uoluimus, ei primates ad hoc gerendũ atq; potẽtes immittendo, nostrũ propositum peregimus: qui sapientes omniũ, & audientes, omniũ generationũ post Noë læsarum, sicut & cæterarũ culpas sub certo numero cognoscimus. Licet pluriũ sit uotũ res festinari, omnis tamẽ festinatio nisi per me inanis est & cassa, qui gehennã male gerẽtibus, ut illic dedecorati repulsicq; sine termino maneãt: credentibus, hocq; promerẽtibus, cum eorũ facta sint mihi grata, paradisum tribuam, his & illis de diuina substantia, quæ minimè parua est, largiturus. ¶ En qualiter unũ ab alio discerno, ut cuilibet innotescat, quoniã alterius sæculi gradus est elatior, & exaltatio maior. Ne malus sis & erroneus, nullũ Deo coæqua, qui tibi præcipit, ut eũ solũ adores, tuosq; parentes honores, eisq; benefacias, si ad te utercq; applicuerit, uel si unus uni. Cumq; senuerint, nullũ uerbũ graue molestúmue, sed bene formosum atq; iocundũ illis dicito, teq; illis in omnib. cũ humilitate atq; pietate subijciẽs, Deũ precare, ut illis ueniã atq; misericordiã tribuat: q̃niã tibi paruulo fomentũ necessariaq; tribuerunt. Deus est agnoscẽs, quid uestris inerit cordibus. Si boni fueritis, misericordiã & gaudium præbebit. Propinquis itẽ & pauperibus munera face, sed nõ superflue. Gerentes nãq; superflua, diaboli ducentis homines ad incredulitatẽ, fratres existũt. Ab illis aũt spe cõmodi si discesseritis, pulchrũ facite † alioquin, manus nec penitus apertas, nec prorsus clausas habentes. Sic enim perderemini, & reprehenderemini. Deus q̃dem huic uictus abundantiã, illi inopiã, pro uelle suo tribuit. ¶ Prolem uestrã inopiæ sumptus timore nullatenus interficite. Hoc est enim peccatũ maximũ: & nos uictũ illi, sicut uobis, tribuemus. Nõ fornicemini. Hoc est scelus, uiaq; praua. A Deo positum harã non perimas, nisi pro ueritate. Ab iniusto namq; peremptore, præcipit Deus iustitiam sumi: Ipseq; uindex existet. Pecuniã orphani ante

*scribit Deo, ut rapuerit Machumetũ ex Mecha Hierosolymã: inde in cœlũ. Vide confutationes Alcorani, de scalis siue ascensu Machumet.*

*Alcoran bona promittit bonis, & minatur mala prauis.*

*Precationes peruersæ.*

*Nullum populum Deus perdit, nisi præmonitum.*

*Beatitudo.*

*Vnus Deus colendus.*

*Pietas in parentes.*

*Propinquis et pauperibus moderatè benefaciendum.*

*† alloquium.*

*Liberorum occisio grande scelus.*

*Non fornicandum.*

*Orphani non fraudandi.*

uenereos annos, nisi secundum modum sibi meliorem, non tangatis. Firmitate facta perseueretis: quoniam uos Deus inde percunctabitur. Mensuram complete, pondusq; rectum apponite. Hoc enim iustum est & optimum. Nō dicatis quicquā, nisi cognitum. De dictis enim uestris uos perscrutabūtur, nestrum audire atq; uidere. Nō eatis terras perscrutatum, plus debito & iusto. per uos enim nec terra scissa, nec montiū longitudines amplificatæ fiēt.

*Certa dunta-xat dicenda.*

*De omnibus dictis ratio reddenda.*

Hæc enim omnia coram Deo, nolente talia, peccata sunt. Præcunctis tamen prohibet Deus, ne cum ipso ponas alium. Inde namq; reprehensus, in gehennā pessimam proijcieris. Ad memoriam dicentium illud, & reuersionē, in hoc Alchoran mul- 10
torum discretionem fecimus. Vnde satis diligentes perpendant: quum si qui Deo coæquales atq; participes essent, uiam ascensus ad ipsum quærerent. Quod ipse celsior illis, plus cæteris malis abhorret: cū ipsi soli cœlum, & terra, omniaq; subijciuntur: nec est, quod ipsi gratias non referat. Licet uos eas non intelligatis, ipseq; maneat expers iracūdiæ, ueniæq; dator.

*Vnus tantū Deus: quia pluralitas seditionē pareret. Argumentum ualidū contra gentiles, nō contra Christianos, colētes unū Deum in essentia, trinum in personis. &c.*

*Qui Machumeti non credunt, à Deo excæcati & obdurati.*

Vobis, & alij sæculo non credentibus, intercapedinem atq; uelamen in legendo Alchoran interponemus, sigilla suis cordibus imprimendo, ne scire queant, auribusq; suis plumbum infundendo. Vnde fugiendo se retrahunt, cum eos audire contingit in Alchoran, te nominantem Deum solum. 20
Nobis enim patens est, quid auscultant, uel quod de te uerbum faciant. In multitudine namq; dicunt, Eum sequamini, si uelitis incantatores magiq; fieri. Cum illis tot exempla proponendo, res adeò manifestè discerno, cur errant à uia recta deuiantes? Illis dicentibus, Cum eritis ossa, uel ad nihilum redacti, qualiter efficiemini homines noui? respondet: Licet lapidei, uel ferrei, uel si quid est durius, essetis, qui uos prima uice creauit, ad uitam denuo uos resuscitandos reuocabit. Sua capita reflectendo, quærentibus terminum illius effectus, dic esse propinquum. Die, qua uos Deus reuocabit sua gratia, omnes respondebitis, putantes uos non nisi parum moratos fuisse. Persuade genti pulchriora melioraq; Deum, ne suus hostis manifestus 30
diabolus illis se immisceat: sed Deum meliorem cognitorem imitentur, qui sibi pro uelle suo bonum siue malum daturus est. Nec nos te quidem ad hoc misimus, ut se tibi commendent, uel adorent: Qui Dauidi psalterium dedimus, quibusdam prophetarum prę cæteris sublimationem & abundantiam permisimus. Inuocent increduli, quos adorant Dei loco, impossibiles sibi malum mutare uel delere: Non minus tamen malum illis incumbet. Deum autem inuocantes, & in illius sperantes beneficijs, eius propinqui sunt, omnis timoris expertes. Non est uilla cui non noceamus, uel pessundemus ante diem illum. Hoc enim nostro est præscriptum libro: nec nos quis mandata facere prohibuit, nisi primorum contradictores, uelut illi qui The- 40
muth camelæ cædem prohibenti contradixerunt. Nos quidem mandata fecimus non ob aliud, nisi ut homines me timerent. Somnium item quod te docuimus, ad gētium admirationem, arboremq; retractam pauci credunt, quod incredulitatem graueq; malū augmētant. ¶ Quum nos angelis iniunximus, ut se Adæ subijcerent, omnes præter Belzebub, dicentem se nunquam subijciēdum creaturę luteæ, quiq; minatus est, quod omnem gentem sibi prælatā modo suo præter paucos diuerteret, si usq; ad

*Resurrectionem mortuorum adstruit per Dei creatoris uirtutē.*

*Machumet nō missus ut adoretur, aut patronus sit, atque diuus.*

*Omnia interitura ante nouissimum diē.*

*Cameli mortē refricat.*

*Dei mandata, ut timeatur.*

*Somnium allegat: cui non credere, peccatū dicit, quū lex Dei contrarium dicat, Leuit. 19. Deut. 13.*

*Imò ut etiam ametur, et illi æternum uiuantur homines.*

alium

alium diem sibi Deus donaret terminum, paruerunt. Cui Deus inquit: Hinc discede, gehennam cum sequacibus tuis pro factis suis possessurus. De quotquot igitur eorum poteris, tuo sermone cum tua gente & filijs, atque militibus, & peditibus, ac equis, ridiculum atque iacturam facito. In eorum item substantia & prole portionem accipito, illis imperans & blandiens: quorum nil nisi lapsum & præcipitium Deus diligit. Super gentem autem sese mihi commendantem, nullius eris potentiæ. In uasis æquoreis uobis à Deo permissis ad uestri commodi quæstum, cum uos naufragium percutit, nullum nisi Deum adiutorem habere potestis. Liberati uero, & in terra positi, ad pristina mala recurritis: unde Deo semper ingratus homo permaneat. Nonne timuistis, quod iuxtà portum uos absorberet, ut uentum lapides & arenas uoluentem immitteret Deus, nec alium quàm ipsum tutorem inuenistis? Timendum quoque, ne uos alia uice redeuntes ob uestram malicíam summergat, omni tutore carentes. Filij quidem Adæ per nos honorificati, & per terram atque mare directi nostræ manus beneficio, uictum illa bona saporiferaq; susceperunt. Et eorum quidem pars præ cæteris elationem & superabundantiam sortiti sunt. ¶ Cuicumque liber suus lecturi dextra datus fuerit, die quasque gentes cum suo nuncio uocabimus, nullam iacturam sentiet, uir quisque lumine priuatus fiet, qui cæcus in hoc sæculo perseuerabit. Ibiq; plurimi te amicum libenter susciperent, nisi te firmarem, tum ab eo quod tibi misi, ut aliud diceres, te diuerterem: tum diabolus ad incredulos te diuergere niteretur. Sicq; te tutoris expertem, in hoc sæculóque futuro dupliciter punirem: pro more quoque nostrorum prophetarum antecedentium nunquam uariando, è terra te uellent eijcere, nec nisi pauci post te tui morarentur. A' mane usq; ad uesperam orationibus insiste, summè cauens, ne matutinalis oratio deficiat. Tunc enim omnes adsunt testes. Oratio quoq; noctis superabundans, usquequo te Deus in uiam rectam dirigat, à te semper fiat, Deum sic deprecante: O Deus, in uera me dirige, falsaq; prohibe, mihiq; uindicem ex parte tua tribue. ¶ Iam libro posito, salutem atq; pietatem credentibus præbente, incredulis uero nil nisi iacturam, ueritas confirmatur, falsumq; confunditur. Sed homo semper peruersus, à me sibi bonum tribuente, in partem contrariam descendit.

*Diaboli regnum in filios diffidentiæ.*

*Orationes*

*Hic alterum exemplar insectam habuit partem sequentis capitis.*

Qui malo sibi contingente desperatus efficitur. Omnis enim secundum sui modum operatur, Deo dinoscente, qui rectius proficiscitur. Perquirentibus cuius sit anima, dic Dei, qui tibi, nil nisi paucam inde sapientiam tribuit. Et si cum libro tibi dato discedere uellem, non inuenires qui tibi redderet, nisi diuina pietate superueniente, quæ in te maxima est. Licet enim omnes homines atque diaboli ad unius talis compositionem causa uenirent, sibimet mutuo proficientes minime facere possent. In hoc Alchoran omnibus parabolis explanatis, plures manent increduli, dicentes, se tibi minimè credere, usquequo facias illis in terra fontem manantem.

*Anima.*

*Iterum conditionem mutat. Primo enim dixit, non posse unũ Azoara facere, deinde decem, nunc totum librum: Miracula.*

¶ Vel paradisum palmarum, uel uitium, atque riuorum fœcundam tibi pares, aut res cœlestes super illos descendere, siue Deum & angelos tecum cunctis uidentibus uenire facias, aut domum auream, puram, & ornatissimam habeas, uel ad cœlum ascendas, indeq; sibi librum ad legendum dimmittas: nec prius tibi fidem adhibebunt. Tu uero Deum ut te liberet, exora, dicens: Non sum nisi uir nuncius, uias rectas patefaciens, quibus

*Homines ad homines mittuntur, nõ angeli, & c.*

quibus credere nemo prohibet, nisi dicens me non esse Dei nuncium. Scien dum quidem, angelum fuisse missum, si in terra morãtes angeli hominibus cohabitarent. Inter me & uos Deus testis adest sufficiens, suam gentem perspiciens, prorsusq; dinoscens: quo docente, quilibet uiam rectam bene proficiscitur, & ab eo quilibet factus erroneus nunquam dirigetur. Die cõgregationis omnium, cæcis ac surdis, & mutis sua facta dinumerantes, eos igne feruoris torquebimus: & quãto plus arserint, tanto plus ignis apponemus.

*Resurrectio.*

Hi sunt, qui dixerunt, Cum nos in terram & ossa redacti fuerimus, quomodo in nouas facturas reducemur? Nonne possunt perpendere, conditorem cœli terræq; potentem, qualis ipsi sunt facere? Ipse quidem illis terminum absq; mendacio posuit, quod eis nihil præter incredulitatem adiungit. Si omnis Dei substantia suæ potestati subesset, expendere tamen timentes o-

*Aegypti plaga x. in Exo. hic tantum nouem.*

nia retinerent, quoniam inde auari sunt. ¶ Moysi IX. mirabilia manifesta facere patefecimus, quod à filijs Israël perscruteris. Vnde Pharao illum magum esse perhibuit. Cui Moyses respondit: Tu, quem iam mortuis annumero, scire deberes, hæc tam manifesta non esse, nisi solius Dei conditoris cœli & terræ. Eum uero nitentẽ proijcere à terra Moysen, fratrẽq; suũ & fautores omnes illius, in mare summersimus: deinceps filijs Israël ut terras colerẽt, in iunximus, quos accedẽte alius sæculi termino, ueracissimo crebrò uenire faciemus. Te quidẽ deinde misimus, ut prolẽ gaudij summiq; doloris nũcius fieres. Ideoq; pedetẽtim Alchorã posuimus, ut homines pedetentim ipsum perlegãt, siue credãt, seu minimè. Illi uero quibus cõmittitur, cũ illis legit, Deo se humiliãt, adorãtes ipsum & dicentes: O Deus, tã tuum præceptũ adimpletum est. Istiq; preces suas multiplicãt, humiles & lachrymãtes effecti.

*Deus, uel misericors, idẽ.*

Seu Deũ, seu misericordem appelles, eius solius nomina sunt. Orationes aũt uoce mediocri funde, Deoq; gratias redde, qui sublimis sublimiũ, & omniũ maximus, nec filiũ nec participẽ in regno, nec adiutorẽ seu uindicẽ habet.

## AZOARA XXVIII.

*Alcoran Dei munus eximium.*

DEus quidẽ glorificandus est, ipsiq; grates persoluẽdę, quoniã homini suo librũ directionis sufficiẽtis absq; falsitatis admixtiõe capacẽ tradi dit: ut p ipsum uerbis serijs & castigatorijs rumorẽ pleni gaudij, uidelicet acceptionẽ mercedis interminabilis & optimæ, credẽtibus & benefaciẽtibus

*Deum filio carere.*

patefaciat. Dicentibus aũt Deũ sumpsisse filiũ, q̃d ab ipsis & à patribus suis est ignoratũ, cũ hoc sit mendaciũ pessimũ, dicat: Quoniã nisi uerbũ illud mu

*Historiam septem dormientiũ qui Epheſi Theodoſio tertio imperante. reſurrectionem mortuorũ teſtati ſunt in fabulam ridiculã uertit: Quanquam ad reſurrectionem probandam accomodat.*

tauerint, spõte uim atq; dedecus passuri negabũt. Et nos, qui cunctas res mũdanas illis formosas apparere fecimus, ut uideremus, quis melior efficeret, terrã esurientẽ, & omniũ suorum inopẽ statuemus. Eos imitari noli, quoniã fortassis perditis associareris. Ad maiorẽ fidẽ publicæ resurrectionis, quoddã nostrũ miraculum de quibusdã adolescẽtibus ad cauernã atq; arrachim profectis atq; sopitis, qui diuinã misericordiã uiãq; rectã Deũ precati sunt, in mediũ ducatur. ¶ Nos igitur in illa cauerna aures suas per certum annorũ spaciũ obstruximus, & deinde resuscitauimus, nec eorũ quis numerũ dierum sopitionis resuscitatus agnouit. De qbus hæc est narratio uera. Fuerũt quidem illi uiri boni, per nos ad uiã rectã deducti & adiuti, Deum solũ, non aliũ adorãtes. Vnde per nos resuscitati, cordeq; iustificati dixerũt: Hæc nostra gẽs Dei loco adorãs idola, unde nullã possunt inducere demõstrationẽ, nec quis deterior est imponente mendacium Deo, temerariè deuiat. Eam nullatenus imitabimur, cum suus error lõgus sit, & inanis: Sed uerum solum

Deum

Deum adorabimus, cœli terræq; conditorem. Vos ergo discedentes ab illis, quos inuocant loco Dei, ad cauernam tendite, ibiq; Deus uobis misericordiam et rerum sufficientiam tribuet. Eos quidem sopitos sol oriens in dextra parte percutit, occidens in sinistra. Illis in medio positis atq; sopitis, licet quilibet aspiciens eos uigiles extimaret, eorumq; cauis brachijs extensis ante hostium accumbit, illis in dextra sinistraq; præmunitis, unde quilibet super illos ascendens, præ timore fugiendo discederet. Eorum quidem quilibet resuscitatus de suæ sopitionis spacio, quæsitus diem dieiue portionem affirmaret, cum hoc soli Deo sit cognitum. Vnde ipsi proponentes eorum aliquem ad urbem cum argento mittere, nisi quod commodius & saturitatis efficacius uideretur, sibi uictum afferret, dixerunt, Ad leuia uiliaq; progredere, nostram noticiã dissimulans. Si enim te cognouerint, bonus ulterius perseuerare non poteris: quoniã aut te lapidabunt, aut ad legẽ suã diuertent. Hoc quidẽ est mirabile Dei, quo drrigente quoslibet, ad uiã rectã directi sunt: deuiante quidẽ, nemo diriget. ¶ Nos quidem eum notificauimus, ut sic constantius atq; firmius perciperent homines horam illã postremã futurã. Quibusdã deinceps controuersantibus, super illos ædificia facere, Deus optime præ cęteris eorũ esse dinoscit: uelut nunc etiã quidã uictores inquiunt, Faciamus super eos tẽpla nostra. De numero quidẽ suo ambiguitas nata est. Quidam enim perhibent eos tres fuisse, & quartum suũ canem: quidã quinq;, canẽq; sextum. Alij eos septẽ, & canem octauũ. Sic quisque pro uelle suo de secretis & occultis loqui potest. Deus aũt eorum certũ scit numeꝝ, paucissimis cognitũ. Tu uero nihil inde perscruteris, nec quid falsum & non euidens inde proferas. Nihil item te facturũ firmes, nisi superaddito, Si Deus uoluerit. Quãdo cuiuspiã oblitus fueris, dic: Tu Deus doce me uiã rectiorem ista. Spacium aũt sopitionis prædictorum in cauerna fuit CCCLX. annoꝝ, Deo quidẽ notũ: cuius sunt arcana cœli & terrę. Esto uidẽs & audiẽs hæc, quoniã nullus tibi ꝓdesse poterit, nisi Deus. Vnde nec te cõmendes alij, nec ipsi participẽ ponas: legeq; cęteris libꝝ tibi à me traditũ, cuius uerba nemo uariet. & cum inuocantibus Deũ, quẽ non aliũ uindicem inuenies, patiẽter sustine à mane usq; ad uesperã: diuinãq; faciem ita desidera, q̃d ad huius sæculi pulchritudinẽ oculos tuos nullatenus diuertas. Nec imiteris secordes & negligẽtes, qui scilicet suarũ uoluptatũ, quæ nihil sunt, studiosi, gerẽda prætermittũt. Diuinãq; ueritatẽ nullatenus celes: cui quisquis uoluerit credat, cęteri maneãt increduli. Quos die iudicij prorsus igne circũdabimus, eisq; postulãtibus cęteri dabũt aquã, quasi stillicidiũ oculoꝝ corrodẽs: qui potus est pessimus. Credẽtes & benefacientes, sua nõ amittent opera. ¶ Illi namq; paradisum fontibus amœnã, & illic annulos, & torques aureos, & ornatus sericos uirides & deauratos possidebunt, & inlectis aulea tis accũbent. Et hęc est maxima merces, & interminabilis. Parabolã de duobus hominib. audiãt, quoꝝ alteri duos hortos semper fertiles palmis circũsitos, & messes ac fõtes immixtim, nec sine substãtia tenẽtes: alteri nullũ dedimus. Ille itaq; socio suo, deridẽs ipsum, inq̃t: Te ditior atq; sublimior in gẽte mea merito cẽseor. Deinceps aliũ secum adducẽs, hortos suos animę suę noxius ingressus dixit: Nec hoc nunq̃ dolendũ, nec me surrecturꝝ extimo: uel si resurrexero, nunq̃ ulterius tale q̃d reperiã. Socius uero castigãs ipsum, respõdit: Iã audio, q̃niã tu q̃dem es incredulus, minime cõfidens in Deum, qui te de terra plasmauit, & uiꝝ fecit. q̃d ego? Deum & dominum adoro, nec ei

*Improbat morem ædificandi templa ad monumenta sanctorum.*

*Cur tãtus propheta tantillam rem non potuit explicaret.*

*Veritas propaganda.*

*Paradisus.*

*Parabola unius temporaria bona possidentis, alterius futuri sæculi felicitatẽ expectantis.*

quenquam

quenquam participem pono. Tu quidem tuos hortos ingressurus, deberes dixisse, Si Deus uoluerit. Ab ipso namq; solo omnis uis atq; uirtus procedit. En mihi minus substantiæ prolisq; possidenti, Deus forsan dabit tuis hortis melius, illisq; cœleste fulgur, seu pestem reducentem eos ad arenositatem atque sterilitatem, seu diffluxum immittet. ¶ Vel forsan tellus penitus fontes absq; spe possibilitateue reductus absorbebit. Eos itaque peste cœlesti prorsus circumdante, arboribusq; confusis possessor suus ad distorsionem manuum redactus inquit: Vellem in Deum credidisse, nec ei participem posuisse. Sed tunc ex Dei parte nec tutorem nec adiutorem habuit. Sic Dei mandata complentur, qui ueracissimus mercedem optimam, finēq; bonum efficit. Doce item homines huius uitæ similitudinem esse, qualis est aqua cœlitus demissa. Quæ cum terræ fœtibus immisceri debeat, uentis superuenientibus hinc & illinc distracta dissipatur, Deo super omnia potente. Proles atque substantia sunt, uitæ huius sæculi iocunditas & pulchritudo. Quibus meliora remanent apud Deum, unde sperantibus & benefacientibus, optima remuneratio prębetur die, qua montes localiter mouebitis faciam, terramq; manifeste apparentem uidebitis. Deus dicet omnibus tunc congregatis, quo nullus aberit: Vos qui negastis me posuisse uobis terminum istum, sicut prima uice creati iam acceditis. Tunc illis aperto suorum operum libro tradito, increduli contemptibiles atq; dolentes effecti dicent: Heu heu, quàm malus liber hic, qui nec de minimis nec de magnis quicquam prætermittit. Omnia namq; facta sua coram stanti perlegent, nec Deus cuiquam iniuriam faciet. Quando nos iniunximus angelis, ut sese Adæ subijcerent, omnes præter Belzebub, qui & diabolus factus à Deo discessit, præceptum perfecere. Illum autem uobis hostem pessimum, filiosue suos Dei loco cur inuocatis? Quàm est nequam atq; praua hæc incredulorum mutatio? ¶ In creatione quidem cœli & terræ, animarúmue uestrarum, eos nullatenus testes adhibui, nec pro quoquam meo negotio gerendo quenquam errantium assumere uolui. Die uero qua dicemus, ut participes nostros à se positos inuocent clamantes, responsum non accipient. Vnde nos illis incredulis suum confusorem immittemus, & focum uidebunt, seq; casuros in ipsum prænoscent: minime tamē euitare poterūt. Licet in hoc Alchoran multas hominibus parabolas præmisimus, plurimi tamen eorum disceptant & ambigunt. Voluntas & inquisitio tuorum antecessorū tantū gentes in nunciorum aduentū ad Deum conuerti uetuit, usq; quo diuina uis superueniens malū intulit. Nuncq; quidem nil præcipio, nisi quod boni nuncq; castigatores & correctores existant. Increduli uero disceptationes ineunt, ut ueritatem extinguāt, & nihil atq; uana dicēdo ueritatem delent. Sicq; mea præcepta & castigamina summe deridēt. Quis est illo deterior, qui prius doctus uerba Dei, postea discedit, & ipsorum actuum suorum obliuiscitur? Eorū corda ne sapiant, sigillis inclusimus, auribusq; suis plumbum infudimus. Vnde licet eos ad uiam rectam Dei pijssimi ueniæq; datoris uocaueris, nunquam exaudiēt. Quibus, si ad eorū facta respiceret Deus malum festināter incumberet. Sed iā eis terminus immutabilis positus est, uillis ob sua malefacta destructis, terminus semper præscriptus est. Moyses quidē suū mancipiū sic affatus est: Nullatenus à me discedas, donec uel applicuerimus ad duorum marium conuentū, uel simul per annorum spacium fuerimus. ¶ Illi ad mariū cōiunctionem applicati, sui piscis in equora tendē

tis iter

*Temporaria felicitas aquæ pluuiæ confertur.*

*Nouissima dies & iudiciū.*

*Alludit ad librum Danielis, qui aperiri dicitur in iudicio Dei.*

*Legatorum functio.*

*Deficientes à recepta doctrina pessimi.*

*Fabulæ Iudaicæ de Mose et famulus eius. &c.*

tis iter obliti sunt. Ipsis deinceps trans mare uectis mancipium rogatum, ut eis pransum præberet, inquit: In hoc itinere labor nobis partus est. Ad lapidem namq; quo applicuimus, solo diabolo impediente oblitus sum piscis, qui ad maris pascua consueta rediit. Quid mirandum est? Hocq; modo suo atq; uelle Moyses contigisse firmauit. Illi deinceps reuersi, perscrutatum quendam de gente nostra, cui misericordiam & de nobis sapientiam contulimus, inuenerunt. Quem Moyses ut eum sequi posset, uiamq; rectam per ipsius sapientiam addisceret, precatus est. Cui ille respondit, mecum durare non poteris: Quibpe super rem, unde nihil scire poteris, indurares. Dixit Moyses, Deo uolente, me quilibet sustinentem, nec te in quoquam offendentem semper inuenies. Cui ipse: De nullis itaq; rebus me perscrutare, usq; quo tibi dixero. ¶ Illis itaq; profectis usq; nauis conscensum, ille nauē rupit, ut in aqua gentem summergeret. Cui Moyses inquit: Rem difficilem atque grauem iam perpetrasti. Et ille: Nonne tibi intimaui, quoniam mecum indurare non posses? Et Moyses: Noli me tantum obliuionis arguere, nec mihi pro meo negotio tantam uerecundiam seu molestiam inferre. Deinceps illis profectis, mancipium quoddam occurrens ille peremit. Cui Moyses inquit: Mancipium absq; iure peremisti, & sic iniurius es. Cui ipse: Nonne satis prædixi, te minime mea mecum toleraturum? Et ipse, si de me quicquam ulterius perscrutatus fueris, à modo non patiar: quoniam à te iam multa perpessus sum. Illi deinceps ad uillam profecti perscrutatum hospitium, à nemine recepti, ad parietem cadere uolentem accesserunt. Quem super se Moyses extollens, inquit: Si uellem, hinc precium sumerem. respondit alius, Hic huiusmodi facta uestram separationem perimit. Aliud etiam tibi propalabo, quare mecum nequaquam indurare potuisti. Nauis rupta pauperum erat possessio, per quam sibi uictum in mari quærebant. Quam ne rex immensus eos persequens, omnesq; naues ui capiens sumere dignaretur, per rupturā ad utilitatem redigere uolui. Puerulus item interfectus, omnibus suis parētibus fidem adeptis, incredulus existit. Vnde ego timēs, ne factus adolescens suos parentes à fide ui distorqueret, malui quod Deus sui loco meliorem, magisq; pium restauraret. Paries autem fuit duorum orphanorum, sub se reseruans illis thesaurum pij patris sui. Quos si Deus ad annos discretionis perduceret, suum ibi thesaurum reperirent. Hæc igitur occasio nos disgregat. ¶ Si quis te de Alexandro percūctatus fuerit, dic ei, nos dedisse sibi regnum & iudicium in terra, omniumque rerum scientiam, quam ipse semper secutus est, usquequo ad solis ortum applicuit, & eum in fonte luteo quiescentem inuenit. Eidemque tunc iniunximus, ne repertis illic hominibus bonum seu malum inferret. Omni namque illis nocenti, ad nos suo facto reditu malum inijciemus grauissimum, sicut & omnibus malis. Credentes & benefacientes à nobis uerbum dulcissimum, optimamq; mercedem accipient. Deinceps sua ductus sapientia, ad solis adscensum, illuc peruenit, quo sol super homines adscendit, inter quos nullum obstaculum posuimus. Demum ipso ad montes applicante, reperientéque prius homines nullum uerbum intelligentes, precati sunt citrapositi Alexandrum, ut ipsis & transmontanis terræ uastatoribus clausuram & obstaculum inseret. Eiq; preciū ob hoc pepigerunt. Quod & ipse pollicitus est, ipsis que Deóque suis coadiutoribus. ¶ Vt incudes itaque cunctas, cæteráque ferramenta, ut prius per eorum interpositionem montes connecte-

*De Alexandro Macedone negatur, ut quosdam conclusserit in mōtibus. ut uulgo de Gog & Magog fabulantur Iudæi.*

*Metalla Cyclopum.*

i ret,

ret,deincepsq; cuprum ad superinfundendum afferrent iniunxit. Quo facto,ulterius illi transmontani, nec illud perforare, nec malum facere Dei pietate subueniente poterant. Termino uero ueracissimo,quem Deus præscripsit, contingente, illud fiet minutissimum. Tuncq; cornu pulsaturi omnes conuocabimus.¶ Tunc etiam incredulis paradisum uidere permittemus,qui prius auditu uisuque priuati,opinati sunt,meam gentem illos adoraturamq;,quos Dei loco inuocabant:& infernum illis hospitium tribuemus, ob hoc quod præcepta prophetarum deridebant,nec diuinis miraculis,nec diei publicæ congregationis coram me fidem adhibebant.Sicq; licet opinati se benefacere,facta sua perdiderunt,nullum examen habituri.Credentes autem,& benegerentes,paradisum hospitium sempiternum,minime timentes illinc eiici uel exulari, possidebunt. Sed licet æquor eius ue duplum in incaustum flueret, primum ipsum deficeret, quàm uerba præceptaq; Dei penitus inde scriberentur. Tibi quidem præcipio,ne te quid aliud esse quã hominem perhibeas, nec testificeris alium quàm unum solum Deum esse. Omnis deinde sperans se Deo coniungendum, bonum opus perpetret,nec Deo quenquam participem statuat.

*Hyperbolen Euangelicam totus mundus non caperet libros,& c. intendit immodice.*

# MEDIVM ALCORANI

## AZOARA XXIX.

*Zachariæ promittitur Ioannes. Alibi etiã narrauit.*

IN nomine domini pij & misericordis. Dei pietatem atq; misericordiam suus seruus Zacharias secrete,nemine nisi solo Deo conscio clamando,dixit: Cum ossa mea iam eneruia sint,& effracta,capillicq; cani,mulierq; mea sterilis,summeq; timeã,ne post me mei futuri uicarij tum mali sint,tum malos efficiant:tu Deus,cuius adoratio seu clamor mihi nunquam obstitit,misericorditer mihi tribue, qui mei uicarius & hæres, gentisq; Iacob per te sublimatus,& in bono confirmatus statuatur. Hunc Deus exaudiens, tale respõsum reddidit:O Zacharia,cor tuum gaudeat,& gratuletur. Habebis namq; filium,appellandum nomine nunquam antea cuiquam imposito, uidelicet Ioannes. Cui ipse: Quónam modo filium generabo,cum uxor mea sterilis sit,& ad plurimum annorum numerum ego redactus? Ait Deus: Hoc mihi quidem leuissimum est. Nonne enim teipsum cum prius nihil esses,effeci? Hic itaq; respondit: Tu Deus mihi quid imponere digneris. Et Deus:Per triduum igitur æque cum nemine loquaris. Hic igitur ab altari ad suam gentem accedens, signis & nutibus iniunxit ei diuinam inuocationem constanter mane & uespere.Ioanni deinde præcepimus,ut librum ui potentiaq; sua sumeret,rerumq; discretionem puer adhuc subiret. Vnde nos diligens timuit, suosq; parentes honorificauit. Quippe uir erat minime difficilis,nostra mandata nullatenus contemnens.Super quem die natalis sui, & mortis, ac resurrectionis salus quieuit. Hic item liber minime prætermittit, qualiter Mariæ uersus locum orientalem, à sua gente discedenti,suisq; uelamen & intercapedo contigit. Cui spiritum nostrum, qui uerum imitaretur hominem coram ea, quod & uere fecit,misimus. Cuius uisu illa pauefacta, Deum obsecrat, ut se ab illo, si Deum timeat, tueatur. Contra quam ipse sic fatus est: Nil nisi Dei nuncius sum, qui tibi puerum optime crescentem promittit.Respondit ipsa: Cum uirum non tetigi, nec hoc opus nunquam dilexi, filium qualiter habebo? Inquit ille: Hoc quidem Deo leue est, atq; possibile, ut hoc hominibus mirandum unicumq; miracu-

*Ioannes baptista.*

*Maria ut conceperit, ac genuerit Christum benedictum, contra euangelicæ historiæ ueritatẽ narratio prophana.*

miraculum,noſtræq; pietatis munus appareat. ¶ Iſtud quidem firmè conſtanterq; dijudicatum eſt.Illa igitur impregnata,cum eo longinquum in locum aufugit. Tandem menſtruo partum præcedente diſtillante,cum iuxta palmam conſiſteret, inquit, utinam morti obliuioniq; ſuccumberem, antequam hoc mihi contigiſſet.Chriſtus autem ſubtus eam egreſſus,ipſam conſolans inquit: Ne timeas,en ego tecum aſſideo. Deinceps Deus ipſam allocutus iniunxit, ut palmam excuteret, ſicq; ſuper eam † arruteba recentia caderent,unde ipſa comedens & bibens, cor ſuum corroboraret, atq; mitigaret:nemini uero uiſo colloquium præberet,ſingulis innuens,ſe Deo dies abſtinentiæ reiunijq; uouiſſe.Eam deinceps afferentem puerum,ſui non mediocriter increpabant, dicendo: O Maria, cum tuorum parentum neuter malus exiſteret,cur rem adeò malam perpetraſti? Illa uero puerum oſtendens,ut ipſum inde conuenirent ſignis innuebat. Quibus qualiter infantulum huiuſmodi conuenirent ſciſcitantibus, ipſe prius in uocem erumpens, inquit:Ego ſum Dei ſeruiens,qui mihi librum tribuens me prophetam cõſtituit,& loco quocunq; meliorantem & utilem poſuit.¶ Mihi quidem orationes fundere, & eleemoſynas ac beneficia diſtribuere, & meam matrem honorare,dum inter homines conuerſarer, iniunxit: nec me uirum difficilem,ſed malorum expertem creauit. Et ſuper me eſt diuina ſalus in die meæ natiuitatis & mortis,& qua uiuus iterum accedam. Hoc eſt de Chriſto Mariæ filio uerbum uerax:in quo tamen plurimi diſſentiunt homines. Sed ſciendum quidem, hoc Deo nunquam contigiſſe, nec hoc uoluiſſe, ut filium unquam aſſumeret:qui quicquam perficere uolens,præcipit ut fiat,& factũ eſt. Eum itaq; meum adorate dominum & uniuerſorum: ſicq; rectum callem carpetis. Inter cohortes quædam ambiguitas ſeditioq; nata illa die maxima,malum incredulis maximum afferet. Audiat igitur omnis,& conſideret,quid de illis die aduentus ueſtri fiet: licet hodie uiam erroris proficiſcantur. Tu uero,licet ipſi minime fient creduli,de die uindictæ pœnitentiæq; qua rerum certiſſima diſcuſſio dabitur prædica,cum Deus ipſe dicat: Nos quidem terram,omneq; poſitum in illa hæreditabimus, & ad nos rediibunt omnia.Nec taceas item in libro,qualiter Abraham ueridicus atq; propheta patrem ſuum increpando, quoniam rem cæcam & ſurdam ſibi proficere uel obeſſe nullatenus poſſibilem credebat, inquit: O mi pater,diabolum quod à Deo præcipitur,minime uolentem,& homines aberrare facientem,imitari deſiſte, timendo Deum, tibi malum illaturum, & te diabolis aſſociaturũ. Ipſe uero obſtinax reſpondit: O Abraham,uis ne me ab idolorum cultu recedere? Te quidem niſi recedas uel lapidibus opprimam,uel à me longiſſime proijciam. Reſpondit ille.Ego quidem pro te Deum,me fortaſſis exauditurum,deprecabor, qui me à te idoliſq; tuis retrahet, & à malorum actu paſſioneq;,mea prece liberabit,idemq; tibi ſalutem permittat. Abrahæ igitur retracto ab eo,quod quaſi Deum adorabat, Iſaac atq; Iacob, prophetas ſcilicet, quibus noſtra pietate linguam elatam atq; ueridicam contulimus, tribuimus. ¶ Hoc reſponſum codice nequaquam ſubſit ſilentio. Moyſes purus nuncius atq; propheta,quem in monte Sinai uerbo propinquo cõueniimus,eiq; miſericordes atq; propicij fratrem ſuum Aaron prophetam fecimus. Iſmaël hoc item libro nominetur,qui ſuo ſermone ueridicus nuncius atq; propheta,ſuis præcepit,ut orationes funderent,& eleemoſynas ac Deo debita complerẽt,ſicq; coram Deo uir bonus inuentus eſt. Heforam quoq;

† id eſt dactyli.

*Silentium ieiunio conuenictum.*

*Chriſtus quis, teſtimonio Machumetis.*

*Abraham & patris Tarahæ concertatio de religione.*

*Moſes propheta eximius.*

*Aaron.*

*Iſmael.*

*Heforam propheta.*

ueridicum atq; prophetam à nobis eleuatum in locum excelsum, in hoc uolumine nomina. Istis quidem prophetis ortis de filijs Adæ, & sequenter à Noë, ac gente Abrahæ & Israël, quibus uias rectas monstrauimus, & diligẽtes bonum contulimus. Cum diuinę uirtutes pręceptaq; legebantur, humilitas adoratioq; diuina iugiter inhærebant. Illis uero succedentes deteriores, orationibus abiectis, uoluptates prorsus secuti, malum grauissimum incurrent, nisi facta conuersione benefecerint, in fide perseuerantes. Hi namq; tales paradisum, expertes omnis nocumenti, possidebunt. ¶ Hanc quidem paradisum, ubi nemo contumeliam uel opprobrium, sed salutationem mutuam audiet, plenumq; uoti gaudium mane uespereq; percipiet. Deus, cuius omne mandatum perficitur, hæreditatem suæ genti se timenti, nec ponenti uerbum istud nisi cum mandato diuino tribuit. Cuius est quod ineſt manibus, atq; posterius, nihil obliuiscentis Dei cœlorum & terræ, & omnium illis interpositorum. Hunc igitur patienter & indurate supplex adora: Cui quis nomen æquale sortitur? Licet homines hoc assuescant dicere, nos mortuos quisquam uere suscitabit? Nonne recordantur nos prius eos, cum nihil essent, creasse? per Deum, nos eos diabolusq; congregabimus, igneq; gehennæ suis cum corporibus circumuallabimus. Nos enim quarumq; gẽtium deteriores, Deum minime uocantes, sicq; sibi lucrantes ignem, optime discernemus, semotim auferentes. ¶ Sciendum quidem neminem esse, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandauit, proficiscatur, ubi corporaliter etiam increduli perseuerabunt. Timentes autem Deum saluabuntur. Increduli tamen, nostra uerba manifesta sæpius audientes, à credentibus percunctantur, quæ cohortum stet firmius, adoretq; melius. Quot suorum prædecessores, ditiores atq; potentiores illis, confudimus? Sed erroneos Deus dilatabit, usquequò uideant illius sæpius dictum scilicet uel malum præsens, uel diem illam, qua dinoscetur, quis esset debilior, quisue partem peiorem obtinebit. Credentium autem fidem semper augebit Deus: apud quem est bonorum residuum optimum & precioſissimum, remuneratioq; pręcellens. Nonne uides mandatis nostris non credentes dicere? Nunquam nobis prolem seu diuitias dabit Deus. Anne Dei secretum ipsi scandunt? an cum illo pactum firmarunt? Nos quidem eorum dicta scribemus, & eos in malo suo prolongabimus. ¶ Taliter dicentem firmant ore suo, sentire faciemus: ipseq; singularis ad nos ueniet. Plures adorantes idola loco Dei, ut ab illis honorem & sublimationem habeant, uidebunt horam, qua nullatenus credent eis, iam illis malo contingente. Nonne perpendis, nos iam misisse diabolus incredulis, ut de illis sibi ridiculum faciant? Tu uero nullatenus uel eos festinare, quoniã nil eis, nisi computum suum faciemus die, qua decenter Deum timentes coram ipso congregabimus, & incredulos adductos igne sepeliemus, quãdo nec quis ueniam postulabit, nec quicquam nisi Deo iubente mandabit: agnoscentq; dicentes Deum sumpsisse filium, se turpe uerbum protulisse. ¶ Ob hoc quidẽ turpe dictũ, ferè cœlũ se cõfudit, & tellus aufugit, omnisq; mons cecidit. Hoc est enim inopportunũ & inhonestũ Deo, cuius iugo seruitutiq; subsunt uniuersa cœlestia atq; terrestria, ad eũ ueraciter distincte reditura, & ab ipso numero certissimo dinumerãda die illa. Et illius amorem assequetur tunc omnis credens, & benefaciens. Tuę quidã linguæ nullã facultatem induximus, nisi ut Deum timentibus nunciũ gaudio plenũ, & castigamẽ incredulis nũciet. Omniũ ne per al

*Resurrectio.*

*Ignem omnes adibunt, sed impij non inde liberabuntur.*

*Deus tradit incredulos diabolis.*

*Summa blasphemia, fateri Christum filium Dei.*

*At ueritas sempiterna dicit Ioann. 3. Qui non credit in unigenitum, &c.*

chirna

chirna destructorũ à nobis quenquam uel sentire uel ab ipso uerbũ aliquod percipere potest.



IN n.d.p.& m. Hũc librũ, uidelicet Alchorã, tibi nequaq̃ tuo malo misi mus, sed ut per ipsum à rege cœli & terræ & omniũ illis interpositor, terræq̃ suppositorũ, q̃ post terrã & cœlos à se creatos thronũ ascẽdit cõpositũ, diuinã cõmemorationẽ dilectionẽq̃ timẽtibus dominũ infundas. Ipse nãq̃ scit dictũ, cordeq̃ retentũ, & occultius eo. Et præt ipsum nõ est Deus, suaq̃ noĩa formosissima. Audi uerbũ Moysis, mulieri gẽtiq̃ suæ stationẽ ob focũ ab eo uisum iniũgẽtis. Vos nullatenus hinc moueatis, usq̃quo uł ab igne ui so uobis adducã, uel bonę uiæ doctorẽ illic inueniã. Illi quidẽ illuc ascẽdẽti dixi: En ego Deus sum. A pedibus tuis soleas abstrahe: quoniã tu locũ bene dictũ obtines. Et deinceps tu à me qdẽ electus, præt quẽ nõ est alius Deus, meũ præceptũ audi, & me adora, & orationẽ cũ meo nomine funde. Veniet enim hora, omnib. mea spõte celata, qua omnis anima suos actus inueniat. A meo p̃cepto nullatenus diuertas. Si uelle nãq̃ dilectionẽq̃ nõ credentiũ seq̃ris, malũ patieris. Sed qd gerit tua dextera? Respõdit: Lignũ hastile gestat, q̃ sępius fulcitus alleuor, gyrũq̃ faciẽdo tũ oues cõgrego, tũ cętera negotia perago. Inqt illi Deus: Proĳce ipsum. Quod ipso faciẽte, immẽsus serpẽs inde pcessit, hac & illac irrepẽs. Quod ille deinde metu sermoto, me iubẽte sumpsit, priori forma per me redeũte. ¶ Meo quoq̃ præcepto manu sua alã eius attingẽte, cãdidissima malorũ expers redĳt: sicq̃ miraculũ secundũ, pdĳt. Ipsumq̃ maiores uirtutes quasdã edocui. Me deinceps iubẽte, ut ad Pharaonẽ se præsumptuose sublimantẽ accederet, inqt: Tu Deus cor meũ aperi, negotiũ alleuia, lingũã enoda, ut meus sermo, pmptus sit & intelligibilis, fratrẽq̃ meũ Aharon p̃latũ atq̃ cẽsorẽ in gẽte nostra cõstitue. Eo nãq̃ sic operũ meorũ particĳpe, fiet meũ negotiũ firmius & castigatius: & te nostras actus oẽs p̃spiciẽtẽ deuotius, & crebrius atq̃ diligẽtius inuocabimus. Respõdit deus: Omne tuũ uotũ implebimus, quí te pueroꝝ etiã adiuuimus. Me nãq̃ iubente tuã matrẽ, ut te clausum in cista in mare, pĳceret, ut sic ad littus te reuersum meus hostisq̃ tuus susciperet, amor meus te sustinuit, uisuq̃ mei eduxit, & aluit: Quoniã tua sorore dicẽte corã rege, ego tibi nutricẽ inueniã, ad tuã matrẽ te reduxi, ut cor suũ firmũ & intrepidũ existeret. Te rursus homicidã liberauimus, & tu deinceps in gẽte Madian annoꝝ numero cõmoratus, iã ad horã accessisti. ¶ Cũ itaq̃ te sic ex anima mea iuui, tu fratq̃ tuus ad Pharaonẽ præsumptuosum eũtes, ipsum formoso colloqo ad memoriã Deiue timorẽ p̃ducite. Illis uero respõdentibus: O Deus timemus, q̃d cruciatus atq̃ flagella uel statim inferet, uel uictor existet. Inqt Deus: Ego cũcta uidẽs & audiens, uobiscũ ium. Ad eum igit intrepidãter euntes dicite, uos Dei nũcios esse, & p̃cipite, ut uobiscũ filios Israël, in nullo noxius eis, mittat. Eos itaq̃ cũ diuina uirtute ueniẽtes, dicentesq̃, diuinitus salutẽ esse datã credẽtibus, rectãq̃ uiã sequẽtib. incredulis aũt & cõtradicẽtib. malũ grauissimũ: quęsiuit Pharao: O Moyses, quis tuus est Deus? Respõdit. Omniũ creator, hominib. omnia tribuẽs & uias rectas edocens. Et ille: ¶ Vbi est gens præterita? Respõdit: Huius rei noticia in libro omniũ capace, nec quicq̃ obliuiscente cõtinet apud Deũ, qui terrã applanãs, uias in ea peruias uobis patefecit, & ad aquas ad omniũ nascentiũ ortum, ut inde tum uestrũ uictum, tũ bestiarũ pastum haberetis, de cœlo pduxit, scientibus scilicet miraculũ magnũ. Et ipse nos è terra reauit, & iteꝝ ad eã reducet, & inde resuscitabit. Ille tamen nostris

*Cur datus Alcoran.*

*Repetit. sed perperam, quæ leguntur Exod. 3. & 4.*

*Moses ad Pharaonem. Vide Exodum, & superiores aliquot narratiunculas.*

ſtris uirtutibus uiſis cõtrarius exiſtit,& obſtinacíť incredulus uixit,indignã
ter ingens, An ueniſtis eiectum nos è terra noſtra incãtationibus artibuſq́
magicis? nos uero uiciſſim cum ſimile negotium reponemus. Loci itaq́ tem
poriſq́ terminus ſtatuať certamini,quem nec nobis nec uobis ullatenus prę
termittere liceat. Illis itaq́ ponentibus ad hoc diem ſolennem,diluculo ibi
facto uiroꝝ cõuentu,Pharao omnes ſuas artes & artifices in unum reduxit,
illiſq́ ſic aduenientibus dixit Moyſes: Caueat ſibi quiſq́ ueſtri,ne Deo men
dacium imponat. Nemo nãq́ mendax aliud quàm malum ab eo lucrabitur.
¶ Illi q́dem deliberãtes ambigue,hoćq́ ſecreto,ne Moyſes hoc perciperet,
dicebãt. Iſti magi nos exulatum uenientes adſunt,uel noſtros ornatus & pre
cium delatum ſecum proponunt. Noſtris ergo artibus congregatis,linealiť
diſpoſiteq́ procedamus. Loco nãq́ ſublimior uictoriã leuius adipiſceť. Sic
itaq́ progreſſi,Moyſen ſic affati ſunt: Aut tu aut nos cauſam noſtri conuen
tus inchoemus. Illis igiť Moyſe iubente primo proijcientibus funes & haſti
lia,ſerpentes reptiles cernebãtur. Moyſen hoc uiſo corde trepidãtem corro
borans atq́ conſolans,quoniã uictoria donaretur,iuſſi,ut dextræ ſuæ geſta
men proijceret. Inde nãq́ factum ut aliorꝝ opera cuncta,quoniã magica fue
rãt,quę nuſq́ proficient,deglutiret. Illi igitur magi in terrã proſtrati,Moy
ſiſq́ pedibus aduoluti dixerũt publice, ſe in Deum Moyſis & Aharon cre
dere. Quibus Pharao turbatus inquit: In eum ante meũ præceptum credi
tis? Ille q́dem maior eſt,qui uos artẽ magicã docuit. Ego uero manus ueſtras
& pedes ex oppoſito ſtatim abſcindã,& in trũco palmarꝝ ſuſpendã. Sicq́ ma
lo perpetuo deputati dinoſcetis,quis ueſtri maius grauiusúe malum inferre
quiuerit. ¶ Reſpõderunt, Nobis itaq́ tibi nequaq́ ſuper uirtutes agnitas,
Deumq́ noſtri factorem credentibus, tuũ libitum imprime, & mandatum
exerce,q́d minime uitã huius ſæculi trãſcendit. Nos aũt in Deum nobis ue
niã daturꝝ peccaminum & incãtationum,te cogente præmiſſorꝝ,credimus,
qui eſt Deus optimus,poſt omnia ſuperſtes. Qui credentibus & bene geren
tibus gradum in paradiſo riuis amœna ſublimem perſeuerãter præbebit: in
credulis aũt ad eum ueniẽtibus gehennã, ubi nec uita ditati, nec morti ſub
diti manebũt. Moyſes deinceps noſtro iuſſu educentẽ gentẽ noſtrã,& in ma
ri uiã ſiccã præparãtem abſq́ timore, Pharao cũ ſuis exercitibus executus,
mari manu noſtra ſummerſus eſt,quia uiã rectã minime profectus eſt. Vo
bis itaq́ filijs Iſraël ab hoſte ueſtro liberatis, poſt terminum uobis in monte
Sinai cõſtitutum,uictum manna coturnicesq́ dedimus. Comedite de bonis
noſtris uobis datis, nemini faciẽtes iniuriã. Sic enim ſuper uos mea iracũdia
caderet,quæ cuilibet incũbens ſumme nocebit. Conuerſis q́dem,& creden
tibus,ac bene gerentibus, rectoq́ tramite poſtea gradientibus ueniã facio.
Moyſes cur citius ſua gẽte ueniſſet,à Deo rogatus,inquit: Illa q́dem me ſub
ſequiť. Ego uero te annuente præcedens,tuã præoptaui faciem. Ipſe tamen
Deo dicente, quod † Aſcemeli poſt diſceſſum ſuũ gentem ſuã errare fecit,
reuerſus eſt,nõ minimum iratus ſuæ genti, & eã increpãs dicendo: O gens,
quare placitum bonum uobis à Deo propoſitum mentiti eſtis? An ſtudetis
irã incurrere diuinã? Illi uero reſpõderunt: Nõ ſpõte trãſiuimus. Sed nobis
quoddã ex ornatibus popularibus fabricare præceperũt: Cui præcepto no
bis fauẽtibus Aſcemeli taurꝝ fudit, corporeũ, emittentẽ mugitũ,& dixit, Eũ
ueſtri Moyſiq́ Deũ eſſe: quod ipſe tamẽ oblitus eſt. Nonne uidere poterãt,
ipſum impotentẽ uerbũ quotquã reddere, uel eis prodeſſe ſeu nocere poſſe?

*Non ui cogendi homines ut Deum cognitum deſerant.*

*Ira Dei grauiſſima.*

*†propheta ille uel artifex. Aſcemeli utulum in deſerto fudit. Exod. 32.*

Saltem

Saltē audissent Aaron præmonentē, dicentēq́: Vos ꝑ eū decepti, me sequamini, mea pręcepta faciēdo, quod Deū dominum nostrū adorādo facietis. Illi uero respōderunt, se nullatenus hoc dimittere, priusquā Moyses reuertet̄. ¶ Moyses itaq́ reuersus, percūctatus est Aaron, cur prohibitionē eius minime secutus sit, suúmue mandatū nō cōpleuerit? Cui ipse taliter respōdit: Tu matris meæ proles, nec barbā neq́ capillos auellas mihi, timēti te dicturū, q̄niā eos secernerē, tuūq́ uerbū minime cōplerem. Ille deinceps ad Ascemeli cōuersus, q̄d præcepisset, quæsiuit. Qui respōdit, se nequaq́ aceris uisum uidisse. Vnde ego de ꝓphetę uestigijs manu mea clausum, quoniā hoc bonū uidebatur, inieci. Iniunxit itaq́ Moyses, ut quā diu uiueret Ascemeli peregrinaretur, nec cuiusquā cōmunione potiret̄. Sicq́ terminū nullatenus mēdacē expectans, illū solū Deum consideret, cuius nullus est terminus, pręter quē nō est alius Deus, cuius scientia cōplectitur omnia. Deū etenim illū cōflatū uel cōburemus, uel diminutū in mare proijciemus. Talit̄ tibi prędecessorū actus manifestamus, tibiq́ prębemus sapiētiā, à q̄ quisq́ se diuertēs peccatoꝝ sarcinā ꝑseuerantē sentiet, die grauissima, q̄ flatu buccinæ oīm facto cōuētu, pallor incredulis insidebit. ¶ Dicēt aūt quidā tūc, se X. dieꝝ spacio iacuisse: cōsultiores uero discretioresq́, se nullatenus nisi ꝑ diē unā quieuisse perhibebūt. Perscrutātibus uero, Quid de mōtibus fiet? intima, q̄niā ego Deus eos radicitus cōfundā, sua fundamēta plana faciēs penitus, & ęqualia, nilq́ superius uel inferius dimittēs. Illaq́ die nulli distorq̄re se poterūt, quādo uocantē se sequant̄: ubi nec tumultus aliq̄s efficiet̄, nec uerbū Dei inquietabit̄: nec quis prolocutor, nisi cuius uerbū Deo placuerit, statuetur, q̄ dinoscit manibus inhærēs atq́ posterius. Quem tūc uelut uiuū & uerū Deū adorabūt omnia. Illic etiā malefactor omnis iacturā, benefaciēs & credēs nullā iniuriā, meritiue detrimentū sentiet. Talit̄ Alchoran Arabice disposuimus, & correctiones inscripsimus, ut ꝑ ipsum omnes credētes atq́ memores efficiantur. ¶ Cum Dei ueri sit omnis sublimatio, Alchoran propalare minime properes, priusquā tibi cūcta sua præcepta discernere permittā. Deū igitur iugit̄ preceris, ut tuā augeat sapientiā. Hoc quoq́ prius Adæ pręcepimus, cuius ipse prorsus oblitus, in nostris mādatis minime perseuerās reꝑtus est. Cui tamē ut angeli se subijcerēt, nobis iniungētibus, omnes præter Beelzebub paruerūt: quē Adæ mulieriq́ suæ pessimū hostem futurū, ego patefaciens ꝑsuasi, ne illos educeret à paradiso, ubi nec fames, nuditásue, seu sitis, aut feruor accidet. Sic em̄ illis labor immēsus incūberet. Diabolus aūt eos econtra sic affatus est: Ego te q̄dē Adā ad æternitatis & imperij nunq́ senescētis arborē inde comestū adducā. Vnde cibatis illis, mēbra genitalia patuerunt. quæ de paradisi folijs sumptis tegere nitebātur. Sic igit̄ Adā, à Deo minime pręceptū operatus, ius mortale subiuit. Illis tamē deinceps ad amorē Dei redeuntibus, prius male ꝑacta Deus cōdonauit, uiā insuper rectā patefaciēs. Vnde licet eis iniūxisset, ut omnis aduersans alij descenderet illinc: ueꝝ eis uię dogma patefecit. ¶ Huius aūt uiæ omnis imitator, hic sæculoq́ futuro timoris omnis expers permanebit. Omnibus autē me derelinquentibus, & meum nomen non inuocātibus, uiā angustā, & conuentu publico cæcitatē inferemus. Omnis tum huiusmodi dicet: Cur me sæculo præsente uidentem hoc lumine priuas? Cui Deus sic respondebit: Tu quidem meorum operum atque pręceptorum oblitus, hodie nostra premeris obliuione. Tale namque promeret̄ malefaciēs, nostrisq́ præceptis resistēs. Alterius quidē seculi ma-

*Tuba conuocabit ad iudicium nouissimum.*

*Nouissimus dies.*

*Intercessores coram Deo.*

*Alcoran non festinatò publicandus.*

*Adæ lapsus.*

*Diaboli sermo ad Adam.*

lum grauius est,perpetuūq. Quare nō perpendunt,quot gentes p alchirna præcedentes,quorꝝ habitationes atq labores moderni possident,confundimus? Hæc tamen peritis non minimā notitiā adhibent,uindictæ qdem negotium statim sequeret,nisi propter uerbum Dei præsignatū, ratum qdem & immutabile. Eorꝝ tamen dicta patienter sustinendo indura: & Deum ante solis ortum & occasum,nocte quoq,horisq diurnis,usq quo mercedē ex meritis assequaris, deprecare, nec oculos tuos unq ad uxores alienas, licet hoc mūdo speciosas & preciosissimas,cōuertas. Apud Deum etenim timentibus,beneq sperātibus,res multo splendidior & melior reseruatur. ¶ Precipe tuæ gēti, ut patienter & iugit orent, cū nos illis uictū & uestitum præbētes,ab eis minime talia exigamus. Sed inquiunt: Si diuinis cū uirtutibus aduenissent. Nōne testimoniū de prioribus libris attulimus:Si cū malis ante eos obruissemus,dicerent,ante malorꝝ iacturaq contingentiā se nostris paruisse preceptis,si sibi nuncij mitterent. Dic igit,expectent illi simul & ego, usq quo manifeste discutiat, qui uiā rectā diuinaq præcepta secuti fuerint.

*Non concupiscēda uxor aliena. Bene præceptū quidem. sed non obseruatum à Machumet.*

*Miraculis nō opus esse inqt quum doctrina ipsius confirmetur scriptis authenticis. Da demōstrandi.*

AZOARA XXXI.

IN n.d.p.e.m. Quanq hominibus inde parum tractantibus, suus ad iudicij diē transitus plurimū accedit. Alig tamen nouū illis ex Dei parte missum auscultāt & irridēt:suo nequaq corde thesaurizātes illud,sed indignādo dicentes: Iste nil aliud quā homo,sicut & nos, cum arte sua magica nobis accedit,cuius uolumē allatū uel somniū est,suūue fictitiū. Sed Deus omniū auditor & cognitor,omne uerbū cœlo terraq ppalatū dinoscit. Villa quoq prius nō nisi p cōfusionem & uim illatā,ad fidem cōuersa est. Alios em̄ nuncios carnales atq durabiles,cibis potientes ante te misimus,qd à sapiētibus quæsitum pfecte cognosces. Cum qbus nostro ueraci termino firmato,dilectos nostros saluauimus. Incredulos aūt pessundedimus. Cur igit non timetis,cū uobis libꝝ nostra præcepta ferentem misimus? ¶ Quotqt uillarꝝ noxiarꝝ,quarꝝ loca cæteris gentibus restaurauimus, huc usq cōfudimus, cum malorꝝ præsenserāt aduētum,libent se retraherēt. Vos aūt perfidiā minime derelinquetis,sed ad uestras māsiones reuertetis,usq quo percunctati dicetis: Nos qdē erronei malefecimus. Hoc qdem uerbū tacebitis, nisi prius q̄si messis manu uestra,pstrati. Nos qdem ueritatē crebro sistentē falso ptulimus,ut ipsum cōfunderet. Vobis aūt tū ob falsiloqum,tū ob incredulitatē malū inferet Deus:cuius sunt uniuersa cœli terraq,cui semp assistūt,ipsum iugit inuocātes nocte dieq totius expertes ludibrij. ¶ Vbi sumpserūt è terra sibi cōstitutum Deū,& effectum? Si esset Deus nisi unus,oīa funditus perirēt. Deus aūt excelsi throni dominus,dictum eorꝝ abhorret, cuius oīniū opera perscrutantis,minimè facta perscrutabit, quisq illius loco Deum alium assumens:qd uerꝝ esse,nemo demōstrare poterit. Hic sermo presens etiā adhuc,atq pteritum amplectit. Plures etiā ueritatis inscij,ab ipsa lōge dis sident. Prophetā nullum ante te misimus,nisi q perhiberet Deum unum solum esse. Me igit oīs adoret. Dicunt autē plures, Deum nullatenus hoc uolentē sumpsisse filium q tamē bonos homines, q uerbum preceptumq Dei nullatenus transgrediunt, diligit,sciens qd manibus inhæret & posterius:co rā q nemo nisi suo iussu,plocutor uel exorator statuet, Deum scilicet timēs. Ponēs autē secundum Dei loco,gehennā,prout mali merent,introibit. Nōne uidēt increduli,qmodo cœlū & terrā illis primo creatis,clausis atq sterilibus aperuimus,& ex qua omnia uiuentia,pduximus? Cur igit nō credūt?

*Non contemnēdus Machumet,ut homo: siquidem alios mortales prophetas cōtempsisse, obfuit.*

*Vnus Deus.*

*Filio Deus caret.*

*Atqui ueritas ostendit nobis unum aduocatum Iesum Christū, &c.*

In terra

in terra quoq; montes magnos ad ipsius firmitatẽ, & ualles atq; planicies ad itinera transitusq; cognoscendos, & cœlũ tectum optimum posuimus: quæ stulti nequaquam admirari sciunt. Diem item & noctem continuauimus, & solem ac lunam, & omnes in circulo mobili currentes fecimus. Nec ante te quenquam immortalem condidimus hominum, ut te mortuo superstes existeret. Omnis enim mortẽ gustabit, & uobis omnibus ad me redituris, quibusdam bonum quibusdam malum inferam. Increduli tamen te uidentes, diuinum nequaquam nomen inuocantes, te non adorantem idola sua deridebunt. Homo enim res est festinans, & transitoria. Me autem uobis meas uirtutes patefaciente, nolite festinare, uel impetum facere. Sed ipsi quærent à te terminum illum, si uerax es. Sciant autem omnes increduli, quorum faciebus atq; lateribus ignis inhærebit perpetuus, eum terminum ex improuiso futurum, nemine prædocente ipsum. Tuncq; stupidi facti, nusquam diuertere se poterunt. ¶ Similiter cæterorum prophetarum ante te derisores, ex sui ludibrij modo malum sustinuerunt. Sed quis tuebitur uos die seu nocte à Deo? An illi, quos adoratis Dei loco, qui nec se à nobis liberare, neq; uindicare queunt? Illos autem Deum nominare desinentes, parentesq; suos, in uitæ prolixitatem protraximus. Nonne uidere queunt, quod terram è capitibus suis minuere fecimus? An se uictores fore cogitant? Ego quidem uos nequaquam alloquor, nisi cum uerbo diuinitus misso, surdis inaudibili. Malo uero quoquam eos attingente dicunt, per Deum, nos ad nostri detrimentum uiximus. Illa namq; die, qua nullus iniuriam sentiet, nec beneficium quotquam, siue fuerit aureus, sinapisue granum computando prætermittemus, acusq; omnium æquilibriter examinabimus. Moysi quoq; nec non & Aaron, alfurkan lucem atq; memoriam timentibus corde Deũ, & horam uenturam tribuimus, sicut & hanc sibi doctrinam. Cur igitur non credunt eam? ¶ Abraham quoq; prius discretam rerum actionem per me doctus, me audiente, patrem suum atq; gentem increpans, quæsiuit, Cur in idola credebant? Cui illi respondebant, se reperisse, parentes suos adorauisse illa. Eo quidem dicente, Tunc eos parentesq; suos errore manifesto deineri: responderunt, Hoc ne serio seu ludi ore locutus es? Inquit ille: Vnum solum Deum, cœli terræq; conditorem esse testor. Egoq; per Deum uestra fallam idola, ut sic saltim conuertatis uos ad fidẽ. Fregit igitur omnia præter maximũ, ad quod redirent. Illis deinde quærẽtibus, quis hoc perpetrasset? responderunt alij, Se audisse illud fieri à quodã puero, cui nomen Abraham. ¶ Illum deinceps eorum præcepto in præsentiam hominum, qui testes inde fierẽt, adductũ interrogabãt, An hoc de suis idolis peregisset? Quibus ille respondit, Hoc à maximo superstite perpetratum esse: quod ut ab ipso, si quicquã proferre posset, percunctaretur, iniunxit. Illi itaq; ad se cõuersi, capitibus inclinatis cõfessi sunt, se malos & erroneos extitisse. Quibus ille dixit, Nonne sciuistis, ea nihil proferre potuisse? Cur Dei loco, bonorũ & malorum impotentes adorastis? Hoc quidem & uobis & illis est inutile. An indiscreti uiuitis? Dixerunt uero cæteri: Ad idolorum uindictam ille comburatur. Deus autem ignem frigescere, & salutem super Abraham quiescere iussit. Illi quidem nocere uolentes, perdidimus: Ipsum autem & Loth liberantes, ad terram benedictam, ad opus gentium duximus. Et eorum alteri Isaac & Iacob, docentes homines uias rectas, proficisci dedimus. Quibus & orationis studium, & eleemosynarum, ac decimarum donum, fidemq;

*Homo res fragilis.*

*Dies nouissima incerta: sicut fur in nocte uenet.*

*Matth. 24. & Dan. 12. Impij agent impie, &c.*

*Tantum uerbis diuinis loquitur Machumet. Os impudens.*

*Moysi & Aharon datus codex alfurcan.*

*Abraham idololatriam oppugnat.*

*Patres inepte imitantes.*

*Abraham puer simulachra euertit. Iudai cum somnij.*

*Philo etiam refert, ignibus adictum fuisse Abraham à Chaldeis.*

Loth. demq; diuinam iniunximus. Loth quoq; nos propicij, quoniam numero bonorum inerat, ipsum sapientem fecimus, & à uilla male gerentium & increNoe. dulorum eduximus. Noë quoq; nos prius adorantem exaudientes, gentẽq; suam ab illa peste generali liberauimus, & à suis contradictoribus, quos ueSalomon. lut pessimos summersimus, uindicauimus. Nos item testes iudicij Dauidis & Salomonis, quod de ouium in hominum cultus ingressu protendebant, Salomonem iudicando perspicaciorem, & in omnibus sapiẽtem atq; discretum fecimus. Dauidi quoq; montes & aues Deum inuocantes submisimus, & magisterium Martialium indumentorum, quibus litis firmitas atq; constantia paratur patefecimus. Et non inde gratias agetis? Salomonem rursus præbuimus, ut cum suo præcepto uentus immensus ad terram benedictam curreret: Et nos quidem scientes omnium existimus. ¶ Per ipsum item dæmones subtus terram & aquas ad mira gerẽda profecti sunt, me singula perspiciente. Iob rursum clamantem, Tu Deus omnium pijssimus atq; miserecors, à malo superueniente me protege: nos exaudiẽtes malum abstulimus, gentemq; sibi suam atq; substantiam restauratimus: cum simus propicij timentibus, & orãtibus ac reminiscentibus. Ismaël item & Hesdra, & Alchimafla, indurantes omnes, & patientes, ac boni, nostram senserunt pietatem & misericordiam. Et Ionas, licet iracundus discederet, cogitans nos nihil super id quod inuocabat posse, tenebris inclusis ait, non esse nisi Deum unum, se uero malum extitisse. Nos igitur respondentes illi, eum à tenebris liberauimus. Quippe nos saluamus singulariter credentes. Zachariam item, inuocantem Deum, & dicentem, Tu Deus omnium optimus hæres, ne me solum dimittas: exaudiuimus, suamq; mulierem adaptauimus, eisq; Ioannem dedimus. Quia ad nos adorandum proni, & diligentes, ac humiles semper reperti sunt. Omnium rursum mulierum optimæ, ab omnibus intactæ uuluæ, nostram animam insufflauimus, & illam filiumq; suum manifestum miraculum gentibus posuimus. ¶ Mea quidem est gens una, & ego sum Deus uester. Me ergo adorate. Sed licet gentes mea præcepta discrepant, ac me cunctæ redibunt, nec quis credens beneq; faciens quicquam suorum operum, cum nos omnia scribamus, amittet. Villa uero per nos confusa, nunquam conuertetur, usquequo Gog & Magog exeant, & gentes undiq; conueniant. Hora uerace tunc appropinquante, quam suis oculis increduli uidentes lugebunt, dicentq;: Heu heu, cur unquam erronei uel mali fuimus? Deus autem tunc inquiet: Vos, & quos adorastis Dei loco, gehẽnæ lignum eritis, quò perseuerabitis. Quo minime tenderetis, si illi dij, quos inuocatis, ueraces essent, atq; iusti. Sed nunc uos omnes illuc ituri, ignis strepitum atq; feruorem nil audientes gustabitis: unde prius benefaciens retrahetur, nec quid inde sentiet, nec illud maximum negotium timebit: sed perseueranter angelis sic alloquẽtibus eos associabitur. Hæc est illa dies, quàm prædicauimus, qua Deus scilicet cœlum inuoluet atq; plicabit sicut chartã: & sicut primo, ita nunc secũdo faciet. Hoc enim uobis incumbit, ut iteremus. Post cætera quidẽ uerba in psalterio scripsimus, istud solũ de primo aliquo casu audierat: Quoniã uiri boni terrã hereditabũt, ad quam Deũ inuocãtes applicabũt. Te quidẽ sola pietate nostra gẽtibus misimus, ut sola p̃cepta nostra doceas dicẽs: principaliter non esse nisi Deũ unũ, à quo si qui se diuerterint, dic te fecisse nunciũ, & nullatenus scire, utrũ terminus sui reditus affinis sit, an remotus, & an malũ propinquum sit, an longè uenturæ. Hoc enim

Dauidi fabulosa quædam affingit.

Salomoni dæmones subditi, ex traditione Iudæorum exorcistarũ.

Iob. Eam historiam optima fide reddit, & interpretatur. Ionas.

Zacharias pater Ioannis.

Gog & Magog.

Iusti hæreditabunt terram. Psa. 36. &c.

solum

ſolum prænoſcitur à Deo domino noſtro uero iudice, æquè dictum cordeq; retentum dinoſcente, qui nobis aduerſum incredulos auxilietur.

## AZOARA XXXII.

IN n.&c. Genus humanum, Deum time, quoniam horæ maximæ terræmotus eſt timendus, die reſurrectionis, quando nutrix ſuum alumnum tenuet prægnans aborſum faciet, omniſq; (licet falſò) uidebitur ebrius. Quoniam Deus malum inferet grauiſſimum: qui ſcripto notabit omnem inſipienter ratiocinantem in Deum, & ſequacem diaboli mali. Singulos namq; tales aberrabit, & ad ignis pœnam mittet. Quare de reſurrectione dubitat quiſquam? Nonne uos è terra primo plaſmauimus? ſecundo à ſpermate præiacente, ſanguineq; ſequente? tertio coagulata maſſa? quarto forma ſimilitudinis, non nunquam diſſimilitudinis produximus? Vobis quidem ad plenam noticiam ex plano ſingula, qui matris aluũ conceptui manſionem ad terminum ſcitum efficio: poſt quem pueros educo, & ad uirilitatem integram adduco. Et erit quidam mortis iuri cito ſuppoſitus, quidam autem ad uitam peiorem deductus: ubi primo diſcretus inſcius efficitur. Terra quidem ſtabilis aqua ſuper ipſam cadente, mouetur atq; fuctificat: & ex omni naſcentium genere duo parilia decentia per eam orta ſunt. Hæc quidem digna ſunt memoria, quod Deus eſt ueraciſſimus, mortuos uiuificans, & omnipotens, & è foueis reſuſcitans omnes in hora totius experte mendacij. Quidam in Deum inſipienter inuecti, libro manifeſto contradicentes, in hoc ſæculo dedecus, & in futuro pœnam ignis patientur, ſecundum actuum præcedentium menſuram, Deo nocẽte nemini. Quidam item non recto modo Deum inuocantes, ſi quid boni lucrantur, credent in illum: ſi quid autem mali, faciem ſuam auertunt. Et ſic hoc, aliudq; ſæculum, quod eſt damnum maximum, amittent. Errore autem longinquo inuoluuntur, quoniam Dei loco bonorum & malorum impotentes adorant, proniores ad ſibi nociuum, quàm ad commodum: Sicq; dominus eſt prauus, ſibiq; ſeruientes nequam & imperiti. Deus autem omne ſuum uelle cõplens, Paradiſum iocundam credentibus & benegerentibus tribuet. Aeſtimans Deum nequaquam futurum uindicem in hoc, ſæculoq; futuro, per funem cœleſtem aſcendat, & an ſic ſua quieſcat iracundia, perpendat. Iam tibi cœlitus miſſa re manifeſta, quos uult, in uiam rectam Deus diriget: qui ſuper omnia potens, illa die credentium & Iudæorum, ac leges uariantium Chriſtianorum, item & gentilium ac incredulorum iudex atq; diſcuſſor intererit. Nõne uidere queũt, qualiter uniuerſa cœli terræq;, ac ſol & luna, ſimul & ſidera & mõtes, ac arbores & beſtiæ, pluresq; gentiũ, cæteris in malo ſuo manẽtibus, Deum adorãt? A quo quilibet dedecoratus, & repulſus, nuſquã honorat? Cõtrouerſantibus Deo, ſimul & incredulis, ipſe totũ uelle ſuũ perficiẽs, ueſtes igneas adaptabit, eorũ uẽtres & capita, cutesq; foco uoluẽs perpetuo, exireq; inde uolentem repellens, ut feruorem indeficienter deguſtet. ¶ Credentibus, & benefacientibus paradiſum præbens, illis armillas aureas, & margaritas, moniliaq;, ueſtesq; ſericas adaptabit, uiamq; rectã, uerbumq; gratum edocebit. Incredulis aũt, & à uia præmonſtrata ſe diuertentibus, & templum Haran, cuius peregrinationem iugẽmque manſionem æquè bonas poſuimus, minime diligentibus, uel malum inferentibus malum grauiſſimum imprimet. Abrahæ quidem hoc templum fundare, & ipſum benedicere ac emundare, propter aduenientes & inibi morantes, ac

*Dies nouiſſ. formidabilis. Ve lactentibus, &c.*

*Reſurrectio probatur hominis formatione in utero materno.*

*Quæres à phyſicis rectius explicatur.*

*Idola ſimul et eorum cultores uituperat.*

*Aſtyſmo ludit in eos, qui non credunt Dei iudicem.*

*Chriſtiani leges uariãtes. Accuſat enim quanquam ſolo, ut ſcripturæ ſanctæ falſarios.*

*Pœnæ impiorum.*

*Paradiſus & felicitas piorum.*

*Inuiſere templum Mechæ quanti meriti ſit.*

Deum

Deum adorantes, Deoq́ nullum statuere participem, & ad templum prædictum peregrinationem prædicando persuadere, quo super bestias undique ueniant, ut sibi proficuum testificando uideant, diebusq́ determinatis Deum nominando bestias sacrificent: Vnde tum se tum pauperes & egenos pascant, negotiaq́ sua peragant, & uota compleant, ac templum uetustum circumeant: quod factum maximum à Deo summe remuneratur, iniunximus. Omnes quidem bestias licitas statuimus, exceptis superius adscriptis abstinentiæ. Omnem rem malam, & falsum testimonium euitate: nec iniuste Deo participem statuite. Hoc enim agens, est quasi quis è cœlo decidens, uel ab auibus deuorandus, uel à uentis in puluerem redigendus. Qui Deum corde timens, ipsius præcepta maxima peregerit, post templi beneficium summum proficuum hora determinata suscipiet. Cuiq́ gentiũ locum scitum disposuimus, ubi Deum inuocando & glorificando ipsi, qui est unus & solus, bestias immolarent hora præscripta. Vnde sibi uictum & pauperibus ac egenis acciperent in Dei nomine. Bonis etenim summum gaudium est sperandum, amorq́ diuinus, cum illi cordibus supplicibus iugiter orant, accidentia sibi patienter sustineant, eleemosynas & hostias diuino præcepto peragant. Quippe Deus hominibus omnia commoda fecit, ut sibi grates inde reddant, * Qui carnes cruorem ue sibi nequaquam assumit, sed ut timeatur, appetit. Ipseq́ bonis bonum nuncium mittens, eos à malis protegit: Subdolum autem, & furem, uel incredulum nullatenus diligit. Suis expugnatoribus, uelut iam prædiximus, malum ingerant, & Deus est uindex optimus, firmus, & immensus, qui uult rebelles & uindices fieri. † Aliter enim turres, & mesquide, templaq́ quibus Deus multum inuocatur, penitus pessundarentur, & è domibus suis eijcerentur iniuste dicentes: Deus est dominus noster. Illi quibus ego Deus, omnium rerum finis, copiã & sufficientiam indulsi, tellure orationibus insistunt, eleemosynas ac decimas tribuunt, remq́ scitam præcipiũt, nefanda prohibent. Sin autem tibiq́ cõtradixerint, similiter & prædecessoribus fecerunt, uelut Noẽ & Hat atq́ Themuth suæ gentes. ¶ Abrahæ quoq́, nec non & Loth suus populus, gensq́ Madian, Moysiq́ sua contradixit. Ego uero spacium illis incredulis, permisi, deinceps eosdem suo malo cepi. Quot uillarum manu nostra suam ob maliciam pessundatarum apparent uestigia, parietibus & puteis ac municipijs superstitibus? Quare per terras nõ proficiscuntur, ut sic saltem corda sensata & aures audientes acciperent? Oculorum etenim cæcitas minus officit, quàm cordis. Sed quanquam plures ad malũ sint promptiores, Deus à termino iam præscripto nequaquã digreditur. Apud ipsum autẽ erit dies, quales sunt anni mille à nobis dinumerati. Ad nos autem opportebat redire uillas oẽs, quas post spaciũ primo datũ diruimus. Vos homines, ego tantum sum castigator & expositor. Omnes credentes & benegerẽtes, ueniã uictũq́ bonũ assequentur: Nostris præceptis resistẽtes, igni deputãtur perhenni. A Deo quidẽ nullus nũcius seu propheta missus est, nisi à cuius corde diabolicis suggestionibus & uoluptatibus affecto malum abradat, & bonũ inserat Deus, ipse sapiens & incompræhensibilis. Diabolus autem hominibus infirmi cordis mala uisu formosa parat. Sed illi longis inuoluentur cõtrarietatibus. Semper enim cõtradicent Dei præceptis, usq́quo uel hora subita, uel malũ improuisum superueniat. Illa quidem die Deus iudex credẽtes & benefaciẽtes in paradisum introducet, & omni suo uoto ditabit: Incredulis & contradi-

*Pauperum sustentatio è sacrificijs.*

*Falsum testimonium uitãdum.*

*Simile de idololatris.*

*Omnibus gẽtibus à Deo præscriptus locus diuini cultus. Euangelium docet, neque in Hierusalem, neq; in monte Garizim ueros adoratores Deum colere. Ioan. 4. &c.*

**Deus non carnes uictimarum, &c. requirit, sed ut timeatur. Optimè doces hic ô Machumet, cũ ps. 49. Mich. 6. &c.*

*†Necessum ut religio defendatur armis: nempe falsa. Nam uera & Christiana cruce propagata est.*

contradicentibus dedecus & malum inferet. Prædatum uel expugnatum profecti, & armis uel natura mortui, à Deo optimo remuneratore mercedem maximam adipiscentur, in optimo idoneoq; loco statuendi. Consimiliter facta sibi rependens, & ob hoc deinceps iniuriam recipiens, Deum pium ueniæ datorem uindicem habebit, qui diei noctem inducit, & è contra, præter quem non est Deus. Ipse quidem est immensus & uerax, adorata uero sui loco mendacia. Ille quidem aquas de cœlo dimittit ad terræ uirorem, omnia quoq; terrestria æquoreaq;, & naues mari currentes Dei præcepto hominum commodo fecit. Cœlum ne cadat in terram, nisi mandato suo, sustinet, & ueniam ac misericordiam hominibus præbet, quos uiuificat atq; mortificat, nec non & resuscitat. Eius enim est omnis uirtus atq; potentia: homines tamen permanebunt in credulitate. Cum à nobis cuiq; gentium lex, quam sequuntur, sit imposita, in tuo tibi minime controuersantur negotio. Sed tu Deum adora, cuius est uia recta. Tecum disputare uolentibus dic, Deum solum omnes actus tuos agnoscere, qui die postrema lites omnes & contrarietates discutiet: quod uelut libro præscriptum sibi leuissimum est, cum & eius sint uniuersa. Aliud inuocantes loco Dei, cuius demonstratione scientiaq; carent, uindice carebunt. Quorum facies in nostrarum uirtutum lectione colore immutantur, & ipsi ferè lectoribus eorum malum inferunt. Vobis quidem isto deterius prædico, ignem uidelicet perpetuum, uobis à Deo prædestinatum, uiamq; malam. ¶ Vos uiri, nouam à me parabolam audituri, memores efficiamini. Omnes adorati à uobis, Deiq; loco uocati, culicem unum facere nullatenus possunt: nec uos illis quicquam auferre, si uobis subripuerint. Et sic omnes uos, interrogans scilicet & interrogatus, debiles & inanes estis. De Deo quidem firmo preciosissimoq;, quia nequaquam modo debito loquimini, qui cognoscens omnia, ex angelis & hominibus nuncios mittit, optime discernens, quid manibus ineſt, quidq; posterius. Vos itaq; uiri boni, coram Deo uos flectite, ipsum adorantes, & ad processum in anteriora benefacite, & lites pro posse uestro facultateq; peragite. Hoc enim præcipit Deus, nil nisi iustum in lege disponens, quam pater uester Abraham tenens, uos fideles et credulos primo uocauit. Vnde testis est hic noster propheta, sicut & uos cæterarum gentium testes eritis. Orationes igitur & eleemosynas ac decimas faciendo, Deo cohærete, qui dominus uester, bonus & iudex optimus.

*Deus qualis, & quantus.*

*Si quis disputare uelit, ad nouissimum iudicium translatio est offerenda.*

*Factitios Deos non posse uel unum culicem facere.*

*Bella suadet. Abrahã Machumeticæ legis consors, scilicet.*

AZOARA XXXIII.

IN n. & c. Salus & multiplicatio credẽtibus, cordeq; deuoto iugiter orantibus, & otiosa prauaq; uerba linquẽtibus, & decimatoribus, & castitatẽ ubiq; nisi cũ propriis uxoribus, aut sibi subiectis, & ancillis, obseruantibus: Inde namq; nulla fiet querimonia. Aliud autem quærens, malis adnumerabitur. Depositi custos fidelis, & uerbis constans, ac iugiter orãs, hæredes existunt. ¶ Alferdeum enim hæreditabunt, & ibi perpetuo manebunt. De luto quidem hominem fecimus prius, consequenter ex conceptu spermatis in locum notum, unde sanguis primo, secundo coagulum, demum ossa carne tegenda creantur, formam composuimus. Omneq; nostrum opus est formosum, optimeq; cõpositum. Postea quidem moriemini: Demum uos resuscitabimus, qui uestri nequaquam obliti negligentes ue, VII. operibus cooperuimus, & aquas in terram de cœlo misimus, quas nostra uoluntas prohibere posset: unde palmarum & uitiũ hortos pomaq; multimoda comesti-

*Castimonia.*

*Depositi fides. Hominis formatio.*

bilia,nec non & arborem de monte Syon exeuntem uectuosam et intinctioni ciborum commodam produximus. Vobis item in bestijs miranda fecimus. Quippe illæ uobis multipliciter commodæ,tum ab uteris suis cibos uobis emittunt,tum sarcinas uestras leuant, tum ipsæmet uester cibus efficiuntur:Nos quidem misimus Noë,dicentem suis: Deum præter quem nõ est alius,adorate,timoris expertes. Eorum autem plures incredituli dixerũt, eum nil præter hominem esse,qui super eos exaltari uoluit. Deo namq; uolente hoc,descenderent angeli: quod nec nos nec patres nostri prius uiderunt. Hunc autem nil præter hominem insanum & amentem,saltem ad horam dimittite. Illi igitur deprecanti,ut nos eum de suis contradictoribus uindicaremus,iniunximus,ut arcam iussu nostro præceptoq; fabricaret,terminoq; ueniente, quod per aquam exeuntem de Tannor perpenderet, omnis generis rerum duo paria induceret. Peribit enim omnis,nisi quem sermo præcedens ratus liberauerit à summersione. Tu igitur pro illis me nequaquã preceris. Sed cum nauẽ cũ tuis ascenderis,Deo te liberanti à gente peuersa gratias redde,& ut te loco bono sistat, cũ ille sit optimus statutor, suppliciter exora. Quod quidem opus nostrũ satis est sapientibus admirandum. ¶ Alijs deinceps à me generationibus creatis,ex seipsis nuncios misimus,dicentes:Inuocate Deum,nil timentes: quia præter eum non est alius. Illi aũt incredituli tum illi,tũ diei futuræ contradicentes,quibus abundantiã mundanã præbuimus,dicebant:hic nõ est nisi homo,comedẽs & bibẽs sicut nos,prædicãs tamen nos mortuos & in puluerẽ redactos, iterũ surrecturos: cuius uere sequax perdetur. Quippe Deo mendaciũ imponit,cui nos minime credemus. Seu nãq; uiuamus,seu moriamur,nõ resuscitabimur,cum nõ sit,nisi hæc uita tantũ. Illũ itaq; precantẽ, ut eũ de suis cõtradictoribus uindicarem,exaudiens,pollicitus sum eorũ paucos futuros residuos, & eosdem se reprehensuros. ¶ Illos itaq; pro uoce uerace repulimus,& destruximus, & eorum loco generationes alias excitauimus: quarũ nulla suum terminũ uel antecedit,uel subsequitur. Nobis itaq; nũcios mittentibus,cuiq; contigit,quod sua gens cõtinuate succedẽs cõtradixit illi. De quibus nos miracientes,incredulis nõnunq; moram fecimus.Moysi quidem et Aaron fratre suo missis ad Pharaonẽ,gẽtemq; suã,illi uelut præsumptuosi cõtradicebãt, dicentes:Nos quibus gens subijcitur,quomodo credemus illis duobus carnalibus,sicut & nosipsi? Perierunt igitur,& cõfusi sunt.Sed Moysi quidẽ librum ad scientiã memoriamq; dedimus. ¶ Filiũ igiẽ Mariæ,simul & ipsam, hominibus miraculũ facientes,ipsis locum bonũ & aquis amœnum habitãdũ præbuimus. Vos itaq; nuncij de bonis comedite,bonaq; facite. Egonãq; uestros actus omnes perspicio,quem timentes adoretis. Gẽtes uero nostra præcepta discrepantes,suæq; legi congaudentes,in illa usq; ad horam præfinitam derelinquite.Cogitant aũt me neq; prolem neq; pecuniam daturum, nisi festinanter & ad nutũ omnia perpetrem. Sed per memetipsum iuro,illi futura nescient.Deum timentes credunt ferẽtibus mandata nostra,& minime ponentibus Deo participẽ,atq; pauescunt. ¶ Distributores nostrorum bonorũ sibi datorũ,& credentes se redituros ad Deũ, ad bonum opus agendũ proni prõptiq; sunt: Quibus nulla fiet iniuria, nostro libro ueracissimo prohibente,nec iniungente cuiq; nisi tantũ possibile. Corda uero clausa,resistentiaq; nostris præceptis gerentes,sua negotia tarde peragent. Sed cũ eorum magnates sumemus,precatũ uenient.Pro illis aũt nemo præcet,quoniã

*Noe meminit, quod sæpe antea fecit.*

*Resurrectio.*

*Fatum.*

*Moses et Aaron ad Pharaonem.*

*Iesu & Mariæ beatitudo*

*Qui ad opera bona idonei.*

*Asserit suam authoritatẽ.*

per

per nos nullam uindictã habebunt. Illi namq; noſtris auditis præceptis, incredulí manebant. Quare res diſcretè nõ perpenditis? An præceptum item uobis, non miſſum patribus ueſtris, mittemus? An quis uobis propheta miſſus eſt, ignoratis? ¶ Cur eum diuina præcepta ferentem, dæmoniacum appellatis? licet ueſtri pluribus ueritas nequaquam placeat. Si ueritas uelle ueſtrum ſequeretur, cœlum & terra cum ſuis omnibus periret. Nobis enim gerẽda præcipiẽtibus nõ obediunt: cũ nos optima pecunia pleni, datoresq; largiflui, de ſua nil quæramus pecunia. Ipſi quidem ad uiam rectam per te uocati, non credunt, ſed ſuo permanent in errore. Quibus quanquam nos miſericordes omne malum auferemus, nunquam à ſua malicia declinarent. Sic itaq;, cum nunquam mali conuerſi ſint ad Deum, illumue precati, antequam illis mali grauis portam aperui, deſperatos eos peſſundedi. Deus quidem, ad quem omnes redibitis, uobis oculos auresq; tribuens, & corda, uos audientes & uidentes ac intelligentes efficit: Sed ueſtri pauciſſimi grates illi referunt. ¶ Ipſe quidem eſt uitæ mortiſq; tributor, noctis dieiq; uiciſſitudinem operans. Sed uos tantum indiſcreti uiuitis, anteceſſorum ueſtrorum dicta referentes huiuſmodi: Nos morrui, & in oſſa puluerem q redacti, quomodo reſurgemus? Illud quidem mandatum, noſtrum mãdatum eſt. Sed illi parentum ſuorum mirabilia renouant. Quæſiti tamen à te, cuius ſit terra terreſtriaq;? dicent, Dei. Cur igitur non reminiſcuntur? Interrogati rurſus, Quis dominatur ſeptem cœlis, immenſoq; throno? perhibebunt, Deus. Eum itaq; quare non timent? Si quæras item eos, in cuius manu ſit omne præceptum atq; iudicium, & donum? inquient, Dei. Cur igitur ridiculum committunt? ¶ Nos ueritatem nunciamus: Illi uero falſa perhibent. Deus nequaquam filium ſeu participem ſumpſit, Deum alium. Tunc enim quiſq; cum ſuis facturis ueniens, in alium inſurgeret. Deus autem occulta manifeſtaq; dinoſcens, tale uerbum abhorret, & ſe ſuper ipſum exaltat. Tua uero ſit oratio: O Deus, me nullatenus tale dictum doceas, nec malis annumeres. Ego quidem te docebo, quæ illis agendam and aui, potens in huiuſmodi re, omniaq; dicta ſua dinoſcens. Tu autem malum illud à te bono repellens, obſecra Deum, ut ab omnibus diabolicis ſuggeſtionibus te protegat, & eas à te proiiciat. Eorum autem quiuis ad mortem accedens, Deum precatur, ut ſibi redire liceat. ¶ Te namq; bonum à modò faciam. Hoc uerbo quidem dicto conſequenter ignem inibt, & uſq; reſurrectionem illic perſeuerabit. Tuncq; ſufflante buccina, nec illis intererit notícia, nec alius alium percunctabitur. Bonorum quidem menſura magna, malorũ ad ignẽ tranſeuntium, qui ſuas facies comburet, breuis exiſtet. Cur uobis meis lectis uirtutibus contradixiſtis? inquient demum, ſe erraſſe ob maliciam in illis ſuperantem, Deumq; precabuntur, ut eos illinc eiiciat eo tenore, ut malis aſſocientur, ſi ſimilia prioribus ulteriùs agant. Quibus Deus reſpõdebit: State taciti. Partem namq; gentis in mecredentem, & precantem ueniam ac miſericordiam à me propicio ueniæq; datore, deriſiſtis, uſquequo mei nominis & inuocationis obliti eſtis. ¶ Riſiſtis. Induratis autem, amoremq; meum lucratis, optimam ecce mercedem facio. Vos autem quot annis telluri morati eſtis? Inquient, per diem, dieiue portionem, quodà computiſtis perſcruteris. Reſpondebit: Si ſapitis, non niſi parũ cõputatis. Opinati ne eſtis, uos à Deo pro nihilo creatos, & ad eum non redituros? Deum ut regẽ ueracẽ, dñm throni ſublimis & immenſi, præter quẽ nõ eſt Deus, exal-

*Patribus enim homines miſſi ſint, non angeli: quod dicit eos poſtulare.*

*Atqui antea Niniuitas cõmemorabat per Ionam cõuerſos.*

*Non infirmis rationibus unum Deum colendum eſſe probat.*

*Cœli ſeptem.*

*Male ſubiungit, Deum nõ habere filiũ: Sic enim plures Dei eſſent fieretq; ſeditio inter eos.*

*Iudicium extremum, ad quod buccina ſeu tuba citabit.*

tate. Inuocans enim Deum alium, nullam inde demonstrationem inuenit: quoniam apud Deum solum totus est illius numerus, nec ipse bonum tribuet incredulis, Tu Deus, optime largitor atq; misericors, ueniam atq; misericordiam tribue.

## AZOARA XXXIIII.

*Pœna adulterij.*

IN n. &c. In hac azoara diuinitus posita, res manifestas ad hominum memoriam scripsimus. Omnis adulterans, centum ictus suscipiat in multorum præsentia: ut sic tum correptus, tum uerecũdatus, ulterius ab illo peccato omnibus bonis illicito cesset. Nec quis Deum legemq; diuinã timens, aliqua super hoc pietate moueatur. Imponentes adulterium bonis fœminabus, nec hoc quatuor testibus probantes, ictus octuaginta patiantur, nec ulterius, quoniam iam uicti sunt, credãtur: nisi se conuerterint, & benefecerint. Illis etenim Deus dat ueniã. Imponentes quicq; suis uxoribus absque testimonio, quater iurent se uerum dicere, quintaq; uice dicant, Maledicamur, si mentimur. Mulieres quoq; ne puniantur, conuerso quater iurent, illos fuisse mentitos, & quinto precentur se ipsas destrui, si illi ueridici fuerint, nisi Dei ueniæ datoris & sapientis pietate subueniente. ¶ Huiusmodi mendaciorũ illatores sciant, hoc sibi pessimum esse, bonum nequaq;. Omnẽ etenim suorum peccatorum effectus percutiet. Huius autẽ sceleris author summo flagitio punietur. Quando uerbum huiusmodi turpe de bonis uiris seu mulieribus audietis dictum, dicẽtem castigate, ne uelit hoc dicere, cum in illis nil sit nisi bonum. Et coram Deo mendax censetur, quatuor carens testibus, orcq; proferens ignoratum. Licet hoc apud homines leue uideatur, apud Deum uero difficilimum, hoc sæculoq; futuro malum dedecusq; grauissimum patietur, nisi diuina pietate dilectioneq; subueniente. Deus enim incomprehensibilis pietate mouetur, ueniamq; largitur omnibus se cõuertentibus, & benefacientibus, qui uos castigat, ne unq; ad tã fœtidum uerbum declinetis. ¶ Vos uiri boni, nullatenus errorem diaboli, persuadẽtis illicita tantum, sequamini. Omnis enim illius sequax, est erroneus: Diuina uero bonitas abundantiaq;, gratuita superueniens, constantem & bonũ, soliq; Deo deuotum efficit. Solus enim Deus omnia uidens & audiens, sibi placitum purgat & firmat. Abundantes proculdubio & pecunioſi, beneficiant suis propinquis, & pauperibus, ac prædatum ac peregrinatum amore Dei proficiscentibus: ueniamq; faciant, sicut & ipsi Deum condonatorem exoptant. Male loquentes de mulieribus castis, & credentibus, ac iugiter orãtibus, hoc sæculoq; futuro remouentur â Deo, grauiter illos cruciaturo. Cognoscent autem eum ueracem esse die, qua suam adimplebit legem, & omnium actus lingua sua simul & manus ac pedes testificabuntur. Meretrices & immundæ cum similibus conueniunt: castæ bonæq; sibi comparabilibus gaudent: Hisq; omnes adiectis turpibus mundi, ueniam uictumq; bonum accipient. Vir bonus, nullius nisi sui domum, nisi aduentu suo pacto, ingrediatur: Et tunc intrinsecus salutet. Hoc enim bonum est. Nemine uero reperto, non intret, nisi iussus. Iniuncto quidem sibi recessu, pareat. Hoc enim uult Deus, omnium cognitor. Domos autem desertas inhabitanter ingrediatur omnis illic aliquid habens. Deus quidem scit eque reuelatum & occultum. *Bonæ fœminæ suos uisus, quam licet, tegant, membraq; genitalia similiter. Hoc enim est optimum apud Deum, omnes suos actus dinoscentem. ¶ Mulieres itaq; bonæ se curent, nẽ lunatiõ aspiciant, suoq;

*Calumniatoris pœna, qui non peregerit reã adulterij.*

*Purgatio adulterij, si zelo typus maritus uxorem nõ cõuincat testibus.*

*Alia ratio Num. 5.*

*Deut. 19. In ore duorũ aut triuũ testium stabit omne uerbum, &c.*

*Misericors Deus.*

*Diabolus malorum tantum suasor.*

*Diuitum officia.*

*Castis mulieribus detrahentium pœna.*

*Similis gaudet simili.*

*Alienas ædes quomodo ingredi liceat.*

*Fœminæ tegantur diligẽtissime.*

*Qui mos in Arabia fuit tẽporibus etiam Hieronymi, ut patet in commentarijs Esaiæ.*

ſuoq; peplo tegentes collum,& pectus,omnemq; ſuam pulchritudinem,niſi quantum apparere neceſſitas cogit, celent omnibus, ſpeciemq; pedũ etiã eundo,niſi maritis ſuis, eorumq; ſuisq; parentibus & filijs, atq; priuignis & fratribus,atq; nepotibus,& ancillis, omnibusq; non ſuſpectis, ſuæ ſubiectis manui,uel prius non pollutis. Ad Deum autem omnes cõuertamini: quod eſt uobis optimum. Veſtras clientes tum de gente ueſtra, tum captiuas,ſi bonæ fuerint,ducite,nullam unq; uim illis inferentes. Quæ licet pauperes ſint,à Deo ditiſſimo,datoreq; largifluo pecuniam adipiſcentur. Nequeuntes autem eas ducere propter inopiam abſtineant ſe, uſquequo Deus illos ditet de ſua pecunia. Dilectis quidem & bonis agnitis,diuites & potentes de pecunia Dei ſibi commiſſa uel cito tribuant,uel ſcripto notent. Huius amor ſæculi à nemine bono quæratur. Deus tamen inde ueniã & miſericordiam faciet.Iam prælibatis prædeceſſorum exemplis & factis,unde caſtigamen ſibi timentes aſſumant:Sciendum eſt omnibus,Deum cœli terræq; lucem comparari lychno lampadis uitreæ, ſtellam clariſſimam imitantis, & ex arboris fructu ferè lucentem ſine foci attactu, uidelicet oliuæ nec orientalis nec occidentalis accenſæ:qui ſuam lucem clariſſimam,cui uult,pateſacit:& quos uult,exemplis bonis inſtruit,omnium doctor & cognitor.In domibus Dei præcepto ſtructis,ad ipſius adorationem & inuocationem uenite ueſpere & mane. Nemo cogitet de mercaturis,uel huiuſmodi negotijs, ſed de beneficijs,ac decimis dandis, & orationibus, adorationeq; diuina,timoreq; dei,qua nutabunt oculi cordaq; ſua.Sed Deum uoto precetur ſupplici,ut ei melius ſuis meritis efficiat,& ex ſuis diuitijs augeat:qui cui uult, dona facit innumera.Incredulorum quidem opera nebulę mõtibus incumbenti comparantur: quam ſitientes aquam opinati,illucq; progreſſi,nil inueniunt,præter Deum ſibi ſuum numerum complentem, ſicut computiſta promptiſſimus agit,aut uelut umbra in mari magno, cum undam unda ſuperuenit,& nubium nigerrimarũ ſeries incumbit:quando quilibet manum extollens,eam minime uidere poterit.Omnis enim luce caret,niſi cui Deus dederit,quem inuocant uniuerſa cœli terræq;, ſimul & aues continuatim, quorum quodq; ſuam orationem,orandiq; modum ſcit, ipſeq; Deus omnium dinoſcit opera. ¶ Dei quidem eſt omnium cœleſtium terreſtriumq; iudicium, & ad ipſum omnium erit reditus, ipſius quoq; potentia nubes diſgregat,& annectit,& hanc illi ſuperponit: Vnde producit aquam,lapidesq; fulgureos de cœli ſublimitatibus emittens. Hos inde percutit,illos minimè,ſuaq; inde lampas fulgurans, uiſum aſpicientibus impedit, diem nocte tranſmutat,& contrà beſtias ex aqua producit: quarum quædam utero ſuo prorepunt,quædam bipedes,quædam quadrupedes exiſtunt. Deus enim omnipotens omnem ſuam uoluntatem in effectum ducit, & quos uult, ad uiam rectam dirigit. Pluribus autem confitentibus ſe in Deum credere,ſuumq; prophetã imitari,eorum quidam infirmæ fidei ſe diuertunt, iſtiq; negligunt uerbum bonorum inuocantiũ Deum atq; prophetam, ut inter eos diſcutiat:& dicentium,nos uidimus,& ſecuti ſumus Deum,nõ timeant malum illatura illis malis. Sequẽs autẽ Deũ, atq; prophetã,uoto ſuo potietur. ¶ Iurantibus per Deũ ſe facturos exitũ,ſi præcipiatur illis, dic,nec iuramẽto firment quicq; ab illis nequaq; agendum,cum Deus omnia uideat:cuius atq; prophetæ ſequax omnis,bono calle procedit.Illos igitur ſequimini.Sin autẽ, ipſi prophetæ nil aliud quã manifeſtè Dei mandatũ nunciare debetis:

*Vxores ducẽdi leges.*

*Deus lux lychno compara-tur.*

*Preces ſolennes quomodo peragendæ.*

*Opera incredulorum nubi ſimilia. Oſ. 6. miſericordia veſtra quaſi nubes, &c.*

*Det eſcam pullis coruorum, inuocantibus eum. Pſal. 146.*

*Non temere iurandum.*

ſua reſpondebunt opera,& uobis ueſtra. Deus quidem bonos atq; credentes priorum in terra uicarios ſtatuens,& legem ſibi dilectam confirmans,omnẽ timorem ab illis auferet, ut ipſum adorent, nec illi quenquam participem ponant:Deinceps incredulus factus,malus erit.Orationes,& eleemoſynas; ac decimas efficite, prophetam ſequentes, uſq; quo uobis miſericordia tribuatur.Non opinentur increduli,ſe ſemper ſic in terra manſuros. In ignem enim uiamq; malam proficiſcentur. De ingreſſu quidem uobis ſubiectorũ, ſeu minime ter pollutarum,uel de ueſtro ſuper eos abſq; appellatione minime curandum . Cum autem ad mulieres accedunt,non intrent antequam clament:ſicut & de prioribus diximus. Ita ſua præcepta Deus explanat ſapientiſſimus . Mulieres annoſæ,nuptijſq; deſperatæ,minime ſe poliant uel ornent:ſed bene ſe diſcooperiãt. Se tamen tegere commendabilius eſt Deo, cuncta uidenti & audienti. De cæco rurſum,uel infirmo,uel claudo nullatenus tractandum . Non curetis item , quid edatis in domibus ueſtris,uel utriuſq; parentis, ſeu fratrum, uel ſororum, uel patruorum, aut amitarum, ſeu auunculorum, ſeu materterarum, ſeu loco ſuppoſito clauibus amicorũ ueſtrorum.Seu ſimul omnes comedatis,ſeu omnes diſgregatim. Ingredientes quidem domos,ſalutate repertos illic. Deo namq; placet ſalutatio.Sapientes autem,& in Deum credentes , ſuoq; prophetæ parẽtes,& ab ipſo cũ eo iuncti,quærentes ante ſuũ diſceſſum,quid acturi ſint,quibus tu protinus to conſilium dabis,Deusq; ueniam.Boni namq; ſunt. ¶ Non inuocet quiſquam ueſtri Deum uel prophetam,ſicut ueſtri quis alium.Ipſe namq; dinoſcit omnes:uolentes ſuis abrenunciare præceptis:quibus maxime cauendũ. Malum enim grauiſſimũ illis accidet à Deo,cognitore uoluntatũ omniũ,& omniũ rege,cunctis ſua facta monſtraturo,die qua cuncta redibunt ad eum.

*Machumet accedente alicnas ædes, nemo ſuſpicetur quicquam mali. Nulla ipſum accedat, niſi præmonitum.*

*Anuum honeſtas.*

*Salutare inuicem decet.*

*Vt Deus uel propheta inuocandus.*

## AZOARA XXXV.

*Alcoran caſtigandis hominibus proditus.*

*Negat Dei filium.*

IN n.&c̃.Hominũ multiplicator,qui ſuper hominem ſuũ poſuit Alfurcã, ut toti genti caſtigamen eſſet,cuius ſunt uniuerſa cœli terræq;,neq; filiũ neq; participem in regno ſuo ſumpſit,omnia pro modo recto gerens. Increduli uero,dominos alios ſibi,nulla facientes,ſed cõtrà nec eorum animabus nociuos ſeu proficuos , nec uitam nec mortem dare neq; reſuſcitare potentes,adorant. Qui dicunt etiam non niſi mendacium eſſe:ad cuius effectum cæteræ gentes auxilientur prophetæ. Illis autẽ mentientibus,ſicq; male loquentibus,dic hunc nõ eſſe poſitum niſi à Deo pio,ueniæq; datore, qui ſcit occulta cœli terræq;.Illi etiã credentibus intimant, Ne ſequamini uirũ illũ dæmoniacũ & amentem per incantationes. Comedit ut cæteri,atq; per fora uadit. Quare nõ habet angelũ cuſtodem,elicientẽ ſibi theſauros, aut faciẽtem hortos,unde comederet? Hæc tibi proponẽtes errãt,nec uiã rectã proficiſci queũt. Deo uero multiplicatore uolẽte,dabitur tibi melius,uidelicet paradiſus aquis amœna,ſimul & turres. ¶ Illos quidẽ de hora uerace mentitos,mittemus in ignẽ, cuius à longe uenientis ſtrepitus & ira percipietur: Vnde ipſi locum anguſtum igneum poſſeſſuri,clamabunt: Heu heu,quàm malũ locum obtinemus: Cum potius conqueri deberent,ſe pluribus malis locis ineſſe. Vtrum hoc,an paradiſus bonorum merces abũdans,perpetuaq; manſio,ueraxq; Dei terminus prævalet? Die quidẽ congregationis omniũ, qua quæremus inuocatos loco noſtri , an ipſi gentem aberrare fecerunt, an ipſi ſponte deuiaſſent, inquient: Nos alium quàm te minime ſumpſimus. Sed alios eo uſq; protraximus , quod ueſtrum præceptũ negligentes, in malitiam

*Machumet quare non audiendus,rationculæ:quum ex uerbo domini, & ſanæ rationis iudicio, irrefragabiles ſuppetant.*

*Excuſatio idolatrarum apud Deum friuola.*

liciam ducti sunt. Nunc autem nec disgredi, nec se uindicare queunt. Omni quidem contradicenti, & iniusto, malum grauissimum inferemus. Ante te nullum prophetam misimus, nisi cibis utentem, & ad fora pergentem. Quosdam autem uestri mirandos aliis fecimus, in fortiter & patienter sustinendo, Deo cuncta uidente. ¶ Non credentes publicum conuentum coram nobis futurum, & dicentes: Nónne Deum uel angelos sui nuncios, ut credamus, uidebimus? nimia præsumptione nimium efferuntur. Die namque quo uenient angeli, nullum bonum audituri dicent: Vtinam non essemus nati, actusq; nostri præmissi euanescerent uelut athomi. Gens autem paradisi tunc optimum locum possessura, uerbum proferet melius. Illa quidem die cœlum ritidis & serenis nubibus distinguetur: angeli quiescent, omnisq; ueritas atque iudicium Dei fiet: difficultas & ponderositas incumbet incredulis, manus suas corrosuris, ac conquesturis se uiam aliam quàm prophetæ secutos esse, atq; dicturis: Heu heu, cur illum sortiti sumus amicum, qui nos à castigamine præceptisq; missis diuertit? imò suus diabolus eos à uiis rectis in prauas distorsit. Tu quidem propheta, qui tuam gentem hunc Alchoran contemptui sumpsisse perhibes, ignoras me Deum sufficientem adiutorem & uindicem, posuisse cuique prophetarum incredulos hostes, sæpius dicentes: Si nos uel angeli semel Alchoran super eum poneremus? Nos autem tibi misimus ad tui cordis firmamentum, non uenturi cum simili, nisi ueritatem & expositionem firmius expressuri. Ad gehennam super facies suas congregandi locum deteriorem, erroriscq; uiam perenniter obtinebunt. Homines contradicentes præceptis nostris, quibus Moysen legislatorem Aaroncq; fratrem suum censorem misimus: sicut & gentem Noë prophetis resistentem aquis miræ summersimus, incredulis semper malum atque dolorem inferentes: Hath item & Themuth, & Arazee gentem, quibus omnibus parabolas, uelut & cæteris generationibus interpositis patefecimus, magna confusione diruimus. Super uillam illam iam uenientes, nec eam uidere potentes, se nunquam resuscitandos opinabantur. Te quoq; uidentes ridiculose dicent: Hic est, quem Deus prophetam misit, qui nos ab adoratis prius ferè diuerteret, nisi nos indurantes inuenisset. Hora quidem uisa percipient, qui magis errorem secuti sunt. Nónne uides cuiusmodi Deum, amoremq; suum prælegerunt? Fies ne censor omnium? Cum bestijs sint similes, magisue bruti, putas eos discernere, uel audire? Deus quidem umbram extensam erectam faceret, si uellet: cuius dux sol statutus pedetentim eam recolligit. Idem etiam noctem coopertorium, & somnum, diem expergefactum, & motum statuit, uentos arrectos inter manus suas pias disposuit, aquam benedictam ad excitandam terram mortuam de cœlis emittit: unde potant bestiæ, hominesq; plures. Cur igitur eum non adorant? ¶ Hunc Alchoran ad gentium hinc & illinc castigamen & commemorationem fecimus. Sed pluribus hominum nil præter incredulitatem immittit. Si nostra quidem uoluntas esset, singulis gentibus suum castigatorem mitteremus. Tu uero nequaquam incredulos imitans, uade pugnatum & peregrinatum in illius nomine, qui flumina fluentia & eorum discretionem & intercapedinem faciens, hoc salsum, hoc dulce statuit. Hominem ex humore, & ex ipso filios, cæterosq; posteros produxit, super omnia potens. Incredulis tamen eius loco, bonorum & malorum impoten-

*Contra negantes nouissimũ iudicium.*

*Contradicentes Alcorano Deum ordinasse.*

*Arazee propheta, uel potius gens.*

*Dei opera & beneficia. Ex quibus concludit, eum solũ colendum.*

*Pugnandum esse.*

tem inuocāt. Tu uero tantum missus ad diuinorum præceptorum doctrinā & castigamen, dic te nihil ob hoc ab illis quærere, nisi quod imitando te, rectam ad Deum uiam proficiscantur. Tu quidem te illi commenda, ipsum deprecans, & glorificans, & adorans suppliciter, qui uiuit nunquā mortem uisurus, omnium beneficia peccataq́ dinoscens, qui cœlum et terram et eorum uniuersa sex diebus condidit, & postea cœlos ascendit. Sed cum incredulis præcipitur, ut illum adorent, inquiunt, suam adaugendo maliciam & incredulitatem: Quis est ille Deus, quem nos adorare præcipis? ¶ Multiplicans in cœlo signa, nec non lumen, & lunam lucidam disponens, & diei noctisq́ uicissitudinem, hominibusq́ motum facile super terram efficiens, à cunctis bonis est adorandus. Dicentes nescijs & brutis etiam, saluete: nocteq́ surgentes, ut Deum inuocent atq́ precentur, ut eos à pœnis gehennę, ubi nec stare nec sedere bonum est, liberet: suaq́ mediocriter & moderatè distribuentes: nec Deo participem ponentes: nec quicquam haram à Deo constitutum, nisi cum æquitate ueritateq́ necantes: & nullam fornicationem committentes, cuius actori cōtemptibili semper malum in alio sæculo duplicabitur, nisi pœnitens crediderit, & benefecerit, (tunc enim Deus pius & condonator peccatum pro beneficio commutabit) Illi inquam omnes paradisum sortientur. ¶ Peccata derelinquens, & benefaciens, nullumq́ testimonium falsum, nec ludicrum quid proferens, nisi formosum dicens, Deúmq́ deprecans, ut sibi de mulieribus suis & filijs honestam iocunditatem, & bonam aptitudinem tribuat, & semetipsos meliores & antecedentes efficiat, à Deo colligetur paradiso perenniter, loco scilicet ad standum atq́ sedendum optimo. Ibiq́ iugi salutatione gaudebit. Deus autem nil quærit à uobis, nisi tantum ut eum inuocetis & adoretis. Sed uos ei contradicetis: quod uobis grauitatem & difficultatem inferet.

*Creatis omnibus per dies sex Deum ascendisse cœlum.*

*Opera bona quæ beatos faciunt, & paradisi hæredes.*

AZOARA XXXVI:

IN n. &c. Hæc sunt libri clari mirabilia. Nunq̄ tuā animā meriti minoris extimes: licet tibi prædicāti minime credant. Si uellem, diuinitus mitterem cui cunctorꝝ colla subijcerent̄. Illi autem nunc ab omni nouiter adueniente, cum præceptis & castigamine fę diuertunt. Scient autem adhuc, unde ridiculum fecerunt. Nōne uident, qualiter omnis generis rerꝝ duo creauimus? quod est sapiētibus mirandum. Plures tamen sunt increduli: Sed est Deus pius, & immensus. Deo præcipiente Moysi, ut gentem malam, nō timentem uidelicet, Pharaonis uisitaret. Ille respondit: ¶ Tu Deus, cū timeā eos mihi contradicturos, & perempturos etiā, quoniam me reum statuūt, & linguā impeditā habeā, unde sollicitabor, fratrem meum Aaron mitte. Inquit Deus: Tu quoq́ simul, quoniā te comitabor, audiens omnia, & Aaron, Pharaonem uisitātes, dicite: Nos à Deo rege mundi cunctarumq́ gentium missi uenimus, ut nobiscū mittas filios Israël. Respōdit: Nónne tu es, quem nutriui puerum, & nobiscum per annos moratus illud perpetrasti? Vnde malus & reus factus es? Respondit: Feci quidem, sed erraui: unde tuas manus timidus fugi. Mihiq́ deinceps Deus, suo legato prophētæq́ constituto, sapientiam & discretionem tribuit. ¶ Istud bonum beneficijq́ mentio terminetur in hoc, ut nobiscum mittas filios Israël. Pharaoni deinde quærenti: Quis Deus omnibus creaturis & orbi dominaretur? Respōdit: Esto certus illum esse, qui cœlo terręq́, cunctisq́ creaturis eorum imperat. Pharaoni quoque quęrenti, quis cum eo maneret? Inquit Moyses: Ille quidē Deus

*Deus non cogit ad fidem.*

*Moysi ad Pharaonem legatio fabulis aspersa: ut iam aliquoties factum est. quod redarguitur Exod. 25.*

noster

noſter eſt,& Deus priorum patrum noſtrorum.Reſpondit,Hic ueſtes legatus amentiam & inſaniam prodit.Et Moyſes: Me miſit dominus orientis & occidentis,ac interpoſitorum. An dinoſcis? Cui Pharao:Si ceperitis nominare alium Deum quàm me,uos protinus incarceratis & uinctis adiungam. Moyſi quidem dicenti,quid ſi cum re manifeſta miranda uenio? Inquit, Veni itaq;,ſi uerax es.Proiecit itaque ſuum lignum,& in ſerpentem ingentem redactum eſt,manusq; ſubleuata cernentibus apparuit candidiſſima.Quod Pharao miratus,magnatibus & multitudini circumſtanti dixit: En uere ſapiens magus,& nos arte magica de terra eiſcere proponens . Quid igitur hinc deliberatis aut uultis? Reſponderunt illi,fratriq; ſuo,termino dato per omnes urbes coadunatum omnes ſapientes magos cum adminiſtrationibus neceſſarijs nuncios dirige . Illi deinde congregati loco dieq; præſcriptis, pompa populari comite,uelut extimante illos fore uictores,ad Pharaonem acceſſerunt quæſitum,quid illis patrata uictoria tribueret? ¶ Ille quidem pollicitus eſt,ſe ſuos amicos familiares futuros eſſe. Moyſe deinceps iniun gente,quatinus ordirentur? Illi proijcientes funes & haſtilia,confirmabant per honorem Pharaonis,ſe uictoriam adepturos . Baculus autem Moyſis proiectus,omnia opera eorum deuorauit. Omnes itaq; magi uicti confitebantur ſubiecti,ſe Deum mundi totius,& Moyſis,& Aaron adoraturos. Indignans inde Pharao dixit, An ei creditis,antequam præcepi? Iſte quidem uobis maior,uos artem magicam edocuit . Quod percipietis,cum ueſtras manus & pedes ex oppoſito recidam,& deinde uos ſuſpendam. Dixerunt: Nos quidem hoc minime curamus, quoniam ad Deum tranſibimus, à quo noſtrorũ peccaminum uenią,uelut primo credentes,ſperamus. Moyſen deinceps iuſſu noſtro gẽtem noſtrã eductuꝝ præmonuimus, quoniã Pharao per urbes homines coadunaturus,eũ perſequi & aduerſari proponebat,gẽtem ſuã animaturus,dicendo quod alij pauci eſſent,ſui uero multi,ego quidem Deus illos extraxi ab hortis ſuis, & fontibus,atq; theſauris,locisq; bonis,& eorꝝ hæreditates filijs Iſraël tradidi . Moyſen aũt perſecuti ſunt per uiã prauã & inuiã.¶ His illos & è cõuerſo uidentibus,Moyſis hoĩes pauefacti dixerũt,ſe iã ab hoſtibus eſſe captos.Quos ipſe cõſolans inquit: Deus me comitat,docturus nos,quónã modo liberabimur. Ipſe itaq; per me doctus, mare uirga p̃cutiẽs,ipſum diſgregauit:cuiusq; pars collateralis quaſi mons magnus apparuit,ſicq; credẽtes, Moyſen oẽsq; ſuos cæteris oĩbus, quod eſt mirandũ,ſummetſis,quod plures tamẽ miníme credũt,ego Deus ſapiens et immẽſus liberaui. Dic illis,qualiter Abrahæ quærẽti patrẽ ſuũ utrũq;,quẽ adoraret & inuocaret,reſpõderunt:Idola colimus,et in hoc p̃ſeueramus. Et ipſe: Audiũt nẽuos inuocãtes illa,uel bonũ malũue facient uobis? Reſpõderunt: Nos inuenimus parentes noſtros feciſſe talia.Et ille: Nonne ſcitis illa, quæ uos adoratis,mihi eſſe inimica,& Deo meo creatori,boniq; doctori,uictusq; mei datori,& infirmitatis curatori? ¶ Idẽ me mori faciet,& ad uitã reducet,quẽ die magna meoꝝ peccatoꝝ cõdonatorẽ ſpero . Tu Deus itaq; mihi ſapientiã præbe,boniſq; connumera, me ſtatuens illis æqualem, & in alio ſęculo ueridicum,& cohęredem in paradiſo,quã timentibus formoſam promittis,effice,patriq; meo ſuum errorem dimitte,meq; die illa non uiliſices: qua nec Proles neque pecunia proderit, niſi tantum ad Deum uenienti corde puro.Maloꝝ aũt p̃ſuaſoribus infernum patefaciẽs,inquiet: Vbi ſunt quos adoraſtis Dei lõco? proſunt ne nũc uobis,an obſunt? Illos quidẽ,& q̃s adorabant,

*Abraham liberatus ab idolorum cultoribus.*

*Homines impij cum Belzebub & eius exercitu proijcientur ad inferos.*

adorabant, totumq; Belzebub exercitum, in ignẽ capite subuerso deijciet. Quorum alius in alium cõtrouersiam & querimoniã aget: publicè uero cõfirmabunt, se uiam erroris secutos fuisse, quãdo præceptis diuinis fideiq; doctrinis nõ crediderũt, illis diabolis consentientes. Nunc aũt prolocutore & uindice, ac extractore, amicoq; bono caremus. ¶ Si redire possemus, ulterius crederemus. Hęc mirabilia plures nequaq; credunt: Sed Deus immensus est, & omnia noscit. Noẽ gentem suam prophetis resistentem, sic allocutus est: Ego quidem ad uos mittor, nuncius ueritatis & fidei. Deum itaq; time-

Noe.

te, me sequẽdo: qui nihil ob hoc à uobis postulo, sed à solo Deo rege mundi: Illi uero dicebant: Tibi quomodo credemus, quem tantum textores plebsq; uilis sequuntur? Respondit, Sui quidem numerum, factorumq; suorum noticiam Deus habet: nec ego reijcere possum, qui sum nuncius tantũ & explanator. Illis aũt minantibus Noẽ lapidationẽ & mortẽ, nisi retrahẽti se inde, ipse Deum sic precatus est: Tu Deus, me à gente cõtradicente disgregãs, me meosq; fautores libera. Illũ igitur, suosq;, saluauimus in arca. Quod licet mirandũ, pauci credunt: Deus aũt immensus, omnia dinoscit. Gentem

*Vulgus rude Machumet secutum est primo. Argumentum competit in hæreses, nõ autem in doctrinam Christi, ut Ioan. 7.*

Hat legatis contradicentẽ, Hut sic affatus est: Nõ timeatis, quoniã ego sum nũcius æquitatis & fidei. Timete Deũ, & sequimini me. Nil ob hoc à uobis petiturũ, sed à solo Deo mũdi dño. ¶ En in locis excelsis ędificia struitis, mirãdaq; facta in uirtute quæ geritis, ut sic timore mortis careatis. Me uero sequendo Deũ timete, qui uobis tribuit pecuniã, & pecus, atq; prolẽ, & hortos, ac fontes. Vobis aũt diei grauis malum futurũ pertimesco. Illos uero dicentes, unum eñ est idẽ nobis incũbens, siue per te castigemur, siue nõ: cũ hoc tantũ priorũ nugis assimileť, nec nobis malũ illud accidet: sicq; cõtradicentes nostris præceptis nos cõfundimus. Hoc tamẽ mirãdum pluribus est incredibile: Deus aũt omnia sapit. Gentẽ item Themuth legatis resistẽtem Schale precatus est, ut se nũcium ueritatis & fidei sequendo, Deũ timerent: qui illis absq; timore penitus suas possessiones dimitteret, uidelicet hortos, & fontes, ac messes, ac palmas fructũ dulcẽ & bonũ ferẽtes. Idemq; præcipit eis, in locis excelsis bonas domos efficere. Et dixit: Deũ time-

*Hat contradicit prophetæ suo Hud.*

*Ædificiorum uanitas.*

*Themud resistit suo prophetæ Schale.*

te, sequẽdo me, nil à uobis, sed à Deo mũdi dño petiturum. ¶ Nefanda gerentes, & nil boni, destructoresq; terrarum nullatenus imitemini. Illi uero dixerunt: Tu nõ es nisi magus, & amens homo, sicut & nos. Vt te ueracem probes, miracula profer, atq; Dei pręcepta. Qui respondens ait, hoc esse unũ. Camela semper illæsa diei determinata potatum ex aqua accedat, & uos similiter: illã uero lædentes, malũ capietis. Illis etenim deinceps eam interficientibus, & se postea repræhendentibus, malum accidit. Quod mirę, plures nequaq; credũt: sed Deus immensus omnia noscit. ¶ Loth † interrogatus gentẽ cõtradicentem prophetis, quare nõ timebat, inquit: Ego uobis mittor nũcius ueritatis & fidei, nil à uobis quærẽs, sed à solo Deo rege mundi, quẽ timeatis, sequendo me. Quid abutendo maribus, prætermittitis actum cum mulieribus naturalẽ, à Deo statutũ? Dixerũt: ô Loth, nisi te diuerteris ab huiusmodi persuasione, te nostra manus eijciet. Ille quidem se suos actus abhorrere confessus, Deum precatus est, ut eum ab huiusmodi gente factisq; suis liberaret, eum itaq;, cunctosq; suos, præter quandam decrepitam, liberantes, per imbrem immissum reliduos oẽs pessundedimus. Quod licet mirãdum, plures nõ credunt: sed Deus immẽsus omnia penetrat. Scaib quoq; gentẽ Aleicha cõtradicentẽ legatis quærẽs, q̃re nõ timeret, ait: Ego sum nũcius æquitatis

*Fabulam camelli ut crambẽ sepius ad mortem etiã appetit.*

Loth.

*Interrogatus pro scisciatus, uel cum interrogasset,*

*Scaib uel Zhaibe ad Aleicha.*

&

& iuris, nihil à uobis, sed à Deo solo petens, quem timeatis, sequendo me. ¶ Mensuras æquilibriter examinate, ne damni aliquid incumbat, seu detrimentum, nec hominibus res suas uilificate, nec terras pessundatum eatis, timentes Deum, uestri prædecessorumq; uestrorum conditorem. Illi autem uocantes eum amentem, & nil super hominem, rogabant, ut ad suæ ueritatis firmamentum super eos aliquas cœli scissiones cadere faceret. Ille uero respondebat, Deum suos euentus dinoscere. Illis quidem contradicentibus, obscurę diei malũ grauissimum & improuisum incubuit. Quod mirandum est, licet plures ignorent: Deus autem sapiens omnia noscit. ¶ Cum hoc tibi diuinitus missio spiritus benedictus, penitusq; iustus tuum cor penetrauit, ut cum eo castiges Arabice, & manifeste. Has tamen uirtutes in primis libris descriptas, filij Israël scire deberent. Si librum autem hunc cuilibet traderemus ad legendum, non crederet eorum quisquã: adeò pressimus incredulorum corda. ¶ Non em̃ credẽt ante mali grauis aduentum, quod statim subitoq; ueniet. Quo cõtingente, dicẽt se minime castigatos fuisse, mentiendo. Nullã enim gentem cõfudimus, nisi præmisso monitore. Nec enim cuiq; iniuriã fecimus. Aduẽtúmne uelocẽ nostræ uindictæ petũt? Quid em̃ quantũlibet moræ spaciũ uitæ suę permissum prodest, ad malũ auferendũ? Quod uere demum accidet. Hũc autẽ cõposuisse librũ diabolis tũ difficile, tum impossibile fuit: cum ipsi procul ab audiẽtia semoti sint. Cum Deo nullarenus inuoces alium, ne damneris: teq; bonis atq; credentibus parificãdo, gentem propinquam castiga. Cui te minime sequenti, dic: A' tuis quidem operibus liber, illis dissideo, me Deo pio cõmendans, qui cuncta uidens & audiens, uos or-ũ surgentes aspicit. Super peccatores aũt, & mimos cantilenarũ discurrẽtiũ, nil nisi falsa dicentiũ, diaboli quiescũt, nisi pœnituerint, & credentes benefecerint, Deumq; iugiter inuocauerint, & post malum illatum se uindicauerint. Sciant autem incredituli, quam uiam profecti sint.

*Iustitia commutatiua.*

*Et librum & spiritum benedictum accepisse Machumet à Deo.*

*Laus propria sordet.*

*Nulla gens à Deo perdita, nisi prius admonita.*

*Diabolos non composuisse Alcoran: quia non audiunt.*

*O Chrysippeũ acumen.*

*Poetas uituperat, quum ea ipse poetetur.*

## AZOARA XXXVII.

IN n. & c. Hæc sunt secreta Alchorani huius, libri clari, uiã rectam docentis, & spem bonam pollicentis orantibus, & decimantibus rectè dieiq; futuræ credentibus. Incredulis autem, alio sæculo perdendis, malumq; grauissimũ passuris, suos actus pulchros apparere fecimus. Ipsi quidẽ cęci sunt. Tibi quidem hunc Alchoran ego Deus sapiens, & optime cuncta disponẽs, tradidi. Moyses allocutus suam mulierem de foco uiso, unde pollicitus est se laturum illi partem ad calefaciendum se, seu quem rumorem cõmodum adueniens illuc hoc à me uerbum audiuit: Ego Deus mitis, mũdi dominus, in nullis sollicitus, in ignẽ tibi proficuũ, & etiam † cuicũq; poscenti statuo, qui sum incompræhensibilis & sapientissimus, teq; tuum projcere baculũ præcipio. Illum itaq; projectum Moyses uidẽs, & quasi quid erroneum uel dæmoniacum moueri, statione relicta timens retrocessit. Quem Deus consolans inquit: O Moyses, nullus apud me quisquã ex paueścat legatus, nisi tãtum malefactor. Gerentem uice mali bonum, ego ueniam faciens pie suscipio. Tua manus in sinu tuo posita, candidissima redibit. Illo deinceps ad Pharaonem gentemq; suam malam profecto, nouem cum uirtutibus, illi præsumptuosi negabant eas, licet ueras agnitas, incãtationibus annumerãdo. Quis eorũ malorũ finis erat, percipito. Dauid itẽ & Salomoni sapientiã simul & abũdantiã, unde nobis grates soluerũt, præ cæteris bonis dedimus. Salomõ quidẽ Dauid sui patris hęres cõstitutus, inquit: Ego quidẽ garritus

*Alcoran commendat subinde: quum uendibili uino nihil opus sit hedera suspensa, neque præconio.*

*Moysis cũ deo colloquium repetit, non ut in Exodo legimus.*

† *Circũquaq; positis.*

*Salomoni Iudaica figmenta attribuit, ut suprà.*

auium

auium noticiam didici, & præ cæteris Deo dante pluribus bonis abundo. Deinceps ille suis cum exercitibus tum dæmonum tum hominum, tum auium ipsum glorificantium, ad locum formicarum usq; peruenit. Quarum una persuadente cæteris suarum cauearum ingressum, ne à Salomone suisq; nescijs conculcarentur, Salomon subrisit dicens: Tu Deus immensa tua pietate mihi uim & effectum tribue, ut de hoc commodo cæterisq; bonis mihi patriq; meo collatis, te dignè glorificem, opusq; gratum peragam, uirisq; bonis æqualis existam. Auibus deinceps aspectis, uppupaq; non reperta, qua lateret, quæsiuit. ¶ Ipsi quidem malum uel mortem immittam, nisi mihi aliquos rumores retulerit. Eo itaq; paulisper immorato, illa ueniens inquit: Ego de Saba quidem tibi rumorem ueracem afferens, rem amplector tibi minime cognitam. Est ibi namq; mulier omnibus imperans, omnibus abundans, alta maiestatis sede quiescens, cui gentiq; suæ solem adorantibus Dei loco, diabolus cultum suum pulchrum † reputans, eos aberrare coëgit. Non adorabant enim Deum cognitorem omnium occultorum, cœlestium atq; terrestrium, & uocum ac cogitationum, throni dominum, præter quem non est alius deus. Respondit Salomon: Ad tui dicti probationem, hanc meam chartam illis affer, & reuertere, ut quid acturi sint, nobis innotescat. Illam itaq; uisam magnatibus aduocatis regina perlegit, in ea uidens nomen Salomonis. ¶ Illi igitur magnates consulenti, quid sibi uideretur inde gerendum esse, cum nil nisi consilio suo faceret, responderunt illi: Nos quidem fortes & audaces atq; potentes, tuo semper præcepto parebimus. Tuum itaq; uelle compleatur. Quibus illa respondit: Cum illi quidem potentissimi uillam quamlibet ingressi funditus eam proruant, suosq; potentes deprimant, illis tributum mittam per nuncios aliquos, ut per eos ipsorum uelle percipiam. Eos deinde profectos Salomon uidēs, quæsiuit: An mihi pecunia uestra, unde plurimum gaudetis, proficere studetis? Nónne mihi Deus maiorem & meliorem cōmisit? Eam potius referte. Ego quidem cū exercitibus intolerabilibus uobis superueniam, uosq; dedecoratos eijciam. Illis itaq; discedētibus, Salomoneq; suum populum scisciātē, an eorum quis reginam in sede suæ maiestatis prius adduceret, quam ipsa cum suis credēs accederet? pollicitus est, diabolorū quidem arte magica præcellens & efficax, se ducturum eam sic coram absq; læsione, priusquam à loco suo discederet. Huius namq; rei potens extitit ¶ Vir aūt quidam librorum peritia perfectus, pollicitus est se facturū illud prius etiam, quàm ad se suos oculos diuergeret. His perceptis Salomon inquit, His suis muneribus mihi collatis Deus me pertēptat, an illi digne gratias & gloriam inde referam. Omnibus autem hoc facientibus, suæ prodest animæ: non agentem, Deus omnium dator parum curat. Sede quidem sua iussu Salomonis in aliam redacta formā, ut sic perciperetur, an sui memor, an immemor esset illa, aduectam quærebant, an sua sedes talis esset? Quam talem ex opinione sua perhibebat illa, & ab eius cultu quem adorabat Dei loco discessit. Fuit enim incredula. Quæ pauimentum ingredi iussa, putans hoc esse aquam, pannis erectis crura detexit, ut trāsuadaret. Salomoni uero innuenti, hoc uitreum esse, illa respōdit: Quis mihi nocumentum uel impedimentum intulit, iam credenti cum Salomone in Deum totius mundi regem? ¶ Schale missus genti Themut, ut ei Deum adorare persuaderet, cū illius disgregatè altera pars alteri cōtroueršaret, quæsiuit, cur potius ad bonum

*De regina Saba fabulatur magnifice, ut ad Salomonē uenerit.*

† *Al. repræsentans.*

*Schale ad Themut.*

num quàm malum illa mala properaret? Si ueniam à Deo postularet, adipisceretur. Responderunt: Tùne tuiq; fautores estis nobis augurium? Quibus ille: Apud Deum tantum est auguriorum effectus atq; peritia: quod uos nescitis. In Medina manebant nouem cohortes terrarum uastatores, boni uero nullius authores. ¶ Illi quidem per Deum asserebant, se peremturos eum mulieremq; suam noctu, dicturosq; petentibus, se nullatenus eorum interfectores nouisse, hocq; probaturos. Illis autem dolosis & proditoribus nos callidiores, ingenium ab illis improuisum obiecimus. Ob suas namq; malicias eos destruximus, suasq; domos euacuauimus: credentes autem atq; timentes saluauimus. Ex hoc autem sapientes mirari queunt. Loth autem suam gentem increpanti, quoniam uiris abutentes, suis neglectis fœminis, insaniebant, respondebat: Ille, gensq; sua tota balneis utentes eijciantur. Nos autem eum, omnesq; suos fautores, præter fœminam suam annosam atque decrepitam, liberantes, residuos per pluuiam castigatis incredulis pessimam secuimus. ¶ Gratia diuina salusq; super Dei gentem electam, incredulæ præcellentem. Quis aquas ad speciosarum arborum ortum è cœlis demisit, omniaq; creauit, nisi Deus? Hi uero nil creare potentes, à recto digrediuntur. Quis item terram stabilitate fundauit, & in ea montes & aquas ac maria distinxit? uentis obedientibus imperat? indigentibus inuocando respondet, & malum aufert? cæterosq; cęterorum uicarios efficit? in umbra noctis terra mariq; ducatum præbet, præter Deum? Item ipse quidem primus creator omnium, omnia secundò uiuificabit: uictum è cœlo terraq; tribuit. Vestri tamen plures immemores & negligentes sunt omnium harum Dei uirtutum, collatorumq; beneficiorum. Ipsi quidem omnium altissimo molestum est, quod illi participem ponunt, præter quem non est alius Deus: nec ipsi suum dictum demonstrare queunt. Præter ipsum autem nemo scit cœli terræq; secreta, nec horæ publicæ resurrectionis: Vnde plures † ambiguiter ratiocinantur ut cæci. Dicunt enim: Nos patresq; nostri in terram & ossa redacti, quomodo resuscitabimur? Hoc tamen antiquorum dictum mirabile, nobis nostrisq; patribus sępius est relatum. ¶ Tu uero cæteris persuade, ut per terras eant fines malorum perscrutatum, nil curans de illis, nec inde sollicitus, quod quærunt: Quando continget hora illa, si ueritatis es conscius? Quibus tu respõdeas: Forsan cito. Deus est autem in suam gentem beneficus, licet pluribus ingratis, qui suorum secreta cordium dinoscit. Liber enim euidens & clarus, nullum occultum prætermittit. Hic Alchoran filijs Israël maximã partem eorum, in quibus dissident, patefacit, uiam rectam & ueniã bene credentibus ostendens. Deus autem omnia noscens, suo iudicio cunctorum controuersias discutiet. ¶ Tu super uerum euidens confirmatus, Deiq; tutelæ subiectus, nec mortuos seu surdos, quoniam in errorem diuertunt Dei præceptũ audire, nec cæcis uiam rectam ad erroris sui repulsam aperire, nullos tandẽ nisi bonos, præceptisq; nostris parêntes corrigere perfecte poteris. Quando nostrum mãdatum illis accidet, & incumbet illis, quoniam infirmi sunt, bestiam è terra colloquentem producemus die, qua partes quarumq; gẽtium nobis cõtradicentes coadunabimus, dimouentes eas incarcerabimus. Quibus aduenientibus dicemus: Vos nescientes & obdurati nostris præceptis contradixistis: uos quid sciuistis? Ob suũ malefactum elingues, mutiq; fiẽt. Nónne uident, nos noctẽ quieti somnoq;, diemq; luci deputasse? Hoc qui-

*Medina regio*

*Loth.*

*Disputat unũ Deum uerum esse colendũ.*

*† ambigunt renuãt ut cæci.*

*Resurrectio generalis mortuorum.*

*Alcoran explicare quæstiones cõtrouersas Indæorum.*

*Non omnes capaces Alcorani.*

*Bestiæ loquentes, nimirũ ut asina Balaã.*

*Iudicij ultimi horrenda facies malis,*

dem sapientibus est mirandum. Die sonitus buccinæ uniuersa cœli terræq; turbata, nisi quem Deus uoluerit, cito uenient, montes uisu congelati, sicut nubes promouebuntur, Deo hoc faciente: qui cunctorum actus dinoscens, omnia sapienter & optime fecit. ¶ Cum beneficio ueniens, optimum munus inueniet, turbationis illius diei securus, & intimidus mansurus. Afferens autem peccata, faciem suam in ignem subuertet. Vnicuiq; merces pro suorum operum modo rependetur. Mihi quidem non est iniunctum, nisi dominum ciuitatis Haram adorare, & in eum credere cuius sunt uniuersa, & Alchoran hominibus euidenter legere, & per ipsum castigare. Opus autem cuiusque sibi respondebit. Deum glorifica, & supplíciter adora, qui te suas uirtutes edocens, tuorum operum nullatenus erit negligens.

*Mandata Machumeti à Deo.*

## AZOARA XXXVIII.

*Historiam de Pharaone à Moyse optime perscriptam perperam replicando conspurcat.*

INn. &c̃. Volumen istud euidens, cuius hæc sunt miranda, ueram historiam de Pharaon & Moyse, tibi cæterisq; credentibus pandit. Pharao præsumptuosus, se nimium extollens, gentemq; disgregans, partem debilitauit. Ille namque distractor prolem illius uita priuauit, fœminas autem uita donauit. Deus uero commodus atque propicius, Aegyptijs debilitatis eos præcellentis, & imperantes, ac hæredes, ac ditissimos effecit. Pharaoni quidem & Hemen, exercitibusq; suis timorem immisit. Matrem Moysis ipsum lacte suo nutrire, timoreq; superueniente in mare projcere sine molestia pauoreq; præcepimus, eam de reditu suo certificãtes, & ipsam de illo legato futuro lętificantes, qui gentibus quibusdam Pharaonis, uelut hostis suus aduersaretur. Ipse namque Pharao, & Hemen, totusq; suus exercitus errabant. Mulier autem Pharaonis, dicens illum puerum, honestum, & commodum, seu filium adoptiuum sibi futurum, mortem illius dissuasit omnibus illum ignorantibus. Matris uero Moysis animus motus atq; turbatus, ferè rem penitus reuelauit. Sed nos cor suum obstruendo firmauimus. Illa itaque credens, illius sorori præcepit, quatinus fratrem suum scrutaretur. Eum itaque cæteris nescientibus, aliunde ueniens recognouit illa.

*Pro filia Pharaonis uxorẽ ponit.*

¶ Omnibus nutricibus adductis, per me factis haran, sua soror inquit: Ego ducam eum domum, qua nutrietur optime, suscipieturq; beniuole. Ita cor & oculos matris quiescere, dictumq; nostrum uerum apparere, licet pluribus hoc ignorantibus, reductu Moysis ad ipsam perfecimus. Ipsi quidem uiro facto discretionem, optimamq; sapientiam præbuimus. Ita bonis benefacere consueuimus. Ipso deinceps in hora suæ genti minime præuisa, ciuitatem ingresso, duorum hominum uisorum ab illo alternatim in suam mortem enitentium, alter uidelicet de gẽte sua, suum auxilium in alterum, scilicet suorum hostium unum precatus est. Hostis ita manu sua repulsus periit. Quo uiso conquerendo perhibens, hoc esse factum dæmonis deuiatoris, hostis humani generis, seq; precasse confitens, à Deo pio condonatore ueniam adeptus est, & dixit: Licet hoc mihi beneficium tu Deus dederis, illis malis hominibus ulterius apparere nõ audebo. Vrbem tamen deinceps ingressus, ante repertum hominis, cui suffragium attulerit, timere nõ cessauit. Illo uero uocibus eum insequente, ait Moyses: Desiste sodes adeò contumelioſus & malus existere, mihiq; suffragium præsta. Quod ipse renuens, exclamauit: An me, sicut & alium hesterna die, perimere quæris? Te quidem in terra nullatenus potentem esse uolo, cum malorum meorum

*Aegyptius à Moyse occisus. Exod. 2.*

sis

sis exactor. Quidam autem à capite ciuitatis aduenies, inquit: O Moyses, populus ille te morti tradere nititur. Ego uero tibi fidelis existo. Exiuit itaque timidus, sibi cauens, & deprecans Deum, ut eum à gente mala protegeret. ¶ Ad terram autem Madian facie sua uersa, dixit: Deus forsan me uiam rectam docebit. Madian quidem aduenies inter homines adaquantes pecora, duas puellas pro uerecundia retrocedentes inuenit. Quæ ab illo quæsitæ causam recessus, dicebant, se nequaquam aquaturas antè pastorum discessum, cum illæ uerecundæ patrem antiquum haberent. Ille deinceps eas adaquare faciens, in umbra discedendo dixit: Tu Deus mihi nil habenti necessarium, aliquid tribue. Qui deinceps aduocatus per alteram puellarum, uerecundè dicentem, Pater meus tibi nostram adaquationem remunerare proponit: accedens omnes suos euentus sibi prodidit. Cui ille, eum consolans, inquit: Ne timeas, iam enim à gente mala liber es. Altera filiarum postulante patrem, ut eum sibi clientem & mercenarium, uelut fortem atque fidelem conduceret, pater Moysen allocutus est: Vt harum mearum filiarum ducas alteram, annis octo, seu te uolente, decem (ego namque tibi futurus commodus, nil contra tuum uelle postulo) seruias, exigo. Cui Moyses respondens, & absque sollicitudine fauens, Deum illius pacti testem aduocauit. Termino deinceps completo, mulierecp ducta, fococp uiso in monte Sinai, fœminæ suæ gradum sistere præcepit: donec uel inde rumorem aliquem, uel aliquam ignis portionem, ut illa se calefaceret, afferret. Veniens igitur à parte dextra ad arborem fructificantem, uocem huiusmodi percepit: O Moyses, ego sum Deus, mundi dominus. ¶ Moyses Dei iussu suum baculum proiiciens, ipsumcp mobilem quasi dæmoniacum perpendens, pede moto recessit, nil tamen mali suscipiens. Ipse autem iussu nostro deinde rediens securus, & manum suam in sinum mittens, & hale coniungens, ipsam exire candidam uidebat. Ille quidem iussus has demonstrare uirtutes Pharaoni, gentícp suæ, male respondit: O Deus, ego reus apud illos ob homicidium statutus, timeo perimi. Fratrem meum Aaron expeditioris linguæ, maioriscp facundiæ, ut mihi sit adiutor, uerborumcp meorum probator, contradictionescp discussor, mecum mitte. Cui Deus inquit: Te fratre tuo corroborabimus, & iudicium atque uim ac discretionem conferemus, & cum tuis fautoribus uincere faciemus absque læsione. Illos itaque nostras uirtutes ostendentes, cæteri magos esse perhibebant, cum nec patres sui prius talia uidissent. Moyse dicente, Deum agnoscere ueracem, & habiturum finem bonum, qui minime prodest retrocedentibus, Pharao taliter magnates suos atcp plebem affatus est: Deum præter me scire non potestis. Hemen autem illi artifici Pharao præcepit, quatinus ex lateribus turrem munitam adeò sublimem sibi strueret, ut Deum Moysis transcenderet: quem nil dicere nisi falsum opinatus est. Illum igitur insurgentem in nos iniustè, nec opinantem se rediturum ad nos, cum exercitu suo sumptum in mare summersimus. Ecce talis eorum finis extitit. ¶ Hos sic igni deputatos, in hoc sæculo malorum copia confusionecp pressimus, & in futuro maioribus pœnis affligemus, nullum uindicem habituros. Post prædecessorum confusionem Moysi librum præbentem lucem, uiamcp rectam, & ueniam ac sapientiam credentibus, præbuimus. Tu quidem nequaquam tunc partem occidentalem obtinens, nec inde testis, necp uisor affuisti: Sed nos uitę longitudinē per ge-

*Moyses profugit in Madiā.*

nerationum ſeriem extendimus. Tu rurſum minimæ genti Madian prædicatum miſſus fuiſti, ſuis ſibi legatis traditis. Moyſe rurſum legem accipiente in monte Sinai, nequaquam affuiſti. Nunc autem te diuina pietas miſit, prædicatum gentibus, atq; doctum eas, minime prius eruditas. Si malum quidem ob ſuarum manuum opera prius illis incubuiſſet, dicerent: O Deus, Si nobis nuncium mitteres, eum ſequentes in te crederemus. Noſtris autem præceptis aduenientibus, inquiunt, Se talia uelle, qualia Moyſes attulit, quibus plures contradixerunt, affirmantes eos magos eſſe manifeſtos, ſicut & te moderni. Quibus tu dicas, librum iſto meliorem noſtrum dictum affirmantes afferte, eumq; beniuole ſequar. Illis uero minime tibi reſpondentibus, ſcias eos nil niſi uoluptates ſuas & uota ſequi. Quis huiuſmodi incredulis linquentibus uiam Dei, non dirigentis malos ad eam, deterior exiſtit? ¶ Sermones ſeriatim ſequentes ad hominum doctrinam texeimus. Quibus uiri iam libro prius ditati perceptis, & electis ſe credere confitentur, eosq; diuinitus poſitos affirmant. His quidem ſuum duplicabitur beneficium, eo quod indurauerunt, & beneficijs peccata triuerunt, bonaq; ſibi data bene diſtribuerunt, auditisq; mendacijs recedentes dixerunt, Nos quidem noſtrã ſectam recuſauimus: Salus ſuper nos, ueſtra uobis opera, nobisq; noſtra reſpondebunt. Tu nullos, niſi Deo faciente, in uiam rectam diriges. Dicunt increduli, Si tuam tecum uiam proficiſcimur, è terra forſan eijciemur. Nónne nos undiq; uictum diuitiasq; ferri ad tuam haram fecimus? Omnium uillarum à nobis diſtractarum manſiones nulli, niſi perpauci, pòſt reædificabant. Nos autem omnium hæredes ſumus, qui nullam uillam niſi præmiſſo nuncio gerenda prædicante, eamq; malorum hominum tantum confudimus. Vobis quidem nullam pecuniam, niſi mundanam, & illius ornatũ, quibus apud nos meliora ſunt, præbuimus. An ſenſu caretis? ¶ Mundanæ pecuniæ diues, in ſæculo futuro perdetur. Omnis pactum à nobis cum illo firmatum proculdubio reperiet die, qua Deus interrogabit de participibus poſitis. Illi quibus hoc uerbum Dei unum pertinet, inquient: O Deus, nos ad hoc per illos deducti fuimus, iam uero recedimus. Deus autem iniunget, eius aduocatione participes. Quibus deinceps aduocati nil reſpondebunt, eorum uiſo periculo, qui rectam uiam in hoc ſæculo minime ſecuti ſunt. Quos Deus interrogabit: Cur legatis non paruerunt, in cæcitate ſtultitiaq; manentes, nec ab alijs peritiæ quicquam perſcrutati? Qui pœnituerit, & credens benefecerit, Deo propitiante bonis aſſociabitur. Deus enim incredulorum dicta minime curans, ore prolata, cordeq; retenta perſpiciens, cui ſoli gratia debetur omnis in hoc, ſæculoq; futuro, omneq; iudicium, & ad quem omnium fiet reditus, quem uult eligit, omneq; uelle ad effectũ ſuum perducit. ¶ Si Deus ipſe noctem continuam protraheret, quis diem induceret, uel è conuerſo? Non auditis? nónne uidetis? Ipſe quidem ſolus ſua pietate diem motui quæſtuiq; neceſſariorum, noctem quieti condidit. Vnde grates illi maximæ reddendæ. Cum aduocatis participibus iudicij die, & de quaque gentium adhibitis teſtibus ſui cultus, & orationem fidei quæremus, agnoſcent omnes increduli unum ſolum Deum & ueracem eſſe, ſeq; prius erraſſe confitebuntur. Karon cuidam ſubiecto Moyſi tantam theſauri copiam contulimus, quod ipſius claues ſolæ camelum fortem geſtantem eas, fèrè preſſere. Quem ſui præmonentes, ſic affati ſunt: Tuam pecuniam, nequaq; tibi gaudium ſeu ſpem extimes, ſed tuæ partis huius

*Machumet doctor imperitiſſimorum.*

*Habemus autem Moyſen & prophetas, & apoſtolus, ipſumq; Chriſti Euangeliũ.*

*Cur igitur nõ obtemperatis ô Machumetiſtæ?*

*Niſi Deus trahat hominem, doctor nil efficiet.*

*Diuitiæ contemnendæ.*

*Prædeſtinationis aliquam umbram attingit.*

*Iudaica fabula de Karone quodam, ſiue Core, ſiue alium intelligat.*

ius sæculi non oblitus, illinc aliud sæculum tibi compara, & à malis operibus cessans, cæteris, ut tibi Deus, beneficus esto. Tibi namq; consimiles aliter agentes Deus abhorret. Ille uero respondebat, hoc sibi nullatenus esse datum, nisi tantum sapientia sua. Nónne uidit multas gentes tum eo potentiores, tum ditiores, à Deo fuisse destructas? Nónne culpas incredulorum finemq; perscrutari uoluit? Illum deinceps cum summis ornatibus exeuntem, amicis mundi præferentibus, illiusq; pecuniæ maximæ consimilem quantitatem optantibus, sapientes responderunt, eos malum & uotum & uerbum feciſſe. apud Deum enim seruatur optima remuneratio, quam solum timentes & benefacientes adipiscentur. ¶ Tellure deinceps illum domumq; suam cum pecunia tota funditus absorbente, cum nec ipse nec alius eum protegere posset à Deo uindice suo, prius desideratores pecuniæ se redarguendo dicebant: Vere Deus omne uelle suum complens, cui uult, commodum atq; potentiam confert. Vobis quoq; ferè consimile contigit. Deus enim incredulos nullatenus diligit. Nos alius sæculi curiam daturi, supplicibus in nos nullatenus insurgentibus, nec terras uastantibus, sed timentibus, splendidissimã mansionem tribuemus: quo quisq; beneficijs uenturis suis meritis melius accipiet. Cum peccatis autem ueniens, secundum opera sua tantum mercedem sortietur. Qui tibi misit hunc Alchoran, te die futura ad se reducet, discussurus qui uiam rectam, quisq; falsam secuti sunt. Tu librum ex insperato tibi missum habens, ab illius mandatis nequaquam ulterius digrediaris. Ne sis incredulus, uel incredulorum adiutor, nec cum Deo Deum alium, cum ipse sit solus, participe carens, inuoces: Præter quem solum omnia pereunt, & ad ipsum iudicia facturum redibunt omnia.

*Beneficiendo thesaurus ad futurum sæculum reponendus. Luc. 16.*

*Videtur somniasse aliquid de supplicio Core, Dathã, Abiron, Numer. 16.*

*Curiam pro palatio aliquoties dicit.*

*Alcoran commendat.*

## AZOARA XXXIX.

IN n. &c̃. Peccatores falso iudicantes, se bonorum fore uictores, opinati sunt, me passurum eos dicere pro suorum antecessorum consuetudine, uidelicet quod credant: Cum ipsi potius fidei nullius, & increduli, cordisq; praui sint, egoq; dinoscam, quis uerum, quis falsum proferat. Sperãs se Deo cõuiendum, cuncta uidenti & audienti, hoc apud Deum ratum inueniet. Prædator & expugnator, non nisi sibi tantum operantur. Deus enim ob curam hominum & actus parum sollicitatur. Pœnitenti, beneq; gerenti, suorum peccatorum pondus auferens, mercedem suis actibus maiorem tribuam. Omnis homo bonus, suis parentibus benefaciat: Illos tamen nullatenus sequens, si precentur eum, ut cum Deo participem ponat, uel malam legem imitetur. Vos enim omnes redibitis ad me, omnes uestros actus reuelaturum. Credentes, & benefacientes, bonis associabimus. Sermonem confitentium se in Deum credere, de illo tamen male loquentium, iramq; diuinam, in eadem trutina libra. Aliqua re diuinitus adueniente, se nobiscum adhæsisse confirmant. Nónne Deus dinoscens credentes & incredulos, huiusmodi mentes hominum illis etiam perfectius penetrat? Incredulorum persuadentium credentibus, ut suam uiam sequantur, illis falsè promittendo, se laturos eorum peccata, cum hoc sit illis impossibile, suorum peccatorum mole pressis, sermo sæculo futuro pertractabitur. Noë uestrum legatum inter suos annorum mille spacio minus quinquaginta annis morattum, suosq; fautores in arca saluauimus, cæteros autem diluuio summersimus: quod est sapientibus mirandum. Abraham item suæ genti persuasit hoc dicens: Deum inuoca, timens ipsum. Hoc est enim omnium optimum. Illius

*Mali uana spe ducuntur.*

*Milites iam acceperunt mercedẽ suã. At quoties promittit eis cœlum? Pietas in parentes.*

*Fallax sponsio eorum, qui recipiunt in se culpam, si quẽ seducant.*

*Noe ætas. Abraham.*

loco nullatenus adores idola, nequeuntia uobis uictum dare : quem solus Deus omnibus glorificandus tribuit, ad quem omnium fiet reditus. Non mireris, si tibi contradixerint, cum prędecessoribus quoq; contradicebatur. Legati quidem est præceptum, aperire tantum, & nunciare. Nónne uident Deum homines creasse, quos secundo leuiter uiuificabit? Peregrinatum euntes addiscant, quoniam Deus omnipotens huic bonum, illi malum, pro uelle suo faciens, omnia creauit, secundoq; uiuificans ad se reducet. ¶ Vobis est impossibile quicquam in cœlo seu terra mandare. Solus enim Deus uester uindex est atq; conditor. Contradictores præceptorum nostrorum die resurrectionis à nostra misericordia ueniaq; desperati, graue malum patientur. Gens autem sua nil aliud respondit, nisi quod uel cædi uel combustioni tradetur. Deus autem eum ab igne liberauit, quod est credentibus mirandum. Imagines quidem Dei loco in hoc sæculo adorantium, alij die futura reprehendent alios, & maledicent, ad ignem iturí sine uindice. Loth illum sequendo, Dei sapientis & incomprehensibilis uiam secutus est. Ipsi quidem Abrahæ dedimus Isaac atq; Iacob, librumq; legiferum, & de prole sua prophetam excitauimus. Ipseq; dives in hoc sæculo, bonis in alio adnumerabitur. Loth conquesto gentem suam facere scelus nusquam antea perpetratum, hinc maribus abutendo, tum uias abscidendo, tum cætera nefanda gerendo, illa respondit: Vt te ueracem probes, diuinam exerce uindictã. Ille uero Deum inuocando precatus est, ut ab illis maliuolis & flagitiosis se uindicaret. ¶ Nunciis ferentibus Abrahæ gaudium, & dicentibus, se destructuros uillas illas ob maliciam inhabitantium: Abraham intimauit, Loth earum inhabitatorem esse. Illi quidem confessi se hoc scisse, polliciti sunt se liberaturos Loth, atq; suos, præter fœminam suam decrepitam. Et hoc idem dixerunt, uenientes ad Loth, ipsos timentem, & ab eisdem postea consolatum & edoctum, illos immissuros cœlestem uindictam uillæ, propter maliciam hominum. Huiusq; rei manent adhuc manifesta uestigia cunctis admiranda. Schaib uenienti ad gentem Madian, prędicantiq;, ut Deum adoraret, & de die futura speraret, nec terras expugnaret, illa contradixit. Vnde eam confundentes fulgure, suarum domuum alia super aliam remansit. Hath & Themuth fines atq; loca, & Pharaonis, & Hamer, atq; Karon, præsumptuosorum similiter nouistis. Quorum nullus uictor neq; uindex sui, quin ob culpas suas eos diruerem us, esse potuit. Eorum enim quosdam uento dispersimus, quosdam uox dissipauit, hos tellus absorbuit, illos aqua summersit. Deus tamen nemini malum fecit, sed ipsi sibi nocuerunt. ¶ Adorans alium Dei loco, comparabilis est araneæ, domum sibi cunctis deteriorem & fragiliorem texenti. Quid autem adoretis Dei loco, Deus ipse dinoscit. Nostra quidem exempla sæpius allata soli sapientes discernũt, quibus diuina cœli terræq; creatio manifestum est miraculum. Librum tibi missum lege, & iugiter ora. †oratio namq; fornicationes, cæteraq; nefanda remouet: Deumq; cunctos actus dinoscentem inuocare, maximum meretur meritum. Omnes homines legum, præter malos, honestis uerbis * disputando semper alloquere, & confitere te in Deum credere, & præceptis sibi missis parere: cum Deus suus sit tui Deus, & omnium omnibus adorandus. Eorum quidam, quibus librum dedimus, illi credunt: quidam autem, uidelicet mali, nequaq;, qui semper præcepta nostra renuẽtes, diuinas uirtutes super se descendisse postulãt. Sed tu dic, solius Dei præceptum atq; uirtutem

Legati officium.

Deus qui creauit homines, facile quoq; mortuos susciabit.

Simulachra colentes damnantur.

Loth.

Abraham.

Sodomæ & uicinarum urbium subuersarum uestigia.

Schaibe Madianitarum propheta.

Hath.

Pharao.

Karo.

Adorantes alienos Deos, araneis similes. quæ parabola conuinta

Machumetis non est: sed usurpata olim Iob. 8. Es. 59. Oseæ 8. &c.

†Orationis sanctæ uis.

*Modestia in disputando seruanda. præceptum sanè inculcandum Machumetistis, & magistris nostris.

tutem

tutem esse,te uero solummodo legatum. Nunquam illis nec leges,nec manu scribes,quin hoc esse falsum, non Dei mandatum iudicent:licet corda sapientum manifeste uideant illud nil nisi diuinum.¶ Nónne sufficit illis me misisse tibi librum legendum illis, patefacientem diuinam pietatem & sapientiam credentibus? Tu constanter dicito: Deus uniuersa cœli terræq; dinoscens,mihi uobisq; testis atq; iudex sufficiens intersit. Obedientes mẽdacijs,& in Deum non credentes,die futura perdentur. Eos enim ad malũ festinantes, quibus & iam accideret, nisi propter Dei pactum firmatum subito quidem incumbet,illis nil inde tractantibus gehenna circundabit,undiq; malum atq; dolorem inijciens, me tunc dicente: facta uestra gustate. Vos boni credentesq;, me, cui subest terræ capacis immensitas, inuocate: uobis tutelę meę commendatis,mercedem maximam daturum,paradisum uidelicet gradibus distinctam,& aquarum fluxu iocundam. Omnis enim anima mortem gustabit, & nos deinde uisitabit, qui uos & animal omne, etiam suum lucrari uictum impotens,pascit,omnia uidens & audiens.¶ Illi quęsiti,quis cœlos & terram creauit,& solem ac lunam currere fecit? Respondebunt,Deus. Cur igitur non credunt? Ipse quidem omnipotens & sapientissimus,cuilibet pro suo uelle uictum,cæteraq; bona tribuit. Interrogati,quis de cœlis aquas ad terrenorum uitam & ortum demisit? inquient, Deus. Deo gratias. Eorum pars plurima nescia cęcaq; permanet. Huius quidem sæculi uita nil nisi ludus est,& ludicrum inane. Alius autem sæculi uita melior est,atq; uerior. Nauem ascendentes,corde deuoto Deum inuocãt: Egressi,siccoq; statuti,en recedunt. Nostris item præceptis resistendo,nónne uident, quod nos terram Haram timoris expertem fecimus? quò nostro præcepto proficiscuntur homines? Mendacijs,& non nostris præceptis fauentes,quibus nullus est deterior, & in Deum non credentes,gehennã mãsionem perpetuã sortientur,uelut benefacientes paradisum,quibus nostras uias patefecimus. Deus quidem bonorũ est illis propicius,atq; misericors.

*Alcoran.*

*Demonstrat. in solo Deo salutem uniuersam collocandam esse.*

*Vita præsens fabula.*

*In periculis homines religiosi.*

*Mecha.*

AZOARA XL:

IN n. &c̃. Agentibus in terra propinqua pessimaq; Christiani superati, post IX. annos eorundem uictores per Deum, cuius sunt prima postremaq; mandata, facti sunt. Vnde die illa uindicta Dei condonatoris atque pij,credentibus in ipsum gaudium fert. A' Deo nunciatum nunquam fallit:licet plures hominum hoc nesciunt,huius sæculi uitã apparentem agnoscentes,alius minime. Nõne sua corda perpendunt, Deum cœlos,& terram, omniaq; interposita cum ueritate,terminoq; noto creasse? Cur igitur non credunt illum eos resuscitare potentem? Peregrinando uideant finem antecessorum suorum,illis potentiorum ac ditiorum, terræq; minima miranda componentium,terrasq; plures colentium: quibus post aduentum legatorum † mira facient iã malum illos uelut contradictores & irrisores destruens incubuit, Deo nociuo nemini: Sed ipsimet sibi plurimum officiunt. Deus omnium origo principalis,ad se redire faciet uniuersa.¶ In aduentu diei postremæ, increduli penitus desperati, nullum à participibus positis suffragium,seu uindictam sentient: Sed eorum alius alijs contradicens,& non credens aduersabitur,ipsiq; malum patens & præiacens incurrent. Benefacientes autem atq; credẽtes, paradisum lætitia plenam ingrediẽtur. Deum uitæ mortisq; datorẽ & resuscitatorem,qui uos de terræ limo plasmans,multitudinẽ terricolarũ deinceps eduxit,& è uobis fœminas uobiscũ mansuras, di-

*Christiani uicti post annos IX. uictores. loquitur de bellis imperatoris Heraclij cum Persis.*

*† tum minima facientium.*

*Deus omnium origo et finis. Ex quo,et per quem, & in quem omnia sunt. Ro. 11. Deus unus adorandus.*

lectionisq; uinculo connectandas edidit,cœlo terraq; glorificandus,uespere maneq; horis singulis inuocate. ¶ Ipse quidem cœlorum terræq; conditor,aquas de cœlis ad excitandam terram demittit, corruscationem cœlorum uobis timorem atq; spem afferentem aperit, linguas multifarias colores q; multiplices distinxit,noctem quieti,diem necessariorum acquisitioni disposuit: Cuius iussu cuncta creata sunt. Quem omnium regem adorant uniuersa,ad eum nutu suo reducenda,absq; difficultate. Ipso namq; uocante statim accurrent uniuersa: quæ cuncta discretis & sapientibus sunt admiranda. Ipse sublimis & incomprehensibilis,uobis diuinas & excellentes similitudines de uobis & illis, quos in suis bonis uobis commissis participes ponitis,prætendit,quærens an uosmet illis parificetis, cum illos uelut animas uestras timetis? Me taliter res sapientibus discernente,malefactores tamen suas uoluptates stulte sequuntur. Quis enim patefaciet uias rectas illis, quos Deus aberrare facit,& à uindice tutore q; destituit? Cor tuum beniuole uerte ad legem diuinam, immutabilem, omnibus diuinitus missam gentibus. Hæc est enim lex recta,licet pluribus nescijs. Illam itaq; sequere,diligenter tuam faciem ad Deum dirigendo cum timore, & orando iugiter, ne sis incredulus. ¶ Cohortum leges discrepantium quæq; suæ legi cultuiq; congaudet: omnis tamen malo superueniente, Deum adiutorem inuocat. Quidam autem misericordia diuina suffragioq; sustentati, declinant item ad scelus,primum incredulitatis: nostra negantes munera,eorum noticiam futuram expectent. Plures hunc librum lucidum sibi diuinitus datum adepti,colloquio dicentium se nequaq; in Deum credere,potiuntur. Gens aũt quæq; nostræ misericordiæ datoq; beneficio cõgaudet,peccato uero maloq; pro suarũ manuũ operibus incumbente desperant,nõne uidere queũt,Deũ abundãter & illaborioſe uictũ cæteraq; bona cũctis tribuisse? Opus precellens & optimum est,propinquis,& pauperibus,ac mendicis sibi danda prębere,omneq; beneficiũ duplici mercede remunerabitur. Suã fœnerãdo pecuniam augens,apud Deum nõ fructificat,nec crescit. Ipse quidem cunctis uictum & diuitias præbet,uitæ mortisq; dator,& omniũ resuscitator: quod participum nullus facere potest. Ob incredulorũ opera malum à Deo secũdum suã mensuram sumentium,ut sic cõuertantur, mari terraq; scelus apparuit. ¶ Fines prædecessorũ suorũ,quorum pars plurima mansit incredula, gyro uagando perquirite. Faciem uestrã ad legem rectã uertite,anteq; dies ueniet uere uentura: qua fiet distinctio cedentiũ ad ignem,& ad paradisum. Et Deus abhorrens incredulos,quẽq; pro suis meritis remunerat,cuius imperio parẽt uenti. Spem bonã sæpius hominibus afferentes,quo iubente naues promouent,manusq; sua uobis omnes possessiones uestras tribuit. Vestris digna gratibus. Cuiq; gẽtiũ nostris legatis missis,mãdatisq; relatis,ego credentiũ & bonorũ uindex,illos à malis liberaui,qui uẽtis ut nubes per cœlum diffusas afferant,easq; dissipando pluuiam faciãt,homines prius desperatos spe bona cõfirmante,impero. Deus ita terram mortuã uiuificat,qui similiter mortuos resuscitare poterit,cũ sit omnipotens. Si uentum aũt turbidum seu croceum immiserimus,fient incredulitatis,Deo cõtumelias inferendo. ¶ Mortuos nequaquam seu surdos audire, uel cæcos à uia praua diuertere, nullos tandem nisi credentes,audire faciens. Deus enim sapiẽs,omnia prout uult operãs,hominem de re fragili cõposuit: illi deinceps uires,postea debilitatẽ,tandem canitiẽ conferens. Hora postrema superueniente,iurabunt

*Praui sequuntur affectus suos.*

*Lex Dei constans omnibus gẽtibus missa.*

*Nõ probat discipulos Alcorani colloquium infidelibus.*

*Beneficentia. Fœnus.*

*Hominis uicissitudines.*

incredulitatis

incredulí, ſe nequaquam moratos niſi per horam unam. Ab hoc tamen dicto poſtea diuertunt, percipientes hoc eſſe falſum. Inquient enim illis incredulí ſapientia prædití: Vos ſecundum líbri diuíni determinationem hanc reſurrectionís horam, cuíus uíxíſtís ínſcíj, expectabatís. Illa die nec excuſatio proficiet malefactoribus, nec fides adhibebitur. In hoc Alchoran ſam exempla plura contulímus. Sed lícet afferas ícredulís uera, ſummeq; míranda, nunquam deſínent te mendacem appellare. Ita Deus eorum corda ſigillauit. Deum time, & patienter índura, eíus pactum ueraciſſímum expectando, ne te dubitantes írrideant. *Reſurrectio.* *Perſeuerantia Machumetis.*

## AZOARA XLI.

IN n. &c̃. Hæc ſunt huius uoluminís optíme compoſití ſecreta. Ipſum quídem míſerícordíam uíamq; rectam monſtrat benefacientíbus, & orantíbus, ac dantíbus decímas & eleemoſynas, ſęculoq; futuro credentíbus: quí bonam ſequendo uíam ſemper antecedunt. Homínes uerba falſa uíasq; deuías uadentes, quí noſtrís uerbís lectís díſcedunt, quaſí non audientes, ſeu plumbatís auríbus, dedecus magnumq; malum patíentur. Credentes autem & benefacientes, paradíſum manſionem perpetuam ſortientur: ſecundum uerax Dei mandatum. quí ſublímís & ſapiens, cœlum ſine columnarum ſuſtentamíne ſurſum erexít, & terram montíbus firmauít, & in ea cuíuſq; generís animalíum par unum cõſtituens, ad eorum crementũ, & ortũ, aquas è cœlís demíſít. Monſtrent ícredulí factum ſaltem alíquod eorum, quos ínuocant loco Dei, cuncta prædícta facientís. Illí quídem uíam errorís ſequuntur. ¶ Aluchímen, cuí magíſterium optímũ, operíſq; díſcretionẽ tríbuímus, unde nobís gratías perſoluít, ínquít fílium ſuũ caſtígando: O fílí, nec cum Deo partícipem ponas, nec quíd Harã ínterfícías, nec huíuſmodí crímínalía perpetres. Omnís enim benefaciens ſíbí prodeſt, & ícredulus ſíbímet operatur. Deus quídem píſſímus nullíus eſt índígens. Omnís quídem ad me redíturus, mihí, & utríq; ſuo parentí, quorum alter eum neceſſarijs ſuſtentauít, altera prius aluo ſua concípiens, & fomentando ín alíquíd ducens, cum prius non eſſet, deínceps ad cíbum à lacte ſeparauít poſt bíennium. Illís ínquam, & mihí, gratíam & honorem faciat. Sed lícet ípſí natum precentur, ut cum Deo partícipem ponat, uel de Deo quíd malí dícat, nullatenus ín hoc illís pareat: ſed illís ín hoc ſæculo benefaciens, uíam ínuocantís Deum, reuelaturum omnibus ſua facta, ſequatur. Ille namque fílí, ſubtiliſſímus, & omnía penetrans, omnía remunerabít, ſíue fuerít aureus, ſíue ſínapís granum etiã ín petra, ſeu terra, cœloúe poſítum. Tu ítaque puer mí, oratíones funde, íuſq; notum præcípe, ínıuſtum prohíbe, índurans ſuper omne propoſítum noſtrum & commodum, nec tuam homínibus faciem ſubíícías, nec gyrouagus níſi ſecundum íus & honeſtum exíſtas. In ítínere namq; tuo, atq; ſermone modeſtus & mediocrís eſto. Vox ením nulla peíor eſt aſínína: & Deus fraudulentos & íactatores abhorret. Nónne uídetís Deum omnía feciſſe uobís commoda, & cœlí terræq; ſíngula, uobísq; clàm & palàm de ſua pecunía dediſſe? Sunt autem quídam írrationabíliter ín Deum, uíamq; ſuam rectam, líbrumq; manífeſtum ratíocínantes, & dícentes, cum prædícantur íllís díuína præcepta: Nos noſtrorum patrum ſectam ímítamur. Quíd ſí díabolus íllos decípiens, eos ad ígnem uocauít? Tuã ad Deum faciem uertens, nec íllícitũ alíquod perpetrans, firmítatí rerũ, quæ omnium Deus fínís eſt, adhære. ob ícredulítatem malorũ non ſollícíteris. *Alcoran bene agentibus promittit felicitatem: & minatur malis æternam infelicitatem.* *Aluchmen filium ad unius Dei cultum inſtituit, & uirtutem:* *Deo & parẽtibus ſummus honor debetur.* *Vel minima bona remunerat Deus.* *Vt peregrinãdum.* *Modeſtia in dictis.* *Patrũ ſectatores.*

Ad

Ad me namq; redibunt singuli, dicturum illis omnia facta sua: cum omnium secreta cordium agnoscam: licet paulisper malos dilatans, quos in ignē pinguem postremò proijciam. Quæsiti tamen, quis cœlos & terram fecerit? Inquient, Deus. Deo gratias, quod eorum pars plurima manet incredula Dei, glorificandi semper, & nullius quoq; indigentis sunt omnia cœlorum & terræ: Ad cuius incomprehensibilis & sapientis integrè scribenda miracula, non sufficerent omnes arbores in pennas redactæ, nec marium septuplum incaustum. Cui cuncta uidenti & scienti, adeò leue est omnes suscitare, sicut unum, qui diem nocti & èconuerso iungit, solem & lunam ad terminum scitum promoueri fecit, omnium opera ueraciter dinoscens, omnia uerè suscitaturus. Illi autem quos adoratis Dei loco, fallaces sunt & impotentes. Ipsius quidem Dei præcepto miranda gerentis, naues æquora sulcant, quod credentibus, Deoq; grates reddentibus est admirandum. ¶ Vndis autem homines cooperti uelut montibus, Deum inuocant corde deuoto: ad littus autem reuersorum quidam, uotis suis ab renunciant. Increduli quidem tantum nostris præceptis resistunt. Omnes boni Deum, illamq; diem, qua nec proles patri, nec èconuerso proderit, uere uenturam timete, nec huius mundi uitæ confidite: nec uiā falsam ingressi, de Deo, illius aduentū horę noscente, securi sitis: A' quo procedit imbris descensus, aluiq; conceptus perspicit': nec quis præter eū scit, quid in crastino sit acturus, uel ubi morietur. Ipse nāq; solus sapiens, & eloquēs, hæc omnia perfecte dinoscit.

*Impudens hyperbole. Cur non contentus fuit illa Ioan. ultimo: totus mundus nō caperet libros, &c.*

*Periclitantes uouere munifice, quod non soluunt libera ti.*

*Incertæ res mortalium. Iacob. 4.*

*Alcorā à Deo exhibitus, ut rudes planè ac imperitos doceat.*

*Rerū creatio.*

*Anima hominis de spiritu Dei. Hoc & antea non semel dixit. Respirit autē hæresim Gnosticorum & Manichæorum et Priscillianistarum. Per Deū stat, quo minus omnes teneant ueram fidē. Videtur congruere cū illo Mosis & Pauli, Quem uult indurat. Sed scriptura sancta probè seipsam explicat.*

**Homines ignorant præmium sui operis. Propemodum id dicit quod Sophistæ, ignari an in gratia Dei sint, an in ira.*

AZOARA XLII.

IN n. &c. Hunc librum ambiguitatis expertem, à Deo totius mundi compositū, tuū opus esse dicent increduli. Tu uero dic, solū Deū hunc fecisse, per quem castiges gentem prius doctore carentem, ut in uiā rectam se uertat. Nec tutorem nec uindicem habet quisq; præter Deum, qui cuncta sex diebus creans, & deinde thronum ascendens, omniaq; ab ipso creata bona bene disponens, hominem de luto plasmauit, posterosq; suos ex humore fragili, eidemq; de suo spiritu insufflans, aures, & oculos, ac corda præbuit: Ad quem scientem omnia desuper missa, redibunt singula die spacioſa, quasi mille nostri anni. Pauci tamen grates persoluūt. Dicentes enim, nos mortuos quomodo resuscitabit? non credunt congregationem futuram coram Deo. ¶ Omnes ab angelo mortis sibi à Deo tradito terminati, ad Deum redibunt. Increduli coram Deo capita sua declinaturi, se uidisse simul & audisse dicent, Deumq; postulabunt, ut eos remittat, pollicentes se credituros & benefacturos. Si uellemus, cuique gentium bonam uiam & rectam daremus. Sed iam uerbum nostrum firmatum est, ut infernus de dæmonum & hominum consortio penitus impleatur. Vos itaque resurrectionis & reditus ad nos oblīti, unde uestri minime recordamur, malum perpetuum ob opera uestra gustate. Soli nostri memores nostris uerbis obediunt, Deum adorantes, digneq; Deo gratias reddentes: cuius timore, speq; bona substantiam sibi datam distribuentes, somnum & lectum linquunt, ut Deum inuocent. *Nemo mercedem sibi pro suis operibus dandam prænoscit. Credentis autem & increduli magna est distantia. Credens enim & benefaciens, paradiso: incredulus autem, in igne, cum non credidit, perseuerabit, nunquam discessurus. ¶ Faciemus eum etiam gustare malum minus, quàm illud maximum, ut sic saltim sua fiat conuersio. Quis est autem deterio, quam derelinquens atq; discedens post nostrorū præceptorum

rum perceptionem? Nos quidem indubitanter ex eo sumemus iam uindictam. Per Moysen librum, quem sequendo penitus Deo coniungerentur, indubitanter missimus filijs Israël. Quorum quidam indurantes, uerbisq; nostris credentes, uias rectas docuerunt: quidam autem dissenserunt. Deus autem die futura suas discutiet contrarietates. Nónne uident, quot præcedentes, quorum obtinent loca, nos confudimus, qualiterq; per aquas cœlitus ad terram missas, messes & herbas eorum, bestiarumq; uictui produximus? Quæ cuncta sapientibus admiranda sunt. Nónne uidere queunt? Si quærant rerum euentus, & finis noticiam, illa die scient, qua fides tunc sumpta nil proficiet, nec castigabuntur. Illos derelinquens expecta, quoniam illi similiter expectant.

*Moysis doctrinam amplexantes iungentur deo*

*Is autem Christo filio Dei unico seruatori totius mandi reddit testimonium, cui Machumet cõtradicit.*

## AZOARA XLIII.

IN n. &c̃. Tu propheta Deum omnia noscentem, tuaq; facta perspicientem, timens, nequaquam malos & incredulos sequere, te prorsus illi commendans, cuius protectio sufficit. Nemini quidem duo corda tribuit, nec matres in uxores, quæ causa sunt uobis balnei, ducere permisit, nec filios uestros: quod & uos etiam confirmatis. Deus ipse uerum omne dinoscens, uiamq; rectam pandens, illac aduocari noluit, sed parentes suos, quod est optimum, uel fratres, earumúe censores. De factis iniustis nullatenus, nisi sponte crebroq; factis, molesteris. Deus enim condonabit, prohibens omnibus bonis, ne matres suas in uxores ducant. Vnius etiam legis quidam plus cæteris promerentur, uelut benefacientes, firmeq; credẽtes. Hoc enim per Dei librum firmatum est. Te quidem, sicut & cæteros prophetas, Noẽ inde & Abraham, ac Moysen, Christumq; Mariæ filium, pacto dilectionis operisq; boni perstrinximus, qui suum à ueridicis uerum perscrutabimur, & incredulos malo grauissimo torquebimus. Omnes itaque credentes, Deum inuocent, illi grates in omnibus referentes. Quando Deus actus uestros perspiciens, & credentes tentans, exercitus à uobis non uisos, post uentos immissos undique super uos uenire fecit, oculi uestri stupuerunt, cordaq; ferè faucibus adhæserunt: Vnde uos de Deo dubitantes, uictoriæ malæ succubuistis. ¶ Incredulí quidem, & cordis infirmi, dicentes Deum atque prophetam falsum fecisse pollicitum, gentem Iethrib examinabant, inquientes: Mora quidem uobis est impossibilis: sed potius reditum properate, mittentes ad prophetam nuncium, uos excusantes, & dicentes: domos uestras esse desertas. Non erant autem destructæ, sed sic fugæ consulebant. Licet enim undique illis domo repertis superuenissent exercitus, non nisi paucos rebelles, plures autẽ fugientes reperirent. Ab illis quidem prius pollicitis, se nec uincendos, nec fugandos, Deus promissum exquiret. Sed quid prodest eorum à cæde morteúe fuga, cum eorum uita breuissima sit? Quis eos à Deo, nocere uel obesse uolente, qui solus est tutor & uindex, proteget? Ipse quidem scit uestri sociorumq;, se per alios defendentium, & dicentium, ut uos paucis pugnæ dimissis ad illos eatis, iniurias & contumelias. Illi quidem rumore metus accidente, uos circumquaque uelut mortis certus, atq; cecus cõspiciunt: metu discedente uos oculis acutis respiciunt, & auarissimi manent. Deus autem eorum facta delet, multumq; leuiter. Si illis cogitãtibus exercitus nõ discessuros, illi superuenissent, paucos rebelles inuenirent. Eorum namque pars plurima sibi timens, exercitus alijs

*Prohibet incestas nuptias*

*Voluntariæ iniuriæ demum castigandæ.*

*Christus Mariæ filius.*

*Tempestatis horrendæ memint & clamdis.*

*Iethrib, quæ primo recepit Machumetẽ, alij monuerũt ad resipiscendum.*

*Non fugiendũ è prælio: quia uita hominis breuis.*

*Machumet dux bonus.* alijs incumbere uillis optaret. ¶ Prophetam tamen ducem, & perſecutorem bonum, in Deo ſperantem, eumq; multum inuocantē, dieiq; futuræ credē-
*quia ſpem collocās in Deo.* tem habebāt. Boni quidem illis exercitibus uiſis, Deum ſuo prophetæ uer-
*Eſt id quidem præcipuum in duce. Pſal. 18.* bum miſiſſe, ſibiq; terminum illum propoſuiſſe firmabant: ſicq; fides eorū & meritum creuerūt. Credentium illud Dei uerbum quidam morti ſubcu-
buerunt, quidam ſuperſtites nihil inde mutauerunt. Deus autem credētes ob fidem ſuā optime remunerat, incredulos damnat, uel forſan ſua pietate ſubueniente ueniam tribuit. Reducentur quidem increduli irati, uelut nil boni lucrati, Ad Deum ipſum, qui fortis & potens bonos à lite protexit: Illis rebelles, à ſuis ſublimatibus depoſuit, & eorū cordibus impreſſit. Vnde 10
eorum quidam mortem, quidam captiuitatem paſſi ſunt: uosq; ſuarum terrarum & cæterorum etiam hominum, nondum à uobis uiſorum, ſuarumq;
*Vxorum Machumet conditio.* pecuniarum hæredes Deus omnipotens cōſtituit. Tu propheta tuas ſic mulieres alloquere: Si uitam & ornatum huius mundi malueritis, uelle ueſtrū uobis dabo, formoſeq; dimittam. Si Deum autem, atq; prophetam, aliamq;
uitam plus dilexeritis, uobis, uelut & omnibus bonis, Deus ueniam mercedemq; maximam tribuet, beneficium duplicando, gaudiumq; plenum prę-
*Et quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Cur matronas ſectaris Machumet.* bendo. Omnis quidem à prophetæ mulieribus quid nefandum uel non gerendum poſtulans, malum ſuum à Deo duplicatum inueniet. ¶ Omni quoq; mulieri prophetæ, Deum & ipſum ſequendo benefacienti, meritum 20
ſuum duplicabitur. Vos prophetæ mulieres ſi timueritis, cæteris nequaq; ſimiles, nolite uerba blanda ſeu laſciua proferre, ſed honeſta & cognita. Homines etenim cordis infirmi, tunc à uobis aliquid non agendum ſperarent. In domibus ueſtris manete, non euntes modo priorum: & orationes ac eleemoſynas gerendo, Deum atq; prophetam imitemini, & Dei ſapientiā ſuaq;
præcepta lecta ſuper uos nominate. Deus enim à uobis, quoniam prophetæ
*Opera bona, ſeu officia uirorum & fœminarum.* domū inhabitatis, omne malum auferre proponens, uos lotas & benedictas eſſe deſiderat, cum ſit mitis atq; ſapiens. Viri, ſeu fœminæ, ſe Deo penitus uouentes, & credentes, ac orantes, & ueraces, & indurantes, ac flentes, genuaq; Deo flectentes, & eleemoſynas ac ieiunia peragentes, caſtitateq; per- 30
ſeuerantes, & Deum iugiter inuocātes, à Deo ueniam & gaudium plenum aſſequentur. Nō decet uirum, ſeu mulierem benefacientem, non adhærere
*Larga diſpenſatio ſuper matrimonio.* iudicio dato, fœderiue præcepto à Deo ſeu propheta. Tu uero uirum à Deo ditatum affatus, dicendo, Tene mulierem, timeq; Deum, quidnam à ſolo
*Intelliguntur hæc de Maria uxore regis Iacobitarum.* Deo notum, plus homines quam deum, timens, timuiſti, licet Deum plus timere deberes. Poſt moram igitur ſui mariti pro uelle ſuo cum illa, tibi per miſimus illam ducere ſponſam. Licet enim etiā bonis omnibus, poſt diſceſ-
ſum ſuum à maritis, quaslibet Deo iubente ducere. Nō erat igitur prophetæ curandum tum Dei mandatum, tum prædeceſſorum morem diuinitus
*Machumet ultimus prophetā, ut quidam interpretantur. Diuerſum tamē legis de religione Turcarum.* ſtatutū exequi. Deusq; ſolus eſt ſufficiens dinumerator, ſua mandata ferentium, & ſe ſolum timentium. Machometus nequaq; pater alicuius, ueſtriq; 40
tantum Dei, ſcientis omnia, legatus, poſtremum omnium ſigillum & cumulus acceſſit. ¶ Viri boni, Deum iugiter, mane ueſpereq; ipſum adorantes, inuocate: qui uobis beneficus atq; propicius, ſicut & angeli ſui, uos è tenebris ad lucem reducit: gaudijq; pleni dator, die congregationis uerbum ſalubre profert. Tu propheta, miſſus à nobis teſtis & nuncius, ac gentis corrector, eiusq; prolocutor coram Deo, luxq; manifeſta bonis, nunciaturus ſe gaudium plenum habituros. Malos & incredulos nō ſequere, ſed potius illos

los linquendo,te Deo prorsus,quia salutem sufficienter præstat, commẽda. Viri boni,si mulieres desponsatas intactas dimiseritis, illis munera faciendo,formose dimittite.Et ipsis deinceps de mora determinata non est curandum. Tibi quidem,ô propheta,mulieres omnes,quibus donando dederis, & omnes tuæ manui per emptionem suppositas, & amitæ tuæ materteræq; filias, omnes item bonas mulieres, tibi uolenti gratis subcumbere cupientes,hocq; tibi soli permittitur,licitas constituimus. Iam notum esse censeo, quid tibi & cæteris bonis de mulieribus uestris, atq; de suppositis manibus uestris agendum sit. ¶ Has à te semotis,illas adiunge,pro uelle tuo:nec prius abiectis,si dilexeris eas, molesteris. Illæ namq; tuo uoto parêre debent. Deus autem sublimis & sapiens, uestrorum secreta cordium agnoscit. Post illas tamen non est tibi licitum,alias,licet placidiores & habiliores,pro tuis mutuo sumere,nec aliquam etiam illarum uice sumere,nisi tantum tuæ manui subditas. Deus enim omnipotens,omnia penetrat. Nullus prophetæ domum comestum ingrediatur,nisi uocatus. Tunc autem accedens,pransus statim exeat, nec aliquod ibi ridiculum seu ludum agat. Hoc enim est prophetæ nociuum & tædiosum,qui uos uerecundatur. Sed Deus quidem uerum absq; uerecundia promit. Quærens autem quodlibet,extra portam maneat.Hoc enim est optimum.Neminem quidem oportet uel prophetam in aliquo ledere,uel uxorem eius nunquam post eum habere:cum hoc Deo molestum sit,atque graue: qui perfectè perspicit,si quid clàm seu palàm fecerit quis. Nemo tamen zelotypia torqueatur, ob patres,uel fratres,seu filios,uel nepotes,aut mulieres ingredientes,seu subditos. Deum time te,testem omnium.Cumq; Deus & angeli propter prophetã exorent,uos quoq; Deum precemini pro ipso,ut ipsum saluet & protegat. Malè loquentes de Deo atq; propheta, in hoc sæculoq; futuro à Deo repellendi, graue malum patientur. Malum quoq; dicentes de bonis uiris,seu fœminis mentiendo, mendacij grauisq; peccati supplicio punientur. Tu quidem propheta generaliter iniunge tuæ,cunctorumq; bonorum mulieribus & filiabus, ut suas facies quantum licet tegant,ne quales sint uideantur: uel malum de illis uerbum proferatur,cuius ueniæ Deus largitor est. Nisi se conuerterint inconstantes, cordisq; pusillanimis de Midena, malum maximum à me suscipient. Vestri propinqui non nisi parum mansuri,ubique repulsi,& quouis reperti perimantur. ¶ More priorum adhuc inuariabili de Deo dubitantes,& quærentes aduentum illius horæ, sciant Deum solum hoc dinoscere, & fortassis illico ueniet. Illos autem Deus repudians,igne perpetuo damnabit,omnis tutoris & uindicis expertes. Die quidem,qua suas in igne facies uoluent,optabunt se in Deum sequendo prophetam credidisse,& conquerendo dicent: O Deus,nostris magnatibus atq; potentibus,causa uidelicet erroris nostri,quos nos secuti fuimus,malum imputa,longiusq; repelle.Viri boni,non imitemini male loquentes de Moyse, qui per Deum à praui loquio liberatus,honestus & bonorum exemplum apparuit. ¶ Deus facta uestra diriget, peccataq; dimittet: quem, atq; prophetam quilibet sequendo,magnum quid adipiscitur. Conditionem uestram fidelem, super cœlos & terram ac montes firmatam,homo suis adsumpsit humeris: quam postea derelinquens,malus & insscius est effectus. Incredulis quidem uiris seu fœminis,suisq; participibus, Deus flagitium inferet: Bonis autẽ omnibus,ueniam & gaudium tribuet. Est namque pijssimus,ueniæq; dator.

*Repudium.*

*O fœdissimũ libidinis mancipium. O plũbeos homines qui hæc non animaduerterunt,aut perferre potuerunt.*

*Diuortij leges, neq; Mosi,neq; naturæ humanæ congruentes.*

*Vt licet domũ Machumetis ingredi, præsertim conuiuas.*

*Bene sibi ubiq; cauet legislator, neq; iniuria.*

*Zelotypia modum habeat. Orent homines pro Machumet,ut seruetur: quia pro ipso et angeli & Deus orant. Quis non amplexetur istam sapientiam? Fœminæ uelentur.*

*Midenenses accusantur timiditatis.*

*Nouissimi dei aduentus incertus.*

*Gratitudo erga Deum.*

IN n.&c̄. Incompræhensibili sapientiq́ Deo, ueniæ datori, perfecteq́ dinoscenti omnem terram ingrediens, uel exiens, & de cœlo descendens uel ascendens, cuius sunt uniuersa cœli terræq́, omnisq́ gratia sæculi futuri, gratias digne reddamus. Incredulis sciscitantibus, An hora illa continget? dic, Ita: ueniet per Deum, secretorum cognitorem: cuius sapientia nil cœleste, seu terrestre, nec formicam etiam, illáue minorem seu maiorem, cũ in libro manifesto sint omnia, prætermittit. Omnibus enim credentibus, & benegerentibus, ueniam & gaudium promerentibus, omnia sua beneficia reddet. præceptis diuinis aduersando resistentibus, omne suum maleficium annumerabitur. Nostri quidem sapientes percipiunt, hoc cœlitus missum esse uerum, & à Deo pio glorificandoq́ compositum. Dicunt autem increduli: Hoc fictitium & nouum linquite, nosq́ docebimus hominem dicturum, quando uel quid mali patiemini. Isti quidem coram Deo mentientes, ad diabolum tendunt: qui sæculo futuro non credentes, prolixum errorem ingressi sunt. Nonne uident suis inhærens manibus, & posterius? De cœlo terraq́ nostra quidem uoluntate potente, uel eos in terra obrueremus, uel per cœleste supernéue quid accidens premeremus, quod in uestris conuersis est admirandum. Dauidi diuitias abundanter contulimus, & montes, ac aues illi parêre fecimus, ferrumq́ molliri iussimus. ¶ Ipsum itaq́ loricas inde bonas texere præcepimus: Quoniam ego Deus omnia sua facta uideo, et audio. Salomoni quoq́ uentos & pluuias uespere maneq́ parêre fecimus, suæq́ manui mineras aurichalci, & diabolos opifices, ut illinc pro uelle suo aras, & imagines, & paropsides, & amphoras fabricarent, subiunximus. Vnde mihi gentiq́ Dauid grates persoluere debetis, quod rarissime faciunt. Ipsius autem, ad mortem per nos redacti, mortem penitus ignorabant, usquequo cecidit infima parte sui baculi à uermibus corrosa. Mortis itaq́ suæ secreto taliter reuelato, confirmabant, se nequaquam tantum malum & dedecus esse passos, si scissent. Mortis deinceps illius rumorem gens Cheib admirata, dixit, Velut hortos à dextra sinistraq́ possidentes, bonorum ciborũ esui studeamus: cum terra nostra sit fœcunda, Deusq́ ueniam donet. ¶ Illis digressis, per torrentem malum & magnum immissum cœlitus, hortos fertiles in sterilis et inutiles redegimus. Quippe tamarintas & ficulnos, steriles & spinosos fructus ferentes arbores induximus illis, & utilibus uillis cæteras uillas elatas, quibus inerat iter peruium atq́ securum, die noctuq́, nos interposuimus. Illi uero sibi nocentes, earum longinquitatẽ & remotionem optabant. Vnde nos illos diaboli uerbis credentes, præter paucos, fecimus mirandos indurantibus, Deoq́ gratias dicentibus. ¶ Non est illis quicquã gerendũ, nisi tantũ ut sciatur, qui credãt, & qui nõ. Deus tamẽ omnia uidet. Videte firmiter, an à uobis adorati loco Dei, quantũ est formica, in cœlis seu terra mãdent, uel aliquã apparitionẽ secundũ dicta uestra sortiãtur. Coram Deo nisi secundum uelle suũ nemini prodest alîus oratio. Illi quæsiti, Quid mãdat Deus? Inquient, Verũ. Quæsiti quoq́, Quis diuitias omnes & uictũ cœlorum atq́ terræ præbet? Respondent, Deus: nec tamẽ cæci esse desistũt. Deus autem nos omnes congregaturus, omniũ iudex & sapientissimus, qui uiã rectam, quiq́ prauã fuerint secuti, dijudicabit, nec à me sua, nec ab illis mea perscrutaturus opera: Qui tũc etiã præcipiẽs, ut increduli suos participes aduocent, se solũ & unũ Deum existere patefaciet. Tu uero tantũ missus

*Dies iudicij.*

*Machumetis doctrina contemptibilis, quia noua. Ea ratione utitur & Augustinus contra hæreses. Aeternæ autem ueritatis existunt Christiana dogmata. Dauidis meminit, ut prius.*

*Salomon.*

*Cheibe populus sterilitate agrorum punitus obluxũ.*

*Quisq́ onus suum baiulabit.*

cunctis

cunctis gentibus boni nuncius, & castigator, quærentibus huius aduentus terminum, dic, illos habere terminum, quem nec etiam per horæ spacium uel præcedere uel sequi queunt. ¶ Increduli nunc dicentes, se nec huic Alchoran nec tuis uerbis præsentibus fidem adhibere uelle, resuscitati coram Deo litigium committent mutuum. Debiles enim & pauperes magnatibus atq; potentibus inquient: Vos quidem nostræ damnationis & incredulitatis occasio fuistis. Vos enim die noctuq; præcepistis, nos nullatenus in Deum credere, sed illi participes ponere. Vnde nunc malo uiso, se nostra corda remordent. Respondebunt illi: Nos quidem nequaquam uos seduximus, nec aberrare fecimus: sed uos ipsi potius nocentes & increduli permansistis. Nos autem horum & illorum colla, sui meriti remuneratores, cathenis onerabimus. Nunquam nuncium aliquem cuiquam gentium misimus, quem non increpassent sui principes atq; magnates, dicendo: Tu tua præcepta perfice: Nos autem maiori potentia proleq; pollentes, nec illis credemus, nec secundum dictum uestrum confundemur. Heu heu: Nonne sciunt, Deum pro uelle suo huic multam, illi paruam, alij nullam potentiam tribuisse? Coram quo nil nisi fides & beneficium proficiet, nisi tantum credenti, & bene gerenti, qui duplex meritum & paradisum indubitanter possidebit. Omnis autem nostris mandatis resistens, malum euidēs & maximum incurret. Deus enim largitor optimus, pro uelle suo munera facit, & consumpta restaurat. Coram quo nos congregaturo cum dicemus angelis, illos uocasse nos omnes, respondebunt: Nolit Deus conditor noster, & dominus. Sed eorum plurima pars incredula diabolos adorabat, quorum hodie nullus cuiquam bonum seu malum facere potens existit. Gustet itaq; feruorum ignis, cui credere noluit. Increduli namq; nostrorum præceptorum atq; uirtutum lectionem audientes, inquiunt: Hic homo non est nisi magus & mendax, totum fictitium ab ipso compositum afferens, & nos sic à patrum nostrorum secta diuertere proponens. Quippe sui quoque prędecessores nostris prophetis, sicq; mihi contradicere soliti sunt. Sed hæc gens, cui nec librum legendum, nec prophetam ante te misimus, sibi consulat, & deliberet: uel simul, uel separatim singuli, seu quodlibet quid agere disponat, quidq; sibi commodum sit. Omnes autem non obedientes huic tanto castigatori misso, quem dæmoniacum & magum appellant, graue malum patientur: Ipse uero nil à uobis, sed à solo Deo cognitore omnium secretorum & teste, qui eum ueritatis nuncium misit, expectat. Inde cum quo ueritas accessit, unde nec apparet, nec reuertitur falsitas, siue uiam rectam nunc à Deo mihi patefactam, seu prauum errorem sequor, mihimet tantum operabor. ¶ Illis quidem turbationem immittens, quam nullatenus euadere poterunt, loco sumam eos angusto, & breuiter. Mihi namque prius ignorata dicendo, suasq; uoluptates sequendo contradixerunt: Sicut & prius prædecessores sui, prius ambigentes, & illicita perpetrantes.

*Fatum.*

*Altercatio impiorum die iudicij.*

*Omnibus legatis Dei se proceres opposuerunt.*

*Diaboli nec iuuare nec obesse possunt.*

*Machumetem ut maleficum spernentes puniuntur.*

## AZOARA XLV.

IN n. & c̄. Deo quisq; bonus gratias reddat, qui cœlorū & terrę cōditor, angelorū quosdā habētes duas alas, quosdā tres, quosdā quatuor, (cuiq; etenim pro uelle suo cōmodū auget) misit: quo beneficiū cuilibet dare uolēte, nemo disturbare: prohibente uero, nemo dare poterit. Ipse nāq; solus omnipotēs, solus omnia faciēs, uobis cœleste terrestreq; bonū præbēs, præt quē nō est alius Deus, omnibus imperat. Cur igitur ô uiri suorū beneficiorū im-

*Angelorum diuersitas. Omnia bona à Deo.*

memores estis,& in eum non creditis: Si tibi contradixerint,similiter & prę
Deus finis omnium. decessoribus prophetis fecerunt. Omniũ tamen Deus finis est,cuius omne
Cauendus diabolus. mandatum uerum est. Ipsius itaq; præceptis contradicere,uel huius sæculi
uitę confidere nullatenus uelitis:sed diabolum uobis semper aduersantem,
æterni ignis maliq; persuasorem, prorsus contemnentes euitate. Increduli
quidem graue malum, credentes & benefacientes ueniam & gaudium ha-
bebunt. Perseueret in factis iniustis,cui placent:nec hoc tibi molestiam in-
Præfracti negligantur. ferat. Deus enim sciens hunc deuiare,illum recte procedere,pro uelle suo
perficit:qui cunctos alia uice uiuere faciet æquali potentia, qua terram ex-
Opera bona, seu mala. citat per uentos & nubes atq; pluuias. Apud Deum est omnis operis uer-
Hominis formatio. biq; boni sublimatio:Peccatoris uelut graue malum passuri,fiet opus omne
incommodum & insusceptibile.¶ Deus è terra uos plasmauit,& deinceps è
Dei beneficia in homines. spermate sui consimiles produxit: sine cuius scientia nulla mulier fit grauida,nec uita cuiusquam augetur, nec minuetur, nisi secundum libri prædeterminationem. Ipse item aquas dissimiles condidit,hanc uidelicet dulcem potui bonam,illam salsam & amaram,è quibus carnes recentes comestui,& uestes ac ornatus elicitis,& in illis nauigando curritis: Inde grates ipsi Deo reddere debetis. Ipse quoq; diem nocti,& è contra,inducit:Solem & lunam ad terminum statutum promoueri præcepit. Et ille quidẽ est Deus uester, omnibus imperans,omnia regens. Illi uero quos adoratis Dei loco, nec etiam quantum est alkitiner mandant, nec uocati audiunt: & licet audirent, minime responderent,sæculoq; futuro uobis contradicent. Scito te nullum dicere uobis hoc,nisi scientem,uos quidem omnes erga Deum omnibus abundantem semper glorificandum,pauperes estis: cui nequaquam esset difficile uolenti omnes uos perdere,& cum gente noua redire. Tu peccatum omne dicendo seu gerendo semper euita,Tantum timentes Deum & oran-
Discrimen inter homines coram Deo. tes castigans. Omnis benefaciens,sibi prodest. Ad Deum autem omnes redibunt, coram quo non sunt æquales cæcus & uidens, nec lux & tenebræ. ¶ Non item coæquantur feruor & refrigerium,nec uiuus & mortuus. Deo quidem auditũ cui uult præbente,cũ sit omnipotens,tu nequaquã,cũ sis castigator tantũ à nobis missus,ueritatis nũcius,mortuos audire facies. Si tibi cõtradixerint,similiter & legatis prius missis cũ uirtutibus diuinis & psalterio,libroq; lucido. Omnibus enim gentibus legatos misimus,quibus cõtra-
Varietas in rerum natura. dictis incredulos cõfudimus: Quorum quis esset finis perpende. Soli tamen sapientes Deũ sublimẽ, ueniæq; datorẽ timẽt,qui per aquas cœlitus missas arbores multimodas, & montiũ has partes albas,illas rubeas,coruosq; nigros & homines & bestias ac pecora coloris multimodi condidit. Librũ diuinũ legẽtes & orãtes,nostraq; bona sibi cõmissa clàm & palã distribuẽtes,spe-
Fœlicem mercaturam promittit beneficientibus, qui tantum futuri sæculi bona quærere iubet Alcoran bonis hominibus hæreditas. rent mercaturã nullatenus decepturã eos,sed sua merita completurã. Deus enim glorificãdus ueniã tribuit,meritũq; multiplicat.¶ Hũc librũ ueracissimũ tibi missum confirmantẽ,q̃d tuis inest manibus,hęreditatẽ tribuimus bonis hominibus: Quorũ quidã animabus suis nociui sunt,quidã uero mi-
Paradisus. nime,quidã uerobenefici. Et hi lucrũ maximũ,uidelicet paradisum,ubi tor-
Inferi. ques aureos & margaritas,uestesq; sericeas habebũt. adepti aũt, Deũ piũ & glorioſum laudabũt: eo q̃d eis illius curiæ mãsionẽ absq; tactu laboris & mali prębuit. Increduli uero focũ gehẽnę mortis,& alleuiationis expertes possessuri,secundũ commune meritũ incredulorę clamabũt: O Deus,eĳce nos hinc,et amodo melius opibus pręteritis ppetrabimus. Deus aũt respõdebit:

Nonne

Nonne uobis nuncium misi, uitamq; tribui, ut memores & sapientes efficeremini? Malũ tutoris & uindicis expertes gustate. Deus quidẽ scit cordium & cœlorũ ac terræ secreta, qui uos prædecessorũ uicarios, auditores & mãdatores in terra cõstituit. In quem quisquis non crediderit, nil corã ipso, nisi damnũ & iacturam sentiet. Vestri participes inuocati loco Dei, quã in terra potentiã, uel quã cœli portionẽ habent? An misimus illis librũ illius sectæ doctorẽ? Mali uero malos, nõ nisi cũ nugis, & male castigant. ¶ Deus quidem cœlum & teram suis in locis immobiles tenet: quo mouente illos à loco suo, nemo retinere poterit. Licet nunc iurẽt, se futuros meliores suis antecessoribus, si nunciũ haberent: tamen nunc missus eis nuncius, nil nisi præsumptionẽ, & incredulitatem, & à bono discessum augmentat. Mores enim tantũmodo patrum suorum obstinaciter amplectũtur: Sed mos diuinus est immutabilis. Quare nõ perscrutantur fines suorum antecessorum, qui potẽtiores & ditiores illis, nũquam omnipotẽti sapientiq; Deo in cœlis terráue quicq; auferre poterãt? Si Deus aũt illico de factis hominum se uindicaret, nihil in mũdo dimitteret. Sed ipse prouidus & patiens, eos ad horã terminatã differt, in cuius aduentu Deus optime perspicit, quid suis facturus est.

*Peruersa doctrina, Turpe est doctori, cũ culpa redarguit ipsum. Patrum sectatores.*

*Longanimis Deus.*

AZOARA XLVI.

IN n. &c̃. Per hunc librum sublimi pioq; Deo compositum, tibiq; missum ad castigationem hominum à suis patribus, quippe negligentibus & inscijs, nequaquam correctorum, tu es nuncius uerax. Verbum autem incredulitatis plurimorum cordibus firmatum est: quorum colla cathenis onerabimus mento nisum presso. Licet enim suis manibus insit arbitrium uoluntarium, cęci tamen semper nunquam credent, siue castiges siue non. Nullus enim à te castigetur, nisi uerborum tuorum imitator, & Deum timens, ac sperans daturum ipsum sibi ueniam & gaudium sęculo futuro. ¶ Nos mortuos omnes uiuificaturi, omnes suos præcedentes actus in euidente libro scriptos eis reuelabimus. Dic illis exemplum de gente uillæ, quæ duobus nuncijs primo missis contradixit. Eisdem quoq; rursum aduenientibus, tertio comitatis, & dicentibus se missos illi nuncios, rebellis extitit dicens: Per uos tantum homines, sicut & nos, nihil unquam mandauit Deus: sed uos mendaces aduenistis. Illi uero responderunt: Deus scit nos esse nuncios, quibus nil nisi nuncium patefacere pertinet. Illis dicentibus, Omine malo uos uidimus: unde uos nisi cito facto discessu lapidabimus, pœnisq; magnis affligemus. Responderũt nũcij: Super uos onus uestrũ, qui licet nobis docẽtibus & admonentibus, prodigi profluiq; manetis. Interim uir quidã à parte uillæ remotiore ueniẽs, inquit: Hos nuncios uiã rectã absq; nostri precij petitione docentes, omnes sequamini. ¶ Deum mei factorem & resuscitatorẽ quare nõ inuocẽ? Quomodo sui loco Deum alium sumerẽ? Illo nãq; uolẽte mihi nocere, nullus uindex uel adiutor aderit, quin malã uiã proficiscar. Ipsi itaq; cõfitenti, se in Deum suum credere, & optare gentem suã scisse, quod iã Deus eũ bonũ effecit, illi paradisum polliciti sunt. Incredulis aũt illis sola nox immissa, nullo diuinitus postea præcepto misso morti tradidit. En quãtũ infortuniũ illis incubuit. Omnẽ em̃ nunciũ illis missum irridebãt. Nõne perceperãt, nos prius multas gẽtes cõfudisse? quarum nullus reditus ad eos permittebatur? Omnium aũt ante me cõgregatio fiet. ¶ Nõne uiderãt nos terrã excitasse, indeq; grana suo comestui necessaria produxisse, & uineas atq; palmeta, fontesq;, ut de fructibus laboreq; manuum suarũ homines co-

*Se suumq; laudat codicem.*

*Liberum arbitrium.*

*Exemplum ne scio quod apponit, eorũ qui ob contẽptum prophetarum perierunt.*

mederent, omniumq; terra nascentium, & animalium & rerum ignoratarum par unum fecisse, obscuramq; noctem, admirandum gentibus die recedente, solemq; nescium quietis in cursu suo, lunamq; per mansiones promoueri, usq; quo diminuta sicut scopæ subtile lignum & antiquum appareat? Cur igitur Deum horum factorem omnium, incomprehensibilem, & sapientem, non glorificant, nec adorant? Eodem quoq; dispositore nec sol lunam consequitur, neq; nox diem præcedere potest. Hæc enim in circulo disponuntur. Est item illis admirandum, quod filij sui nauibus oneratis per æquora currunt. ¶ Alias item illis equituras fecimus, si nos eos aqua summergere uelimus: Nec uerbum contrà proferent, nec protectorem inuenient, nisi nostra pietas subueniat, eos ad tempus finitum dimittens. Quum dicitur illis, Timete, credentesq; benefacite, ut misericordiam & ueniam assequamini (nullos enim nisi digredientes & incredulos percussit uindicta diuina) bonaq; uobis à Deo commissa distribuite: respondent, Quare daremus huic uel illi cibum, aut aliud? Deus enim illi daret si uellet. Ecce quàm errore manifesto uexantur: quærentes à te terminum, si uerax es, non expectant nisi uocem subito uenientem super illos, negotia sua causasq; tractantem. Sed tunc nec quicquam mandare, nec suos reuocare poterunt. Buccina namq; sonante, cunctos è foueis Deus suscitabit. ¶ Illis conquerentibus, Heu heu, quis nos sopitos expergefecit? dicetur: Hic est terminus à nunciis firmatus, quo per sonitum unum omnes ad Deum reuocabuntur. Illa die nemini malum faciemus, nisi secundum meritum suum. Tuncq; uiri paradisi, mulieresq; suæ, similiter de nullis solliciti, puluinaribus sericis accubitati, de fructibus omnibus in umbra comedent, omne sibi placitum insuper accepturi, uerbum salutis & diuinæ pietatis alternatim audient. Increduli uero repellentur illinc. O filij Adæ, nonne uobis mandaui, ne diabolum uestrum hostem pessimum sequeremini, sed in me rectam sequendo uiam crederetis? ¶ Quoniam per ipsum aberrastis, & indiscreti perseueraستis, en hic est infernus, quem uobis nunciauimus. Hodie scietis, uos incredulos extisse. Hodie uobis ora uestra sigillabo, manusq; nostræ uobiscum sequentur, & pedes erunt testes operum uestrorum. Si uellemus, oculos uestros clauderemus, ne purgatorium ignem transeundum uideretis. Esset item uoluntati uestræ possibile, illos suo loco transformare, nec quicquam uiderent, uel recederent. Cui uita longa permittitur, in modum breuiorem redigitur. An sapientia sensuq; caretis? Nos quidem nequaquam cantus seu uersus, sed Alchoran euidentem, per quem castigentur uiuentes, firmeturq; uerbum super incredulos, docemus. Nunquid uident, qualiter bestias eorum seruituti commodoq; necessarias fecimus? ¶ Nos quidem illas mansuetas fecimus, quarum quasdam equitant, quasdam edunt, & ex illis proficuum eliciunt, & irrigant. Cur igitur Deo grates non reddunt? Imò Deum alium assumunt, ut eos uindicet, qui tamen præsens illis succurrere non potest. Verba sua te nullatenus sollicitent. Nos enim scimus, quid corde celent, quidue promant. Homo quidem me factore de spermate factus, causidicus & disputator efficitur, uobis inducens similitudines, oblitus animæ suæ. Ait enim, ossa in puluerem redacta resuscitare quæris? dic: Qui uos primo plasmauit, secundo reuiuificabit, omnium sapiens. Ille quidem arbores uirides educit, è quibus ignem accenditis. Nonne cœli terræq; conditor consimilia facere potest? Imò. Est enim omnipotens, & omnia sciens,

*Similitudo lepida, ita ut nil suprà.*

*Nauigationis miraculum.*

*Excusatio malignorum, qui eleemosynas minime conferunt.*

*Resurrectio.*

*Paradisi uoluptas.*

*Damnatio impiorum.*

*Ignis purgatorius transeundus. De quo superius.*

*Negat se poeticen docere.*

*Tametsi Alcoran uersu cõpositus est.*

*A beneficijs Dei arguit, unicum Deum uenerandum.*

*Qui condidit hominem, is & facile mortuum resuscitabit, &c.*

sciens, cuius mandatum solum omnia perficit, cuius manus omnia regit, & ad illum redibunt uniuersa.

AZOARA XLVII.

IN n. &c̄. Per angelorum in cœlis seriem, homines à uia mala diuertentium, præceptáque legentium, Non est nisi Deus unus, qui cœlum & terram, & interpositum omne creauit, & orientibus ac occidentibus imperat, cœlumq; pulchre stellis distinxit, ipsum à diabolis, nequid à ciuibus cœlestibus percipiant, custodiens. Quibus undique reiectis, graue malũ inde sumpturis, quemlibet eorũ aliqua re percepta, fugientẽ festinanter stella persequitur. An sunt isti fortiores & potẽtiores cæteris hominibus, quos mirè de luto fecimus? Cũ eas licet nolentes docemus, uirtutibus patefactis, eas deridendo dicunt, eas nil nisi manifestas incantationes esse: & quærunt, quomodo nos morti dediti, nostríque patres, & in puluerem redacti resurgemus? †Immò: sed dedecorati, & contumelijs affecti. Vnus enim buccinæ sonitus omnes excitabit, dicentes: ¶ Heu heu. Hæc est dies illa, dies scilicet iudicij, nobis sæpius prænunciata, & à nobis semper contradicta. Vos igitur omnes incredulos cum uxoribus uestris, & quos adorastis mei loco, gehennæ sepeliam, nunquam morituros. Quare non uindicant uestri quidam alios hac in die? Oportet autem omnes misericordiam diuinam expectare. Hi tamen illos increpabunt, dicentes: Vos potentes & præsumptuosi & incauti, quibus nos minime resistere potuimus, huiusmodi præcepta nobis attulistis. ¶ Super nos uerbum Dei firmatum fuit, quod malum reuera gustabimus. Quibus alij respondebunt: Nos tales talia uerba uobis persuasimus. Nunc autem omnes malorum participes existimus. Ita fiet incredulis qui quotiens audiunt, Non est nisi unus Deus, se præferunt, & dicunt: Nos nequaquam nostrarum cultum imaginum dimittemus, propter illius mimi uersificéque ludentis uerbum. Ille tamen sola cum ueritate uenit, cæteros confirmans nuncios. Malum igitur illud secundum opera sua guste omnis, nisi Deo puro corde deuotus. ¶ Tales enim uictum bonum, gaudiumq; plenum, & honorem integrum omnium rerum & uoluptatum in paradiso, suis lectis in aliorum directo positis possidebunt, habentes mulieres oculis clarissimis & immensis uelut oua, nunquã illos nisi tantum ad maritos suos erecturas. Et eisdem uescẽtibus fructus quoslibet, porrigetur scyphus plenus humore clarissimo, & dulci, & saporifero. Aliorum uero perscrutãtium alios, quidam inquiunt: Socium nobis dicentem habuimus, quare creditis istud? eo quod scimus nos mortuos, & in puluerem redactos, nunquam surrecturos. Respondent alij: Vultis ne scandere, ut hoc uidendo notetis? Ascendentes itaque, in igne medio positos uiderunt, & dixerunt: Nobis ferè multum obfuistis. Vobiscum enim iam essemus, nisi diuina pietas subuenisset. Nonne dixistis, nos primæ morti perpetuo succumbere, nec unquam ulterius resurgere? Nos quidem immensam gloriam adepti sumus. ¶ Hoc quidem est, quod promerentur bene gerentes. Hoc quidem hospitium iocundius est atque commodius, quàm arbor ezetus, ob malos plantata ciros, sicut diabolorum capita gestans, & ex sua radice gehennæ focum emittens. Vnde cibandi increduli, uentres suos farciunt. Potaturi deinceps quiddam ex ignibus uarijs confectum, & demum ad ignem redituri: quem illi sui patres prius errantes, quorum sectæ fuerunt imitatores, lucrati sunt. ¶ Suorum antecessorum pars plu-

*Iuret per angelos, unum duntaxat esse Deum.*

*Imò asseuerat Atqui resurgẽt uerùm ad ignominiam.*

*Quotquot seruantur, Dei misericordia seruantur.*

*Machumet uersificator.*

*Paradisus fictitia.*

rima nunquam errare ceſſauit. Quorum niſi tantum corde Deo puro deuo
Noe. torum, quis eſſet finis perdende. Noſtris tamen nunciis nulli caruerunt.
Noë nos precantem, gentemq; ſuam à diluuio liberauimus, eiq; cum filiis
ſuis ſuperſtiti, ſemper ſuum uſq; finem profecimus, ſuper quem & ſuos ſa-
lus Dei quieuit, quoniam in me crediderunt: cæteros autem ſummerſimus.
Abraham ob imagines dejectas periclitatus. De quo antea etiam. Abrahã autem ex illius genere procedens, & ad Deum corde ſano ſupplex
accedens, patrem ſuum & gentem ſuã ſic affatus eſt: Huiuſmodi res mutas
Dei loco cur adoratis? Quid de ipſo mundi conditore cogitatis? Ipſe dein-
ceps ſtellis uiſis, ſe morbis affligi fingens, cæteris diſcedentibus, ad imagi-
nes inquit: Quare non comeditis? Cur uerbum non profertis? Deinceps 10
manu ſua fractis illis, hominibus ac currentibus inquit: An manuum ue-
ſtrarum facturas, quas tamen & uos Deus condidit, adoratis? Illos quidem
iubentes ædificium magnum erigi, ut illinc in ignem proiiceretur, ſubeſſe
fecimus. Vnde ipſe gaudens inquit: Ad Deum ibo, qui me uiam rectam do
Immolatio Iſa ac paulo aliter deſcripta quam Ge. 22. cebit, mihiq; ſua miſericordia, precesq; ueſtra quodq; bonũ tribuet. ¶ Nos
itaq; nuncium pueri mitis contulimus. Cum quo deinceps ad mortem ac-
cedens, inquit: O fili, mihi quidem uiſione nunciatum eſt, quod te decolla-
rem. quid tibi placeat inde, perpende. Qui reſpondit: O pater, nunciatũ tibi
perpetra. Me nãq; fortiter paſſum omnia reperies. Illi itaq; præparãti eũ ad
decollandũ, diximus: O Abrahã, uerę uiſionis cõfirmator, cum hoc ſit malũ 20
euidẽs, nos eũ moleſtia magna redimemus, cui deinceps multũ profecimus.
Sic enim benefacientes remuneramus. Salus Dei ſuper Abrahã noſtrũ fide
lem & iuſtum. Tale quid eñ promeretur credens, & benefactor. ¶ Eum de-
inceps, & Iſaac, filiosq; ſuos euidẽter ſuis animabus proficientes multiplica
Moſes & Aaron. uimus. Moyſi quoq; & Aaron obnoxiis nobis ob noſtra collata ſuffragia, ui-
ctoriã ſuper hoſtes noſtros præbuimus, ipſosq; ſuosq; fautores à grauí peri-
culo liberantes & ipſos etiã libro ſibi tradito rectam in uiã direximus, ſuper
quos poſtremo multiplicatos diuina ſalus deſcẽdit: quoniã boni credẽtesq;
Elias 3. & 4. Regum. fuerant. Et nos benegerentibus talem remunerationem facimus. ¶ Aliq; 30
noſtro nuncio quærẽti gentẽ ſuã, quare timebat & inuocabat Balen, dimit-
tendo conditorẽ optimũ uniuerſitatis, qui reuera Deus eſt illius ſuorũq; pa-
rentum prior: gens ſua rebellis obſtinaciter extitit. Vnde gehennã ingreſ-
ſi ſunt, prẽter credẽtes timentesq; Deũ corde puro. Ipſo deinde multiplica-
Iezin. Loth. to ſup ipſum, & gentẽ quoq; Iezin, quoniã bonus fuerat, ſalus cõtigit, uelut
ſuper omnes credentes. Loth itẽ nunciũ noſtrũ, ſuosq; fautores omnes, præ-
ter fœminã decrepitã ſaluauimus. Cæteros aũt cunctos cõfudimus. Quorũ
adhuc indicia uos omni die & noctu pergẽtes illac uidetis, niſi prorſus ſitis
Ionas & conuerſio Niniuitarum. inſcij. Ionas quoq; noſter nuncius, nauem oneratam ingreſſus eſt. ¶ Super
ipſum quidẽ poſt ſortiũ proiectũ ſors cecidit. Ipſum deinceps eiectum quaſi 40
reũ cetus abſorbuit, eumq; ſemper in uentre illius Deum inuocãtem, Deus
illinc in primum extraxit, & poſt hedera ſuper eum eleuata texit, & eundẽ
miſſum demum ad centum millia hominum uel plures, illosq; factos cre-
Nõ modo prophanè, uerum etiam inſani ritu blatterat Deum non habere filium. dentes, ad horam ſcitam dimiſit. Perquiratur ab incredulis, an ipſi per-
hibent filias eſſe Dei, filiosq;? Sui pars autem plurima mentiendo dixit,
Deum habere filium. Cœpit ne filias plus diligere? quid iudicatis imme-
mores? An ueſtri dicti rationem firmam habetis? Librum quidem ue-
ſtrum, ſi ueraces eſtis, in medium afferte. Eſt autem eorum poſitio, quoniam
Dei dæmonesq; populus unus ſunt. Sciũt uero diaboli, ſe profecto iram

Dei:

Dei:Et huiuſmodi dicta Deus adhorret. ¶ Quid uel uoſmetipſos,uel à uobis adoratos Dei loco,fore cẽſetis? Omnes ad ignem ibitis,ubi cuiq; ueſtrũ locus ſcitus preſcriptus eſt:quoniam Deum uerum miníme uocatis. Dicitis tamen uos fore bonos & puros,ſi primorum memoriam haberetis. Illi uero contradixerunt,quod & ipſi percipient. Præcepta quidem noſtra per nuncios noſtros ſemper uindicandos , quippe noſtri ſemper exercitus uincent, aures gentium attigerunt. Ab illis ad horam diſcedens expecta,ſicut & illi faciunt ad malum ſuum properantes : quod cum acceſſerit , grauiter illos percutiet. Sua dicta nullum inferunt moleſtiam. Incomprehenſibili Deo, ſuper cuius nuncios ſit ſalus,& ipſi cõditori mundi grates dignæ reddãtur.

*Maiorum æmulatores.*

AZOARA XLVIII.

IN n.&c̃. Per Alchoran homines inſtruentem, & docentem, ambigentes & præſumptuoſi nobis aduerſarij manent increduli. Qui cum memoratis gentibus deletis à nobis admirando dicunt , illis non fuiſſe locum inhabitandi congruum:nunciumq; ſibi miſſum de ſemetipſis,mendacem & magum appellant. Mirandum enim eſt,quomodo Deus noſtros unum ponat. Hic etenim mos nouus ab illo fictus,à nobis eſt inauditus. Vnde in noſtrorum deorum cultu pro ſuo noſtroq; uelle perſeueremus. Hoc ſuum dictum qualiter nobis inde dubitantibus eſt interpoſitum, uindictam meam quare non timent? Eſt ne in manu ſua miſericordiæ diuinæ donum? An imperant illi cœlis & terræ cunctisq; interpoſitis? Per funes uiſum illuc aſcendant. ¶ Gentes prius Noë ſcilicet,Hat,atq; Pharaonis,& Tuha,Laudet,ac Themuth,& Loth,ac homines arboris,noſtris cõtradixere nuncijs. Vnde quod mandauimus,illis accidit. Iſti quidem tantum uocem unam aduenientem, poſtquam nec gemitus nec ſingultus nec ſalus ulla ſequetur , expectant & orant:ut ante diem computi ſibi futurum accidat. Tu uero ſuper hoc quod dicunt,indurans dic,qualiter clienti noſtro Dauid bono potentiq; montes, & aues omnes ueſpere maneq; Deum inuocantes parebãt , & qualiter ipſũ iuſte iudicantem,& fortem,& firmiter imperantem,& diſcretum,atq; facũdum fecimus. A quo ſi memor es,ad altare ſtante,quidam quæſitum iudicium acceſſerunt. ¶ Illi quidem eos ingreſſos timenti dixerunt,noſtram cauſam timoris expers diſcute : uerum uiamq; rectam oſtendens nobis cauſantibus ob inuidiam. Iſte meus frater nonagintanouem mulieres habens, mihi tantum unam habenti ui moleſtiaque fraude ſubripere parat. Cui Dauid reſpondens , alium male feciſſe : licet etiam amicorum multi niſi boni credentesq; bene fecerint , alijs inuideant, boni uero perpauci ſunt , ſe peccaſſe cognouit. Vnde ſe Deo ſubijciens,reuerſus eſt. Illum itaq; bene pœnitentẽ,nobis data uenia cõiungentes, ſic affati ſumus. Tu Dauid uicarius in terra conſtitutus,inter homines uerum iudica,nõ ſequendo deuiantiũ uoluptates & uota. Errãtes quidem graue malum patientur:quoniam diei iudicij non recordantur. Nos quidem cœlum & terram & interpoſitum omne nequaq; pro nihilo fecimus:licet hoc opinentur increduli,focũ ob hoc perpetuũ ingreſſuri. Credentiũ enim ab incredulis,& timentium ab intimidis magna fiet diſtantia. Tibi quidem librum cõmodum miſimus,ut per ipſum ſcientes ad diuinã cõmemorationem redigas. Damus item tibi uirũ bonũ, Dei ſequentem , Salomonem, qui bonis equis ſibi ueſpere monſtratis, ait: ¶ Equos iſtos pro iuſſu dilectioneq; Dei regis,tantũ ab ortu ad occaſum dirigo;Illos à me diuertite,colla que ſua cũ pedibus abſcindite. In ipſius Salomonis

*Vituperat nõ audientes ſuũ Alcoranum.*

*Increduli mirantur à Machumet unum Deum dici, quum perſuaſum habeant, plures eſſe.*

*Dauid prædicatur.*

*Caſtigationẽ Dauidis per Nathan prophetam. 2.Reg.12.ita refert , ut uix poſſis agnoſcere.*

*Alcoran ad diuinam cognitionem perducere.*

*Salomon.*

*Fabulæ Iudaicæ*

monis lectum, niminm diligentis natum suum, ipsum mortuum prostrauimus, Vnde pœnitẽs ipse, deinceps inquit: O Deus, da mihi ueniam, & regimen, quale postea nemini dones, cum tu sis largitor optimus. Subiunximus igitur illi uentos, suo iussu leuiter quocunq; currentes, & diabolos, quorumlibet ædificiorum & machinarum structores & submersores, alios etiam ferro uinctos, Nos huiusmodi domum, & alia multa facientes, damus & retinemus sine computo. Omnis enim nobis iunctus, bonum possidebit.

*Iob.* Qualiter item Iob homo noster, diuinam pietatem inuocauit, dicens: O Deus, iam mihi laborem & damnum & malum diabolus intulit: non taceas. ¶ Inquit Deus, eum à te cum pede repelle. Hocq; iocundum affuit, quasi dulcis aqua porrecta, siue syropus. Ei dupliciter gente sua restaurata, nostra pietate subueniente, sapientes animante, præcepimus: ut cum radicibus fragilibus & siccis manu sua collectis ictus faceret, quoniam iam bonus &

*Abraham. Isaac. Iacob. Ismael. Alieza. Alchiphla.* indurator repertus est. Abraham rursum & Isaac atq; Iacob in hoc sæculo bonos & puros legum obseruatores, & in alio mecum optimos non prætermittas. Memores item Ismahel, & Alieza, & Alchifla, qui boni patientesq; uixerunt. Talia namq; dicta sapientibus uiam rectam atq; peritiam elucidant. Huiusmodi namq; uiris portæ paradisi patebunt, in qua molliter di-

*Paradisus carnalis.* scumbentes, pomis multimodis & syropo potientur. ¶ Mulieres etiam uerecundas, & coæquas, nusquam uergentes uisum nisi tantum ad maritos suos, habebunt. Hæc quidem omnia dies iudicij patefaciet, ubi fiet munus,

*Inferi.* gaudiumq; perpetuum. Præsumptuosi uero, malo suo redeuntes ad infernum, malum reperturi, grabatum malorum confectionem igneum gustabunt. Quos cæteri peccatores sic increpabunt: Nos quidem uos hoc in igne comburendos multum abhorremus, quoniam nostræ damnationis & operis praui fuistis occasio. Vnde Deus ignis feruorem uobis, obsecramus, du-

*Iusti fœlicissime habebunt, stupentibus ob hoc incredulis. Sap. 5.* plicet. Sed ubi sunt ô Deus, quos opinio nostra malos reputauit? Vtrum illis aliquod negotium iniunxistis? An oculis nostris sunt inuisibiles? Talem causam in igne medio ueraciter peragent. Tu quidem dic, te tantum esse nuncium Dei potentis, & incompræhensibilis, uenia; datoris, regis cœlorum & terræ, & cunctorum illis interpositorum, præter quem non est Deus alius. Diuinum mandatum est maximum. Sed uos non creditis illi, mihiq; non pertinet de magnatibus illis ratiocinantibus tractare, sed tan-

*Hominis creatio.* tum castigare, mandatumq; diuinum explanare. Deus ipse dixit angelis, se facturum hominem de luto. ¶ Illi itaq; quàm optime compositio, de nostro spiritu insufflauimus: eidemq; iussu nostro, præter Beelzebub recedentem, & incredulum, omnes angeli se humiliabant. Qui quæsitus, cur in Deum insurgeret, nolens se humiliare, respondit: Ego quidem igneus, illo luteo melior existo. Inquit Deus: Hinc exi igitur à diuina spe, ad diem aliam retractus. Illi deinceps terminum usque ad diem publicæ resurrectionis postulanti, Deus inquit: Iam tibi terminus positus est ad diem horæ scitæ. ¶ Respondit: Per tuum honorem & exaltationem iuro, me cordibus eorum omnium, nisi tantum bonorum, & tibi deuotorum immissurum malum semper. Cui Deus: Veraciter igitur tibi promitto, quod de te tuisq;

*Angeli iussu Dei adorant, Adam. refert aliquam umbrã eius quod in epist. Heb. dicitur: Omnes sunt spiritus administ. Diaboli studium, perdere. Machumetis legatio.* sequacibus infernum implebo. Tu uero dic, te tantum esse missum, castigatum & patefactum mandatum tibi diuinitus, nec quicquam aliud. Cum sim itaq; castigator ego, uos adhuc castigamen scietis.

AZOARA

## AZOARA XLIX.

IN n.&c̄. Hunc librum ab incompræhensibili sapienteq; Deo compositum, tibi cum ueritate dedimus. Deum itaque dātem tibi legem puram, corde puro iugiter inuoca. Aduocantes etiam alios Dei loco, non alia de causa faciunt, nisi ut Deum pro illis exorent. Deus autem illorum errorem & controuersiam discutiet, qui mendacibus & incredulis uiam rectam non aperit. Si Deus filium sumpsisse uellet, optimum & clarissimum à se creatorum acciperet: quod ipse plurimum abhorret. Est enim unus & solus Deus, fortis & potens, cœli terræq; creator, uerus, inęstimabilis, uenięq; largitor. Qui diei noctem inducens, & è conuerso solem & lunam ad terminum statutum promoueri iussit, humanumq; genus totum produxit, consequenter ex uno patre, ab eodem sua muliere sumpta, uosq; formando tribus obscuris receptaculis disposuit: Et bestiarum octo parilia fecit. Hic inquam Deus est dominus uester, rex totius mundi, præter quem non est Deus alius. Cur igitur non conuertimini, timentes eum. Incredulitas quidem uestra minime sollicitat eum. Sed ipse uult suos esse credentes, & glorificantes eū, ut sic suis prosint animabus. Cum ad Deum secretorum cordium cognitorem, dicturum singulis singulos actus suos, uere redibitis, ulterius precare desistite. Quilibet malo læsus, Deum corde puro precatur: liberatus sæpius illius precis obliuiscitur, ponens illi similem, uiam rectam exeundo. Perseueret igitur paulisper in incredulitate sua, quoniam igni deputabitur. Omnis autem inuocans Deum die noctuq;, & adorans, diémque futuram timens, diuinam securè misericordiam expectet. An stulti sapientibus coæquantur? Hoc quidem nulli nisi discreti percipiunt. ¶ Omnis quidem Deum timens, & credens, ac benefaciens, in hoc mundo misericordiam diuinā assequetur. Deus enim cuius est terra spaciosa, merentibus bonum innumerum tribuit: cuius est mandatum, quod ipsum inuocem corde puro, legemque missam imitando, credentium primus existam. Aliter autem graue malum subibo. Deum itaque, legemq; suam corde puro constanter imitor: uos uero, quos uultis inuocate. Perditores suarum animarum, suæq; gentis, sæculo futuro ueraciter & euidenter perdentur. Ignis enim eos undiq; teget. Deum taliter suos homines terrentem, summe timete, qui plenum præbet gaudium, diabolos & idola linquentibus, & ad Deum solum se conuertentibus. Auscultantes uerbum meum, recta uia iugiter incedant, melius imitando. Illos enim, sicut sapientes, ad uiā rectam dirigimus. ¶ Túne uis igni deputatos ab ipso proijcere, cum super eos uerbum diuinū sit firmatum? Soli timentes Deum, mansiones gradatim distinctas subtus fluentibus aquis, Deo nunquam diuertente se à mandato suo, possidebunt. Deus quidem de cœlis in terram aquas demittit, quibus sementes primo uirides educit, & easdem deinceps croceas, tandem siccas efficit: Quod satis sapientibus est admirandum. ¶ Cui Deus cor ad credendum aperit, suam lucem immittit: Corda uero lapidea gestantes, contra diuinam inuocationem, euidenter in erroribus & tenebris inhabitant. Cum timentes Deum uerbum oportunū, uidelicet librum ubiq; consonum sibi audiunt, capilli suorum capitum eriguntur, cordaq; mollescunt ad opis diuinæ petitionem, dicendo: Veraciter hanc esse uiam rectam Dei, docentis eam, quos uult. A' quo quilibet deuiatus, nunquam ab alio dirigetur, quin faciei suæ malum diei futuræ grauissimum incumbat, cum nos incredulis mala sua peracta gustare præceperimus.

*Deos alienos colere dicit hic planius, qui diuorum patrocinia & intercessionē petunt.*

*Deum non suscepisse filiū argutatur ex humilitate Christi Seruatoris.*

*Machumet primus credētium, id est, nouæ sectæ cōditor.*

*Obstinati quidam perditioni destinati.*

*Deus fidem donat.*

*Alcoran sibi ubiq; cōsonat: Ideo diuinitus datus. Sed aliquoties sibi discrepat dis diapason: Igitur nō est ex Deo.*

perimus. Anteceſſores quoq; ſuos noſtris nuncijs contradicentes, malum improuiſum tetigit, & huius ſæculi dedecus incubuit, & alius ſæculi malũ multo peius, atq; perditio. Nos quidem in hoc Alchoran Arabico, falſitatis experte, plures induximus ſimilitudines, ut ſic memores atq; ſcientes efficiantur homines. Fuit uir quidam habens quendam participem fidelem & unanimem, & alium nequam & diſſidentem. Illi ne ſimiles & æquales eſſe cenſentur? Hoc exemplum à pluribus (Deo gratias) eſt ignoratum. Tu quidem, ſicut & omnes alij, mortalis exiſtis, dieq; futura coram Deo cauſam & iudicium omnes habebitis. ¶ Nemo deterior eſt illo, qui Deo mendacium imponit, & ueritati uenienti contradicit. Nonne locus eſt incredulis in gehenna? ueritatem ferentes, atq; firmantes, Deum timent, & apud illum omne ſuum uelle, prout boni merentur, habebunt. Deus enim illis peccata dimittit, & munus ſuis operibus melius & maius efficit. Incredulí propter imagines ſuas inuocatas Dei loco, tibi terrorem immittunt: Sed Deus ipſomet teſte, ſuos potenter uindicabit, qui eſt uindex optimus. Quo docente quemlibet uiam rectam, directe procedit: quemlibet uero deuiare faciente, nunquam dirigetur. Poterunt ne, quos inuocatis loco Dei, mihi bonum à Deo uolente propoſitum auferre, uel malum repellere? Deo quidem ego me commendo, cui ſe commendant omnes ſapientes. Operímini uos more ueſtro, ſicut & ego meo: uidebimusq;, cui malum perpetuum & dedecus accidet. ¶ Licet tibi miſſus ſit liber diuinitus ad opus gentis, non tamen ſis cuſtos, niſi perficientium uelle tuum. Quilibet namque ſibi, uidelicet ueram uiam ſeu falſam ſequens, operabitur. Morientibus mortis hora, cæteris hora ſopitionis, Deus animas extrahit: quibuſdam item reddens eas ad horam ſcitam, quibuſdam nunquam, omnia pro ſuo uelle faciens: Quod mirandum eſt ſapientibus. Loco Dei ſumuntur, quorum alius precatur pro alio. Illi tamen imperio ſenſuq; carent penitus. ¶ Deus ſolus eſt prolocutor, & iudex cœlorum & terræ, ad quem omnium fiet reditus. Eorum tamen corda, qui ſæculum aliud futurum non credunt, diffugiunt, audiendo Deũ ſolum inuocandum eſſe: Cæterorum autem Dei loco ſumptorum, inuocationi congaudent. Deus autem cœlorum & terræ conditor, omniumq; ſecretorum cognitor, diſſenſiones & contrarietates omnes diſcutiet. Si quilibet incredulus totius terræ ſubſtantiam duplicatam poſſideret, die qua nõ eſt æſtimatũ, quã ſæpius ab illo deriſum ſibi ſingulis peccatis ſuis reuelatis aſpiciet, eã totã pro ſe redimendo præberet. Hoc enim malo ſibi contingente, Deum intente precatur: adueniente bono, firmat hoc ſibi nullatenus eſſe datum, niſi per ſapientiam ſuam. Sed plures hoc ignorant: anteceſſores quoque ſuis malis uiſis, peccatisq; reuelatis, hoc eodẽ uerbo potiti ſunt. Sed totum lucrum ſuum nil eis profuit, ſicut non ſuum perdendis quicquam proficiet. Nonne ſciunt, Deum huic ſubſtantiã multam, illi paucam pro uelle ſuo tribuiſſe? quod credentes admirant. Gens mea, quæ nefanda peccataq; perpetrauit, ne deſperet. Deus enim ipſe miſericors peccata dimittit. ¶ Deum igitur ante malorum aduentum adorate: Ad ipſum autem cõuerſi, & ſequẽtes librum optimum, uobis diuinitus datum. Malo namq; ſubito uobis non tractantibus inde ſuperueniente, nullum habebitis adiutorem uel uindicẽ. Omnis enim anima mala, tunc ſuum conquerens infortunium, dicet: Quare deriſionem feci? non ex Dei parte deriſor extitit. Vel inquiet: Si me Deus ad uiam rectam dirigeret, timens eſſem; Et ſi nunc mihi daretur reditus,

bonum

*Quare Alcoran parabolis utatur.*

*Aenigma, quod ſphingẽ poſtulat.*

*Vana eſt diuorum inuocatio: Siquidẽ uoluntati diuinæ nemo poteſt reſiſtere.*

*De anima opinio impia.*

*Patroni diui, loco Dei habẽtur.*

*Quid ſi homo lucretur uniuerſum mundum, animæ autem ſuæ iacturam?*

*Malis premẽtibus homines quidam inuocant Deum: Bona obuenientia ſuæ arrogant induſtriæ.*

*Remiſſio peccatorum.*

*Peruertes culpam Deo imputant falſo.*

bonum efficerem. Reſpondebit dominus ipſe: Nuncio uobis miſſo contradixiſtis increduli, unde nunc malum & perditionem incurrite. Imponentes Deo mendacium, facies ſuas illa die nigreſcere uidebunt, ingreſſuri gehennam, quàm ſibi lucrati ſunt. Timentes autem & bonos Deus creans omnia, cuius ſunt uniuerſa, mali totius & timoris expertes efficiens, ſaluabit. Vosne uiri neſcij, me quenquam niſi Deum ſolum adorare, perſuadetis? Ex prædeceſſoribus meis percipio, me perdendis aſſociandum, ſi Deo participes ponam, ſicut & illi fecerunt, cuius tota multitudo nequiuit, quantum Deus ſolus: cuius pugnus in futuro ſæculo totã terrã includit, in cuius dextera cœli cuncti prorſus inuoluẽtur, & incredulorum dicta reſpuit. Ipſum igitur adoro: Illi gratias reddo. Primo quidem buccinæ ſonitu morti ſuccumbent omnia, niſi quæ Dei uoluntas protexerit: Secundo ſonante, ſingula reuiuiſcent, Deiq; ſplendore cœli & terra ſplendeſcent. Tum Deus omnium cognitor cum prophetis interfectis accedens, omnia cũ ueritate iudicabit, nemini facturus iniuriã, omniq; ſuum meritum cõpleturus, multasq; gentiũ cohortes ad ipſius inferni portas ducturus. Illi deinceps ab inferni ianitoribus quæſiti, Nunquid neminem nunciũ de die illa prædicãtem habuiſſent, reſpondebunt, Ita. Sed uerbum mali ſuper incredulos firmatum eſt. Dicent & alij: Portas igitur intrate, perpetuam ibi manſionem facturi. ¶ Cohortes timentium ad paradiſi ianuas ducendæ, & præcepturæ ſibi portas aperiri, hoc à ianitoribus reſponſum audient: Salus Dei ſuper uos bonos. Introite, hic ſine fine mãſuri. Vnde gaudentes illi, gratias Deo reddent, ob uerbum ſuum uerax: Quoniã ipſi prius ab ipſo telluris hæredes cõſtituti, demum in paradiſo, optima beneficiorũ mercede, uelle ſuum omne perficiunt, uidẽtes circa Deum angelos illius, circa precãtes gratiã, & iudicantes inter gentes.

*Vltimo die primo tubæ concentu morietur omnes, ſecundo reuiuiſcent. Aliter docet diuinus Paulus 1. Cor. Iudicium ultimum.*

*Angeli iudices. Aliquoties ſolum Deũ iudicare ſcribit.*

AZOARA L.

IN n. &c. Per hunc Alchoran à Deo ſublimi ſapienteq; cõpoſitũ, ipſe mihi diuinitus miſſus eſt à Deo ipſo, qui peccata dimittit, pœnitentes recipit, benefacientes optime remunerat, largus & immenſus, præter quem nõ eſt Deus. Increduli uero tantum in diuina præcepta diſputant: de quorũ factis, ſeu dictis, nullatenus ſollititeris. Quęq; gentium, cõtradicentiũ ſcilicet Noë pluribusq;, poſt eum cogitauit diſputãdo cum ſuo propheta uerũ tollere. Ego uero uindictã de ſingulis ſumpſi, quæ qualis eſſet, perpẽde. Super incredulos enim firmatum eſt Dei uerbum, quoniã ipſi perpetuũ ignẽ inibunt. Subleuãtes uero Dei thronum, & circumſtãtes, in Deum credunt, & inuocãdo gratiam obſecrãt, ut ipſe bonis ueniam faciat, dicentes: Tu Deus incomprehenſibilis & ſapiens, omnia tua pietate ſapientiaq; complectens, pœnitentibus indulge ueniã, tuiq; ſequaces ab igne repellẽs, paradiſum tribue: quã ſibi, ſuisq; filijs, & mulieribus ac poſteris, bonis ſcilicet pollicitus es. Talibus enim iudicij die miſericordiã prębebis, gaudiumq; perpetuũ. Increduli uero tunc dicturi Deum fuiſſe callidiorẽ, quando uocati ad fidẽ nõ crediderunt, inquient: O Deus, nobis iã bis mortuis, & bis uiuis, te faciẽte, culpasq; noſtras nunc cognoſcentibus, uiã para reditus. ¶ Nonne uos audito ſolum Deum riſiſtis, audito particeps credidiſtis? Hodie quidẽ Dei omne iudicium eſt ſolius, qui uobis pręcepta tradidit, bonum de cœlis poſuit: hoc tamen nemo niſi conuerſus ad Deum credidit. Deum itaq; regẽ throno ſublimem, & gradatim ſublimatorem, licet nolentibus incredulis, & dãtem cui uult ſpiritum caſtigaminis, atq; dogmatis illius diei, qua ſolus Deus impe-

*Per Alcoran iurat, quod ei ſit exhibitus à Deo.*

*Duas mortes aliquoties dicit, ut Apoca. Ioannis.*

rans,omnibus ſuum meritum iuſtè daturus,omnium ſecretorum inſpector & promptus dinumerator,uerum dabit iudicium cæteris omnibus,nec per amicum, nec per oratorem quicquam de ſuis factis ſiue cogitationibus auſcultantem habentibus:quippe corda faucibus inhærebunt. Illum inquam omnia uidentem & audientem, corde puro iugiter inuocate. Illi uero quos adoratis Dei loco, nihil mandare poterunt. ¶ Euntes per terras uideant, qualiter Deus uindex grauiſſimus potentiores & clariores ædificatores ſuis pro culpis ſumptos, quoniam prophetis ſuis docentibus diuinas uirtutes contradixerant,nullum Deum alium habere uindicem potentes peſſun

*Moyſes & Pharao.* dedit,uelut Pharaonem,& Haaran,& Karaon dicentes, Moyſen de noſtris præceptis diſſerentem, mendacem & magum exiſtere, & præcipientes ut filij credentium illi nequaquam meliores interficerentur: cum ille tantum erroris artifex eſſet. Dixit autem Pharao: Sinite me Moyſen interficere,

† *Et pro uel.* † & Deum ſuum,quem terram meam uaſtaturum timeo,precetur & inuocet. Cui Moyſes reſpondit: Deo domino mei,cunctorumq; ueſtri,uelut & omnium præſumptuoſorum & infidelium,me commendo. Interim uir bo-

*Conſilium cuiuſdam Aegyptij, quale Gamalielis in Actis Apoſt.* nus de gente Pharaonis, legem in corde ſecreto cuſtodiens, accedens ſic afatus eſt:Hominem diuinis cum uirtutibus uenientem & confitentem Deum eſſe ſuum dominum,cur interficies? Si mendax eſt,ſua ſibi reſpondebunt mendacia:Si uerax,ſuorum dictorum meritum accipiet, Deus enim neminem mendacem & præſumptuoſum in uiam rectam dirigit. Sed licet in terra ueſtrum ſit iudicium & ſublimitas: quis nos de diuina uindicta ſuperueniẽte proteget? Cui Pharaon inquit:Nec ego uos,præter quod uideo doceo,nec in uiam niſi rectam mitto. Reſpondit & ille: O homines,malum diei grauis,& dedecus futurũ uobis ſicut cõtigit primis cohortibus,timeo. ¶ Ita namq; cõtigit genti Noẽ,& Hath,atq; Themuth,ſuiſq; poſteris. Die cõgregationis & edicti, qua perdemini,nõ habebitis de Deo uindicem,ſeu

*Ioſeph.* protectorem. A Deo deductus in errorem,nũquam dirigetur. Poſt Ioſeph diuinitus miſſum uobis,cui etiam nũquam credidiſtis, nullus poſtea uobis etiam teſtibus inde miſſus. Ita ſemper Deus præſumptuoſos & contradicẽtes errare faciet,ſuaq; corda ſigillat & obdurat:apud quẽ omnes ratiocinantes in diuina præcepta ſine peritia ſibi tradita, ſummã difficultatem & odiũ

*Pharao poſtulat cõſtrui ædificium, per quod cœlum ſcandat.* inueniẽt. Pharaon uero ſic Hemem allocutus eſt: Aedificiũ ad cœleſtiũ portarum attactum mihi conſtrue,ut ſic Deũ Moyſis,quem falſum æſtimo,per ſpiciã. Ita Pharaonem aberrare,ſibiq; ſuum malum placere,cuius artes ſibi ſunt damnoſæ,fecimus. Vir autem ille bonus & credẽs,ait:Si me ſecuti fueritis,rectam uiam me doctore procedetis. Huius mundi uita nihil eſt:aliud

*Non ſemel ab ſurdam fabulã hanc ponit.* uero ſæculum eſt manſio perpetua, ubi peccator omnis meritum conſimile poſſidebit. Benefaciens autem omnis uir ſeu mulier,paradiſum ingrediẽs, bonum ſumet innumerum. ¶ O homines,me uos ad ſalutem uocante,cur ignem incurritis? Quare me non in Deum credere,ſed cũ illo participẽ ponere,cuius eſt ipſe neſcius,perſuadetis? Me potius imitemini,uocãtem uos ad Deum ueniæ datorem, ante quem uelut ante Deum ſuum die cõmunis reditus uenient,nec hic nec ſæculo futuro cuiquam profecturi. Ego quidẽ Deo uobis dicta mea commemoraturo me commendo, qui omnia uidet & ſapit. Illum igitur à malo,quod timuit,protexímus,inferentes periculũ hominibus Pharaonis,qui nũc mane ueſpereq; foco læſi,in grauiori malo poſt horam reſurrectionis ſtatuentur. Quando pauperes in elatos p̃otentia diui-

tijſq;

tijsq; ſic ratiocinabuntur: Cum ſemper nos ueſtra ſecta proceſſimus, nunc uel ignem demite, uel minuite. Illi uero reſpondebunt: En omnes inſumus. Iam Deus inter homines dijudicauit. Omnes autem in igne poſiti, una uoce poſtulabunt ignis miniſtratores, ut ſua prece Deus ſolum illos una die quieſcere permittat. Quibus quærentibus, Nonne uobis Dei nuncius aduenit? Reſpondebunt, Ita. Vos igitur inuocetis, atq; precemini Deum. Hoc enim nil niſi damnum noſtrum eſt atq; dedecus. Ita quidem nuncios noſtros ſuosq; fautores in hac uita uindicamus de malis, quibus in die futura nulla proficiet excuſatio, quin repulſam domumq; peſſimam ineant. Librum quidem Moyſi traditum, filijs Iſraël hæreditatem, ſcientibus uiam rectam atq; memoriam tribuimus. Tu quidem terminum Dei ueraciſſimum expectans, ipſum mane ueſpereq; glorificans & inuocans, pro tuis culpis deprecari non deſine. Inſipienter uero diſputantium de diuinis præceptis, cordibus nil niſi malum inhæret. Tu uero cuncta ſcienti uidentiq; Deo te commenda: cuius cœlorum terræq; machina cunctis hominum operibus præcellit. Licet hoc plures minimè perpendant. Sed cęcus & uidens, & peccator ac benefaciens, nullatenus coæquantur. Pauci namq; credunt, horam illam falſitatis expertem fore uenturam. Deus quidem pollicens ſe reſponſurum inuocantibus eum, & daturum gehennam dedignantibus, hic diem motui, luciq;, noctem quieti diſponens commode gentibus omnibus, dominus noſter eſt, omnia creans, præter quem non eſt alius Deus. In illum igitur quare non creditis? Ille uobis terram immobilem, cœlumq; tectum poſuit, uosq; pulchræ ſimilitudinis efficiens, uictum ſaporiferum tribuit. Veſtri namq;, mundiq; totius eſt dominus, uiuus & uerus, præter quem nō eſt alius Deus. Cuius ſolius glorificandi lex eſt gloriosa: quod tamen non credunt noſtris præceptis reſiſtentes. Ipſum igitur corde puro iugiter inuocate. Mihi quidem hoc diuinitus lege data præceptum eſt, nullatenus illos, quos Dei loco uos adoratis, inuocare: Sed in Deum totius mundi dominū credere, qui primo uos è terra plaſmauit, deinceps è ſpermate per ſanguinei coaguli ſucceſſionem puerum educens, ſenem iuuentute mediante perficit. Quidam tamen hora ſcita prius ueniente, prius pereunt. Illam enim euitare ſequendo, uel prę eundo, nemo poterit. Ille rurſus & mortem inducit: quo dicente Fiat, factum eſt. Qui præceptis per noſtros nuncios latis, libroq; noſtro contradicendo uel diſputando reſiſtunt, quare ſe non conuertunt? Vellent quidem conuerti, cum illi onerati colla cathenis longis, trahentibus illos ad ignem, illic perpetuò manſuros, me ſic quærentem audient: Vbi ſunt participes à uobis poſiti? Sed inquiēt: Illi nobis erroribus illatis diſceſſerūt. Nūcq; cognoſcimus, nos adoraſſe res friuolas & inutiles. Ita Deus incredulos aberrare faciēs, inquiet: Vos rebus mundanis ſuperbia præſumptioneq; potiti, meritum conſimile ſuſcepturi, portas intrate gehennæ, perpetuā ibi manſionem habituri. Tu uero, quoniam terminus Dei uerax eſt, indura, & uel partem nunciatorum illis tibi patefaciam, uel te mori, & illos redire faciam. Omnium prophetarum ante te miſſorum, quorum nullus quicquam niſi diuinum præceptum attulit, quoſdam nominauimus, quoſdam autem non. Quorum ueritatem hora ueniente Deus diſcutiet. Ad incredulorū detrimentum Deus humano cōmodo beſtias creauit. Has enim comeditis, illas equitādo, tum ſarcinas ueſtras ad naues ſeu quouis defertis, tum legationes ueſtras cordiſq; uoluntates cito perficitis. In ipſum itaque docentem

*Exprobratio inferiorum ad præſides qui ſeduxerunt.*

*Prophanæ diſputationes de diuinis arguunt mentem impiam.*

*Homo.*

*Fatum.*

*Prophetæ partim nominati &c.*

uos, quare non creditis? ¶ Quare non perscrutantur per terras fines suorum antecessorum, potentiorum illis: quorum adhuc indicia terra retinet? Hoc tamen ab illis minime semouet opus prauum atque peruersum, nostris nuncijs miracula ferentibus uisis, suæ congaudebant sapientiæ: posthea tamen obstinaciter deridebant. Sed nostra uindicta demum apparente dicebant, cum suum credere nil profuit: Nos in Deum unum & solum credimus, nequaquam in participes positos. Mos Dei semper fuit, in incredulitate perseuerantes perdere.

*In eo quod iudicas alterũ, teipsum condemnas.*

## AZOARA LI.

IN n.&c. Alchoran Arabicus à Deo pio misericordéque positus, res enodans, atque discutiens, scientibus his bonum, illis malum nunciat. Sed plures ab auditu illius discedunt, dicentes: Corda quidem nostra contra id quod tu prædicas, clauduntur, aurésque nostræ plumbo sigillantur. Sit igitur inter nos diuisio, uosq; pro modo uestro, sicut ego pro meo, qui sicut uos homo sum, facite. Mihi quidem nunciatum est, quod Deus uester non est nisi Deus unus. Ad illum igitur recto tramite procedite, & precando supplíciter ueniam acquirite. Incredulis autem, qui scilicet nec decimas soluunt, nec alius aduentum diei credunt, malum perpetuum incumbet: Velut credentibus & benefacientibus, bonum indeficiens tribuetur. Sed uos quare ponitis pares Deo domino mundi, qui terram in biduo creauit, & in ea montibus firmata, cuncta comestibilia duorum æqualium exquisite dierum spacio creans, ex illa semen omne multiplicatum edidit, posteaq; fumo cœlos ascendente, illi terræq; dixit: Vtrum sponte uestra, an ui uaditis atq; reditis? Illi uero responderunt, sponte. ¶ Cœlos deinde septem biduo distinguens, in singulis eorum res pro uelle suo posuit. Vnde mundum fulgoribus & custodibus decorauit. Non credentibus autem in ipsum Deum, talium operum factorem, dic: Quoniam ipsi patientur sicut Hat & Themuth, qui nostris nuncijs clàm atque palàm persuadentibus, ut in Deum unum crederent, responderunt: Si uellet Deus nos in eum credere, angelos nobis mitteret: Vobis autem nequaquam fidem adhibemus. Hath se cum gente sua fallaciter sublimans, inquit: Quis nostri potentior uiribus existit? Nonne uidere poterant Deum esse potentiorem, cuius uirtutes etiam uisas ipsi negabant? Illis igitur uentos frigidos in diebus malis immisimus, illos confundentes, & eosdem tutore uindicéque carentes alius uitæ dolore grauissimo puniuimus. Themuth quoque uiam rectam docuimus: sed ipse cæcus esse maluit. Vnde illi supplicium & dedecus intulimus: credentes atque timentes saluauimus, hostesq; nostros hora scita coadunandos, in igne perpetuo damnabimus. Opera quorum oculi sui simul & aures ac cutes Deo faciente loquentes testificabuntur, putatis ne testibus in operibus uestris carere, & Deum opera uestra nescire? Oculi uestri quidem & aures testimonium ferent. Vnde coram Deo nil prodest excusatio, sed obest: Cum suorum prædecessorum, hominum scilicet & diabolorum, uerbum perditionis super eos sit firmatum, eisq; pares constituimus, qui suis inhærens manibus asq; posterius sibi placere fecerant. Dicent tamen semper incredu li: Huic Alchoran nullatenus credatis, sed reijcite, sicq; superabitis. Illos quidem sic nostris resistentes præceptis, ob huiusmodi uerbũ grauiter affligemus, illaturi sibi peius operi suo damnationem perpetuam. Sed ipsi die iudicij Deum postulabunt, ut suos deuiatores sibi monstret, & eos sub plantis pe-

*Rerum origo.*

*Cœli septem.*

*Hat.*

tis pedum suorum ponat. Confessis autem Deum suum esse dominum, sicq; rectis, angeli sui custodes nunciantes sibi gaudium promissum & paradisum, dicent: Nos in alius sæculi uita nostri fuimus, & hoc nunciamus uobis, quoniam omne uotum uestrum & uelle perficietis. ¶ Vos boni, mansionem ueniæ, diuinæq; pietatis habituri, ubi non est nisi sermo salubris & optimus, benefacite, semper inuocando Deum, & confitendo uos in eum credere, peccátaque cum beneficijs cum sint disparia remouete. Die quidem iudicij omnis aduersarius uester amicus esse desiderabit. Nemo uero gaudium possidebit, nisi benefactor & indurator. Cuicunque contigit impedimentum aliquod à diabolo, Dei cuncta uidentis & audientis tutelæ protectioníque se commendet, cuius sunt miracula dies & nox, ac sol & luna. Nemo uestri solem seu lunam, sed suum conditorem adoret, & inuocet. ¶ Multi tamen dedignantur, cum Deo uero manentes, ipsum indeficienter adorant die noctuq;, qui per aquæ missionem, terram mortuam aperit, & fœtum efficit, qui mortuos similiter reuiuificabit, cum sit omnipotens. Tui reprehensores me nequaquam latebunt. Est ne melior, in ignem ejciendus, an timoris expers, abscessurus? Vestrum placere facite: Me quidem actus uestri non latebunt. Omnes enim contradicentes nostris nuncijs, & libro, iam in libro clarissimo sunt prænotati. Hic liber à Deo pio sapienteq; compositus, nec mendacium aliquod præsens seu futurum indicat, nec à prophetis præteritis contrarium nunciat. Qui si Latine notaretur, fieret quæstio, cur Latinis & Arabicis literis non distingueretur? dic: Imò credentibus uiam rectam & salutem prædicat. Incredulorum autem auribus plumbum, oculisq; cæcitas inhæret. Vnde illos à loco longinquo uocabimus: libro Moysi tradito plures contradicebant, unde inter illos uelox fieret iudicium, nisi propter uerbum diuinitus firmatum. Sed illi licet dubitent, omnis benefaciens sibi prodest, omnis quoq; maleficus sibi nocet, Deo nocente nemini. ¶ Apud Deum solum est horæ notícia, qui modum & quantitatem fœtus, & partus arboris & fœminæ perfectissime dinoscit. Cui interrogandi demum incredulos, ubi sui sint participes? inquient, Nos nescimus. Eorum enim nullus nobiscum est. Ab illis enim prius adorati, non opinati se talem causam habituros, discedunt. Nullus desperet orare propter bonum. Cum cuiquam malum accidit, desperat: cum bonum ei tribuitur, ait hoc esse suum, negatq; resurrectionem illa hora futuram. Ad Deum tamen se conuertens, bonum apud illum inueniet. Nos quidem singulis opera sua monstraturi, grauissimum malum incredulis inferemus, qui prosperitate contingente operari bonum cessant: malo quidem accidente, multum orant. ¶ Nonne uidere queunt, hoc à solo Deo compositum esse? Nec tamen illi credunt. Quis est peior illo, qui tam longum errorem incurrit? Ego tamen illis diuina miracula, præceptaq; cœliq; uirtutes, ut uerum percipiant, patefaciam. Nonne sciunt Deum esse testem omnium? Illi uero non credunt se redituros ad Deũ, omnia scientem & continentem.

*Iudicium nouissimum.*
*Angeli custodes hominum.*
*Spem fœlicitatis habentes bene operentur.*
*Peccata beneficijs pẽsanda.*
*Alcoran non mentitur de præsentibus aut futuris, nec prophetis repugnat.*
*Proba.*
*Pœnitentia.*
*Preces malorum.*

AZOARA LII.

IN n. &c. Deus incomprehensibilis & sapiens, summus & maximus, cuius sunt uniuersa cœli & terræ, tibi, sicut & prædecessoribus tuis, librum tradit Arabicum, per quem castiges matrem uillarum, & affines, prædicans illis de die totius falsitatis experte: quãdo quidam paradisum, quidã autem gehennæ focum ingredientur. Cœlum quidem caderet super homines, nisi

*Per Alcoran prædicanda iudicij nouissimi dies.*
*Cœlũ caderet*

*nisi angeli pro mortalibus orarent.*

propter angelos Deum adorantes, & precãtes pro manentibus in terra Deum ipsum pium, ueniæq; datorem. Quippe plures Dei loco cæteros adorant: quorum cum Deus sit perspicax cognitor, tu minime custos adesse cures. Omnis enim gens una fieret, si Deus ipse uellet, qui pro uelle suo misericordiam facit his, illos uero punit, suffragio uindictaq; carentes, cum alios sui loco sumant. Ille namq; cunctipotens est, & mortuos suscitabit, omniumq; dissensiones discutiet. Ad ipsum igitur me conuertens, suæ tutelæ me commendo. Ipse quidem cœlos & terram condidit, & bestiarum pariles, ac de uobismet mulieres creauit, ipseq; uidens omnia nil comedit. Ipse quoque cuncta sciens, & cœli terræq; claues retinens, huic uictum substantiamq; multam, illi paucam pro uelle suo præbet. ¶ Præcepta quoq; legum & mores, sicut Noĕ, & tibi, ac Abrahæ, & Moysi, ac Christo patefecimus, nunc docemus. Illis igitur adhærete, sicut lex præcipit, nec illi controuersantes, nec ab illa discedentes. Hoc autem tædiosum atq; grauissimum est illis, qui non credunt in illum, quem adoratis. Deus autem omne suum uelle perficiens, uiam rectam ad se conuertentibus manifestat. Post scientiam quidem missam, non antea schismata facta sunt ob inuidiam inortam: Vnde gentes de libris sibi traditis dubitantes, malæ suspicionis sunt. Nos autẽ iam inter eos discerneremus, nisi propter uerbum diuinum. Expectans terminum statutum, Deum inuoca: & secundũ illius dogma te dirige, nequaq; hominũ uoluptates & uota sequẽdo, sed cõfitendo te credere libris positis à Deo, qui rectũ examinatũ inter uos fieri præcipit, qui nostri uestriq; dominus, nobis nostra, uobisq; uestra reddet opera: qui etiam nos & uos omnes coadunaturus, nostram cõtrouersiam discutiet. Ratiocinãtes in Deum post nostrum respõsum illis factum, friuolas rationes apud Deum habent: cuius hunc librum cum ueritate libraq; ponentis, iram & odium merentur. Hora forsis cito ueniet, cuius contradictores quàm longissimum errant, & ad illam properantur: Credentes autem pauescunt, quoniam illã ueraciter uenturã agnoscunt: Deus quidem custos subtilissimus, sublimis, & sapiens, cui uult necessariorum præbet copiã. Volẽs bonum alĩus sæculi, suscipiet illud manu nostra. Studioso quoque bonorum huius sæculi, dabimus illa: sed nullam in alio portionem habebit. Incredulí quidem habent participes, positores morum in lege nunquã à Deo statutorum, quibus malum atq; dolor incumbet. Iamq; discuterem inter eos, nisi propter Dei uerbũ firmatum. Illis nequaquam facta sua timentibus, omne malum accidet: Credẽtes autem & benefacientes, pulcherrima loca paradisi possessuri, omne suũ uelle perficient: hocq; lucrum est maximum. ¶ Huiusmodi quidem pollicitum credentibus & benefacientibus summã lætitiam denunciat. Ego uero nihil ob hoc à uobis postulo, nisi quod propinquos uestros diligatis. Omniq; bene gerẽti bonũ suum augebit Deus pius, ueniæq; dator. Plures ante te Deo mendaciũ imposuisse perhibent. Sed si Deo placuerit, cor tuũ signillabit, falsum abradet, uerbum uerum firmabit. Quoniam ipse nosci secreta cordium, pœnitentes colligit, peccata dimittit, operumq; cunctorum cognitor, & credẽtium ac benegerentium exauditor, bonum suum augebit, incredulis graue malum inferet, qui pro uelle suo modum atq; mensuram omnibus rebus imponens, uelut omnia uidens & sapiens. Nequaquã hic suis plenum uictum atq; substantiam coaceruat, ne à cæteris inuideantur. Ille quidem misericors, imbres iã desperatis tribuit, uelut omnibus imperãs, omnibusq; glorificandus,

*Deus quem uult indurat. &c.*

*Deus munera sua in equali mensura distribuit.*

*Machumet arbiter dissensio num religionis. Quis te constituit iudicem.*

*Diem domini boni expauescunt.*

*Qui fruuntur bonis temporarijs, carebunt futuris.*

*Mutua benevolentia.*

ficandus, qui cœlos & terram mirrabiliter † machinatus est, & in eis sua posuit animalia, potens iterum, hora scilicet qua uoluit, cuncta coadunare: qui percussurus malos secundum manuum suarum opera, multis ueniã faciet. Naues itẽ uelificatas æquora sulcare facit. Quo uolente uenti quiescerent, marisq́ planicies maneret immobilis: quod mirandũ est omnibus indurantibus, Deumq́ glorificãtibus: præter quẽ nec adiutorem nec uindicem habebitis. ¶ Incredulos forsan omnes Deus confundet, forsan eorum multis ueniam faciet, nostrorumq́ præceptorum contradictoribus forsan nullum à nobis diffugium patebit. Pecuniæ uobis datæ sunt uitæ huius breuis mundi, quibus melior & durabilior seruatur apud Deum, ad opus credentium, & se Deo commendãtium, atq́ respõdentium, & orantium, ac consulentiũ, bonaq́ sibi data diuinitus expendentium, & à criminalibus ac culpis & ira mala se retrahentiũ, atq́ diuertentium. Malum cui libet inferentes malum, consimile merentur. Dimittens tamen, melius operatur, à Deo per optime remunerandus, malos illos abhorrente. Vindicans se post iniuriã illatam, nequaquam reus existit. Malum enim inferentes, atq́ nocentes sine causa, soli rei sunt, malum graue passuri: Patiens tamen & dimittens, præ cæteris optime facit. ¶ Ideo positus in errorem, post Deum nõ habebit adiutorem. Incredulis autem, malo uiso quærentibus, an sit uia redeundi, tot contumeliæ tantumq́ malum infertur, quod loquela uisuq́, nisi tãtum stupido, pro dedecore carebunt die, qua suas animas gentemq́ suã perdituri, perpetuæ damnationis iudicium ferent, nullũ adiutorem seu uindicem habituri. Viã fallacem exequitur, quem Deus aberrare perficit, antequam dies ueniat, qua nemini discedere licebit: nec excusator nec adiutor aderit diuinæ uoluntati respondentes. Nos quidem nõ misimus te custodem, uel coactorem disgredientium à lege. Tuum enim nõ est, nisi rem tantum nunciare. Homo beneficio sibi collato congaudet: Malo uero propter peccata sua contingente, confringitur manens incredulus. Dei quidem est imperium cœlorum & terræ, quicquid uult operantis, dantisq́ pro uelle suo, huic mares, illi fœminas, uel etiam gemellos huius & illius sexus, seu facientis sterilem: Cum ille sit omnipotens, & sapiens. Non accidit cuiquam hominũ, quod cum eo Deus sublimis & sapiens loqueretur † nisi per uisionẽ & uelamen interpositum, uel per internũcium, omnia pro uelle suo præceptoq́ dicentẽ. * Tibi quidem, qui librum & legem ignorabas, nostrum spiritum mittentes, lucẽ præbuimus, per quam tu pro uelle tuo castigans homines, docens uiam rectã Dei, cuius sunt uniuersa cœlorũ & terræ, & ad ipsum redibũt uniuersa.

*Machinatus est, pro fabre fecit.*

*Malum retaliare permittit, contra illud Mosis, Mihi uindictam, & ego retribuam, &c.*

*Non est Machumeti à Deo iniunctũ, homines ad religionem cogere. Quorsum igitur, aut unde sanguinaria ista lex, de ui aduersum incredulos?*

*† Modus colloquij diuini.*

## AZOARA LIII.

IN n. &c. Hic liber euidẽs à nobis Arabice positus, ut ꝑ ipsum sapiẽtes efficiamini, apud Deũ sublimẽ & sapientẽ in matre librorũ cõtinetur. Nos aũt illius memoriã pedetentim uobis subtrahemus, quoniã rebelles estis, & prophetarum omnium, sicut prædecessores uestri, derisores. Quorum potẽtiores subito cõfudimus. Quorũ qualis esset finis, satis innotescit. Increduli tamẽ interrogati, qs sit cœlorũ terręq́ cõditor? dicũt, Deus. Ille quidẽ terrã uobis mansionẽ præbẽs, illã uijs distinxit, ut quorsum gressus tẽderetur, patêret. Idẽ de cœlis aquas moderate mittens, terrã mortuã excitat, uos similiter resuscitaturus, omniumq́ bestiarũ par unum faciens, naues & bestias equitaturus tribuit: ut uos illas scandendo, Dei nomen inuocetis dicẽdo: O Deus, qui nobis hæc cõmoda & necessaria, qbus nequaq́ digni fuimus, per

*Machumet per spiritum Dei edoctus, pro suo uelle docuit homines. Hæc uide licet fundamenta sectæ istius.*

*Mater librorum.*

feciſti,te glorificamus,ad te redituri. Secundum dictum quidem ponentium participes, & euidenter incredulorum, Deus ſibi filias ſumens,uobis dedit filios. Vnde quilibet eorum audito rumore de filia,iram in corde ſuo premens,faciem ſuam denigrat. Idem etiam aſſerunt,angelos circa Deum exiſtentes eſſe fœminas. An adhibiti ſunt illi teſtes in angelorum creatione? Nos autem ueſtris teſtibus ſcriptis à uobis ſingula percunctabimur,qui dicitis,uos nequaquam in illos credere: ſi Deus uellet,nullam ſcilicet ſapientiam,ſed ſolas opiniones ſecuti. Illis tamen forſan librum ante dedimus, ſed non ſequuntur eum: imò ſectam ſuorum patrum inuentam ſe confitentur imitari. Quid uero dicetis,ſi uobis rem meliorem ſecta patrum ueſtrorum attulero? Dicent: Non credimus illi,cum quo uenis. Similiter dixerunt magnates omnium gentium,ad quas primò noſtros nuncios miſimus. Nos quidem ex illis uindictam ſumpſimus. Et quis eſſet finis, perpende.

*De angelis opinio abſurda.*

*Patrum ſectatores.*

*Abraham.*

¶ Abraham patrem ſuum, ſuoſq; ſic affato: Omnibus abrenuncio, quos adoratis Dei loco, in nullum credens niſi in Deum creatorem meum, qui me uiam rectam docuit,uerbúmque manſurum, ut ſciatur, poſuit. Illis,parentibúsque ſuis ſpacium tribuimus, uſquequo ueritas nunciíq; manifeſti miſſi ſunt illis. Illi uero ueritatem uiſam,incantationem eſſe dixerunt, & ſe nullatenus illi credere uelle. Moderni conquerentes Alchoran non eſſe poſitum ſuper uirum aliquem magnarum uillarum, diſtribuunt ne dona diuina? Nos quidem in huius ſæculi uita pro uelle noſtro diſtribuimus,extollentes gradatim quoſdam ſuper alios, ut illius cæteri ſint obedientes & neceſſarij. Si gens quidem omnis eſſet una,negantibus Deum daremus domus tectis argenteis,quibus adeſſent ſimiliter gradus ad aſcenſum, & portæ de argento,lectíque aurei: adderemus deſuper aurum copioſum. Quibus cunctis,cum ſint huius mundi pecunia, apud Deum timentibus ſe melius reſeruatur. Omni quidem cæco in diuino cultu nos adiungemus ſocium,illũ à uia recta diuertentem: ſe tamen ſequi uiam rectam cogitabit. In reſurrectionis uero die ſtans ante nos, inquiet: Vtinam nobis intereſſet orientis & occidentis intercapedo. Malus enim & peruerſus fuiſti ſocius. Hodie quidem nil uobis proficiet, quoniam malum perpetraſtis, cuius nunc participes eritis. Tu ne ſurdos audire,uel cæcos,aut erroneos docere poteris? Te forſan diſcedere,eoſq; mandata mea cognoſcere faciam. Quod nobis ſatis leue eſt,atque poſſibile. Legi quidem noſtræ tibi miſſæ,quæ tibi tuiſq; uiam rectam atque ſapientiam quæſitu dignam patefaciet, adhæreatq; perſcrutare. An nuncijs præmiſſis aliquas imagines adorare præcepimus Dei loco, qui Pharaoni gentíque ſuæ Moyſen, confeſſum ſe regis mundi nuncium eſſe, miſimus. ¶ Illum autem cum uirgutibus uenientem diuinis, miraculíſque maioribus præcellentem,ut ſic ſaltim conuerteretur,deridebant dicentes: O mage,Deum ob dilectionem noſtram pro nobis inuoca: quoniam ſic forſan conuerteremur. Malo tamen ab illis remoto, en illi redeunt. Pharaonem enim dicentem,O gens,nonne ego imperans Mizere, & aquis ſubtus fluentibus, illo contemptibili feréque non apparente melior exiſto? An angelis coæquatur? Quare ſuper eum non deſcendunt aurei torques, & cæteri ornatus? Ipſum inquam dicentem ſic, ſua gens nequaquam ſecuta eſt. Illam igitur incredulam ſubmergendo cũ duce ſuo, nos poſteris exemplum præbuimus. A Chriſto quoque Ieſu Mariæ filio parabolas exponente, plures diſceſſerunt, ſuas imagines præferendo,

*Querela, Machumeti hominis haud peridè nobili Alcoran commiſſum. Vijs multo præſtantiora ſunt parata in futuro ſæculo, quàm in terra quiſquã poßideat.*

*Imagines damnat.*

*Moyſis et pharaonis conſiliatio.*

ferendo, dicendóque, Christum eloquentem esse, suáque præcepta contraria. Ille uero non fuit nisi uir tantum, cui multam bonitatem contulimus, doctorémque filijs Israël præposuimus. Eorum quoque quosdam iudices, terrarumq; reges, nostræ uoluntati possibile esset statuere. Deum quidem, apud quem est horæ notícia, sequendo, non contradicendo, recto calle proceditis: A quo nullatenus uos abducat hostis uester, diabolus nequissimus. Cum Christus diuinis uirtutibus adueniens inquit: En assum uobis cum sapientia, uestras dissensiones discussura, meq; sequendo timete Deum, mei uestriq; dominum: schisma maximum cohortibus incidit, & gentí-
10 bus. Illos autem qui non crediderunt, die graui malum grauissimum premet. Cur non cogitant de hora illis non inde tractantibus subito futura, qua amici cuncti fient hostes, præter eos qui Deum timuerunt? Quibus Deus inquiet: Nihil hodie timeatis, nec molestemini. Omnes enim qui nostris præceptis crediderunt, hodie cum suis mulieribus paradisum possidebunt, gaudium plenum accepturi. ¶ Cum cathenis etenim & poculis aureis, plenis omni suo uelle tum formoso tum saporifero administrabitur illis, illic perpetuo mansuris, omniq; uoto suo perpetuò potituris, fructúsque multiplices comesturis. Omnibus enim bonis paradisum hæreditatem pro factis suis tribuemus: sicut incredulis & malis ignis feruorem,
20 quo nullum leuamen percepturi, desperati sine fine manebunt. Nec nos illis nocebimus, sed ipsi sibi damnationem meruerunt. ¶ Illis quidem conquærendo dicturis, †O Melich, utinam nos perire funditus Deus præcepisset: Ille respondebit, Imò superstites eritis, quoniam ueritati uobis missæ non credidistis. An cogitastis nos ignoraturos uestrorum cordium secreta, uocéque prolata? Imò. Nostri namque nuncij scribebant omnia. An adhuc Deum habere filium affirmatis? Ego uero credentium atque deuotorum primus, à uestro stultiloquio liber, in Deum solum dominum cœlorum & terræ ac throni credo. Tu Deus cœlorum terræq; creator, sublimis & sapiens, eos gyrouagos & uentilantes usque diem sui lucri dimitte.
30 ¶ Totius boni multiplicator, cuius manus obtinet imperium atque iudicium cœlorum & terræ, & omnium interpositorum, solus horam communis reditus ad ipsum agnoscit: qua nullus adoratus loco Dei pro quoquam precabitur, nisi tantum qui uerum dixerit & sciuerit. Increduli tamen interrogati, Quis suus creator sit? Inquient, Deus. Cur igitur non credunt? Sed hæc gens est incredula. Manum igitur tuam tu retrahe, dicens: Salus super nos: uestrumq; meritum agnituri quale sit, integre sumetis.

*Iesus Christus à multis derelictus ob eloquentiam.*

*Non credentes Christo, punientur.*

*†Angelus mortis.*

*Dei filium negat.*

*Machumet primus fidelis.*

## AZOARA LIIII.

IN n. &c. Hunc librum euidentem, cuncta bona discernentem, & à Deo cuncta uidente, & audiente, sciénteque compositum, bonos docentem,
40 malos castigantem, in nocte fructifera posuimus: qui sumus cœlorum & terræ & totius intercapedinis creator, & dominus uestri, priorũq; parentũ uestrorum, uiuos & mortuos faciens, præter quẽ nõ est Deus. Sed tamen plures incredulitate sua manentes, & de nostris præceptis ludum & ludicrum facientes. ¶ Expecta diem, qua cœli fumus manifestus teget gentes, malumq; graue continget malis, tunc dicturis: O Deus, fumũ aufer, atq; credemus. Nunc tandẽ cognoscitis? Nonne uos à nuncijs nostris uirtutes Dei patefacientibus retraxistis, dicendo, Isti doctores dæmoniaci sunt? Nũc quidẽ manum retraham paulisper: sed postea redibitis die, qua maxime festinabo uindictam

*Alcorã nocte salutifera editus.*

*Dies iudicij.*

*Aegyptiorum ultio.*

uindictam meam plene sumpturus. Gens quidem Pharaonis maximum peccatum perpetrauit, contradicendo nostro nuncio bono uenienti, dicentiq; Deum inuocate, me nuncium fidelem sequendo: nec mihi sapientiam regimenq; manifestum afferenti, Deumq; protectorem, ne me lapidetis postulanti, præferri uelitis. Sin autem, à me discedite. ¶ Illi deinceps dicenti: O Deus, hæc gens nequam suam incredulitatem non reliquit: Deus præcepit, Exire festina noctu cum gente mea, mareq; factum immobile taliter dimitte. Ipsum enim tuos hostes te persecuturos summerget. Hortos autem eorum relictos, & fontes, ac messes, locaq; † formosissima, fructuũq;

*Alibi uertit amœna.*

fœcunda cęteris hominibus hęreditatem tribuimus: Vnde cœlum & terra nec flebant, neq; dolebant. Taliter filios Israël de malo dedecoreq; Pharaonis omnimodè præsumptuosi, modum omnem excedentis, liberauimus. ¶ Illos super cæteras gentes sapientia uirtuteq; sublimauimus. Illi tamen dicentes non esse mortem, præter hanc primam, nec aliquos resuscitandos,

*Resurrectionem abnegantes.*

dicunt prophetis: Si ueridici estis, nostros patres redire facite: uel, an stant illi melius, an gens Tuba, an cæteri priores, prius à Deo propter incredulitatem confusi? Nos quidem cœlos & terram & interpositum omne minimè pro nihilo, sed cum ueritate, licet plures hoc nesciant, fecimus: uenietq; terminus & hora cunctorum die iudicij, qua nullus dominus seruo suo proficiet, nec quenquam alius uindicabit, nisi cui pietas sapientis Dei &

*Gratia Dei seruat.*

incomprehensibilis subuenerit. ¶ Vos peccatores cibandi ex arbore ezecum, quæ uelut ignis in uestris aluis feruebit, cibum illum in igne medio

*Inferorum tormenta.*

sumentes reseruate, capitibusq; demersis focum immoderatum ob uestram superbiam & præsumptionem gustate, cui semper contradixistis. Timentes autem, locum hortis & fontibus fœcundum possidebunt, uestibusq; sericis

*Paradisus carnalis.*

& purpura uestiendi, puellas ducent cum oculis claris & immensis: quorum albugines candidissimæ, & pupillæ nigerrimæ. Pro uelle quoque suo fructus multimodos absq; timore comedent, non gustaturi mortem nisi primam. Deus enim dator optimus, eos à foco liberabit: Hocq; munus est maximum. Ita per linguam tuam, ut cæteri sapientes, memoresq; fierent, res explanauimus. Sed expecta, quoniam expectant illi.

AZOARA LV.

IN n. &c̃. Hic est liber à Deo sapiente positus, qui mirabilis apparet sapiẽtibus in machina cœlorum & terræ, & in conditione uestri & omnium animalium in uicissitudine quoq; noctis atq; diei, & in aquę donis ad terram excitandam, ac uentorum undiq; currentiũ motu. Cum hęc omnia, cęteraq; similia Dei ueracissime sint miracula, post illius mandatũ quid creditis peccatores & increduli, de Deo stulte loquẽtes? Diuinis præceptis auditis, uel in ridiculum faciunt, uel quasi nihil audientes discedunt. Sed infernũ demũ incurrent: cum nec opus præteritum, nec quos adorabant Dei loco, quicquam illis proficere poterunt: quin pœnas malumq; grauissimum patiantur. Hic quidem liber uiam rectã ostendit: cui resistens, & non credens, grauiter punietur. ¶ Deus quidem uobis mare nauibus sulcandum, uniuersa cœlorum & terræ humano seruire commodo strauit. Vnde gratias homo Deo reddat, admirando & glorificando. Homines boni precentur pro desperatis, quatinus Deus illis bonũ pro factis suis impendat, ad quem redibunt uniuersa. Omnis benefaciens sibi prodest, omnisq; peccator sibimet malum ingerit. Filijs Israël iudicium atq; prophetiam, ac legem, atque potentiam,

*Alcorano non credentes graiter puniẽtur.*

*Boni precantur pro malis.*

*Israelitarum excellentia.*

tentiam,& diuitias præ cunctis hominibus mundi dedimus.Illis tamen nulla contrarietas intercidit, nisi post hæc munera sibi data,nostrasq; uirtutes agnitas,cuius occasio sola fuit inuidia.Eorum autem dissensiones Deus ipse iudicij die discutiet. Tu tandem cum lege recta,moribusq; iustis missus, eorum imitator esto,nequaquam uoluntatem insciorum, quoniam ipsi sibi inuicem associati, coram Deo solum se timentes diligente, tibi nullatenus proficere poterunt. Hot autem est lumen,uiaq; recta,misericordiaq; bonis & confirmatoribus eius. Perseueranter peccatores opinati sunt,mortem & uitam non esse,nisi tantum unam, seq; superponendos credentibus & bene gerentibus. Sed hæc quidem eorum opinio fallax & falsa. ¶ Deus cœlorum terræq; uerus conditor, iuste cuiq; suum reddet meritum, nemini facturus iniuriam. Nonne uides,qualiter Deus illos à sapientia deuiare fecit,eorum aures & corda sigillans, oculosq; tegens, qui sine sapientia uoluntate propria ducti deos sibi constituerunt? Quis uero præter Deum uiam rectam ostendet? Quare memores & sapientes effici recusatis? Dicunt enim,non est uita nisi tantum huius sæculi. Hic namq; uiuimus,& mortem incurrimus:hocq; sæculum tantum nos nocte dieq; perimit. Hoc quidem affirmant,non aliqua scientia,sed opinione sola ducti. Audientes enim præcepta nostra manifesta, non habent, quod contrà proferant: nisi tantum,ut suos parentes adducant nuncij,si ueridici sunt. Deus quidem cœlorum & terræ conditor,mortis uitæq; dator,ad se cuncta redire faciet,licet pluribus hoc nescientibus: horaq; ueniente omnes increduli iacturam facient, omnesq; gentes suos libros aduocabunt, Deo dicente, hodie fiet uobis secundum opera uestra. En, hic enim liber noster omnes actus uestros complectens, nostra manu scriptus, uobis ueraciter omnes actus uestros aperiet. Hodie quidem omnes credentes,& benefici, misericordiæ munus accepturi,plenum intrabunt gaudium. Incredulis autem dicet: Hodie uos obliuiscor:quoniam uos audito sermone de die iudicij,horaq; ueracissima,confessi uos inde nihil scire, nec hoc affirmare uelle, ridiculum feciſtis huius obliti diei,& in incredulitate firmati. Nunc igitur uiso ridiculo uestro,peccatoq;,ignem intretis nec adiutorem nec uindicem habituri. Quoniam Dei præceptorum derisores,huius mundi uitã dilexistis, hodie nec uos quisquã educet,nec excusatio uestra credetur. Hodie quidẽ sunt omnes gratiæ Dei sapientis,& incomprehensibilis domini cœlorum & terræ,totiusq; mundi, cuius in ipsis est sublimitas omnis & honor.

*Epicurei negantes uitam æternam.*

*Patrum authoritatem allegãtes pro sua ratione.*

*Omnes gentes suis legibus iudicabuntur.*

*Alcoran Dei manu scriptus*

*Damnatio infidelium.*

## AZOARA LVI.

IN n.&c̃. Hic liber à Deo pio sapienteq; positus,qui cœlos & terram & eorum inter capedinem non nisi cum ueritate condidit,ad terminum nominatum. Sed qui castigationibus atque doctrinis minimè credunt,auditis diuinis uirtutibus, humeros & caput reuertunt. Illi uero quos adorant Dei loco,quid in terra fecerunt? Vel quam portionem in cœlis obtinent? Afferte mihi librum aliquem inde, seu signum, ut sic ueraces appareatis. Quis est peior seu stultior illo, quàm qui uocat Dei loco non responsurum ante diem iudicij,tuncq; futurum hostem suum,nunc autem nescium & negligentem? Ob hoc enim incredulitatis pœnam subibit. Increduli quidem audientes præcepta nostra manifesta, dicunt illa magicam artem esse,méque finxisse. Sed si uerum est illud, nullam de Deo partem accipiam

*Auertentes se à doctrina Machumet.*

*Iurat se non finxisse Alcoran.*

Machumet ignarus, quid sibi aut alijs faciendum sit.

piam,qui iudex noster aderit,& testis pius,ueniæq; dator.Ego non sum primus nuncius,nec scio,quid mihi seu uobis gerendum sit. Diuina mandata tamen explanabo: quæ licet Dei sint,hocq; testificent,plures filiorum Israël credentes illis,uos minime creditis. Nec Deus malos in uiam rectam dirigit. Peccatores autem non credentes,nec rectam uiam uidentes,dicunt: hoc esse de priorum mendacijs,neq; me uenisse cum hoc,etsi bonum uel uerum esset. ¶ Moysi prius librum munusq; misericordiæ tribuimus,sicut & tibi librum hunc ueridicum Arabice scriptum, per quem castiges malos, bonisq; nuncium bonum feras. Dicentes Deum esse dominum omnium & regem solum,omni timore molestiaq; carent. Pro factis enim suis paradisum perpetuo possidebunt.Parentes suos homo multum honoret,cum sua mater eum ui concipit, & in pariendo laborat, & ab imprægnationis hora menses triginta lactis alimoniam tribuit. Sicq; ductus ad uirilitatem,scilicet annorum quadraginta spacium, Deum glorificãs,ipsum sic deprecetur: O Deus,fac me tibi dignas referre gratias, ob bona mihi parentibusq; meis tributa,tibiq; simul & illis placitum fieri,meisq; posteris bonum & commodum: Quoniam ad te conuersus, in te credo. Tales enim Deus optime colligit, peccataq; dimittit,& paradisum bonis omnibus promissam tribuet. Aliquo tamen suis parentibus dicente,ut legem diuinam sua secta relicta sequantur, cum ipsius mandata uera sint, nec imitentur gentem præteritam præsumptuosam,illi respondent,Maledicitis. Hoc enim est de priorum fallacijs.Super illos autem firmatum fuit uerbum prauum suorum antecessorum,qui scilicet erant disputatores atq; diaboli. Nos quidem omnibus suorum operum gradus & mercedes implebimus,nulli facturi molestiam,die, qua monstrabimus incredulis ignem, quem sæpius contradixerunt.Dicetq; Deus illis: Quoniam in terra uoluptates uestras sequendo,sine ueritate bonoq;,mala perpetrastis,hodie malum meritum recipietis.Tu castiga gentes,ut Deum unum non alium adorent,malumq; diei grauis tãtum timeant. ¶ Dicunt autem, Venis ne separatum nos ab illis,quos adoramus? Si ueridicus es,tua dicta manifesta. Dic Deum solum nosse,quod quærunt: teq; nihil facturum, nisi quod diuinitus præcipitur,illos autem suam incredulitatem obtinere. Illis autem opinatis nubes uisas,pòst aquas esse pluuiarum,dicebatur:Non est nisi uentus,illaturus uobis graue malũ, ad quod festinatis,deleturus omnia iussu Dei. Nil igitur superstes extitit, nisi domus suæ tantum. Sic enim merentur increduli. Illis tamen uictum atq; diuitias,& oculos ac aures,atq; corda,sicut uobis,dedimus. Quæ omnia,cum essent increduli,nil profecerunt eis: quoniam illis accidit,quod deridebant. Existentes etiam circa ciuitates confudimus,prius tamen explanatis sibi mandatis diuinis: Nec suffragium aliquod ab adoratis Dei loco,cum illi defecissent,tunc sua mendacia prementes,susceperunt.Cum diabolos ad auditũ Alchoran malos atq; te cõuertimus, ipso percepto gentẽ suam castigatum fugerunt,dicendo: O gens,iã audiuimus librũ missum post Moysen,omnis sui dicti confirmatorẽ,& doctorem uiæ ueræ rectæq;.Parête uocanti uos ad Deũ,illiq; credite,uobis peccata uestra dimissuro,& à graui malo liberaturo.Aliẽ aũt in terra nihil uobis pdesse poterit.Sicut Deos cœlos & terrã illaboriose & infatigabiliẽ cõdidit: similiẽ & mortuos,cũ sit omnipotẽs,resuscitabit die,qua ipse mõstraturus est cõtradictoribus,ignẽ,quę ret: Nõne uerus est iste focus? Illisq; respõdentibus,Ita:dicet,Gustate focũ,

Parentes honorandi.

Tempus lactãdi infantes.

Sententia diuina in impios

Diaboli conuertendi per Alcoran. Quo quid falsius?

Resurrectio probatur ex rerum creatione.

quoniam

quoniam non credidistis. Tu uero fortiter sustine, sicut & cæteri prophetæ constantes, Deoq; deuoti: neque tu mandatum festinare uelis. Die namque, qua patebit singulis mandatum nostrum, accedent singuli, quasi non morati nisi per diei horam unam. Mandata cunctis applica: Increduli tantum uero confundentur.

AZOARA LVII.

IN n. &c̄. A' uia Dei se diuertentes, & increduli, factorum suorum perditores, & falsitatis sunt imitatores. Benefacientes, & ueritati super Machumetum positæ credentes, ipsius Dei uiam & ueritatem sequuntur, qui condonaturus illis peccata sua, cuncta sua negotia factaq; diriget, cum sit omnipotens. Ita Deus homines suis instruit parabolis. Increduli à uobis in litibus uicti, usquequo multa fiet cædes, capita perdant. Captiuati firmiter stringantur, ut se bene redimant, lis nec cesset ante telorum depositionem. In terra pugnantibus, utrobiq; fatigatis, Deus quidem ab illis uindictam sumere posset: Sed mauult hos per illos experiri. Omnibus Dei dilectione pugnantibus, Deus facta sua remunerabit, complens quod bonis mandauerat, eiq; paradisum bonis creatam tribuet. Viri boni, si Deo pareatis, uobis auxiliabitur, pedes uestros firmaturus. Incredulis autem, Dei præceptum audire nolentibus, unde suos actus amittunt, nos confusionem & malum inferemus. Quare non scrutantur terras, ut sciant fines eorum, quos Deus confundit, omnes incredulos similiter confusurus? Quoniam Deus est bonorum dominus & uindex. Increduli quidem dominio carent. Credentes atq; beneficos Deus in paradiso ponet. Peragant nunc increduli suas uoluntates, moreq; bestiarum comedant: Illos ueraciter ignis sequetur. Quæ uilla fuit uestra per nos confusa firmior, protectorem autem non inuenit? Quis enim diuinam uim atq; uirtutem superat? Aut cui placebunt actus illius, nil nisi uoluptates suas sequentis? Eme paradisum, timentibus tributam, ubi sunt aquæ cæteris odore saporeq; consimiles. Sunt illic & alij riui saporiferi, alius lactis, alius meri, alius mellis despumati. Sunt & ibi omnimoda poma. Peccatores autem in igne perpetuo mansuri, potum sument igneum, intestina sua cocturum. Horum autem quidam auscultando applicantes tibi, dicunt: Quid modò dixit? Istis amores incredulorum secutis, Deus corda sigillauit: Timentibus autem fidem auget, atq; timorem: unde Dei terminum ueracissimum, horamq; subitam, forsan cito uenturam, semper expectant. Scito non esse nisi Deum unum, quem preceris pro tui cunctorumq; bonorum uirorum seu mulierum delictis, qui quid agas uel legas, intime dinoscit. ¶ Boni quidem atq; credentes, azoaram de pugna poni multum optant. Illa uero optime composita, pusillanimes & cordis infirmi, quasi iam ferè mortui, audita pugna uos respiciunt. Quibus uel te sequi, uel uerbum scitum proferre melius esset. In ipsius enim litis præparatione commodius esset eos uerbum de Deo melius protulisse, uerumq; sic dixisse: Quid cogitastis, cum eundo terras destructum, uestras gẽtes disgregastis? Tales quidem Deus repellet, illis surditatem & cæcitatem illaturus. Quare nõ cõsuluerunt Alchoran? An corda cathenata gesserũt? Illis disgredientibus post uirtutes agnitas, diabolus suggestiones prauas intulit. Vnde pollicíti sunt, se adhæsuros illis, quibus diuina præcepta displicebant. Deus autem eorum secreta dinoscit. Quid igitur isti secuti Deo displicita, nequaquam dilecta, unde sua facta confundet, facient: cum angeli

*Leges belligerandi contra infideles.*

*Præmium militiæ paradisus.*

*Ironicõs iubet emere paradisum. Ignorauit, Romæ cœlũ uenale.*

*Dies domini fortasse breui uentura.*

*Dicit se legere, qui negauit se literas scire.*

*Increpat cessatores in bello.*

*Quare non datum sit à Deo Machumeti, corda hominũ perspicere.*

suas animas extractum, & facies atq; colla percussum aderunt? Nunquid opinati sunt, quod Deus malum in cordibus suis habitum non eliceret? Si uellemus, daremus tibi signum atq; peritiã, ut eos formis suis atq; uerbis agnosceres. Sed nos eorum actus & mentes penitus agnoscentes, te probabimus, tentantes, usquequo tuas peregrinationes & expugnationes ac opera cognoscamus. A uia Dei disgredientes, prophetæq; contradicentes, postquam uiam rectam uiderint, sibimet non Deo negotia sua cuncta confusuro nocent. Deum igitur atq; prophetam, ne uestros actus perdatis, sequẽdo credite. A uia namq; recta digressis, & incredulitate mortuis, nunquã Deus ueniam dabit. Non sitis contemptores, sed pacem diligite, eamq; uocate, quoniã uos digniores & potentiores existitis. Vnde uobiscum Deus de beneficijs uestris nil minui permittet. Huius mundi uita nil est præter ludũ & ludicrum. Credentibus aũt atq; timentibus, optimã remunerationẽ Deus faciet, à nemine quicq; de pecunia sua postulãs. Sed & si sæpius ad fatigationem usq; peteret, uos nullatenus daretis ei, nisi mortem minanti. Vos quidem dicitis, uos esse distributores rerũ in Dei nomine dilectioneq;. Quod quidam uestri minime faciunt. Quisquis autem nõ fecerit, suæ deficiet animæ. Deus enim est omnium abundans, uos uero pauperes. Vobis discedentibus, uestra loca Deus supplebit alijs, nequaquã talibus, quales uos estis.

*Moriens in incredulitate nõ saluabitur.*

*Sed Alcorano tribuit uim seruandi diabolos & impios.*

*parei, qui tantum ad minas Dei aliquid beneficij conferunt.*

## AZOARA LVIII.

*Remissio peccatorum etiã futurorũ pro missa Machumeto.*

IN n. &c. Tibi quidem sum nam leuitatem atq; facultatem in acquirendo tribuit Deus, tibi peccata præterita futuraq; dimissurus, suum præceptũ facturo, qui te docens uias rectas, potenter te uindicabit: qui super te salutem & securitatem, animosq; credentium reconciliationem & augmentum fidei ponit, qui sapiens & incomprehensibilis, exercitus cœlorum & terræ creauit. Credentes uiros seu mulieres in paradisum perpetuæ mansioni missurus, quod sibi leue est: Incredulos ac ponentes cum Deo participes, ac de illo malum cogitantes, in malam uiam repulsurus, grauiter puniet, cum ipse dominetur exercitibus cœlorum & terræ. Te quidem testem, gaudijq; nuncium & castigatorem misimus, ut te sequendo in Deum credant, suisq; parendo præceptis, illum maxime glorificent, & mane uespereq; supplicter inuocent. Manus suas subleuando soli Deo seruierunt. Manus namq; Dei suis præsedit manibus. Omnis autem mendax, sibi mentietur: Verbis autem constans, misericordiam consequetur. Arabes autem rudes domi manentes, pecuniæ suæ simul & gentis impedimentum prætendentes, seq; sic excusantes, ueniam postulant: aliud uoce præferentes, aliud corde tenentes. Sed quid impediet Deum omnes actus suos dinoscentem, quin bonum uel malum illis inferat pro uelle suo? Opinati sunt autem hoc etiam optantes, indeq; praui maliq; facti, quod nunquam ulterius propheta uiriq; boni suos reuisitarent, sed hominibus nequaquam in Deum credentibus, neq; per prophetã secutis, feruorẽ ignis prædestinauit Deus, imperator cœlorũ & terræ, huic condonãs, illũ pro uelle suo dãnans, pius ueniaeq; largitor. In domo tamen residui, Dei uerba mutare quærentes, fallaciter inquient: Cũ prædatum ieueris, duc nos tecũ. Tu uero responde, Nolite me sequi. Sic enim antecessores uestri prius pollicti sunt, decipiẽdo. Illis tamẽ dicturis, hoc obiuidiam fieri, nescientibus tamen hoc, sic responde: Nos uocabimus uos ad litem maximã, ubi uos, nisi se uerterint alij, pugnare necesse erit. Si pugnaueritis, maximam à Deo mercedẽ: si retrocesseritis, ut prius, graue malũ accipietis.

*Oratores.*

*Arabibus detrectantibus militiam minatur.*

*Præmia fortiter pugnantium, & pœna fugientiũ.*

cipietis. Cæcus quidem, & claudus, ac infirmus, nullatenus ob moram & mansionem rei sunt. Demum omnis sequens Deum atq; prophetam, paradisum possidebit. Discedens autem, graue malum patietur. ¶ Viri boni, manus suas subtus arborem eleuati, Deo placuerunt: qui noscens secreta cordium suorum, securam firmitatem illis tribuit, & prædam multam ac capturam omnem illis leuiter attulit. Quoniam eos multam capere prædam, hostesq; suos manus ab illis retrahere, ut sic illis populis admirandi fierent, præcepit: sine quo docente uias rectas, minime uictoriam ab illis essent adepti. Sed ipse suis semper propitius, omnipotens est. ¶ Si pugnarent uobiscum increduli, in fugam uerterentur, nec adiutorem, nec uindicem habituri, præter Deum, ius primum immutabile mittentem, qui cunctos actus uestros perspiciens, manus uestras ab illis, & suas à uobis circa Mecham, postquam superiores facti estis, retraxit. Incredulis autem uos à templo Haram diuertere quærentibus, malum subitum & improuisum iam incubuisset, nisi propter bonos uiros seu mulieres, licet uobis hoc ignorantibus. Sed si malorum atq; bonorum disiunctio fieret, incredulis malum maximum inferremus. Sed diuina pietas suis subuenit. Incredulis quidem summa fiducia sperantibus insciorum auxilium, prophetæ suisq; securitatem & fortitudinem, uerbumq; diuini timoris intulit. Vnde munera Dei, scientis omnia, meruerunt. Veraciter quidem secundum uisionem ueram diuinitus prophetæ uidebatur, quoniam ipse timoris expers, & abraso capite, Deo uolente, templum Haram ingressus, uocem huiusmodi percepit: Ne timeatis: Deus enim scit, quæ tu & cæteri ignoratis, quod uobis licite captionem tribuit. Ille quidem prophetam doctorem & ducem in lege sua constituit, ut ipse Deo teste sufficiente, legem suam super omnes alias extollat, & manifestet. Machumetus enim, suiq; fautores, incredulorum (Dei iussu) uictores existent, sibimet inuicem prospicientes, ipsiq; Deo propter suam dilectionem humiliantes, faciesq; gestantes humilitatis, orationes fundunt iugiter. Hiq; secundum testamentum & Euangelium assimilantur grano, quod in calamum surgens, messem reddit multiplicem, læticiamq; seminantibus, & incredulis iram. Credentibus & beneficis, optimam mercedem tribuit Deus.

*Immunes à militia.*

*Deus uictoriã Machumetistis concedẽs, claros facere uoluit.*

*Increduli cum fidelibus militantes ad fugam prompti.*

*Præliũ apud Mecham,*

*Malis parcitur ob bonos inter eos.*

*Machumet rasus, ut monachus.*

*Cautionem nõ raro ponit inter officia pietatis.*

*Euãgelica parabola de grano sinapis, aut frumenti.*

## AZOARA LIX.

*Obedientiam suadet.*

IN n. &c̃. Viri credentes, nolite præcedere Dei prophetæq; manus, nec uerba uestri super illa prophetę extollere, nec ipsum sicut aliquẽ uestrũ quilibet alius acclamare. Sic enim, licet hoc à uobis minime percepto, uestra negotia perderetis. Deum autem omnia scientem, & audiẽtem, timete. Virorum namq; blãdi lenisq; sermonis in prophetam corda Deus in bono probauit, illis ueniam meritumq; maximum daturus. Extrinsecorum atq; prædonum te uocantium, plures sunt insensati. Esset enim illis melius atq; commodius, tuum ad illos exitum expectare. Deus enim est pijssimus, ueniæq; largitor. Viri boni cauete, ne si quis malus uobis uerisimilia prædicet, uos inscios † inueniat iã prophetã habentes. Pœnitentia namq; sequetur. Morsq; iam uos pressisset, si uestram uoluntatem omnem suus effectus secutus esset. Deus autem fidei boniq; dilectionem, & malorum ac incredulitatis abhorritionem cordibus uestris ingessit: sicq; uiam rectam, diligẽdo Deum, incompræhensibilem & sapientem sequimini. ¶ * Gentes consimiles inter se pugnam committentes, uel dirigendo pacifica, uel hanc infestan-

*† & amplificat, & quidẽ iam habentes, &c.*

** Ratio dirimendi contentiones infidelium: nimirũ ut Aßirius rex arbiter intercessit inter Israelitas.*

tem illam ob inuidiam nec pacificari uolentem, usquequo Dei præceptis obediat impugna. Illis autem pacem quærentibus, rectum examen inter illas effice. Deus enim iustum iudicium diligit, omnesq; credentes fratres sunt. Illis igitur pax est imitanda. ¶ Nemo uir seu mulier, ut sic maior uideatur, irrideat alium, nec uerbis inhonestis dedecoret, post fidem adeptam. Hoc enim malum est. Semoueat item à se quisq; suspiciones malas. Nullus insidietur alij, nec de absente quid mali dicat. An uestri quis carnes fratris sui mortui corrodere uellet? Absit. Timete Deum ueniæ largitorem, qui uos de masculo fœminaq; producens, in magnam multitudinem redegit: ut ipse cuncta dinoscens uideret, quis eum plus timendo, plus diligeret. Arabum uulgo dicenti se in Deum credere, responde: Non credis, sed te Deo commendare dicis. Si corda uestra tamen fides intrauerit, & Deum atq; prophetam sequendo, in litibus cum pecunijs uestris & animabus affueritis. Aliter namq; faciens, non est credens, seu bonus. De uestris operibus negotijsue nil amittetis, cum Deus pius talibus ueniam præstet. Non doceatis Deum legem uestram. Improperantes enim illi, quoniam ipse uerus, solus uos credere faciens, uniuersa cœlorum & terræ regens, & eorum omnia secreta, nec non & actus uestros dinoscens, omnia perspicit, & optimã mercedẽ tribuit.

*Prohibet irrisionem & cõtumelias cæteras.*
*Suspicio prohibetur.*
*Insidiæ.*
*Detrectatio.*
*Ratio Paulina Gal. 5. ad charitatẽ hortans.*
*Arabes hypocritæ.*
*Omniscius & munificus Deus.*

## AZOARA LX.

IN n. &c̃. Per Alchoran disertum summe mirati sunt increduli, nuncium de semetipsis esse missum, indignanterq; dicunt, hoc diuinum esse miraculum. Sed licet ipsi dicant, Cum mortui nos in puluerem redacti fuerimus, prolixus erit reditus: tamen nos scimus, quantum de suo numero parua singulis diebus surripit, & quando fiet reditus. Apud nos enim est liber, hæc omnia notans. Illi uero ueritatis missę contradictores, summè dubitant. Nonne uident, quomodo cœlum supernum sine plica confusioneq; speciosissimum ornauimus, & terram planando montibus firmauimus, & in ea rerum omnium pares formose creauimus, ad omnium bonorum usum & recordationem: & per aquas utiles cœlitus missas producentes hortos, & spicas, ac germina, nec non palmas proceras, & hermodactylos, uictum scilicet hominibus, terram mortuam excitauimus, consimili quoq; potentia ueraciter illos suscitaturi? Sui quoq; prædecessores, uidelicet homines Noẽ & Hat, superbiq; Pharaonis, nec non & Tuba, nostris præceptis, atq; prophetis contradixerunt. Illisq; contingit, quod illis prædictum est & prædicatum. Ego quidem hominis conditor, sui cordis secreta cognosco, illi propior quàm guttur suum. Nihil autem in dextris uel in sinistris loquitur quis, uel operatur, quin à Deo sciatur atq; firmetur. ¶ Verum ueraciter mortis ebrietas, quam uos diffugistis, flatuq; buccinæ ueniet iudicij dies, qua cunctæ coram uenient animæ, cum testibus suis adductis. Dicetq; Deus: Qui diem istum neglexistis, iam detectis oculis uestris limaciter perspicite, & gehennam omnes intrate, malum grauissimum passuri: qui nostris præceptis contradixistis, increduli manentes, & bona prohibentes, malaq; gerentes, & cum Deo ponentes participes. Sui quoq; socij dicentes hoc idem sibi contigisse, Deum sic alloquentur: O Deus, nos quidem eis nullatenus errorem intulimus, sed ipsimet errauerunt. Respondebit Deus: Nolite mecum causas agere. Verbum enim meum non mutabitur, quin contradictoribus infernus impleatur, & uos iam meos habuistis nuncios. Infernus quidẽ ab illo tunc quæsitus, an plenus sit, respondebit: Adhuc tribue.

*Alcoran laudat immodice*
*Opera domini & beneficia resurrectionem probant.*
*Exempla incredulorum.*
*Deus de propinquo.*
*Sententia nouissima Dei.*
*Dei uerbum non mutatur.*

Credentibus

Credentibus quidem, & diuina mandata corde puro custodientibus, inquiet Deus : Paradisum timentibus factam, intrate cum salute . Hæc est enim dies, qua perpetuam mansionem illic accipietis, omne uelle uestrum habituri, quod & ego semper augebo . Plurimæ gentes illis potentiores à nobis destructæ, in terra multum malum operatæ, an quoquam in terris apparent ? Hoc quidam sapientes in memoriam reducere deberent, & recolere, quomodo sine labore fatigationeq; cœlos, & terram, & interpositum omne sex diebus creauimus . Tu quidem dictum eorum sustine, & ora Deum ante solis ortum & occasum , caput bis ad terram inclinans , & expectans , quando præco clamorem ex propinquo faciet . Illa namq; die uocem ueram audient omnes, & è foueis exibunt. Terra namq; cito diuidetur, nostra uoluntate iubente, ut ad nos redeant omnia: quibus prius uitam, postea mortem dedimus . Nobis omnia sua dicta cognoscentibus, nullam illis castigando uim inferas : sed tantum Alchoran istum illis explana, ut sic timentes dirigas.

*Paradisi uoluptas augẽda subinde. Igitur non perfectam habet felicitatem.*

*Orantes diem domini expectent. Resurrectio.*

*Docendi, non cogendi homines.*

AZOARA LXI.

IN n. &c. Per uentos sufflantes, attractasq; nubes ponderosas, & naues æquore currentes, angelosq; nuncios , hæc omnia præcepta uera sunt, diesq; ueritatem probans ueniet. Per cœlum uero rubore solis affectum, uos uerbis contrarijs inhæretis, quæ quilibet proferens graue malum patietur . Nostra quidem manu perierunt , qui falsas opiniones & dissensiones induxerunt . Illi namque lumine, & sobrietate, ac memoria penitus affecti, diei ueracissimi aduentum perscrutantur , quam ego monstraturus illis in igne, dicam: Gustate, quod festinanter quærebatis. Timentes autem, paradisum fontibus fœcundam, esse bonum illic sumpturi, possidebunt. Quoniam prius credentes , paruoq; somno contenti , Deum mane precati sunt, pecuniamq; suam pauperibus & quærentibus distribuerunt: Quod firmis & constantibus in terra memorandum esset . ¶ Ex uestris quidem animabus prouenit , quod non uidetis omne uestrum bonum atque uictum è cœlo procedere, per cœlorum terræq; conditorem. Ita uerum erit, ut uos loquimini. An de bonis rumorem hospitibus Abrahę percepistis? Quibus salutantibus ipsum, ipse salutem reddens, inquit : An boni sitis, ego minime nosco. Quibus ipse deinceps uitulum sagínatum à gente sua referens, porrigendo dixit: Quare non comeditis? Ipsum uero timentem, ipsi consolantes responderunt: Ne timeas, sed propter filium sapientem tibi diuinitus dandum summe gaudeas . Mulier quidem sua deinceps conquerens, faciem suam manu percutiens inquit: ¶ Vetula sum, atque sterilis. Quos respondentes , Dominum omnipotentem & sapientem ita uelle : interrogauit Abraham, Quid quærerent? Illi uero responderunt: Nos ad gentem malam mittimur, ut illis incredulis lapides luteos, & acutos, propter uindictam diuinam immittamus . Nos quidem illinc extrahentes, bonos atque credentes, unam tantum uidelicet familiã, illic iudicia manifesta grauis mali timentibus, dimisimus. Pharaonem item & suos exercitus, dicentes Moysen sibi missum magum existere, in mare summersimus, quoniam rei reperti sunt. Hat item uentum immisimus, nihil dimittẽtem, quin in puluerem redigeret . Gentem quoque Themut, discedentem à præcepto Dei, post spaciũ sibi permissum fulgur euidens occupauit: unde nec surgere, nec uin-

*Iurat per uentos &c. ueriũ esse Alcoran.*

*Sensu carent, qui dubitant de die nouissimo.*

*Esse bonum, est ipsa beatitudo.*

*Culpa sua Deum ignorant homines.*

*Abraham angelos hospitio recipit, Gen. 17. 18. 19.*

*Exempla congerit incuriosorum hominum.*

*Pharao. Exod. 3. &c.*

*Hat.*

*Themut.*

Noë, dictam habere potuit, sicut nec gens Noë, prior suam ob maliciam confusa. Cœlum quidem & omnia cœlestia pro uelle nostro creauimus, optimeq; terram applanauimus, omnium rerum in illa pares constituimus. ¶ Ego uobis missus nuncius & explanator, hoc uobis castigo, ut ad Deum fugiendo, ipsum solum adoretis, nullum illius participem statuentes. Si tibi uero contradixerint, uelut omnibus prædecessoribus mos inoleuit nostris nunciis contradicere, ab illis si discesseris, non reus statueris. Prædicare tamen non desistas, quoniam hoc bonis proficit. Diabolos quidem & homines ad me tantum glorificandum ego feci, nullam comestionem seu uictum ab illis expetens. Mea namq; manus omnem uictum, atq; diuitias, potentiamq; tribuit. Male gerentes quidem, sicut & socij sui, peccati pœna punientur. Ad maluu itaq; nõ festinent: quoniam ueraciter illis accidet in die iudicij.

*Error castigãdus, quod Deus habeat parem:*

*Omnia propter se creauit dominus: impium quoque, &c. & diabolos.*

AZOARA LXII.

*Iurat Dei nin dictam impendere.*

IN n. &c. Per montem Sinai, librumq; linearíter in chartis subtilissimis scriptum, & per superne domum ædificatam, tectumq; sublime, mareq; metis pressum, Dei uindicta superueniet, quam nemo diuertere poterit die, qua cœlum cum uniuersis illo contentis mouebitur, & montes cum nubibus, & contradictores malum sæpius illis dictum sortientur. Quibus tunc ad ignem gehennæ uocatis, Deus inquiet: Hic est ecce focus, cui sæpius deridendo contradixistis. An hunc fantasticum atq; magicum, an uerum esse perspicitis? Illum igitur patienter sustinete. Non minus enim patiemini, si sustinere nolueritis: cum secundum opera uestra meritum susceputi estis. Timentibus autem, paradisum possessuris, & ab igne penitus liberandis, dicetur: De fructibus omnimodis uobis datis, optimoq; uictu comedite, atq; bibite, ob actus uestros optimos: & super uestium stramenta formosissima pro modo uestro discumbite, ducturi uirgines decentissimas, cum oculis immensis atque pudibundis, nusquam nisi tantum ad maritos suos flectendis. Credentium quoque filios credentes secundum opera sua sufficienter remunerabimus. Illis fructus & carnes pro sui uoti modo multiplicaturi, qui pueris suis speciosis, ut margaritæ constipandi, potum sument, nec uerbi fetidi nec immensi peccati participem. Et horum alij sic alios alloquentur: Quoniam nos hominibus misericordes, Deum prius atq; supplíciter inuocauimus, ipse pius ueniæq; dator nos ab ignis feruore liberauit. Homines ad memoriam reducere non desiste. Quoniam licet non sis prorsus conuersionis efficax, non es auarus, nec uersificator: Cum expectantibus tamen, nec conuerti uolentibus ante mortem, tu simul expectes. An dicunt sua somnia talia fore? an superbia præsumptione ducti ponunt alia? an perhibent hunc illa finxisse, & nec ideo se credere uelle? Veniant igitur cum similibus, si uerum dixerunt, nec illos pro nihilo fecimus. An illi cœlos & terram condiderunt? Hoc autem nequaquam asserunt. An apud eos Dei pecunia deponitur? an ipsi de Deo iuste conqueruntur? an † scalam, ut cœlestia secreta percipiant, obtinent? Res igitur nouas atque rumores afferant. An remunerationem, an calumnias ab illis quæres? Dicent quidem illas sibi grauissimas & impossibiles esse. An est apud eos secretorum notícia? Scribant igitur. An quærunt decipere? Deceptores quidem sunt. An habent nisi Deum unum? Nolit Deus, quod ipsi perhibent. Qui uidentes aliquid cœleste cadere, dicunt, id esse nubes bonas conglomeratas. Illos usque ad diem dimitte, qua

*Paradisus luconibus appetibilis.*

*Credentium filij ætate puerili fungentur officio pincernarum.*

*Instandum est doctrinæ.*

*Contentio contra infideles, qui plures deos asserunt.*

*Scalam: sicut ipse per scalas cœlũ ascẽdit.*

malorum

malorum operatoribus & incredulis, quorum pars est plurima, nec ars aliqua proficiet, nec quisquam adiutor, seu uindex aderit. Tu quidem patienter expecta diuinum iudicium, te uidente gerendum. Cumq; surrexeris, nocteq;, similiter circiter auroram, Deo grates humiliter redde. *Iudicium. Oratio.*

## AZOARA LXIII.

IN n. &c. Per stellam uespertinam cliens noster, nullatenus errans, nil ex pr oprio uelle, nisi tantum diuinitus sibi mandatum loquitur: qui sublevatus ad orizontis celsitudinem, ad Deum ipsum instruentem illum, atq; docentem efficaciter, accessit: tanti tamen spacij interuallo, quantum sagitta arcu missa bis transcurreret. Qui tunc præcepta Deum sibi dicentem audiens, animum minime dubitantem inde tulit: ubi nec uos eum de diuina uisione calumniemini. In loco namq; propinquo paradiso, optime de uir tutibus maioribus uidit, oculo suo nullatenus eum fallente. An tribus imaginibus uisis, uidelicet Alleto, Alance, Meneth, masculos Deoq; fœminas adscribitis? Hæc quidem est iniusta partitio: quoniam illa non sunt nisi uana nomina, tantum à uobis patribusq; uestris ficta: quibus nullas uirtutes Deus permisit. Sed uos nil nisi tantum opiniones sequimini, uestras & uoluntates. Nunc autem uobis rectum humanumq; uotum à Deo mittitur, huius & alius sæculi domino: sine cuius uoluntate nec etiam aliquis multitudinis angelorum cuiquam prodesse poterit. Alij tamen sæculo non credentes, angelis nomina fœminarum imponunt, nullam inde peritiam habentes. Opiniones enim uerum impedire minime potentes, tantum exequantur. Ab illis igitur me nominare nolentibus, sed huius mundi uitam diligentibus, cui totum studium atque sapientiam præbent, manum tuam retrahe. Deus enim recte procedentes & aberrantes dinoscens, rebus uniuersis imperans, malis suam mercedem, bonisq; suam similiter iustissimè reddet: Qui tamen tum peccata maxima, tum culpas modicas committentibus, amplam misericordiam faciet. Ipsi itaque scienti, qualiter uos primo creauit, & in matris aluo secundo formauit, cur de corporibus uestris diuina debita beneficiaq; non tribuitis? Ille quidem timentes annotat. Nónne uides illum à beneficijs cessare penitus, qui primo paruum præbuit? Apud Deum est uisus atque noticia secretorum. Nónne uidit, qualiter libri Moysis & Abrahæ iam defunctorum præcipiunt, ne quisquam peccata peccatis transactis accumulet: cum omnis mercedem suam optime uisurus, secundum opera sua tantum iudicabitur, diuina tamen misericordia meritum augente. ¶ Omnes quidem redibitis ad Deum, qui ridere & plangere, ac mori & uiuere tribuit, & masculum & fœminam de spermate secundum modum atq; mensuram fecit, omnes alia uice suscitaturus: qui pro uelle suo hos diuites, illos pauperes efficit. Estq; dominus Ascheare. Ipse quidem Hath confudit, nec Themuth dimisit, nec genti Noë prius malicioso ri atque superbiori pepercit. Almutefichet etiam in terram deuergendo, penitus supernè cooperuit. An aliquod istorum Dei factorum contradicitis? Vos quidem castigat, sicut & primos. Aliud autem sæculum iam appropinquat, quod nullus nisi solus Deus diuertere poterit. Hoc autem uerbum uos admirantes, nil tamen inde curantes deridetis, indeq; ludum facitis. ¶ Deum humiliter adorate, & ipsum iugiter inuocate.

*Iurat se in cœlum raptum, didicisse mysteria hæc. Extat inter Saracenos liber ea de re fabulosissimus Cuius summa recitatur in Confutationibus. Nota erroris efficaciam. Futuri sæculi assertio.*

*Angelis falso tribuentes sexum fœmininum.*

*Abraham libros à se scriptos reliquit. Qui nimirum inter apocryphos Iudæorũ fuerunt.*

*Allegat quædam sæpius iterata, quædam noua gentium pereuntiũ exempla.*

*Fingit miraculum, ut lunam bipertito diuisam reparauerit.*

*Cur igitur toties negauit, se missum cũ miraculis?*

*Diluuium miraculum generale.*

*Exemplum uidelicet iudicij diuini, &c.*

Nn. &c. Appropinquauit hora, lunaq; bipertito diuisa est. Hoc tamen cæterisq; mirabilibus uisis, contradictores suas uoluptates, propriaq; uota secuti discesserunt, affirmantes hanc artem magicam esse. Sed cum ipsis post miracula sæpius uisa, quæ deberent ad sui conuersionem sufficere, castigari recusant: tu manum ab illis retrahe. Die uero generalis edicti, è foueis quasi locustæ totam terram occupantes, exituri, & ad uocem præconis acceleraturi, suum malum atq; dolorem perspicient. Vnde conquerentes, diem illam grauissimam esse inquient. Noë quoq; sui similiter contradicentes, eumq; dæmoniacum esse perhibentes, reiecerunt. Vnde ipse coactus, Deum adiutorem uocauit. ¶ Deus quidem ut se uindicaret iniungens, cœli portas ad aquarum descensum terræq; fontes aperuit. Vnde congregatis auibus ad Dei uelle complendum, illum in fabrica ex asseribus ligneis clauis compagínata, quæ nostro iussu cursum suum peregit, postea dimissa miraculum gentibus generale saluauit. Diligenter itaque perspice, qualiter me uindicando castigamen adhibui. Alchoran quidem istum, iam leuem intelligentibus, misimus: Sed inde quis ne memor efficitur? Homines rursus Hat contradicentes, per uentos illis immissos die malorum & infortunij, illis os penitus diruendo dirimentes, sicut palmas eradicatas destruximus. Ecce qualiter uindictam in illis exercuimus. Alcho-

*Themuth.*

ran autem istum leuem recordantibus tribuimus. Hominibus rursus Themuth, suo castigatori contradicentibus, & indignanter dicentibus: Huic ne præ omnibus nobis sapientia diuinitus est tradita? Nil nisi mendacium profert. Vnde si nos eum hominem tantum, ut nos, sequimur, erramus. Illis inquam ita dicentibus, eo respondente, Cras scietis, quis mendacijs initur: nos camelam nemini tangendam posuimus, iniungendo Themuth, ut eorum actus perspiciens, & patienter sustinens ediceret: quatenus aquam inter se diuiderent, hora sua singulis adscripta. Ab illis autem socius suus aduocatus, eam peremit. Sed quæ nostra uindicta castigatum missa sit, recordare. Vocem enim illis immisimus, illos redigentem in puluerem. Ilã Alchoran sapientibus alleuiauimus. Hominibus quoq; Loth, præceptis nostris contradicentibus, & hospites suos perscrutantibus, sicut & omnibus resistentibus, malum ingessimus, eorum oculos obducendo, pesteq; matutinali diruendo, cum nostro castigatui parêre noluerant: familiæ tantum Loth diuina pietate subueniente. Discretis Alchoran hic leuis missus est. Homines quoque Pharaonis nostro nuncio uenienti contradicentes, ui potentiaq; deleuimus. Sunt ne potentiores illis incredulí uestri? An habetis in psalterio, quod uobis salutem præbeat? An dicitis uos omnes congregari, ut uobis uindictam adipiscamini? Hora, qua nostrum erit placitum, die scilicet uobis amara, die grauissima, uos omnes prorsus uincemini, terga uertendo. Incredulí namque tunc omnes errorem & ignem passuri, facie-

*Camelum fabulosam reuocat ad nauseam usq;.*

*Alcoran tolerabilior doctrina.*

*Sodoma perdita, præter Lot, Gen. 19.*

*pharao.*

*Psalterium.*

*Deus omnia fecit in pondere & mẽsura.*

*Sap. 11.*

bus suis igne coopertis, dicentem audient: Gustate focum indeficientem. Nos enim omnia cum pondere atque mensura fecimus: mandatumq; nostrum est, ut ictus oculi. Quare castigari renuitis, uisis pluribus ante uos manu nostra confusis? Quorum omnia facta in psalterio reperiri possibile est. Actus enim omnes tam minimi quàm maximi scripti sunt. Timentes quidem, paradisum aquis iocundam, in sede uera cum omnipotente Deo rege cunctorum possidebunt.

*Paradisi possessio cũ Deo.*

AZOARA

## AZOARA LXV.

IN n. &c. Hunc Alchoran, Deus ipse rerum expositionem hominibus patefaciens, docuit: qui solem & lunam secundum numerum, & arbores seipsi humiliantes, & cœlum præ cæteris sublimauit, & examen, ne quid falsitatis uel iacturæ trutinando fiat, posuit, humanoq; commodo terram extendit: In qua poma multimoda, & hermodactylos, ac tritici granum ac folia produxit. ¶ Cui factorum Dei contradicitis? Ille quidem hominem de celcal, atque diabolos ex ignis flamma condidit. Quod istorum operum Dei reprehenditis? Ipse quidem rex est orientium & occidentium. ¶ Maria currentia ut corent, ego nolens hic perpositam intercapedinem repressi. An uestri quis hoc renuit? Ex illis quidem corallum & margaritas plures extrahunt. An uestri quis hoc negat? Ipsa quoque uasa uelificata in se mouentia gestant. Quis uestri contradicit istud? Omnis quidem res mundana terminabitur: Sola uero Dei maximi largissimiq; facies est interminabilis. An negat hoc aliquis? Vniuersis creaturis cœlorum & terræ noua contingunt. Istud uestri quis contradicit? Cum hominibus atque diabolis nostra præcepta spaciose peragam. An uestri quis hoc negat? Vos homines atque diaboli, an ambitum mundi, nisi per meam uoluntatem, egredi poteritis? Minime. Quis igitur huic facto meo non credit? Vobis nullum uindicem habituris, ignem clarum atque fumosum immittam. An huic rei quis uestri fidem non adhibet? Quando cœlum diuidetur, ut flos roseus, seu minium rubicundum existet. An quis hoc negat? Illa die nec homo nec diabolus quæstionem de peccatis faciet. An contradicitis? Incredulos suæ formæ patefacient, ante posteriusq; nostra manu sumendos, & audituros: Hic est infernus, ab incredulis contradictus, in illo tamen ulterius ignem perpetuum passuris. Sed quis hic conrradicit? Qui timuerit, coram Deo stans, duas paradisos rerum multiplicium omnimodiq; boni fœcundas, fontiumq; fluxu iocundas, hæreditatem accipiet: Vbi sunt omnium pomorum pariles. An aliquid horum factorum Dei contradicitis? Illic quidem credentes accubabunt tapetis sericis, stramentisq; purpureis, omnibusq; sibi dilectis perpetuo potientur, ducentq; puellas formosissimas, ut hyacinthus & margaritæ, ab hominibus atque diabolis nunquam deuirginatas, nec menstruatas. An horum aliquid abnegatis? Bonorum solum præmiorum bonum est occasio. An hic aliquis contradicit? Erunt & illic arbores colore inter uiridem croceumq; nitentes, fontesq; fortiter emanantes, & poma ac palmæ, pomaq; punica. Quod horum uerum esse non creditis? Illic quidem erunt mulieres optimæ, & speciosissimæ, in umbraculis sedentes, cum oculorum albugine candidissima, pupillisq; nigerrimis, in uirore splendido iacentes, ab hominibus atque diabolis intactæ. An horum aliquid falsum esse dicis? Deus est totius bonitatis multiplicator sublimis, largusq; atque munificus.

*Homines ex umbra, diabolo ex igne creati. Subiectio qua interrogat, & respondet: non in crimina. probat autem, iudicium Dei futurum de omnibus, & quæ conditio maneat bonos aut malos.*

*Duæ paradisi.*

*Propter opera bona felicitas cõfertur: Cui contradicit opinioni tota scriptura sancta.*

## AZOARA LXVI.

IN n. &c. Rerum euentu ueracissimo contingente, quando nullus mendacio locus dabitur, quorundam exaltatio, quorundam depressio fiet. Tuncq; terra tremet, & montes in puluerem redacti atomis adsimilabuntur, fietq; cunctorũ cohors tripertita, scilicet dextra, sinistra, & anterior, quæ

*Dies iudicij. Triplex diuersio hominum in iudicio: in paradiso.*

quæ paradiſo ditiſſimæ propius exiſtunt. Gens uero prior poſteriorq́, pars minima, illic ſedebunt accubitati, hi quidem in illorum directis. Quibus adminiſtrabunt adoleſcentes pulcherrimi cum phialis, cæteriſq́ uaſis plenis optimo liquore, nec capitis dolorem nec ebrietatem parituro: electaq́ poma, carnesq́ uolatilium afferent. Aderunt etiam & uirgines, oculis immenſis atque pulchris. Talem itaque ſuorum factorum remunerationem accepturi, nullum uerbum fetidum ſeu culpabile, ſed tantum ſalutationis uerbum mutuum audient. Dextræ quoque partis homines inter ficus, arboresq́ proceras manentes, umbram immenſam cum optimis ſtramentis, amnemq́ fluentem, pomaq́ multimoda illis nunquam prohibenda, uirgines q́ coæquas, maritos ſuos maxime diligentes, habebunt. Sunt & in hac cohorte pars priorum, parsq́ poſteriorum. Homines uero ſiniſtri focum peſſimum, umbramq́ fumi nigerrimi inibunt. Quoniam prius negligentes, & malis obſtinaces, dixerunt: Cum nos in puluerem redacti erimus, nunquam nos ulterius, ſeu patres noſtri, reſuſcitabimur. Sciendum autem, primos atque poſtremos omnes in die præfinita coadunandos, & deinceps homines errantes atque contradicentes in igne perpetuo manſuri, uelut eſurientes de arbore ezecum comeſturi, uentres ſuos farcient. Deinde igneum quaſi ſitientes potum haurient. Mihi creatori ueſtro quare non creditis? Vtrum ego ſperma fœtumq́, an uoſipſi, fecimus? Vos quidem mortem manu noſtra uobis immiſſam uindicare non poteſtis. Nos formas ueſtras immutamus, & plura uobis ignorata facimus. Primam uero facturam ueſtram, ſi memores eſtis, agnoſcitis. Nón ne ſcitis, an nos, an uos hortum ſeminauimus? Si ueſtra quidem uoluntas exigeret, penitus exſiccarentur, ut deinceps noſtrum opus atque uirtus appareret: utrum nos an uos aquas cœlitus miſſas, quas uos potatis, præbemus? Nobis quidem eas ſalſas dimittere poſſibile eſſet. Gratias igitur noſtræ maieſtati quare non ſoluitis? Quis ueſtri lignum ignis materiam fecit? Nos quidem hoc ad commodum memoriamq́ bonorum fecimus. Tu Deum iugiter nominibus ſuis ſacris inuoca. Per locum occaſus ſtellarum, quod magnum ſcientibus eſt ſacramentum, hic Alchoran optimus à rege mundi compoſitus eſt atque poſitus, in loco tantum à mundis atque bonis tangibili. Cur igitur illius uerbo contradicitis? Hora quidem à uobis expectata, quaſi animæ ſuis faucibus inhærebunt. Quibus nos ſingulis, licet neſciant, propriores aſſiſtimus. Quilibet anteriorum & appropinquatorum, quietem & odorem optimum, atque paradiſum perpetuam manſionem habebit. Super quemlibet quoq́ dextræ partis ſalus Dei deſcendet. Reſidui uero, uidelicet contradicentes & erronei, ueraciter ardebunt igne grauiſſimo permanſuri. Hæc quidem de ſæculo futura uera ſunt: unde tu Deum immenſum inuoca ſupplíciter, & adora.

*Pincernæ cœleſtes.*

*Sermo cœlitum.*

*Damnandi ad ſiniſtram.*

*Deus hortum uoluptatis cõ didit. Gen. 2.*

*Per occaſum iurat, Alcorã à Deo compoſitum.*

## AZOARA LXVII.

*Omnia Dei potentiam ſentiunt, & eum uenerantur.*

IN n. &c. Vniuerſa cœlorũ & terrę Deũ incõprehenſibilẽ & ſapientẽ totius mũdi regẽ, uitæ mortiſq́ datorẽ, & oĩpotentẽ, primũ & poſtremũ, oĩm occultorum & apparentiũ, ſimul & omnium cognitorẽ inuocãt, & adorant. Quippe cœlos & terram ſex diebus ille creauit, deinde thronum aſcendit.

Ipſeq́

Ipse uobiscum ubique actus uestros singulos annotans, & uniuersis impe- *Deus ubiq; ho*
rans, quid terram intret uel exeat, quidque cœlos scandat, descendatue, si- *minibus præ*
cut & omnium cordium secreta, cum ad ipsum omnia mandata redeant, di- *sens.*
noscit. In ipsum itaque credite, suóque nuncio, & de bonis uobis commis- *Eleemosynæ.*
sis expendite. Omnis enim credens & benefaciens, mercedem maximam
consequetur. Cur itaque non expenditis? Cur Deo suoq; nuncio uos
ad Dei cultum inuocanti, non creditis? Si fidem quidem habetis, & credi-
tis, iam à uobis fœdus sumpsi. Deus enim facturus uobis misericordiam
& ueniam, prophetæ suo misit præcepta splendida: quibus uos è tene-
bris ad lucem educat. ¶ Quare bona uestra non distribuitis in Dei
nomine, cœlorum mundiq; totius hæredis? Qui pecunias suas in litibus
agendis ante terrarum atque prædarum captionem consumpserunt, ex-
pendentibus postea non æquantur. Maiores enim meriti sunt. Deus ta-
men omnium uestrorum actuum cognitor, omnibus benefacientibus in
sui nomine, beneficium suum multiplicando reddet, die qua cuncti creden-
tes tam uiri quàm mulieres lucem suam anterius & dextrorsum adspici-
ent, optimum nuncium mercedis maximæ percipient, uidelicet quod pa-
radisum aquis amœnam possidebunt. Qui cunctis incredulis precantibus
illos, ut sibi quid de luce sua sumere liceat, respondebunt: Redite, & uo- *Fabulosa quæ*
bis lucem lucremini. Turrim igitur inter eos cum patente porta fabrica- *dam turris in*
bunt. Erit autem intra portam, omnis quies atque gaudium: Vltrà uero, *paradiso.*
dolor omnis atque miseria Incredulis autem quærentibus, Nónne uo-
biscum mansimus? credentes respondebunt, Ita. Sed quoniam incredulí-
tatem ante terminum diuinitus nominatum linquere noluistis, hodie nec
à uobis, nec ab aliquibus malis redemptio sumetur: Sed diuinum odium
uobis omnibus incumbet. Vident enim nunc increduli, credentes cor-
dibus deuotis & humilibus, Deum inuocare, ueritatiq; positæ consentire:
remanent tamen qualis ipsi quibus antea librum dedimus. Sed licet termi-
nus longus positus sit, sintq; corda sua multum obdurata, & eorum pluri-
ma pars incredula, sciant tamen Deum terram mortuam uiuificaturum.
Si sensum quidem haberetis, uobis optimè res explanassemus. Omnes cre-
dentes Dei præceptis, suoq; prophetæ, eorumq; testes & confirmatores, ue-
niam & lucem mercedemq; multiplicatam à Deo sortientur. Increduli
uero uobis contradicentes, igni deputantur. Scitote uitam huius mundi nil *Vita præsens*
esse nisi ludum & ludicrum, ornatumq; uanum, & opprobrium atq; con- *fabula est.*
temptum. Quæ cuncta, sicut & multæ pecuniæ, nec non prolis appetitus *Rerum euani*
sunt, sicut imber incredulis placidus, oriri faciens rem inutilem, citoq; mar- *darum para*
cescentem. In alio quidem sæculo malum perpetuum sequitur. Cum igitur *bola.*
huius mundi pecunia tota nihil sit, Deiq; dilectio constans & uera, ad Dei *Pietatis & be*
pietatem atq; misericordiam, paradisumq; promerendam: cuius ad opus ti- *neficētiæ præ*
mentium Deum atq; prophetam fabricatæ capacitas est, quanta cœlorum *cipuum studiū*
& terræ, quam Deus largifluus pro uelle suo suis tribuit, uestrum iter diri- *sit.*
gite. ¶ Nullum animabus uestris nocumentum in terra perpetrabitis, *Fatum quo*
nisi quod ante uestri creationem in libro prænotatum fuit à Deo cuncta *aguntur homi*
complectente. Nec amissio rerum facta uobis dolorem inferat, nec euen- *nes.*
tus futurus gaudium præbeat. Deus neminem fraudulentum, uel o- *Peccata Deū*
stentatorem, aut auarum diligit, Cui, cum sit abundantissimus, nul- *alienant.*
lius ab illo discessus molestiam infert. Nos quidem per nostros nuncios *Esaiæ 59.*

cum

*Iustitia commutatiua.*

cum rebus manifestis missos, librum atq; libram, ut gens iustum operetur, posuimus: qui ferrum fortissimum, & humanis commodis summe necessarium tribuimus. Deus quidem omnipotens atq; sapiens, omnium cognitor, suum prophetam iudicabit. Noë iam & Abraham nuncios misimus, & eisdem filios prophetas dedimus, per quos librum misimus. Eorum tamen quidam boni, plures autem fuerunt increduli. Post illos rursus alijs nuncijs missis, tandem Christo Mariæ filio misso, cuius sequaces ipsi penitus obedientes, corda constantia, & humilia, atq; fidelia gesserunt, nos Euangelium dedimus, non ob aliud, nisi ut per ipsum Dei dilectionem atq; gratiam assequerentur. Sed non ut dignum erat, obseruauerunt. Sed licet plures eorum sint increduli, eorum tamen credentibus meritum debitum & maximum tribuimus. Viri boni, credendo prophetæ, Deum timete, uestra beneficia multiplicando, reditum uiæq; rectæ lucem & ueniam daturum: Quoniam ipse pius est, ueniæq; dator. Sciant autem homines libri, se minime potentes super Dei diuitias existere. Ipse namq; cum in sua manu sint omnia, cui uult, illas tribuit.

*Per Noë & Abraham liber missus.*

*Christo Euangelium datum à Deo, ut credentes illi gratiam cõsequãtur. Hoc tenete Machumetici, & concedetis ad ecclesiam Seruatoris.*

*Homines libri, id est, qui Alcoran habent.*

## AZOARA LXVIII.

IN n. &c̃. Sermonem coram te conquerentis de marito suo, & de Deo uisore cunctorum & auditore, tuumq; Deus audiens, inquit: Suæ coniuges minimè sunt suæ matres. Solæ namq; parturientes eos: unde uerbum maritus illius horridum & mendax protulit. Deus autẽ pius est, ueniæq; dator. Omnis quidem huiusmodi uerbum proferens, uel aliquem redimat, uel captiuum suum liberum faciat, antequam tangat eã. Sic enim præcipit Deus, omnes nostros actus dinoscens. ¶ Impotens autem huius rei, duos integre continueq; menses ante concubitum eius ieiunet. Vel huius item impotens rei, quadraginta pauperes pascat. Hos quidem fines Deus statuit, ut in se, suoq; prophetæ credentes agnoscat: Quorum omnis neglector & incredulus, graue malũ patietur. Omnes quidem Deo suoq; prophetæ repugnantes, Deus ipse, sicut & antecessores suos, destruet. Cuius uirtutibus iã manifeste positis omnis contradicens, malum & dedecus die publicæ resurrectionis, qua Deus omnium suorum factorum dinumerator, quorum obliti sunt illi, uelut testis euidenter pandet, quippe omnium cœlestium & terrestrium cognitor, fortientur. Nusquam est triũ conuentus, quin ipse quartus adsit: Nunquam quinq;, quin ipse sextus: Tandem omnibus, siue pluribus, seu paucioribus, ille semper præsens adest. Vnde ipse cunctorum cognitor, cunctis omnes suos actus die futura reuelabit. Nónne uident illos, quibus super pręcepta nostra conuentum interdiximus, à nobis prohibita perpetrare, uerbumq; peccati proferre, prophetæq; nullatenus credere? Vnde uenientes ad ipsum dicunt: Deum illa præcepta nequaquam misisse, arbitrantes Deum nequaquam uindictam sumpturum de dictis suis, quæ sibi damnationis uiæq; malæ causa sunt. Vos uero uiri boni, nolite loquendo malum seu culpam incurrere, nec prophetę contradicere, sed Deum, ad quẽ fiet uester reditus, timendo, uerbum iustum & honestum proferte. Illorum autem diabolorum omne uerbum ad id nititur, ut dedecus atq; malum bonis inferatur hominibus: Quod illis est impossibile, nisi Deo uolente, cui se cuncti boni cõmendant. ¶ Vos uiri boni, locũ postulãtibus præbete. Deus enim uobis locum tribuet. Quærentes sublimationem à uobis, locũ excellentem accipiant. Sic enim Deus omnes uestros actus agnoscens, uestri bonis

*Dubitantes de præmio sibi obuenturo à Deo, grauiß. peccant.*

*Peccatorum redẽptio per opera bona.*

*Prophetis & Deo repugnãtes omnes punientur.*

*Dei præsentiam inter homines notat, ut Christus suam, Si duo uel tres. &c. Matth. 18.*

*Diabolus præcipue bonis nocere cupit: nihil tamen potest efficere, quàm quod Deus permittit.*

atq;

atq; sublimibus gradum sublimem permittet. Cum prophetam conueneritis, beneficia perpetranda promittite. Quæ si minime facere poteritis, Deus pius ueniam dabit. An de beneficijs præcedentibus molestamini? Si beneficijs possibilibus ueniam nequaquam adsequi poteritis, oratores & decimatores estote, sequendo Deum omnium operum cognitorem atq; prophetam. Nónne uident Deum illis iratum esse, qui se cunctis hominibus commendando, scienterq; mendacium proferendo, nec uobis nec illis consentiunt? Qui licet ob sui saluationem iura iuranda faciant, à Dei uia disgrediuntur. Vnde malum & dedecus suscepturi sunt, ignemq; perpetuum passuri, neq; sua pecunia, neq; prole, nec etiam ipso Deo subueniente. A Deo quidem suscitati, sicut nunc uobis iura iuranda facient, extimaturi hoc illis prodesse: Sed minime. Mendaces enim comparebunt. Ipsiq; socij dæmonis, qui præsidens illis eos obliuiscí Deum fecerat, perdentur. Praue loquentes, atq; resistentes Deo, suoq; prophetæ, quos scriptum diuinum semper superaturos asserit, cum Deus sit omnipotens, uelut omnium miserrimi pedibus substernentur & conculcabuntur. ¶ Nemo quidem credens in Deum, dieiq; futuræ, reperiri potest, qui Deo suisq; prophetis resistentes, licet parentes seu fratres filijue seu familiares sint, diligat. Talibus enim Deus ipse suffragans, eorum cordibus fidem atq; constantiam inscripsit, daturus illis ueniam placidam, & paradisum, mansionem perpetuam. Illi sunt namq; gens Dei, semper antecedens.

*Beneficentia.*

*Orationes. Decimæ.*

*Iusiurandum uiolantes luêt pœnam infernalem.*

*Deus fidem cordibus saluandorum inscribit.*

*Populus Dei.*

AZOARA LXIX.

IN n.&c. Vniuersa cœlorum & terræ Deum adorant, incomprehensibilem & sapientẽ, qui die iudicij incredulos hominum libri, è domibus suis contra suam opinionem eduxit. Extimabant etenim se protegendos à Deo, per castra sua munitissima. Deus autem improuisus aduenit, qui tantum eorum cordibus pauorem intulit, quod domus suas bonis hominibus deserebant. Hoc itaq; uidentes, memores estote. Illi uero hoc à Deo dedecus atq; malum, nisi propter fugam illis perscriptã acciperent, sæculoq; futuro perpetuum ignem, quoniam suum prophetam impugnabant. Quascunq; suas arbores secueritis, uel suis radicibus firmiter inhærere permiseritis, diuino mandato perficitur, ut sic incredulis dedecus & damnum inferatur. Deus quidem super quos uult, suum prophetam exaltans, cum ille sit omnipotẽs, illi partem prædæ uestræ de bestijs & exuuijs statuit, præcepitq; quod opes uillarum Dei sint atq; prophetæ, & propinquorum atq; orphanorũ, & pauperum ac peregrinantiũ. Quicquid igitur propheta uobis iniũxerit, facite: ab illo prohibitum dimittite, timẽdo Deum, in fine grauem. Pauperes in Dei nomine peregrinãtes, & è domibus suis atq; pecunijs exeũtes, ac Deo suoq; prophetæ subuenientes, ueraces existunt. Quorum primi credentes, diligẽtes ad se uenientes alios sibi præferunt, bonaq; sua diuinitus sibi commissa cæteris tribuendo sibi subtrahunt, licet eos fames atq; necessitas premant. Horum autem successores Deum taliter exorant: O Deus, nobis nostrisq; prædecessoribus bonis ueniã tribue, omnẽ malicią contra bonos homines à cordibus nostris remoue: quoniam tu es optimus largitor ueniæ. ¶ Nónne uides, qualiter mali suos socios librorum incredulos alloquuntur? dicentes: Nemini super uos fidem adhibebimus, quin uobiscum electis à domibus uestris exeamus, & de uestris expugnatoribus uindictam accipiamus. Deo uerò teste mentiuntur. Quia si fuerint electi, minime cũ illis exibunt,

*Victoriæ cuiusdam memini t.*

*Opes ciuitatum Dei sunt, & prophetæ, &c.*

nec illos unquam uindicabunt. Licet enim nonnunquam uindicare parauerint, ante uictoriam adeptam fugam properabunt. Vos enim nunquam aggredi uel expugnare præsument, nisi ex castellis munitis, uel post muros. Illis tamen inest sua semotim uerbotenus audacia, dicẽtibus se simul omnes uniparti fauere, cum eorum uelut insciorum corda penitus disgregata sint. Vnde graue malum subibunt, uelut & sui iam prædecessores ob suam incredulitatem. Velut diabolus, qui cuidam homini Deo displicita facere persuasit, & eum postea liquit, dicens, Se Deum mundi timere: unde merces uirtusq; contigit secundum commune meritum talium, ignis perpetuus. Viri boni, timete Deum, & uideat omnis, quid propter crastinum diem permittit. Nullatenus obliuiscamini Deum, omnes actus uestros dinoscentem. Ipse namq; tunc uere damnandos uos traderet obliuioni. Homines qui dem igni deputati, minime coæquantur hominibus paradisi. Illi namq; his meliores existunt. Si super montem quemlibet hũc Alchoran poneremus, pro diuino timore funditus dissolueretur. Hunc sermonem proferimus, ut sic homines memores efficiantur. ¶ Ille uerus Deus est, præter quem non est Deus alius, æque res occultas ut manifestas agnoscens, pius, * condonator, rex, iudex benedictus atque saluator, omnipotens, altissimus, maximus participibus illi mendaciter adscriptis carens, omnium creator, res faciens, & corpora formans. Cuius nomina formosissima sunt, cui cuncta cœlorum & terræ subijciuntur, cum ille sit sapiens & incompræhensibilis.

*Alcorani his, quæ montes liquefaciat. Arrogat autem suis nugis, quæ de potentia diuini uerbi uerissime dicuntur, quod sit malleus conscidẽs petras, & ignis. Ierem. 23. &c.*

**Dei nomina*

## AZOARA LXX.

IN n. &c̃. Meos & uestros inimicos, ô uiri boni, uobis nullatenus amicos faciatis, ut uestra sic secreta dinoscant, cum uestræ legi ueracissime resistant, & prophetam eijcere quærant. Si firmiter autem in Deum credentes, & in ipsius nomine pugnatores atq; prædatores constantes fueritis, ne dicatis secreto, uos amicos eorum existere. Omnis enim hoc faciens, longe deuiat, Deusq; dinoscit, quid clàm, quidúe palàm agitis. Si uobis item illi dominati fuerint, uobis hostes existent, uobis cum amaritudine manus atq; linguas illaturi, cum eorum uelle sit, uos incredulos permanere. Die quidem futura nemini proderit sua gens seu proles, cum Deus omnium actuum cognitor, lites omnes dirimet, cuiq; suum daturus præmium. Suntq; uobis bonum exemplum Abraham atq; sui, qui se suarum gentium aliud quàm Deum adorantium societatem linquere uelut abhorrentes, suumq; cultum negligentes, usquequo ad Deum solum conuerterentur, affirmabant. Abraham autem suo patri pollicitus est, quod pro ipso à Deo ueniam precando peteret, confessus se nec sibi nec illi condonare posse. Cuius talis erat oratio: O Deus, nos ad te conuertimur, tuæq; tutelæ summittimur, ad te reuertimur: tuq; cor nostrum maleuolum & infestum nullatenus effice, sed ueniam tribue. Quoniam tu es pijssimus, & incompræhensibilis, ac sapiens. Istos itaq; bonos uobis exemplo positos, in Deum dieiq; futuræ credentes, sequamini. Omnis autem ad hoc se diuertens, Deum glorioſum negligentem inueniet. Vos fortassis hostesq; uestros Deus ipse potens, & pius, atq; condonator, amoris uinculo coniunget: qui minime prohibet, quin honorem atque iustitiam eis impendatis, qui nec uos expugnauerint, nec proscripserint. Deus enim recte facientes diligit, & uobis iniungit, ut non participemini aliquibus in negotijs. * Cum expugnantibus uero pro lege uestra, & domos uestras uobis auferentibus, nec eos ullatenus diligatis. Sin autem, malis

*Abraham exẽplum est, ne quis falsos deos etiam à populo suo cultos ueneretur.*

** Hostes non diligendi. Refert illud ex lege: diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum, quod Matth. 5. Christus interpretatur.*

malis associemini. O uiri boni, mulieres bonas ad uos fide sumpta uenientes optime probate, easq; fidei firmæ repertas, ad incredulos minime uertatis, sed illis suos sumptus peractos persoluatis. Illorum enim coniunctio non est licita. Eas quidem deinde ducere cum danda dederitis, nec incredulorum mores executi fueritis, minime dubitetis, Deo sapiente atq; discreto illud inter uos iudicante. ¶ Maritis quoq; cunctarum mulierum, ad illos incredulos fugientium, sui sumptus reddantur. Deum timete, in illum credentes. Cum mulieres credentes tibi uenerint ô propheta, fideq; firmauerint, se nec Deo participem posituras, nec furtum, seu fornicationem, uel filicidium, uel ab aliquo tuo præcepto digressum perpetraturas, & à mendacijs se discessuras, tu quoq; fide firma Deum pium ueniæq; datorem pro illis exorabis. Viri boni, nec credatis, nec uestra committatis negotia genti diuinam iram promeritæ, quæ iam à die futura desperat, sicut increduli ab hominibus commissis foueis.

*Mulieres ex aliena religione aduenientes probandæ. etsi faueant incredulis, non retinendæ.*

*Quæ abesse debeant à fidelium mulieribus.*

## AZOARA LXXI.

IN n. &c. Cum omnia cœlorum atq; terræ Deum incompræhensibilem atq; sapientem adorent, uos homines credentes & boni, cur pollicendo quod non agitis, Deum offenditis? Ipse quidem diligit pro sui nomine pugnantes, aciebus bene dispositis, more firmiter ædificij structi præeuntes. Cum post Moysen quærentem suam gentem, cur prauis operibus insisteret, post ipsum nuncium illi missum illa Dei uias deserebat, Deus à suis cordibus bonum dimouit, cum ille malos illos abhorreat, & in uiam rectam nunquam dirigat. Christum item Mariæ filium dicentem: O filij Israël, ego uobis à Deo missus nuncius, quod de testamento meis inest manibus, affirmo, uobisq; nuncium affero, de nuncio post me uenturo, cui nomen Machumetus, magum esse illi mendaciter asserebant. Quis autem peior est imponente mendacium Deo, uocanti cunctos ad legem rectam, illosq; malos abhorrenti? Illis quidem ore suo Dei uerba delere nitentibus, Deus sua, licet illos pigeat, præcepta complebit, qui nuncium suum cum lege bona, uiaq; recta, ut super omnem legem præemineat, licet inde dolentibus qui Deo participes ponunt, misit. O uiri boni, mercaturam uos à maximo malo defensuram patefaciam, uidelicet in Deum atque prophetæ credite, & prædatum ac expugnatum in Dei nomine cum uestris animabus atque pecunijs tendite. Hoc enim, si sapitis, est uobis optimum, cum Deus ob hoc uestra peccata dimittet, & in paradiso habitationes amœnas, domosq; perpulchras uobis tribuet. Dabit item & aliud à uobis maxime dilectum, uidelicet uindictam, & terrarum leuem & facilem acquisitionem, bonisq; magni gaudij nuncium. † Omnes boni Deo seruiant, ut Christus Iesus Mariæ filius persuasit, interrogans uiros albis indutos uestibus: Quis mihi subueniet, ex parte Dei me sequendo? Responderunt illi, Nos. Quidam autem filiorum Israël crediderunt, quos cæteris incredulis manentibus, præferendo, longe super illos extulimus.

*Promissa præstanda.*

*Recte prælianteś Deus amat.*

*Christus prædixit Machumetē uenturū.*

*In genere sanè dixit, uēturos multos pseudo prophetas, à qbus sit cauendū. Dei cōsiliū ut lex Machumetis omnib. legibus præemineat. Id euenisse iā proh dolor cernimus, ut maxima pars orbis eā sequatur. Christus autē prædixit: Quum ueniet filius hominis, nū reperturus est fidem? &c*

*† Christū hortantem homines, ut Deo seruiāt secuti sunt albis uestibus induti. ex Apocalyp.*

## AZOARA LXXII.

IN n. &c. Cœlestia cuncta, atque terrestria, inuocant Deum regem benedictum, incompræhensibilem & sapientem, * qui scribendi legendiq; simul inscijs nuncium ex semetipsis excitauit, qui eis prius erroneis uiam rectam, & librum ac discretionem, diuinaq; præcepta patefaciens, benedicet illos, & alios etiam deinceps ad eandem legem alliciet. Per Deum

** Machumet ex ignaris literarum excitatus.*

sapientem & incompræhensibilem, qui cum sit ditissimus, hanc suam abun-
*Iudæi conferũtur asino gestanti libros.* dantiam atq; diuitias cuilibet pro uelle suo committit. Illi quidem, quibus testamentum portatum misimus, ipsiq; minime tulerunt, assimilantur asino librorum latori. Eorum enim incredulorum, diuinisq; præceptis contradicentium, exemplum pessimum habetur coram Deo, illos nunquam in uiam rectam directuro. O Iudæi, si uerum sit quod dicitis, uos scilicet penitus
*Mors bonis optanda.* Deo deuotos & adhærentes esse, nil tractantes de hominibus, cur mortem summopere non optatis? Illi uero maximè propter prauos actus suos præmissos eam respuunt. Deus tamen huiusmodi malos agnoscit. Illa mors, quã
*Ferijs quid agere fas sit.* fugitis, uos assequetur, & ad cognitorem secretorum & apparentium omnium, dicturum uobis omnes actus uestros, ibitis. Quando die ueneris oratum uocatur, omnis bonus forum atque negotium dimittat, & Deum inuocatum eat. Hoc enim est optimum, si sapitis. Oratione quidem terminata, disgregemini, uestra captatum commoda, Deumq; in singulis rebus inuocatum atque precatum, ut sic uestra negotia procedant. ¶ Dimittentibus autem horam illam, ob mercaturæ seu ioculationis aspectum, dic melius atque iocundius illis mercaturis & ioculationibus apud Deum esse, qui uictum optimum gaudiumq; plenum præstat.

AZOARA LXXIII.

IN n. &c̃. Ad te uenientes increduli dicent, se testimonium perhibere, quoniam tu es Dei nuncius. Deus autem agnoscens quis sit suus nuncius, illos esse mendaces perhibet: qui sacramento facto propter sui saluationem, uiam Dei derelinquunt male gerendo, cum ex credentibus fiant increduli. Nos autem eorum corda, licet ipsi nesciant, sigillauimus. Eorum tamen corpora uisa, quasi stipites perpulchri parietibus infixi, suiq; sermones auditi summe placent tibi. Ab illis tamen, uelut ab hostibus atq; mendacibus, quos & ipse Deus destruet, tibi cauendum est. Ad prophetã enim aduocati, ut ex Dei parte ueniam consequantur, inuoluendo sua capita diuertunt, & insurgunt. Vnum igitur & idem prouenit, siue condones siue
*Opprimendi sunt, qui negant opibus iuuandos sectatores Machumetis.* non. Deus enim nunquam illis ueniam faciet. Persuadentes ne prophetæ fautoribus sumptus indulgeantur, ut sic suis sumptis penitus sint inopes atq; mendici, à sublimibus atq; diuitibus pressi diruantur & eijciantur. Dei autem, omnes cœlorum atq; terræ diuitias possidentis, nec non & prophetæ atq; bonorum, est omnis sublimitas atq; uictoria, licet hoc ignorent increduli. Viri boni, non uos detineat quippiam uestrum negotium in pecunijs seu filijs, ab inuocatione diuina. Hæc enim agens perdetur. Ante mor-
*Ante mortem facultates dispensandæ.* tis aduentum de bonis datis uobis, benefacite, ne tunc necessitate cogente dicatis: O Deus, uitam meam ad terminum propinquum protrahe. ¶ Eleemosynas enim faciam, & bonus efficiar. Deus autem omnium actus dinoscens, neminem ultra terminum suum aduenientem protrahit.
*Fatum.*

AZOARA LXXIIII.

IN n. &c̃. Deum omnium iudicẽ, & omnipotentẽ, ac glorificandũ, omnia cœlorũ atq; terræ uelut suũ dominũ adorãt. Ille uestri cõditor, & omniũ uestrorũ operũ atq; secretorũ uniuersalis cognitor, quippe nulla latent eũ, uos pulchris formis cõdecorauit, & cœlos ac terrã ueracit, ac uniuersa similit, (q̃d quidẽ & uestri perhibẽt,) creauit. Nõne percepistis uestros antecessores incredulos, ob suorũ operum prauitatẽ graue malũ esse passos, grauissimũq; passuros? Nostros em̃ nuncios cũ diuinis præceptis missos, increpãdo

do dicebant: Vos homines tantum, ſicut & nos, uias Dei rectas docere præſumitis. Illos autem ſic incredulos manendo, Deus minimè curabat. Dicentibus quidem incredulis, ſe nunquam reſuſcitandos, reſpondeas: Imò per Deum, imò Deus eos ſuſcitabit, omnes ſuos actus, quod ſibi leuiſſimũ eſt, patefacturus. In Deum itaq; ueſtrorum operum cognitorem, atq; prophetam, & hunc Alchoran uobis diuinitus miſſum credite. ¶ Dies ueſtræ congregationis coram Deo cunctorum reſuſcitatore, uobis fiet amariſſima. Credentes autem & benefacientes tunc ueniam adepti, paradiſum perenniter inhabitandam, quod eſt maximum, poſſidebunt. ¶ Increduli uero, ueſtriſq; præceptis contradicentes, igni manſioniq; prauæ perpetuo tradentur. Omnis mali lucrator ſecundum mandatum Dei ſolum proficiſcitur, nuſquam excedens: Sicut & ipſe Deus omnia dinoſcens, in credentium animum ſectam uſamq; ueracem immittit. Deum atq; prophetam imitari ſtudete. Quod licet recuſetis, prophetæ non attinet, niſi tantum mandata nunciare, & euidenter explanare. Deus quidem unus eſt, præter quem non eſt Deus alius. Cuius tutelæ ſinguli boni ſe commendant. Vos uiri boni, cum quædam ueſtrarum mulierum infantiumq; uobis inimicentur, cauete uos ab illis: Pro quibus licet precati fueritis, ueniamq; feceritis, Deus ſolus ueniæ largitor exiſtit. Veſtra quidem proles atque pecunia, malorum nonnunquam eſt occaſio. Apud Deum eſt autem omne commodum, omniſq; diuitiarum copia. Illum itaq; pro poſſe ueſtro timentes exaudite, & ſequentes benefacite: Quod ueſtris utilimum eſt animabus. Ab auaricia namq; liberi, ſemper antecedunt. ¶ Omne ueſtrum in Dei nomine beneficium ipſe multiplicabit, peccataq; dimittet, glorificandus & ſapiens, æque noſcens occultum & apparens, incomprehenſibilis & immenſus.

*Reſurrectio.*

*Legati munus tantum docere.*

*Cauendum ab inſidijs uxorũ & liberorũ.*

*Opes & liberi aliquando malorum occaſio.*

AZOARA LXXV.

IN n. &c. Cum tu Propheta mulieribus repudium feceris, ante terminũ completum & ſcitum Deum timens, nec à domibus ſuis illas eijcias, nec ipſæ niſi propter res manifeſte malas exeãt. Termino quidem accedente, teſtibus bonis atq; fidelibus adhibitis, nullatenus coram Deo cuncta uidente mentiri uolentibus, uel eas cum re determinata retine, uel dimitte. Huius enim termini à Deo ſtatuti omnis neglector, ſuæ nocebit animæ. Forſis tamen aliud mandatum deinceps faciet Deus, qui nos tunc caſtigans atque perſuadens in ipſum credere, dieiq; futuræ fidem adhibere, omnes ſe timentes ab inuolucris & impedimentis expediet, uictumq; tribuet ex parte non cogitata, ſibiq; commendatis ſemper proficiens, omneq; ſuum mandatum compleri faciem, omnibus rebus modum atq; menſuram ingerit. Menſtrua propter ætatem deſperantes trium menſium metam, & prægnantes terminum partes expectent. Timentibus quidem Deum, eius mandatum expeditum eſt & facile, qui tribuens hoc peccata dimittet, mercedemq; maximam tribuet. Dimittendas itaque, uobiſcum habitare abſque malorum & anxietatum illatione facite, & prægnantis uſque partus horam ſumptus indulgete, deinceps q; ſi prolem aluerint, pactum determinatum & cognitum firmate. Ipſis autem nutrire nolentibus, alia nutrix adhibeatur, & his uel illis pro menſura ueſtra poſſeq; benefacite. Deus enim omnem difficultatem in facultatem redigens, nemini præcepit expendere, niſi ſecundum modum ſui poſſe. ¶ Omnibus uillis Dei prophetæq; præceptis contradicentibus, graue malum intulimus, ſuumq; malum illas guſtare fecimus.

*Quomodo Machumet poſſit diuortium facere. Verũ ea præſcriptio generalis ſit.*

*Timentibus Deum ler eius facilis.*

*Machumeticæ doctrinæ contradicentes omnes graue ſupplicium luerunt.*

Quorum finis interitus fuit atque perditio. Omnes itaq; sapientes timeant Deum, dantem omnibus credentibus sapientiam, suiq; notitiam. ¶ Mittit enim uobis nuncium docentem & explanantem diuina præcepta, ut credentes & benefacientes è tenebris ad lucem educat. Omnis credens & benefaciens, à Deo paradisum aquis amœnam, perpetuam mansionem, gaudiumq; plenum accipiet. Iste quidem septenario cœlos terramq; numero disposuit, quibus mandata sunt intersita, ut sic ipse cunctipotens, omniaq; sua sapientia complectens, à cunctis esse perpendatur.

## AZOARA LXXVI.

*Fingit Deum permisisse dispensationem in re uxoria, quam dicunt excogitatam, cum uxores duæ illum deprehendissent concubentem cum uxore Iacobitici regis.*

IN n.&c̃. Cur tu propheta statuis, illicitum à Deo positum, licitum ob tua rum mulierum amorem? Deus quidem pius ueniæq; largitor, omnium dominus sapiens & incomprehensibilis, tibi iuraiuranda delere præcepit. Prophetæ quandam suarum mulierum alloquenti, reuelando quoddam, illa respondit: Quis tibi uerbum illud aperuit? At ille, Deus omnium scientissimus, ad quem si conuerteris, omnibus malis cor tuum alienabit: Et si malis obstinaciter inhæseris, Deus dominus uester, & Gabriel, angeliq; caeteri, hominesq; boni testes aderunt. Aliquibus autem repudiatis forsan Deus meliores, firmæ fidei, iugiter orantes, & multum eleemosynarias, tum coniugatas tum uirgines, earum loco restituet. Viri boni, uos uestramq; gentem à foco nil nisi sulfur & homines comburente, cuius custodes sunt angeli feroces & immensi, nunquam à Dei præceptis digredientes, summopere retrahite, uosq; increduli, die iudicij nullam prætendatis excusationem, cum Deus tantum uos secundum opera uestra iudicabit. Vos uero uiri peccata uestra derelinquendo, ad Deum corde puro conuertamini. Ille namq; forsan uobis peccata dimissurus, paradisum aquis amœnam tribuet die, qua nec prophetæ nec sibi credentibus dedecus inferetur, sed lucem ante se suæ dextræ gustabunt, ipsiq; iugiter una uoce dicent: Tu Deus, quoniam omnipotens es, nostram lucem adaugendo nobis comple. Tu prophetam incredulos expugnatum & prædatum proficiscere, & ut te timeant, aggredere. Ipsi namq; gehennam, uiamq; malam semper insequentur. ¶ Mulieribus incredulis exemplum sint mulieres Noë atq; Loth, quibus nil profuit suorum maritorum bonitas, quin Deo præcipiente cum cæteris intrantibus focum æternum ingressæ sunt. Credentes autem sibi sumant exemplum Pharaonis coniugem, & Mariam filiam Ioachim, quarum altera Deum iugiter precata est, ut ipsam à Pharaone, prauisq; suis operibus, genteq; mala liberans, sibi domum in paradiso strueret. Altera uero, Maria uidelicet, se dirigendo nil maliciæ seu prauitatis operata est. Vnde animam insufflauimus illi, nostra uerba librumq; confirmanti, & in bonitate perseueranti.

*Incolæ paradisi orãt suam felicitatem augeri.*

*Incredulos armis subigendos dicit aperte, & prouerbium hic nullum dicit.*

*Exempla duo bonarum mulierum, totideq; malarũ.*

*Mariam laudibus uehit.*

## AZOARA LXXVII.

*Opera domini perfectissima in cœlo & in terra.*

IN n.&c̃. Deus rerum multiplicator & omnipotens, cuius manus continet omnia, mortem & uitam, ut quis apud eum melior efficeretur, intulit, ipseq; condonator & incomprehensibilis VII. cœlos disposuit. In cuius facturis nil superfluum uel incompositum cuiusquam oculus percipiet, licet bis uel sæpius intuens. Ipse cœlum sidereis ornauit lucernis, quæ diabolos expellant, illis timorem inijciendo. Deum non sequentes, gehennam & infortunium perpetuum patientur, in inferno pleno, & ob iram nimiam obstrepente, audituri nimiam increpationem ab inferni iudicibus, quærentibus:

*Siderum lucẽ diaboli refugiunt.*

tibus: Nónne uobis nuncij missi fuerant? Respondebunt, Ita: Sed nos illis contradicendo, perhibuimus eos erroneos extitisse, nec Deum quicquam per illos mandasse. Nunc etiam ignis minime nos læderet, si præceptis auditis fidem uelut sapiẽtes adhibuissemus. En qualiter culpas suas, malumq; patefaciendo proferent. Timentes Deum, æque secreta cordium & indicia uocum agnoscentem, uenia mercedeq; maxima donabuntur. Nonne sciunt omnium conditorem omnia scire. Ille quidem terram humanis quæstibus & itineribus applanauit, & ex illa fœtum humano uictui produxit, & ad ipsum omnium fiet reditus. Habetis ne fiduciam de cœlorum conditore, quod uos simul cum terra minime pessundet? Ipsa quidem uobiscum summergenda confundetur. An tuti securiq; manetis, quod uobis uentos non immittet? Scietis autem postmodum, quod uobis castigauerim. Videte, quis fuit finis antecessorum nostris contradicentium. Quare non perspicitis aues, quas nil nisi Deus solus omnia uidens sustinet? Quis in Dei loco uobis feret suffragium? Increduli uero nunquam errare desistunt. Quis Deo prohibente, uictum atque diuitias uobis ministrabit? Resistentes autem, & perfidi, suam cæcitatem nunquam derelinquent. Vtrum est melior, capite summisso facieq; declinata pergens, an rectam uiam proficiscens? Deus quidem nos in terra creans, ad quem singuli redibitis, uobis auditum, & uisum, corq; tribuit, licet uestri pauci sibi grates referant. Quærentibus illius aduentum termini à te, ut te ueridicum probes respondet: Nemini nisi soli Deo illum esse notum, teq; nil nisi nuncium tantum & explanatorem existere. Hominibus autem illum uisuris terminum, facies nigrescent, cum illis dicetur: Hic est ille dies, quem uobis semper prædicauimus. Siue Deum, me meosq; fautores confusurum, siue uenia misericordiáque donaturum uideritis, quis è graui uindicta Dei malos illos & incredulos eijciet? Nos quidem in illum Deum credimus, & eius nos tutelæ supposuimus. Finis autem omnium discernet, quis uiam erroris secutus fuerit. Si uestram aquam tellus funditus absorbuerit, quis aquam dulcem atque bonam potum afferet?

*Terra cum habitatoribus summergẽda.*

*Humilitas eti am gestu corporis significata.*

*Incertus ad uentus domini ad iudicium.*

## AZOARA LXXVIII.

IN n. &c̃. Per calamum & lineas atq; scriptum, tu non es nisi Dei nuncius habitus optimi, mercedem maximam inde sumpturus, non magus, non dæmoniacus. Quod fiet euidens, quando Deus bonos malosq; discernens, quis rectam, quisue prauam uiam secutus fuerit, explanabit. Contradicentes, qui te sibi similem esse desiderant, nullatenus sequaris, nec iterum crebrè iurantes, quoniam ipsi contemptibiles sunt.

*Iurat per calamum et scriptiõẽ, se Dei nuncium, non magum.*

¶ Idem quoque sunt rerum uilificatores, & seditionum seminatores, detractores etiam, bonicq; diminutores, & culpabiles, ac increduli, prolis tamen atque pecuniæ diuites: qui nostra præcepta audientes, illa priorum esse mendacia perhibent. Vnde nos sibi suas facies denigraturi, malum ab illis sæpius contradictum inferemus. Talium enim dormientium facies diuina uindicta superueniens, quasi noctem comburendo denigrauit. Qui mane nisi tales à cæteris rogati, ut sicut prius, si possent, sua negotia peragerent, tandem percipiendo se prauam & falsam uiam esse secutos asserebant. Eorum uero medij dixerunt: Nónne uobis diuinam inuocationem iuiunximus? Illi uero se male fecisse, Deum testem adhibuerunt.

*Criminatur suæ doctrinæ cõtemptores.*

¶ Sic his illi sui causam erroris improperabant. Forsan tamen Deus

hoc malum in melius mutabit: Quoniam ad illum orandum plene conuertimur. Cumq; malum huius mundi magnum sit, constat apud sapientes, aliùs maximum esse. Timentibus enim, à Deo paradisus tribuitur. Vos minime, malos bonis coæquare poteritis. Aut quid dicitis? An librum hoc affirmantem habetis? Quis eorum, dictum hoc asserit? Perscrutetur. Vel si participes habent ad sui dicti probationem, cum illis accedant. Die, qua uocabuntur Deum adoratum, hoc agere nequibunt: Quoniam hoc sani uocati recusabunt. Siue paulisper dona illis spacium, qui quæsiti reatus emendationem seu beneficium, hoc impossibile sibi dicunt esse. Ego enim sapientissimus & prudentissimus, illos quò nescíunt, attraham. An sunt ipsi secretorum scientes? Scribant igitur ipsa. ¶ Tu uero diuinum expecta iudicium, non imitans inclusum pisci, qui reus diuinitus aduocatus, nisi pietate diuina subueniente, ibi permaneret: per me tamen extractus, bonus effectus est. Increduli librum istum audientes, uisum aduertere nequeunt, sed nuncium dæmoniacum, cum non sit nisi doctor gentium, appellant.

*Exemplo Ionæ deterret ab incredulitate.*

*Machumet doctor gentium.*

## AZOARA LXXIX.

*Hath & Themuth ueritati resistentes perierunt.*

INn. &c. Verum quidem, uerumq; ueraciter est illud, cui Hat atque Themuth contradixerunt. Vnde gentem Themuth ob suam præsumptionem atque superbiam confudimus, populum Hath uento grauissimo dispersimus. ¶ Ventus enim illis septem diebus & noctibus octo incumbens, prorsus ut palmas uacuas & fragiles postrauit eos. Quare si quisquam superstes existat, perpende. Pharaonem item, suosq; prædecessores ob errores suos Dei nuncio contradicentes, diuina uindicta grauiter percussit, diluuio quoq; ueniente, nostros per arcam liberauimus. ¶ Hoc quidem gentibus commemorandum posuimus, ut aure percipiant, cordeq; firme recondant. Primo buccinæ sonitu tellus & montes prosternentur, & in puluerem redigentur, hora ueniente, cœlumq; fundetur & debilitabitur, & angeli octo Dei thronum sustentabunt. Illa die nullum cuiusquam hominis factum celabitur. Omnisq; chartam suam dextra sumpturus, inquiet: O mater, meam chartam legam, qui me uenturum ad hunc computum semper existimaui. Vnde nunc uita dulci perenniq; perfruar. ¶ Hominibus huiusmodi paradisum sublimem, ubi propinqua pomorum est copia, possidentibus dicetur: Pro uelle uestro, modoq; penitus propter actus uestros præcedentes, comedite simul atque bibite. Illi uero quorum sinistris charta committetur, inquient: Vtinam huius chartæ dono computiq; noticia careremus, unaq; tantum uita fuisset, cum pecunia iam deleta nil nobis proficit. Faucibus enim atq; gutture sumpti in ignem proiicientur. ¶ In cathenis quoq; LXX. cubitorum detenti firme uincientur: Quoniam nec in Deum crediderunt, nec pauperibus cibum præbuerunt. Hodie namq; nec amicum, nec uictum, nisi tantum peccatorum, uidelicet igneum, cruentum, atq; uenenosum inuenient. Per res uisibiles & inuisibiles nuncij uerbum bonum est à Deo mundi conditore compositum, non à mimo, uel incãtatore, uel mathematico. Si quicquam enim præter mandatum à me profertur, illi dextra sumpta uenam cardiacam abscinderem, nullo mihi prohibere potente. Hoc autem uerum, uerumq; ueraciter est, ueram sectam timentibus patefaciens, incredulis maliciam adaugens, nec nobis est ignoratum, qui credunt illi, quiue contradicunt. Tu uero Deum cum ipsius immensis nominibus deprecare, te suæ tutelæ commendans.

*Iudicium Dei nouissimũ uerbosius describitur.*

*Beandis charta seu catalogus operum in dexteram tradetur, damnandis in sinistram.*

*Cathenis ferreis uincientur damnãdi.*

*Pœna pseudoprophetæ.*

AZOARA

## AZOARA LXXX.

IN n.&c̃. Licet homines de malo sæpius quæstionem facient, quod ineuitabiliter nemine prohibere potente, infert Deus incredulis: Illam diem cominus uidens, à cæteris à longe perspectam, qua ad ipsum ascendent angeli & homines, cuius tantum est spacium, quantum est L. milia annorum, tu patienter indura. Illa quidem die cœlum ut fumus euanescet, tellus ut lana carpetur, nec amicus amici recordabitur. ¶ Illa quidem die quilibet incredulus, pro se redimendo filios suos atq; mulieres, omnesq; suos, totamq; terræ substantiam tribueret. Tunc enim incredulos, quoniam Deum non adorabant, pecuniamq; multam coaceruando nil boni perpetrabant (quippe Deus hominem sic composuit, ut malo uiso pauescat, bonum adeptum retineat) graue malum passuros, ignis comprimet: Orantibus iugiter exceptis, & dantibus rem scitam quærentibus, atq; pauperibus, dieiq; futuræ euentum ueraciter asserentibus, uindictamq; diuinam ineuitabilem timentibus, & castis in omnes, præter in mulieres proprias, suæq; manui subditas, unde nullus reatus sequitur. A' prædictis alia petens, uelut malus damnandus est. Depositi custos fidelis, testisq; constans, uir immutabilis, ac iugiter orans paradisum, & honorem sufficientem habebunt. Cum te dextrorsum & sinistrorsum ambiant increduli, cur suum errorem non relinquent? Quomodo sperant Deum daturum sibi paradisum? Per orientis & occidentis dominum, nos eorum loco meliores ponere poterimus. Ipsi uero in me nullam uindictam exercere poterunt. ¶ Illos nunc hoc, nunc illud dicere, & ludum atque derisionem exercere permitte. Die namq; qua sæpius illis dicta reperient, per me suis è foueis confestim resuscitandi, uelut ad concilium proficiscentes, uisibus subiectis, minimeq; perspicacibus dedecus fidei sæpius illis prænunciatæ, malumq; patientur.

*De iudicij die loquitur.*

*Si L. millibus annorum dẽ domini abesse dicit, sibi contraria loquitur, sæpius scribens fortasse breui uẽturum. Si tot annorum iter: quomodo Machumet una nocte confecit bis? Ingenijs hominum esse inditum, ut malum auersentur, bono gaudeant.*

## AZOARA LXXXI.

IN n.&c̃. Noë missus castigatum homines, ante mali grauis aduentum, inquit: O uiri, uobis doctor & castigator diuinitus missus sum, ut exaudiendo me Deum timeatis. Sicque ueniam peccaminum assequemini, placitumq; dilatabitur. Dei tamen terminum nullatenus euitari sapientes intelligunt. Sed licet noctu dieq; illos castigando doceret, nil hic nisi diffugium suum ab illo effecit. Quanto magis enim obnixe eos castigauerit, & à Deo ueniam illis quæsiuerit, nunc q; secrete, nunc publice, ut Deum ueniæ datorem obsecrarent, precatus fuerit, tanto magis insurgendo suas aures digitis, oculosq; palmis suis atque uestibus cooperuerunt. ¶ Cœlum quidem uobis imbres ad augmentum prolis, atque pecuniæ, nec non hortorum & amnium donum & incrementum mittet, Deo iubente, qui uos multiformes effecit, & cœlos ordine septeno distinxit, lunamq; lucem, solemq; candelam constituit. Idemq; uos è terra plasmans, uos ad se denuo suscitando reuocabit, qui terram uestris itineribus planam effecit. Cur ipsum igitur corde puro moreq; bono non inuocatis? ¶ Adhuc item sermonem suum prosequendo Noë dixit: O Deus, me nullatenus imitando, sed dolos quàm plurimos perpetrando, id quod sibi pecuniam atque prolem non nisi damno suo tribuit, secuti sunt. Vnde illi persuadentes, uicissim cæteris, ne suas desererent imagines, quæ maxima multis erroris occasio fuerunt, uidelicet † Huden, Schuan,

*A cœlorum opificio argumẽtatur Noe.*

*† Deorum siue imaginum temporis Nohenici nomina.*

Dicit Noë precatũ, ut totũ genus mortaliũ aboleretur quod scriptura sancta non habet.

Schuan, Iaguta, Iannea, Nacen, cũ propter castigamina plus aberrauerint, reiçq; multum extiterint, nostra manu summersi sunt, deinceps in igne positi, omni tutore uindiceq; carentes. Quod & Noë deuote precatus est, dicendo: Tu Deus, nullum eorũ peccatorũ superstitem esse patere: quoniã plures errare faciẽt, nullã nisi malã & incredulã prolẽ facturi. Mihi uero, meisq; patrẽtibus atq; credẽtib. ueniã largire, & incredulis nil nisi cõfusionẽ immitte.

## AZOARA LXXXII.

Etiam confitentes Alcoranum, & negãtes Dei filiũ, nefanda multa proferunt de Deo.

IN n. &c̃. Mihi diuinitus missum est, quod homines diabolici auscultando dicebant: Nos Alchoran mirabilem auditu, uiam rectam edocentem credimus, nec alitem Deo sublimi, nec filium nec mulierem habenti, participem ponimus, licet inscientes & inertes multa de Deo nefanda proferant. Nos autem opinati sumus, nec homines neque diabolos quippiam Deo falsum imposituros. Quidam tamen exercitus dæmonum alijs tantum persuadent, ut in Deum nullatenus dicendo credant: Nos prius assueti cœlos auscultatum adscendere, nunc ipsum plenum atque munitum custodibus peruigilibus reperimus, & auscultantem omnem stella lucidissima prosequar. Vnde scire nequimus, an terrenos odiat, diligatúe Deus. Cumq; nostri quidam boni, quidam in terra simus, uias uarias proficiscimur. Nos autem opinati nihil Deum euadere, nec agere contrà posse, rectam uiam patefactam credimus. Omnis enim in Deum credens, omnium malorum & iniuriarum timore carebit. Quibusdam itaque nostris credentibus, quibusdam minime, credentes recta uia gradiuntur: Increduli uero discredientes ab illa, in ignem feruentem & sursum erumpentem proijcientur. Aquas tamen bonas illis potum præberemus, si legem bonam spretis erroribus acciperent. Cum templa quidem Dei sint, nullum in illis cum Deo participem inuocetis. ¶ Ferè multitudo gentium undique concurrens, cui Dei uir prædicatum & inuocatum surrexit, ipsum conculcauit dicentem: Non inuenio quenquam quem adorem, nisi Deum solum, cuius mandata nuncio, nullum illi participem statuens: de quo neminem protegere uindicareúe quæro, nec cuiquam bonum uel malum immitto. Omnis autem non credens in Deum, atq; prophetæ, perpetuum ignem patietur, dieq; manifestationis omnium Dei præceptorum, quis debilior minorisúe computi fuerit, planè percipietur. * Ego nescio, an illum terminum Deus elongabit, an statim inferet. Hoc enim secretum nemini nisi prophetæ pro uelle suo, cuiquam patefacit, qui sciens illis omnia nunciata, omnium suorum operum iudex & dinumerator existit.

Sophisticum, nescit homo an sit in gratia Dei.

In tẽplis quæ Dei sunt, non inuocãdi sunt fictitij dei.

* Incertum, dies domini quantum absit: nisi Machumeti, qui aliquoties dicit se ignorare.

## AZOARA LXXXIII.

Tempus orandi præfinitũ.

IN n. &c̃. Tu ô propheta nocte surgendo, eius medietatẽ parumũe minus plusúe pro uelle tuo, uigilijs trahe, & Alchorã iugiter atq; deuote lege. Hanc tibi grauitatẽ inijcio, quoniã cũ die cæteris intentus sis negotijs, horę nocturnæ meliores sunt atq; leuiores. Deiq; nomẽ inuocando, qui dominus est oriẽtis & occidẽtis, præter quẽ nõ est Deus, illi te penitus cõmenda, malorũq; dicta patiendo, & te inde formose liberando, illos cũ mihi cõtradicãt, sintq; diuites, mihi dimitte. Decreto nãq; spacio sibi permisso ad nos uenient, suscepturi dedecus & ignem, malosq; cibos die, qua terra cum montibus pessundata, montes ut puluis uentis agitatus efficientur. Iã uobis nuncium uestri testem, sicut prius Pharaoni à nobis, quoniã non credidit, statim perdito, misimus: quare nõ timetis? Nónne creditis diẽ, qua capita puerilia

Iudiciũ Dei.

canescent,

canescent, cœlumq; † frandetur? Hoc quidem ueraciter euenier. Vnde memor atq; sciens effici potest, omnis ad Deum ire proponens. Quod tu nonnunquam ante duarum tertiarum, quādoq; medietatis, nonnunquā unius tertiæ noctis transitum surgis, hominesq; tecum morantes similiter, Deus omnes horas noctis atq; diei agnoscens perspicit: qui ueniā inde, quod totū legere non potes, præbebit, si pro posse tuo lectionibus insistis. Ipse nāq; nouit hominum quosdā nōnunq; morbis grauari, quosdā ire lucratū, quosdam expugnatum. Omnes itaq; pro posse uestro legite, & orationes fundite, ac decimas & eleemosynas in Dei nomine facite: apud quē omne uestrum beneficium præmissum inuenietis. Quod erit uobis melius, optimaq; merces. Ipse nāq; precatus, & à uobis glorificatus, ueniā & misericordiā præbebit.

† *Hanc uocem in Annotationibus reperies, alias scindetur.*

*Lectionem Alcorani nimiriū requirit.*

AZOARA LXXXIIII.

IN n. &c. Vir pannis laneis cooperte, cito surgere, teq; corrigere, & à rebus iniustis declinare, omniaq; contingentia pro nomine Dei sublimis omniumq; maximi patienter sustinere, teq; tuasq; uestes emundare nullatenus recuses. Dies quidem rationis omnis amarissima fiet incredulo. ¶ Illum mihi dimitte, qui solus eum condidi, pecuniamq; multam illi pluresq; filios testes præbui, spaciumq; permisi, cuius augmentum ille sperabat. Illum enim in ignem sursum tendentem ascendere faciam, quoniam nostris præceptis non credidit, & præmeditate prout uoluit, interfecit, consulteq; factus est interfector. ¶ Deinceps iracundus respexit, & disgrediens ac insurgens, hoc incantationem, & nil nisi uerbis ab homine compositum esse confirmauit. Illum igitur in ignem quietis impatientem & interminabilem, incredulos cōburentem, cui decem & nouem supersunt, despiciam. ¶ Nos non posuimus super populum ignis, nisi tantum angelos, eorumq; numerum signauimus, ut mirentur increduli. Homines uero librorum atq; boni corda firment, fidem adaugeant. Homines uero cordis infirmi quærāt, ut quid hanc Deus similitudinem exhibuit. Ipse quidem Deus. Hos itaq; deuiare, illos recte proficisci pro uelle suo facit. Quod cum sit multa gentibus peritia, nullus exercituum Dei, præter ipsum solum, agnoscit. ¶ Per lunam & auroram atq; diluculum iste est unus maiorum, castigantium atq; docentium gentes, quas credere seu recedere uoluerit. Omnibus quidem actus sui pignora fient, exceptis dextræ partis hominibus, qui paradiso māsuri, uicissim dicent incredulis: Quis uos in ignem deiecit? Respondebunt: Nos quidem nec orationes fecimus, nec pauperes cibauimus, & iniuste de Deo locuti, hunc diem usq; ad illius manifestam euidentiam, quando nullus prodest intercessor, contradiximus. Quare non reminiscuntur? Quare non se conuertunt homines? Sunt quidem uelut asini, leonem ex pauore fugientes. Quibus licet multum optantibus, notulæ bonæ nequaquam tradentur. Quoniam diem illam minime timebant. Hoc autem, nil nisi sapientiam & recordationem, qui uult commemorat. Hoc tamen agere nemo poterit, nisi Deo uolente, à quo procedit omne bonum atq; misericordia.

*Officia quotidiana.*

*Vestitus Machumetis.*

*Impiorum & ingratorum descriptio.*

*Angeli custodes infernalis carceris.*

*Dei opera incomprehensibilia.*

*Dextræ partis homines beandi, ut cap. 66.*

*Ob quæ damnentur homines.*

*Seruiliter Deum timentes asino timenti leonē similes.*

AZOARA LXXXV.

IN n. &c. Per diem sæculi futuri, animāq; reā, licet homines opinētur, me minime potentem ossa sua resuscitare, ego suos digitos erigam atq; reōponam. Sed homo falsa proferre laborans, alius aduentum sæculi perscrutatur: quando suis obscuratis luminibus, & luna eclipsim patiente, soliq; coniuncta, diffugium studiose quæret. ¶ Locum autem nulli diffugio peruium

*Deus iurat se resuscitaturū omnes.*

*Excusatio nulla superest.*

peruium reperturi, ante Deum stabunt, dicturum cuiq; quid prius posteriusue peregerit, omni super semetipsum testimonium ferente. Excusare nāq; se uolenti, Deus inquiet: Lingua tua nullatenus loquatur, quoniam hoc nostrum est, qui cuncta congregauimus: Alchoran uobis missum quare non credidistis? Nostrum est hoc explanare. Vos mundum istum tantum dilexistis, negligentes alium. Illa quidem die faciés quædam erunt pulcherrimæ, uidelicet aspicientium Deum: aliorum uero turpissimæ, qui nos malum illud illaturos minime cogitabant, antequam faucibus in hærebant animæ. Tunc autem carminatorem & medicum quærentes, nec hoc mortem esse penitus opinantes, alterum crus adiungunt alteri, tuncq; Deus eos resuscitabit. Eleemosynas, & decimas, ac orationes facere respuentes, contradicendo dissgressi sunt. Melius autem, melius illi esset credidisse. An cogitauit homo, nos eum ita dimissuros: quem cum prius esset sperma, deinde coagulum sanguineum, Deus integre formauit, parilesq; fecit, marem uidelicet atq; fœminam? Nunquid igitur mortuos uiuificare nequibit?

*Qui condidit hominem, eundem reparabit.*

AZOARA LXXXVI.

IN n. &c. Post tempus, quo nequaquam homo nominabatur, nos hominem de liquore produximus, dantes illi uisum & auditum, uiamq; docuimus, quod quidam rectam, quidam prauam exequentur: gratiasq; quidam reddunt, quidam uero minime. Incredulis quidem cathenas, & ferrum & focum præparauimus. Ex uase uero camphora condito, & ex aperto fonte homines Dei potabunt, quibus inerat uerborum fides atq; constantia, timorq; diei longissimi mali, & distributio ciborum pro dilectione diuina pauperibus, & orphanis, & mendicis, quiq; confessi sunt, se non dedisse uictum illis nisi pro Dei facie, nullam inde remunerationem seu gratiam expectantes, quoniam Deum amaramq; diem timuerunt. ¶ Deus igitur illos ab illius malo diei liberat, dans honorem, & ornatum, atq; mercedem maximam, paradisum uidelicet, & lectisternia serica propter indu-

*Paradisi descriptio.*

ratione. Vbi nec solis feruorem seu frigus sentient: sed arborum obumbraculum, sibi suos fructus collectos inclinantium, illic habituris. Et ibidem cum uasis uitreis & argenteis optimæ compositionis, illis potus, uelut zinziber saporifer, ex fonte zelzebil administrabitur. Aderunt & iuuenes uelut margaritæ speciosi, omniumq; diuitiarum & bonorum copia. ¶ Vestes quidem sericas & deauratas illi iuuenes induent, torques argenteos in brachijs ferentes. Vinum quoq; benedictum illic Deo dante sufficiet. Huiusmodi quidem mercedem ob actus uestros gratos & commendabiles accipietis. Tu quidem, cui Alchoran istum misimus, diu num expecta iudicium, non peccatores & incredulos imitans, sed mane uespereq; diu Deum deprecans, & humiliter adorans. In loco diligentium mundum istum, dieiq; grauissimæ obliuiscentium, nostra uoluntate potente restituemus alios. Omnibus ad Deum progredi uolentibus, quod nemini tamen possibile est, nisi ipse sapiens & immensus uoluerit, hæc sunt commemoranda. ¶ Qui uult ueniam & misericordiam, misericordiam præbet, malis malum grauissimum illaturus.

*Alcoran.*

*Nemo ad Deum uenit, nisi ipse uoluerit.*

*Deus iurat etiam per dæmones.*

AZOARA LXXXVII.

IN n. &c. Per angelos legationis efficaces, uentosq; siccos & imbriferos, dæmonesq; licitorum & illicitorum discreturos, ac prophetis diuina mãdata correctoria uel instructoria concitò ferentes, omne nostrum mandatũ ueraciter

*En sanctam istam doctrinam.*

Omnium maiorem iurat: Hebr. c.

ueraciter accidet. Tum obſcurabuntur ſtellæ, cœlum findetur, ac montes in puluerem redigentur, die ſcilicet, qua placitum diſcuſſurum ſingula, uobis à prophetis indicitur: quæ contradicentibus grauis erit, & amara. Vos quidem, primis noſtra manu confuſis, eorum ſucceſſores perſecuti fuimus, & cæteros adhuc incredulos ſimiliter perſequemur, quibus iudicij dies erit difficilima. Nos homines ex humore fragili creauimus. ¶ Hos quoq; nos ad ſcitam horam loco ſcito conſtituimus, illius facti potentes. Eiſdem quoq; mortem & uitam in terra mõtibus excelſis diſpoſita, aquiſq; dulcibus potui fœcunda præbuimus. Contradicentibus autem, dies illa fi-
10 et grauiſſima. Quibus tunc dicetur rem à uobis ſæpius contradictam, & umbram tripertito diuiſam inite. ¶ Vmbra quidem non minor erit igne, ſcintillas uelut turres camelosq; ſufflauos efflãte. Illa die nec aliquod fiet proloquium, nec excuſatio recipietur. Illa namq; dies contradicentibus amariſſima, dies eſt diſcuſſionis, qua uos anteceſſoresq; ueſtri per me congregandi, coram, ſi me decipere poteritis, decipiatis. Vobis autem contradicentibus, dies erit difficilima. Timentes autem in umbraculis ex fontibus, & fructibus, cæterisq; cibis pro uelle ſuo ſpacioſe propter actus ſuos commedent atq; bibent. Talem namq; mercedem bonis exhibebimus, die contradicentibus grauiſſima hoc uerbum audituris: Comedite, & pauli-
20 ſper expectantes quieſcite, ob ueſtram maliciam atq; uerſutiam habitam. Hæc enim eſt dies malis amara, qui ſe humiliare rogati non parebant: Sed quod uerbum poſtea credent, illa dies erit difficilima reprobis.

*Inferorum umbra tripertita.*

## AZOARA LXXXVIII.

IN n. &c. Et quid rem illam immenſam, unde ſumma uobis inoritur diſſenſio, tam ſedulè quærunt? Sciant autem illam, me monſtraturum, qui terram planam montibus quaſi cardinibus firmaui, uos creans pariles, ueſtræq; quieti ſomnóque noctem, lucro motuique diem diſponens, ſeptemq;
30 res firmas ſuperne fabricaui: Ibi lampadem ſplendidiſſimã inſerens, aquas item ex nubibus ad eductum granorum, hortorũmque crebrorum, & cæterorum naſcentium demiſi. Dies enim omnium diſcretiuus, erit illius placiti terminus, qua buccinæ ſonitu gentes omnes accedent, cœlum in portas plurimas aperietur, montes ut æſtiua nebula tranſcurrent. ¶ O uos mali, ueſtrum aduentum infernus ſitiet, expectando, qui ueraciter illuc uenturi, ibíque perpetuò manſuri, nec refrigerium quid, nec uinum, ſed ignem tantum atque malum ob ueſtram prauitatem, & huius diei deſperationem, noſtrorũmque præceptorum contradictionem, quæ ſingula nos in libro notauimus, guſtabitis, nihil à me niſi augmentum malorum ſuſceptu-
40 ri. Timentes uero, ſufficienter illic poſſidebunt hortos palmarum, & uitium, puellasq; conſocias, & conſimiles, papillis breuiſſimis, uaſaq; plena, nullum uerbum inhoneſtum ſeu mendax audituri. Hoc eſt donum, optimaq; remuneratio Dei. Contra quem cœlorum & terræ omniumq; interiacentium dominatorem, nullus uerbum proferre poterit, niſi iuſſus ab illo uerum proferre die ueritatis, qua reſurgent animæ, & angeli ſimiliter ordinatim. Quam omnis qui uoluerit, credat, & Deum adoret. Illius quidem diei malum à fine fore prædicauimus, qua quiſq; quod præmiſerit, reſpiciet: & incredulus optabit, * ut tellus efficiatur.

*De die iudicij*

*Septem res in mundo ſuperiore.*

*Paradiſus uoluptuarijs grata.*

* *Prouerbialis locutio, ſumpta ex ſcripturis, qua ſumma indicatur angustia, dum dicitur montibus, Cadite ſuper nos. Oſe. 10. Luce 23, Apoc. 16.*

IN n. &c̄. Animas malorum, ui coactasq́, bonorum autem leniter & ſponte extrahunt angeli, præceptaq́ diuina citius omnibus aliis deſcendendo prophetis afferunt. Die uero bimembris ſonitu buccinæ, corda fient contemptu plena, oculiq́ tenebris eorum, uidelicet qui ſe uelut prius ad foueas redire plurimum optabunt. Nonne uides, qualiter Pharaonem confeſſum ſe Deum eſſe maximum, indeq́ ſemper contradicentem Moyſi, quem Deus affatus in loco benedicto iuſſit eum adire Pharaonē, ut ipſum poſſe ſuo uirtutes gerendo conuerteret, uiamq́ rectam patefaceret, Deus in hoc mundo peſſundedit ſuum ob ſtultiloquium, ſæculoq́ futuro fortius ſupplicium inferens. Hæc quidem diuina uindicta timentibus Deum eſt memoranda. An eſtis uos illo potentiores, qui cœlos creans & ornans, ſurſum extulit, & terram extendens ipſam uobis animabusq́ cæteris ſtabilem montibus uelut anchoris firmauit, & aquas ac herbas in ea produxit, noctemq́ tenebroſam, diemq́ ſplendidam fecit. Die quidem grauiſſima contingente, quiſq́ ſuorum recordabitur operum, & ignis ingrediendus ab omnibus contradictoribus, huiuſq́ mundi dilectoribus, propalabitur uiſuris. Timens autem ſtationem coram diuina præſentia, animamq́ ſuam reprimens ab huius mundi uoluptatibus & amoribus, paradiſum poſſidebit. ¶ Quærentibus aduentum illius horæ, reſponde, Illum ſoli Deo patere, teq́ nullos niſi timentes illam caſtigare: Qua uiſa, optabunt ſe non duxiſſe uitam huius mundi, niſi per unius horæ diei ſeu noctis ſpacium.

*Pharao memorabile exemplum.*

AZOARA XC.

IN n. &c̄. Ad te cæco ueniente, diſcedens iratus es. Ille tamen forſan ad bonum conuerteretur, uel ſaltim quod ſibi cōmodum eſſet, reminiſceretur. Pecunioſis autem atq́ diuitibus te uinciri atq́ fauere quæris, ut ſic tibi munera faciant. Sed cur inde tractas, ſeu curas? A timente quidem mendicatum, & à te quippiam quæſitum ueniente, diuerteris. Hæc quidem ſcire uolentibus ſumme commemoranda ſunt, libriſq́ benedictis ſunt adnotata ſcriptorum manibus. Homo quidem ob incredulitatem ſuam periit, quem de ſpermate plaſmatum Deus integre formauit, eiq́ deinceps uias ſuas patefecit, tandem eum ad mortem atq́ foueam duxit, omnes deinde uoluntate ſua potente reſuſcitaturus. Cur igitur mea præcepta non exequitur? Recordetur ſaltim homo, ſuum uictum atq́ ſubſtantiam cōſiderans. Nos enim aquam ad fructuum ortum miſimus. Nos terram aperuimus, & in ea meſſes ac uuas, & bletes ac oliuas, & herbas uobis beſtiisq́ ueſtris, & poma, palmasq́ præbuimus. Illa quoque die contingente homo derelinquit fratrem ſuum, & utrumque parentem, & mulieres, atque filios. Omni namque tunc ſuum proprium peragere negotium ſatis erit, atque magnum. Quorundam autem facies illa die ſpecioſæ fient, & hilares, atque ridentes: Aliorum autem, uidelicet incredulorum, malum ſuum uidentium, pallentes erunt & cinericiæ.

*Reprehenditur à Deo, quod neglexerit quædam, opulentium gratiam. captās interim.*

AZOARA XCI.

IN n. &c̄. Die qua ſol obſcurabitur, ſtellæque cadent, montesque fient puluis, locáque uillarum herema, beſtiarumque ſylueſtrium inter ſe ſimiliterque inter ſe uiciſſim conuentus aderit, & ad corpora rediburit animæ, & fœmina de ſuæ cædis occaſione quæſita fuerit, libríque ſemetipſos ad perſpiciendum inſcriptum ſibi reuoluent, cœlúmque

plicam

plícam ín unam colligetur, focusq́ fortíter accensus, & paradísus ornata fuerít: Tunc ínquam omnis anima suos actus omnes agnoscet. Per stellas combustas,& retrogradas,atq́ directas,ac noctem obscuratam,& auroram, hoc uerbum est boní prophetę,ipsum absque augmento dímínutionéue ferentis, quí coram Deo potens est, ípsí deuote seruiens, suum præceptum nunquam transgrediens. Nullatenus autem est dæmoníací, seu díaboli. Quò tendítis? hoc non est nísi commemoratio,tritæq́ uíæ doctrína, omnibus quí rectificarí studuerunt. Quod tamen nemíni contingit, nísi Deo mundí domíno uolente. *Iuramentum de certitudine doctrinæ & sanctitate Machumetis.*

AZOARA XCII.

10 IN n.&c. Dum cœlum semetípsum aperiet, foueaq́ símíliter,& stellarũ casus,& æquorum concursus accidet,quíd præmíserint, quídue relíquerint,omnes agnoscent animæ.Cur ígitur ín Deum largum,munificum,homo non credis? Ipse quídem te pro uelle suo formauit.Cur díei futuræ contradícis? Tíbí quídem præsunt ugíles custodes, díserti scríptores, omnes tuos actus scientes atq́ notantes. Timentes atq́ boní bonum atq́ gaudium assequentur: Contradícentes & íncreduli,focum ínterminabílem,nunquã íllos dímíssurum. Sciendum quídem,ílla díe neminem alíjs ímperare: Sed díuína manus omnia tenebít. *Regnum Dei.*

AZOARA XCIII.

20 IN n.&c. Quí modum examínando non seruant,uídelícet ínfra sístentes, cum cæterís reddunt, ultra uero cum accípíunt, lícet se mínímè uenturos ante Deum ín díe publícæ resurrectionís arbítrentur, grauí supplício punientur. Huíusmodí quídem malorum, cæterorumq́ díeí futuræ nostrísq́ præceptís contradícentium,malorum autem tantum: quí lectionem nostrorum præceptorum audíentes, ílla prìorum esse mírabílía confírmãt. Quíppe Deus sua corda sígíllís ob suos actus ímpressít, dísscessurus ab íllís díe íudícíj ad ígnem tendentíbus,cum angelí dícent:En à uobís sæpíus contradíctum. Horum ín quam líber suís malís ínsígnítus,ín terrarum ínfima 30 recondítur. Líber autem bonorum formosíssíme scríptus,altíssímo loco ponetur, legendus homínibus Deo propínquís: quí puluínarìbus, stramentísq́ sericís paradíso quíescent, potaturí uínum sapídum, & uelut muscus odoríferum:suísq́ facíebus omnís ínerit decor atq́ pulchrítudo. Erit quídem íllí uíno commíxtum de thosuíz fonte,uídelícet à Dei propínquís potando.Credentes quídem talía,hoc maxímè pro íllís laborare deberent.Illa quídem díe credentes hoc derísí, sæpíus derídebunt íncredulos, quí cum fructíbus ad suas mulíeres transeundo,íllos erroneos,curaq́ carentes sæpíus adpellare consueti sunt. ¶ Tunc autem ílli boní suís cubantes culcítrís,an suorum factorum meritum susceptúrí sínt,aspícient. *Libri iustorũ & iniustorũ.* *Fons,unde miscetur potus beatorum.* *Cap. 80. uide.*

AZOARA XCIIII.

40 INn. &c. Quando c œlũ díuídetur,tellusq́ pessundata occulta sua quoq́ reuelabit,propter Dei prę ceptum atq́ iusticiam,homo tunc ad Deũ íturus,opus tuũ omne reperíes.Cuíuscũq́ dextræ sua charta tradetur.Ille quídem leuem habíturus cõputum,ad suos redíbít hílarís.Cuícũq́ uero charta post tergum cõmíttetur,clamabit:Heu heu quàm grauís,quamq́ difficílís hora.In ígnem enim proíjcietur,ob gaudíum hic ínter suos habítum,& quoníam mínime sperabat se redíturum ad Deum, uel uísurum eum unquam. Per occasus ruborem,noctemq́ tenebrosam, lunamq́ deficientem, ex hinc *Supra dixit, chartam esse dandam malã in sinistras manus.*

mandata post mandata uidebitis. Quare non credunt? ¶ Cum legitur illis Alchoran, quare non humiliant se? Contradicunt autem, manentes increduli. Deus quidem scit suorum secreta cordium. Tu constanter & euidenter nũcia malum illis omnibus uenturum, exceptis bonis, qui plenum gaudium & honorem integrum absq; contumelijs & opprobrijs sortientur.

AZOARA XCV.

IN n. &c̃. Per cœlum signiferum, placitiq; diem, & testantes ac testificatos ex alhudud, accenso foco percussis, & habitaculorum suorum super se casu dirutis non ob aliud uindicta sumpta est, nisi quia minime crediderunt in Deum sublimem & immensum totius mundi dominum, & testem omniũ. Male namq; loquentes de Deo, credentibusq; uiris seu fœminis, nisi resipuerint, malum ignis atq; gehennæ patientur. ¶ Credentes atq; benefici paradisum aquarum fluxu iocundam, quod magnum, possidebunt. Omne quidem Dei præceptum firmum est & immutabile. Ipse namq; rerum principium atq; finis, & pius, ueniæq; largitor, in throno sedens, omnia pro uelle suo perficit. Nunquam ignoratum est tibi, qualiter Deus persecutor exercitus Pharaonis atq; Themuth, incredulos & contradictores obsedit. ¶ Hic alchoran bonus atq; disertus, in tabula castigatissima continetur.

*Dei præceptũ est immutabile.*

*Pharao. Themuth.*

AZOARA XCVI.

IN n. &c̃. Per cœlum, stellamq; currentem lucidam, omnis anima suum opus scriptum inueniet. Homo sui considerando materiam, uidelicet humorem ex dorso uenisq; fluẽtem, sciat Deum illum reducere posse die, qua cordis hominis secretum omne propalabitur, cœlumq; uerso modo mutabitur, & terra confundetur. Hoc quidem uerbum est ueracissimum, non ludicrum. Sed increduli artium atq; dolorum executores, me quoque callidissimum sentient. Paulisper itaq; paulisper illos incredulos dimitte.

*Ex formatione hominis docetur mortuorũ reparatio.*

AZOARA XCVII.

IN n. &c̃. Nomen Dei sublimis iugiter inuoca, qui res æquilibriter condidit, disposuit, præcepit, & docuit, herbas educit, & demum exsiccat. Vaca lectioni: Nequaquam obliuioni committas, præter quod Deus noluerit: qui sciens occultum & manifestum, te rectam in uiam diriget. Memor igitur esto, sicut & omnis timens Deum, non autem incredulus & malus, igne magno comburendus, ubi nec morte, nec uita potietur. Hoc enim commodum est tibi. Bonum opus perpetrat, qui credit in Deum, & ipsum orationes iugiter fundendo inuocat. Vos autem hanc uitam plus alia diligitis. Sed quamobrem, cum illa melior sit, & ęterna? Hoc quidem foliis priorum, Abrahæ uidelicet & Moysis, inscriptum est.

*Orandum est iugiter.*

*Legendum sedulo.*

*Iterum Abrahæ scripta citat.*

AZOARA XCVIII.

IN n. &c̃. An ignoras homines oculis coopertis, & faciebus inclinatis ad sua negotia semper superstitiose laborãtes? Ignem quidem feruentissimum inibunt, fontes ibi fluentes potaturi, & sambuca tantum ibi cibandi, nec eos saturare, nec famem expellere sufficiente. Aliorum autem illa die facies fient formosissimæ, qui propter actus suos, laboresq; bonos, paradisum excelsam conscendent: Vbi nullum uerbum inhonestum audituri, fontem prosilientem, lectosq; sublimes cum stramentis sericis puluinaribusq; congestis, & scyphos appositos habebunt. Nonne uident, qualiter Deus nubes conuocauit, cœlos extulit, montes disposuit, & terram extendit? ¶ Illos castiga,

*Paradisi fœlicitas.*

castiga simul,atq; doce. Tu namq; doctor es,non coactor. Omnis quidem disgrediens,& incredulus permanens à Deo, ante quem omnes uenient ibi iudicium habituri,graue malum accipiet.

*Doctor,non coactor Machumet Sed cõtrarium sæpissime in Alcoran docet.*

AZOARA XCIX.

IN n. &c̃. Per auroram, noctesq; X. & per pascha, biduúmque præcedens, noctisq; transitum, & hoc apud sapientes iusiurandum esse constat. Deus Hat filio *Herantis ædificij structori, quale non alia terra uidit,& Themuth lapidum erinolatori,& Pharaoni Alantheth:his omnibus uidelicet in terra maleficis & destructoribus,malũ grauissimum intulit omnium inspector. ¶ Deo cuiquam bonum pecuniamq; præbente, dicit ille,meis ex meritis Deus me diligit-uictũ autem tenuem modicámue substantiam á Deo suscipiens inquit: O Deus,cur mihi dedecus efficis? Me quidem iam minime diligis. Quare non impenditis orphanis atq; pauperibus curam bonam,& beneficia? Magis quidem diligitis alienas hæreditates conam,& peuniam coaceruare. In ipsius autem Dei & angelo rum aduentu seriatim dispositio, cum infernum palám facient, quãdo tellus minutissime scindetur,quid agetis? Illa quidẽ hora si sibi proficeret,esset ne possibile,memor efficeretur homo cũ diceret:O qui sibi præmisit beneficium,opusq; bonum. Illa die nulli nisi malo nociua,ipsi soli suum uotum abnegabit. Animæ uero bonæ dicetur: ¶ Ad Deum te uerte,suisq; te commisce, & paradisum ingredere.

**al. Heran, talis ædificij. Locus est mutilus & corruptus. uelut pro Herantis, duæ personæ distinctæ in Arabico ponuntur Irem, & Dhethi. Erinolatori positum uidetur pro statuario, ut Græci dicunt hermoglypum. &c.*

*Iuramentum per tempora religiosa. Exempla uindicatæ incredulitatis.*

*Hominũ peruersitas, qui bona suo merito adscribũt malis se indignos putant. In auaros.*

AZOARA C.

IN n. &c̃. Per terram inhabitatam à te, filiumq; patri similem non iuro: Quoniam hominem fortem atque potentem fecimus. Ille superbiens nil sibi prævalere extimat, suæq; substantiæ sumptum maximum conquærens, hoc esse nulli notum arbitratur. Oculos autem & os atque linguam ego illi tribui. ¶ Viam quoque bipertitam,rectam uidelicet atque fallentem,illi patefeci. Cur igitur hominem non redimit:uel orphanum,atq; mendicum,humiq; prostratum urgente fame non cibat? Credentes quidẽ, & patientes, atque benefici insidebunt parti dextræ, incredulí uero parti sinistræ,quos ignis feruentissimus prorsus operiet.

*Mirabile dictu,quod Deus abhorret iurare per terram & filium coæqualem, qui suprà iurauit per dæmones. Hortatur ad beneficentiam.*

AZOARA CI.

IN n.&c̃. Solem apparere diluculo,lunamq; succedere,diemq; clarificare singula,& noctem operire illam, Deus ipse præcepit:qui struendo cœlum erexit, & in imo terram extendit, habitúque bono ditauit, animam ipsam malum & bonum edocens.Bonum autem exequens semper antecedit. Alius autem gressus retrorsum efficitur.Homines Themuth contradicentes suo prophetæ,illos docenti displicita, & de cibo potúque camelæ nullatenus interficiendæ castiganti, cum ipsam peremissent, terræ motus superueniens illos funditus coæquauit. Deus autem talium perpetrator,eos nequaquam timuit.

*Exemplar alterum transpo fuerat hæc duo capita, hoc nempe & præcedens: Themuth.*

AZOARA CII.

IN n.&c̃.Sicut noctis aduentus diem tegit,dies aũt res manifestat,& masculus atq; fœmina differunt,sic & actus hominum minime coæquãtur. Timentem etenim,suaq; pecuniæ in Dei nomine distributorẽ, Deiq; præ-

*Diuersissimus beue aut male agentium exitus.*

ceptorum confirmatorem, & iugiter orantem, in uias rectas dirigemus. Huic autem contrarium, in ignem feruentissimũ proijciemus. Quid igitur sibi, malum passuro, sua proderit pecunia? Nos autẽ utriq; sæculo dominamur. Meum est, uobis rectas uias aperire, & ob ignem illum castigare, quem contradicentes & disgredientes inibunt: timens autem, & eleemosynarius, nunquam. Ob hoc quidem nullum peto præmium, nisi dilectionem diuinã.

AZOARA CIII.

*Conditio Machumetis, & natales.*

IN n. &c̃. Per diluculum atq; crepusculum, Deus te nequaquam dimittet, qui te repertum, & orphanum, & incredulum, uiam rectam edocuit, & pauperem inuentum ditauit. Huic autem sæculo futurum longe præcellit. ¶ Orphano nullatenus uim inferas, nec pauperem repellas: Sed de bonis tibi commissis à Deo, benigne partire.

AZOARA CIIII.

*Vires animi & corporis Machumetis, itemq; nomẽ.*

IN n. &c̃. Nos à te reatum auferentes, cor amplum, capaxq; subtilium, tergumq; graue fecimus. Nomen item tuum maxime sublimauimus, tamq; difficultatem facultas, & è contra commutabit. A cæteris uacans negotijs, inuocando Deum te iugiter exerce.

AZOARA CV.

IN n. &c̃. Per ficos, & oliuas, montemq; Sinai, istamq; tellurem impauidã, hominem habitus optimiq; modi creauimus, & deinceps infra cũcta redigimus ipsum. Omnes autem credentes atq; benefici, optima mercede donabuntur. Vt quid aduentui diei futuræ contradicunt aliqui? Nonne Deus rectius & æquilibrius, quàm omnes gentes, illa die iudicabit.

AZOARA CVI.

*Lectioni uacandum, eaq; in Dei nomine auspicanda. Deus hominẽ docuit literas*

IN n. &c̃. Lectioui uaca, exordium gerendo Dei nomine. Quoniam ipse maximus omniũ, hominẽ à se creatum ex coagulo sanguineo, nescita prius, officiũq; pennæ docuit. Ipse uero diues effectus, præsumptuosus atq; superbus effectus est, ad Deũ tamẽ rediturus. ¶ Si recta uia proficiscẽs, Deũq; timens cõsentiendo prohibenti se beneficiũ orationesq; facere nostris præceptis contradiceret, nunquid Deũ hoc agniturum nõ perpenderet? Ipsum quidẽ si se diuerteret, collo capillisq; uerticalibus ob suũ peccatũ atq; mendacium retrahi iuberemus ab aduocatis, ipsum ad ignem ducturis. Illũ igitur non exaudiat, sed Deũ adoret, & ad ipsum pro posse suo semper accedet.

AZOARA CVII.

*Qua nocte legationes suas dimittat Deus, & Alcorã tradiderit.*

IN n. &c̃. Hoc in nocte alchidera, uidelicet fœliciss̃ima, mille mensibus meliore, super te posuimus. Illa namq; nocte fit angelorum Dei mandata ferentium atq; salutem discessus, non prius aurora terminans.

AZOARA CVIII.

*Ante Machumetem neq; Iudæi neq; Christiani quicquã sciuerũt. Eius tamen aduentu dissensio est orta.*

IN n. &c̃. Inter librorũ homines, statuẽtesq; Deo participes, ante Dei nunciũ aduenientẽ, legentẽq; illis libros benedictos, quibus diuina præcepta sunt inscripta, & prædicantẽ illis, ut unũ Deũ adorarẽt, & orãdo corde puro iugiter inuocarẽt, & necessaria petẽtibus impertirẽt, quæ scilicet lex recta admonet, dissensio, cũ prius nihil scissent, atq; cõtrarietas incidit. Omnibus autẽ deteriores sunt homines legibus subditi, cũ increduli maneant Deoq; participes adiungãt. Vnde perpetuum ignem gehennæ perenniter patientur. Velut credentes, & timentes, atq; benefici omnium optimi mercedem maximam, uidelicet paradisum fontibus irriguam, apud Deum sortientur.

AZOARA

AZOARA CIX.

IN n.&c̄. Die qua mouenda est tellus, omnes suas res ponderosas eijcient, omnisq́ dicet anima factum suum omne. Deo iubente, uenient homines ordinatim, auditum Deum omnibus omnia facta sua monstraturum: Vbi beatitudinem præstat, quantum est formica breuis, beneficium, & tantundem maleficium infœlicitate.

*Die iudicij omnia fient manifesta.*

*Vel minimum beneficium cōfert beatitudinem, & contrà.*

AZOARA CX.

IN n. &c̄. Quando strepitum anhelo pectore emiserint equi, & ex suorum pedum ictibus ignis è lapidibus excussus, & è terra puluis eleuatus mane præda facta contingit, homo bonorum atq́ diuitiarum studiosus, Deo nequaquam inde gratiā seu gloriam persoluit. Nonne cogitauit, quod Deus homines è foueis suscitaturus, illis suscitatis omnia facta sua reuelabit.

AZOARA CXI.

IN n. &c̄. Die mandati grauis exibunt homines uelut culices, nunc hac nunc illac promouentes, fientq́ montes ut lana decerpta. Et cuicunq́ pondus immensum præponderabit, uitam uiuet optimam: cui uero leue contigerit, in ignis feruidi præcipitium corruet.

*Diei nouissimæ forma.*

*Statheræ iudiciariæ iterum meminit.*

AZOARA CXII.

IN n. &c̄. Quando nostri rerumq́ nostrarum nostra benignitate multus excreuit numerus, ad foueas usq́ negligentes accessistis. Quod uobis euidenter improperabitur, quando re ipsa, feruoreq́ foci uestris oculis perspecto, à nobis omnes actus uestri perquirentur.

AZOARA CXIII.

IN n. &c̄. Per huius horam, & historiam, homo damnum atque perditionem insequitur, nisi tantum credens, atque beneficus, & ueritatis monitor, ac indurator.

AZOARA CXIIII.

IN n. &c̄. Rerum uilificator, & obtrectator, atq́ pecuniæ coaceruator auarus, quam sibi durabilem, & semetipsum immortalem arbitratur, igne feruente, uidelicet interminabili hominumq́ corda comburente, & desuper corda imprimente damnabitur.

*Qui damnandi, præcipue fraudatores & detrectatores auari.*

AZOARA CXV.

IN n. &c̄. Nunquid te latet, qualiter Deus artes hominum elephantis errore coegit, immittens illis uolucrum multimodarum cohortes quàm plurimas, quæ per nigrorum lapidum iniectum, illos uelut tritici corticem euacuabant.

AZOARA CXVI.

IN n. &c̄. Homines Corasch in æstiuo hyemaliq́ motu suo, semperq́ securitatem nunc adepti, dominum huius domus, qui illos ex pauidis tutos atq́ securos, ex indigentibus copiosos atq́ saturos reddidit, corde puro suppliciter inuocent.

AZOARA CXVII.

IN n. &c̄. Legi contra dicentes, & orphanos sua priuantes substantia, ac orationum obliti, nulliq́ de sua substantia benefacientes, nisi propter ostentationom superstitionemq́, uelut mali perdentur penitus.

*Non omnia hic ponuntur quæ sunt in Arabico.*

AZOARA CXVIII.

IN n. &c̄. Tibi iam fontem in paradiso præparauimus. Orationem igitur

coram Deo funde, ipſíq; ſuppliciter immola. Tuus enim hoſtis adiutoribus proleq; carebit.

AZOARA CXIX.

*Bonum diuortium, Habe tibi tua. Nos per gratiam Dei retinebimus, quæ donauit p Christum filiũ ſuũ.*

IN n. &c̃. Homines incredulos taliter alloquere: Ego quidem legem ueſtram atque ſectam minimè ſequor, nec uos meam. Igitur mihi mea maneant, uobiſq; ueſtra.

AZOARA CXX.

*Vi coactis ad ſectam inde parcendum.*

IN n. &c̃. Cum diuina uindicta liberationeq; ſuperueniente, multas gentes Dei legem aſſumere uideris, illis ueniam atq; miſericordiam à Deo poſtula. Quoniam ipſe pius eſt, ueniæq; largitor.

AZOARA CXXI.

*Grauis ſententia prophetæ de æmulo.*

IN n. &c̃. Nihil unquam ſua pecunia ſiue lucrum profuit Auileah, quando ſua manus perdita ſit, ignemq; tandem feruentem inibit, quo ſua mulier collum fune cathenisue ligata, lignum afferet.

AZOARA CXXII.

*Non deſinut negare filium Dei.*

IN n. &c̃. Conſtanter dic illis, Deum unum eſſe, neceſſarium omnibus, & incorporeum: Qui nec genuit, nec eſt generatus, nec habet quenquam ſibi ſimilem.

AZOARA CXXIII.

*Quid orandũ præcipue.*

IN n. &c̃. In nomine Dei, domini circuli uiſibilis, te ſanctifica, poſtulans ipſum, ut ab opere peſſimo, maliſq; tenebris noctis, magorum & inuidorum & faſcinantium nocumentis te protegat.

AZOARA CXXIIII.

*Vt à precatione orſus eſt ita in fine præcipit orandã opem diuinã aduerſus diabolum, & prauos homines.*

IN nomine d. piĳ, & miſ. Te ſanctificando, omnium gentium dominum, omnium regem, omnium Deum, iugiter atq; ſuppliciter exora, ut à diabolo humana corda penetrante, hominibusq; diabolicis atque peruerſis te defendat, & liberet.

*Subijciuntur in Arabica ſcriptura uerſus aliquot uice coronidis. Qua de cauſa Latinus interpres omiſerit, non poſſum ſatis intelligere.*

**Alhigere eſt regnum Saracenicum, ut in uitis ſucceſſorum Machumeti.*

ILLVSTRI GLORIOSOQVAE VIRO PETRO CLVNIAcenſi Abbate præcipiente, ſuus Anglígena Robertus Retenenſis librũ iſtũ trãſtulit. Anno domini MCXLIII. anno Alexandri MCCCCIII. anno *Alhigere DXXXVII. anno Perſarũ quingenteſimo undecimo.

EXPLICIT LIBER LEGIS DIABOLICAE SARACEnorum, qui Arabice dicitur Alchoran, id eſt, collectio *Capitulorum, ſiue præceptorum.*

PER MANVS CLEMENTIS POLONI DE VISlicia, *Anno Domini milleſimo* CCCCXXXVII. *menſis Ianuarij ultima, in Conſtantinopoli. Et ad inſtantiam magni Ioannis de Raguſio ordinis prædicatorum, tunc in Conſtantinopoli degentis.*

INCIPIT

# INCIPIT DOCTRINA MACHVMET, QVAE APVD SARACENOS MAGNAE AVthoritatis est: ab eodem Hermanno translata, cum esset peritissimus utriusq; linguæ, Latinæ scilicet atq; Arabicæ.

*Hic libellus à Machumete scriptus non est, sed ab alio eiusdem spiritus propheta: qui forma dialogi comprehendere summatim uoluit præcipua dogmata Machumetis. Estq; à sectatoribus receptus inter authenticos libros. Quem pius lector cognoscet, non tantum ut Milesias & Apuleianus fabulas: sed etiam ut exemplum doctrinæ, in quam iusto Dei iudicio prolabuntur, qui Christi Seruatoris doctrinam salutiferam non habent in precio, & libentius attendunt fabulis à ueritate animos abducentibus.*

ERat nuncius Dei, oratio Dei super eum & salus, sedens inter sócios in ciuitate sua Iesrab, & descendit super eum angelus Gabriel dicens: Salutet te Deus ô Machumeth. Respondens ait: Ipse est dominus salutis. Ab eo namq; procedit, & ad eum reuertitur. Et ille: Veniunt, inquit, ad probandum te quatuor uiri prudentissimi. Ipsi principes Iudæorum, & magistri in Israël. Maximus eorum Abdia iben Salon. Præterea dictus Abdalla iben seleh. Cui Machumet: Ad salutem ueniunt amice, an in opprobrium? Ad salutem, inquit. Tunc nuncius Dei patruelem suum Haali, filium Abitalib, in occursum eorum egredi iubet, descriptis ex nomine singulorum personis & habitu. Qui cum occurreret, salutat dicens: Salue Abdia iben Salon, & cæteri per ordinem, singulos suis nominibus appellans. Qui admirantes rogant, quis ei singulos ita discrete indicarit, aut unde præscierit uenturos. Respondit, se missum à patruele suo Machumet, cum huiusmodi indicijs. Sequuntur uirum conferentes inter se de ijs quæ audierant, non sine admiratione. Cum ergo peruenissent ad prophetam, procedens Abdia iben Salon, ait: Salus super te Machumet. Et ille: Salus, inquit, super eum qui salutem sequitur, & potentiam Dei timet. Cui Abdia: Ego, inquit, Abdia iben Salon, & hi socij mei periti legis nostræ, uenimus legati à populo Iudæorum, exquirendi causa à te loca per legem nostrã minus perspicua nobis. Videris enim, prout audiuimus, qui laborem hunc si placuerit, facile absoluere possis. Et ille: Ad temptandum, inquit, an ad inquirendum? Ad inquirendum, ait. Licet igitur, inquit, quantum libuerit, quæras. Tunc ille ex centum quæstionibus principalibus, quas per omnem legem suam exquisite excerptas, scriptas attulerat, primã proponens ait: Dic ergo, si placet, in primis ô Machumet, propheta es, an nuncius? Respondit, Et prophetã & nuncium cõstituit me Deus. Sic enim ait in Alchorã: Partẽ misi super te, partem nõ misi. Et sermo Dei alter: Nec est possibile homini colloqui Deo, nisi per internuncium. Ait, Verum dicis. Dic ergo, legem tuã prædicas, an legem Dei? Respondit, legem Dei. Et ille: quid est lex Dei? Respõdit, Fides. Quæ fides? Ait, Nõ dij, sed Deus ipse unus, sine participe. Ego Machumet seruus & nuncius eius, prædicans finẽ, quo sine dubio mortui resurgent. Ait, Verum est quod dicis. Dic itaq; si placet,

*Abdia Hebr: & Abdalla Saracenis Dei seruum sonat. Aliqui uocant Audiam.*

*Iudæi referũt ad Machumetum quæstiones obscuras suæ legis.*

*Mach. nũcius & propheta.*

*Mach. nõ suã, sed Dei legem prædicat.*

*Vna lex seu fides Dei: sed diuersorum ritus diuersi.*

placet, quot sunt leges Dei? Respondit, una. Quid ergo dices de prophetis, qui te præcesserunt? Respondit: Lex quidem, siue fides, omnium una, sed ritus diuersorum nimirum diuersi. Ait: Ita est, ut dicis. Sed dic deinde, Intrabimus paradisum pro fide, aut credulitate, aut pro opere? Respondit, Et tria hæc necessaria. Et contingit tamen, ut si quis ex Iudæis aut Christianis siue gentilibus ad fidem Saracenorum conuersus ante opus morte occupetur, sola fides sufficiat. Sicq; siue Iudæus, siue Christianus, siue etiam gentilis, omni pietatis operi satisfaciens, nec id amore Dei, & ipsum & opus eius ignis assumet. Ait, uerum est. Sed dic, si placet, misit Deus tibi scriptum? Respondit, sic. Quod? Dicit, alfurcan. Cur dictum alfurcan? Dixit, quia discretæ sunt sententiæ & figuræ eius: Nec enim simul descendit super me uerbum Dei, quemadmodum simul data est lex Moysi, psalmi Dauid, & euangelium Christo. Ait, uerum dicis. Dic ergo consequenter, quod habet principium alfurkan? Respõdit: initium libri, In nomine Dei misericordis & miseratoris. Quid post? Ait, abuget, & cætera. Quid est abuget? Respondit: a, deus. b, potentia dei. g, pulchritudo dei. d, lex dei. Præuenit enim Dei pietas iram. Ait ille: id quomodo? Respõdit: cum enim præ cæteris creatus Adam, primum consurgeret, stertuit auit. dixit, Deo gratias. Quod audientes angeli dicunt, Pietas Dei super te Adam. Et ille, amen. Quibus dominus, Præcepi orationem uestram. Ait, ita quidem est, ut dicis. Procede ergo, & enumera si placet, quæ sunt illa quatuor genera, quæ Deus propriis manibus operatus est? Respondit: Manibus quidem propriis ædificauit paradisum altiorem, plantauit arborem tubæ, plasmauit Adam, scripsit tabulas Moysi. Ait: Et hæc quidem ita, ut dicit: solum ut adiungas, quis tibi indicauerit. Respondit: Gabriel, ex domino uniuersitatis. Ait, Ita certe uerum est. tantummodo subiungas, in qua forma, uiri an fœminæ? Respondit, uiri sanè: erectus, nunquam dormiens, neq; comedens, neq; bibens, nisi laudem & gloriam Dei. Ait, & hoc quoque uerum. Nunc itaq; si placet, per ordinem exponas, quid est unum, deinde quæ duo, quæ tria, quæ quatuor, V. VI. VII. VIII. IX. X. & ita per ordinem, usq; ad centum. Respondens ait: Vnum quidem Deus, cui nec particeps, nec socius, nec filius, in eius manu uita & mors, ipse super omnia potens. Duo uero, Adam & Eua. unde par in paradiso, antequam ejicerentur. Tria uero, Michael, Gabriel, Saraphiel, archangeli secretarij deitatis. Quatuor, lex Moysi, psalmi Dauid, euangelium, & alfurkan. Quinq; sunt orationes Dei, quas mihi Deus & populo meo nulli præ cæteris sæculi prophetarum datas, neq; futuri cuiquam. Sex, dies illi quibus creaturam suam Deus consumauit. Septem, sunt cœli. Sic enim ait in Alchoran: Ordinauit septem cœlos. Octo sunt angeli, qui in die iudicij portabunt thronum Dei. Nouem miracula, miracula Moysi. Decem uero, dies ieiunij: quorum tres in itinere peregrinationis, septem in reditu. Vndecim stellæ, quas Ioseph in somnio se adorare uidit. Duodecim, menses anni. Tredecim uero, undecim uidelicet stellæ, cum sole & luna. Quatuordecim, candelæ pendentes circa thronum Dei, longitudine quingentorum annorum. Quindecim, quoniam Alchoran continuo quidem descendit à summo cœlo usq; ad infimum: inde paulatim lapsus est usq; ad quintum decimum diem ramadam. sic enim ait Alchoran: Mensis ramadam, in quo descendit Alchoran. Sedecim, sunt legiones angelorum Cherubin circa thronum Dei, laudãtes nomen domini sui. Decem & septem, nomina Dei inter

*Alfurcan qua re dicatur.*

*Non simul Alcoran traditus Machumet. quod in Alcorano tamen sæpe dicitur, & mox inferius huius libri author.*

*Quatuor Deus suis manibus fabrefecit.*

*Mysteria numerorum ab uno ad centũ.*

*Vnus Deus sine filio.*

*Quinque orationes Dei.*

*Dies ieiunij 10.*

*XIIII. candelæ pendentes circa thronũ Dei.*

imum

imum terræ & infernum: quæ si interposita non essent, erumpens æstus inferni totum mundum cõsumeret. Decem & octo, interstitia inter thronum Dei & aërem: quæ si interposita non essent, claritas Dei totum mundum excæcaret. Decem & nouem, sunt brachia zachæ infernalis fluuij, qui in die iudicij ualido sonitu clamabit, & respondebunt omnes damnati. Viginti, quia uicesimo die ramadam descenderunt psalmi super Dauid. XXI. Nam uicesimo primo die ramadam natus est Salomon, & montes laudauerunt Deum. Viginti duo, Nam uicesimo secundo die ramadam, ignouit Deus Dauid peccatum Uriæ. XXIII. nam uicesimo tertio die ramadam natus est Christus, filius Mariæ, orationes Dei super eum. Vicesimo quarto, locutus est dominus Moysi. Vicesimo quinto, diuisum est mare Moysi, & populo Israël. Vicesimo sexto, dedit Deus tabulas Moysi. Vicesimo septimo, deglutiuit cetus Ionam eiectum naui. Vicesimo octauo, reddidit Deus uisum Iacob, cum afferret Iudas camisiam Ioseph. Vicesimo nono, assumpsit Deus Enoch. Tricesimo, abijt Moyses in montem Sinai. Hic interrumpit Iudæus, dicens: Fac breue, optime Machumeth, & expedite. Siquidem mirũ in modum cuncta exequeris. Faciam, inquit, quod postulas. Sed ne ante finem quæsiti desistã: Quadraginta sunt dies, quos ieiunauit Moyses. Quinquaginta uero, quia diem iudicij continuabit spacium quinquaginta milliũ annorum. Sexaginta sunt uenæ terræ singulorum colorum: quæ uarietas si non esset, nulla inter homines foret noticiæ discretio. Septuaginta uiros assumpsit sibi Moyses. Octuaginta ictus debentur inebriato. Nonaginta, quia † angelus missus ad Dauid, ait: Nonaginta oues habebat hic socius meus, & ego unam, quã mihi abstulit mihi. Centum uero sunt ictus, quibus in adulterio deprehensi flagellantur. Ait, Et habet quidem omnia ita recte, ut sunt, integre executus es. Procede ergo si placet, & expone, quomodo facta est terra, & montes, & quæ eis nomina, & quando fuerunt? Respondit, Deus Adam de limo, Limus autem erat de spuma, Spuma autem de procellis, Procellæ uero de mari, Mare autem de tenebris, Tenebræ uero de luce, Lux de uerbo, Verbum de cogitatione, Cogitatio uero de iacinto, Iacintus autem ex præcepto Esto & fuit. Ait, Verum est quicquid dicis. Dic ergo, quot angeli præsunt hominibus? Respondit: Singulos homines bini circumstant angeli, alter à dextris, alter à sinistris. Dexter uero benefacta hominis scribit, Sinister malefacta. Ait, Vbi assident homini, aut qualiter? in quo scribunt? Respondit: Super humeros homines sedent. Calamus, lingua eorum; incaustum, saliua linguæ: Tabula notoria, cor eorum. Ait, Et hoc quoq; uerum est. Sed prosequere, si placet: Quid post hoc operatus est Deus? Respõdit, Tabulam & calamum, Dic, quam tabulam, & quem calamum? Respondit: Tabulam quidem, in qua scriptum est quicquid fuit, est & erit, in cœlo & in terrà: Calamũ uero, de luce clarissima. Ait, Quem longitudo calami? Respondit: Longitudo quidem itineris quingentorum annorum, latitudo uero octuaginta itineris annorũ. Octuaginta dentes habet, qui nõ cessabũt scribere, quicquid fit in mũdo, usq; ad diem iudicij. Sic enim ait in Alchorã: Nun uuacalam uua me asturum. Ait, Et tabula unde? Resondit, De smaragdo uiridissimo, uerba eius de margaritis, dorsum eius de pietate. Ait, Quotiẽs ergo respicit Deus illã tabulã per diem & noctẽ, Respondit, Centum sexaginta, singulisq; respectibus erigit quẽ uult, & deponit quẽ uult. Sic enim ait in Alchoran: Quotidie Deus in uoluntate sua. Ait, Nec de his quicquam

*Quid infernũ prohibeat flãmas à terra.*

*Zacha fluuius infernalis, ut Styx.*

*Psalterium XX. die ramadam tradi tum Dauidi.*

*Natalis Christi.*

*LX uenæ terræ singulorũ colorum.*

*Non angelus, sed propheta fuit.*

*Origo rerum fabulosior quã in Theogonia Hesiodi.*

*Angeli duo cuiusdes singulis hominibus, qui annotant in tabula res uniuersas.*

*Calamus è luce portentosæ magnitudinis.*

quicquam,nisi uerum. Procede ergo,& expone,cur cœlum dictum est cœlum? Respondit: Ideo quidem, quia de fumo creatum: fumus uero,uapor maris.Sic enim ait in Alchoran: Vualme am uuægehu. Ait:Quid ergo habet,quod uiride est? Respondit,ex monte kaf.Mons enim kaf ex smaragdis paradisi. Qui mons orbem terræ cingens, cœlum sustinet: sic enim ait in Alchoran:kaf uualcoram elmegid.Ait,Habet itaq; cœlum portas? Respõdit:Habet,itaq; portas pendentes.Ait,Et portę claues? Respondit:Et portæ claues in thesauro Dei. Ait, Et portæ unde? Respoodit: Portæ aureæ, portarum seræ de luce,claues de pietate. Ait, Vera refers.Sed cœlum istud nostrum, dic unde creatum est? Respondit, Primum de aqua uiridi, secundum de aqua clara,tertium de smaragdo,quartum de auro purissimo,quintum de hiacinto uiridi, sextum de nebula lucida, septimum de splendore ignis. Ait, Neque hoc quicquam nisi uerum. Quid ergo super cœlos septem? Respondit, Mare uiuificum. Ait, Quid deinceps? Respondit,Mare nebulosum. Ait,Prosequere per ordinem usq; ad summum. Procedit desu per mare aëreum,desuper mare lapideum, desuper mare tenebrosum, desu per mare solatij,desuper luna,desuper sol,desuper nomen Dei, desuper supplicatio,desuper Gabriel,desuper pergamenum rasum,desuper plenum,de super septuaginta interualla lucis,desuper LXX.millia interuallorum uirtutes,desuper LXX. millia montium,desuper mille spacia,in unoquoque LXX.milia turbæ, in unaquaq; turba quinq; milia angelorum, nunquam cessantium laudare dominum uniuersitatis. desuper addet almuncihe, id est terminus angelicæ dignitatis: desup uexillũ gloriæ, desup interualla de margaritis,desuper interualla gratię,desuper interualla pōtētiæ,desuper interualle diuinitatis, desup interualla dispēsationis, desuper scabellũ, desup soliũ,desuper domus uniuersitatis.Ait,Mirũ in modũ cũcta,prout sunt,exe cutus es.Sequiť itaq;,ut decernas,si placet,utrũ ne fideles sint sol & luna,an infideles? Respondit:Fideles quidē,& obediētes omni mādato Dei. Quid ergo habēt,q̄d nō ęqualiter lucēt? Respōdit: Aequali quidē uirtute & splē dore creauit eos Deus. Euenit ergo,ut incerta esset diei & noctis uicissitudo,quousq; Gabriel præteruolās motu uolitādi,forte ut sic ala sua lunā tegit,& ex inde luna obscurata est. Sic enim ait in Alchorā: Præposui diei & nocti luminaria,& extinxi nocturnũ,& illuminaui diurnũ. Ait: Cur ergo nox dicta nox? Respōdit,Quia nox uelamen maris & fœminæ.sic enim ait in Alchorā:Posui noctem uestimentum,& diem uictum. Ait,Et hoc quoq; prout ueritas habet.Consequenter itaque,si placet,edissere,quot sunt ordines stellarum? Respondit,Tres.primus,dependentium per cathenas à solio Dei lucentium usq; in septimum thronum: secundus,stellarum quæ & cœlum ornant,& quando diaboli ad insidiādum cœlestibus consilijs subintrare parant,occurrentes fugāt.Sic enim ait in Alchoran: Et cœlũ cum eis ornauimus,& diabolis eas obiecimus.Tertius est inspectu angelorũ.Ait,Neque hæc uspiā à ueritate recedunt.Dic ergo,quot intersunt inter nos & cœlum maria? Respondit,septē.Ait,quot uero uenti inter nos & cœlũ.Respõdit,tres.Primus uentus sterilis,quē emisit Deus ingentē abat.Secundus niger,eleuās mare:& hic exasperabit ignem in die iudicij.Tertius est,qui terris marisq; ministrat.Ait,Neq; hic quicq; nisi uerum.Quot sunt interualla inter nos & cœlũ? Vnũ planè:quod nisi interpositũ esset,omnia terrena cœlestis consumeret ardor.Ait,Et hoc certe uerum.Si solũ subiungas,ubi sol?

*Mons kaf cœlum sustinet.*

*Portæ cœli.*

*Vnde cœli septem cõstent.*

*Maria supra cœlos.*

*Ordo & gradus uniuersorum.*

*Sol & luna fideles.*

*Causa eclipsis lunæ.*

*Stellarum tres ordines.*

*Maria VII. inter cœlum & terram.*

Respondit,

Respondit, In fonte calido, fons uero in colubro, coluber in interuallo, interuallum in monte kaf, kaf autem in manu angeli tenentis mundum usq; in diem iudicij. Ait, Verum est quod dicis. Dic deinde, Quis modus deferentium sedem Dei? Respondit: Capita eorum sub sede Dei, pedes sub thronis VII. tanta quidem cerucis amplitudine, ut si cõtinue uolaret auis, uix mille annis ab una aure perueniret ad alteram. Cornua super capita eorum implicata, uictus & potus eorum laus & gloria Dei. Quorum prima acies, cuius dimidium nix, dimidium ignis. nec tamen uel ignis niuem consumit, uel nix ignem extinguit. Secunda acies, cuius dimidium tonitruus, dimidium fulgur impermixta. Tertia, cuius dimidium gleba, dimidium unda: nec tamen unda glebam diluit, uel undam ebibit gleba. Quarta, cuius dimidium uentus, dimidium aqua, incommota ab inuicem. Quinta, cuius dimidium ferrum, dimidium ignis, inconfusa ab inuicem. Sexta, cuius dimidium aurum, dimidium argentum. Septima, cuius dimidium laus, dimidium gloria. Octaua, de fulgidissimo splendore. Ait, Nec hoc quoq; usquaris spacium à nobis usq; ad cœlum. Respondit: A nobis quidem usq; ad infimum cœlum, iter quingentorum annorum: tantumq; per ordinem ab unoquoq; ad proximum, & amplitudo uniuscuiusq; itinerum quingentorum annorum: Tot unoquoq; angeli, quod nemo numerare potest, nisi solus Deus. Ait, Et hoc quoq; uerum. Dic itaq; consequenter, quæ aues sunt inter nos & cœlum? Respondit: Aues quædam, quæ nec cœlum neq; terrã unquam attingunt. Ipsæ colubri albi iubas habentes equinas, comas ut coma mulieris, alas ut aues. Oua pariunt super caudas suas, ibidemq; filios producunt, illinc usq; in diem iudicij. Ait, Ita quidem uerum est. Dic ergo, mũdus iste cur dictus mundus? Respondit: quia mundus iste factus fuit præter aliud sæculum. Si enim cum illo factus esset, perpetuus foret, ut illud. Ait: uerum est, Dic deinde, finis cur dictus finis? Respondit, quia eo resurget omnis creatura. Ait, Ita est. Subiunge ergo, sæculum aliud, cur dictũ aliud? Respondit, quia postremum, post mundum istum superstes futurum, cuius nulla similitudo exprimi potest. Nec enim coloni eius mortales, neq; dies eius sub numero. Ait, Similiter & hoc uerum. Sed quid? Aliquid nempe hodie proponam, ubi incidas. Dic ergo si placet, Quis filius patre fortior? Respondit, ferrum. Quid ferro? ignis. Quid igne? aqua. Quid aquæ? uentus. Ait, & hæc omnia uera. Nec cesses, sed dic consequenter: Adam cur dictus Adam? Respondit, quia creatus de limo terrarum omnium, non unius. Si enim de uno creatus esset, nulla esset inter homines noticiæ discretio. Ait: Ita est: dum subiungas, Cum factus fuit Adam, quà intrauit spiritus in eo? Respondit, per os intrauit inuitus, & per os exiuit. Ait, Quid ergo dixit, ei Deus? Respondit, Habita tu & coniunx tua paradisum: Comedite & bibite, tantum ne huic arbori appropinquetis. Ait, Quæ nam fuit arbor illa? Respondit, arbor tritici. Ait, Quæ forma arboris? Responoit, septem spicas habebat. unam rapuit Adam, in qua erant grana quinque, de quibus duo comedit Adam, duo dedit Euæ, quintum detulit secum. Ait, Quantum fuit granum? aut quid inde fecit? Respondit, Magis fuit ouo, quod ubi in sexcentas particulas comminuisset, produxit ex eo cuncta seminum genera. Ait, Quà receptus est paradiso expulsus? Respondit: Adam in India, Eua in Nubia. Ait, Quid induebant? Respondit, Adam

*Sol in calido fonte sedem habet. & alia longe abjectissima.*

*Vehiculum Dei, non quale Ezechielis.*

*Interualla cœlorum, contra demõstrationes astronomicas.*

*Aues inter cœlum & terram.*

*Aliquid factũ ante hunc mũdum.*

*Aenigmata, non qualia Hiram Solomoni proposuit.*

*De hominis formatione fabulatur.*

*Arborem scientiæ boni & mali, dicit arborem tritici.*

*Adam ejectus paradiso peruenit in Indiã, Eua in Nubiã.*

tria folia de paradiſo, Euam coma cooperiebat. Quà ergo conuenerunt? Reſpondit: In Arafe. Ait, Vter de altero factus? Reſpondit, Eua ex Adam. Vnde eſt quod mulier operitur? Ex coſta eius ſiniſtra. nam ſi à dextra, æque fortis eſſet. Ait, Quis habitauit terram ante Adam? Reſpondit, Primum diaboli, deinde angeli, poſt angelos Adam. Inter diabolos & angelos ſeptem millia annorum, inter angelos & Adam M. anni. Ait, Rem omnem ut geſta eſt narras. Sed de his ſatis eſt. Tranſeamus ad alia: & dic ſi placet, Quis incœpit peregrinationem? Reſpondit, Adam. Ait, Quis raſit caput ei? Reſpondit, Gabriel. Ait, Quis circumcidit Adam? Reſpondit, ipſemet. Ait, poſt Adam quis circunciſus eſt? Reſpondit, Abraham, Ait, Et hæc quidem manifeſta ſunt. Habemus alia. Dic ſi placet, Quæ nam eſt terra, quam ſemel uidit ſol, nunquam deinde uiſurus uſq; ad finem ſæculorum? Reſpondit: Quando mare diuiſit Moyſes, denudatus eſt fundus pelagi, quem tunc uidit ſol, poſt reditum undarum ampliùs non uiſurus. Quid ergo uidetur Abdia, ne reperis hæc in lege tua? Et ille, Nec hæc quidem, nec multa alia, quæ pectus mihi miniſtrat. Age, Dic deinde, quæ nam eſt domus habens duodecim portas, per quas duodecim portiones exeunt, duodecim cum generationibus? Reſpondit, Rupis illa, quam percuſſit Moyſes, aperuit duodecim portas, & emiſit duodecim fontes, per duodecim tribus Iſraël. Ait, Verum dicis. Sed dic, cui terræ locutus eſt Deus? Reſpondit, Monti Synai præcepit, ut eleuaret Moyſen uſq; ad cœlum. Ait, Bene dicis. Dic deinde, qui uiuit, nec habens ſpiritum? Reſpondit, Nox. nec enim ſpiritus uenit uſq; ad mane. Ait, Hoc quoq; uerum. Age ergo. quid in primis lignum, poſtea cum ſpiritu? Reſpondit, Virga Moyſi nunc lignum, nunc & ſerpens. Ait, ita eſt. Nunc itaq; refer, ſi placet, Quæ fœmina ex maſculo tantum, & quis maſculus de fœmina tantum? Reſpondit, Eua ex Adam ſolo, Chriſtus ex Maria uirgine? Ait, ita quidem refers, ut uerum eſt, dum ſubiungas, Quæ ſunt terra illa, quæ ſine uiri commixtione edita fuerunt? Reſpondit, Adam, aries Abrahæ, & Ieſus Chriſtus. Ait, uerum eſt. Dic deinde, quod ſepulchrum motum eſt cum ſepulto? Reſpondit, Cetus cum Iona. Ait, uerum eſt. Dic ergo conſequenter, qui ſunt ſoli illi duo, quorum ſepulcra ignorantur? Reſpondit, Abitabil, & Moyſes. Ait, Id quomodo? ut breuiter de utroque exponas. Reſpondit: Ibetabil quidem cum mortem præſentiret, iniunxit, ut poſt obitum camelus ſuperpoſito funere ſuo impelleretur ad eundum, quocunque ſors duceret, euntemq; ſequerentur, quouſq; ſponte procumberet. Sic facto, ubi funus ab Ibetabil deferens camelus procubuit, fodiendo repertum eſt monumentum, quod Noë præparauit Abitabil. Sepulto itaque amiſſus eſt locus, nec unquam poſtea repertus. Moyſes uero cum ſolus per deſertum uagaret, ſorte ſepulcrum uacuum & apertum inuenit, recte ad quantitatem ſuam effoſſum. Quod admirans, incœpit ad propriam ſtaturam metiri. Interea angelus mortis aduenit ad interficiendum Moyſen. Quem cum cognouiſſet Moyſes, quæſiuit dicens: Ad quid ueniſti? Reſpondens, miſſus ſum pro anima tua. Cui Moyſes, Qua ergo putas eam eripere? per os enim non poteris, quo locutus ſum Domino: neque per aures, quibus audiui uocem Domini: neque per oculos, quibus faciem domini uidi: neque per manus, quibus donum Dei recepi: neque per pedes, quibus montem Synai conſcendi. His auditis, abiit angelus. formaq; mutata, attulit pomum de paradiſo, quod cum olfaciendum porrigeret,

*Diabolos & angelos ante Adam incoluiſſe terram.*

*Adam peregrinationem ad Mechã conſtituit.*

*Ideu raſus, uidelicet ut Machumet, et circunciſus.*

*Aenigma de mari rubro.*

*Subdola cauillatio in diuinam legem.*

*In Alcorã ſcribitur, ut Moſes cum ſamulo nauem reperit.*

*Aenigma de nocte.*

*Aenigma de baculo Moyſi.*

*Aenigma de Eua & Chriſto.*

*Aries Abrahæ ſine parente editus.*

*Aenigma de Iona.*

*Sepultura Abitabil.*

*Sepultura Moſis & mors ſã buloſiſſima.*

geret, recepit Moyses. Cumq; naribus apponeret, arripuit eum angelus per nares, per quas tanquam emungens animam eius extorsit. Quo facto, remansit corpus eius in sepulchro, nemini unquam reperto. Ait, ita quidem factum est, ut dicis. Sed dic quis ignis comedit & bibit, & ex quo extinguitur, non accenditur usque in diem iudicij? Respondit, Ignis in corpore humano, uictu sustentatur, & anima abeunte extinguitur. Nec antequam illa redeat, accendetur. Ait, Et ita uerum est. Dic deinde, quid paruum semper, quid magnum semper? Respondit, Lapilli, & montes. Ait, bene est. Sed dic, ubi est medium terræ? Respondit, In Hierusalem. Inde namque dispersæ sunt gentes, & illic congregabuntur. Ibi erit pons & statera super infernum, quod apportabunt illuc septuaginta millia angelorum per totidem tenaces. Ait, Et ita est. Sed quare Hierusalem dicta domus benedicta? Respondit, quia in directo cœlestis Hierusalem, quodq; locutus est ibi Deus & angeli cum patriarchis & prophetis: deditq; ibi Deus Moysi præcepta tria millia quingenta quindecim. Ait, Et ita constans est. Dic deinde, quis humor fit neque de cœlo, neque de terra? Respondit, sudor animalium laborantium. Ait, bene dicis. Sed memora, si placet: quomodo facta est nauis? Respondit, Nauuem incœpit primus Noë: claues dedit Gabriel: intrauitq; Noë cum filijs, & procedens ex Arabia super Meccam, circuiuit septies. Inde nauigans super Hierusalem, & eam septies circuiuit, peruenit in montem Iudææ, ibiq; decrescentibus undis, hærens resedit. Ait, quidem ita est. Dic ergo, ubi fuit interim Mecca? Respondit, Assumpsit eam Deus in cœlum, Hierusalem uero commisit monti Abikobez, & seruauit eam in uentre suo. Ait, Omnia quidem ut gesta sunt, exponis. Dic ergo, Quæ ratio, quod qui nascitur similis est patri, aut matri, eorumue parentibus? Respondit, Quum superat uoluptas uiri uoluptatem mulieris, trahit conceptus similitudinem patris, eiusq; parentum: Sic in parte altera, superante mulieris libidine. Ait, Et hoc uerum. Expone consequenter, punit Deus quenquam sine ratione? Respondit, non. Ait, Et filijs infidelium quid faciet? Respondit, Venient in die iudicij infidelium ante faciem Dei, & dicet eis: Quis est dominus uester? Dicent, Tu domine, qui creasti nos. Cui ergo seruisti? Quem adorasti? Domine noster, neque aurium, neque linguæ officio uti, neque nuncium tuum sequi potuimus. Dicet eis, Faceretis ergo aliquid si præciperetur uobis? Dicent, Digne domine noster & iuste, quicquid præcipere placet. Tunc effluere præcipiet unum de fluuijs inferni, & dicet eis: Insilite in gurgitem istum. Hinc ergo qui obedierint, illæsi exibunt, & in paradisum transibunt: qui uero renuerint, ibunt cum patribus suis in infernum. Sic enim ait in Alchoran: Qui obedierint, erunt in paradiso, qui renuerint, in inferno. Ait, Vere ita est. Sed uellem, si est aliqua horum similitudo, eam mihi exprimeres. Respondit, Ita. Nam & fidelium filijs, si qui nascuntur cæci, surdi, muti, eadem fit quæstio. Ait, ita quidem uidetur, dum consequenter exponas, Quomodo soluetur terra? Ignis terram diriget in cinerem. Cinerem aqua diluet. Ait, Ita est. Sed montes unde exierunt? Respondit, de monte Kaf, fixitq; eos Deus palos in terra. Sic enim ait in Alchoran: Posui terram planam, & montes palos terræ. Ait, Verum dicit. Dic consequenter, quid nam restat sub his septem terris? Respondit, Bos. Ait, & pedes bouis super quid? Respondit, super lapidem album. Ait, quæ forma bouis? Respondit, caput

*Aenigma de calore hominis uitali.*
*Aenigma de lapillis seu calculis et montibus.*
*Hierusalem umbilicus orbis.*
*Item cur domus benedicta.*
*Apud Hierusalem præcepta Moysi data, quum nauem fecerit.*
*Aenigma de sudore.*
*Mecha seruata per diluuium in cœlo, & Hierusalem in monte Abikobez.*
*Causa formæ in liberis, & similitudo parentum.*
*Infidelium filij liberabuntur in die iudicij, obedientes Deo insilierint flumen.*
*Vt terra sol-uenda.*
*Vnde montes.*
*Sub terris septem bos portentosæ magnitudinis & formæ.*

eius in oriente, cauda in occidente. Ei quadraginta cornua, & totidem dentes, à cornu ad cornu iter mille annorum. Ait, Et sub lapide, super quem stat. quid? Respondit, Mons cui nomen Zohot. Ait, Cuius hic mons? Respondit, inferni. Ait, Quæ ei amplitudo? Respondit, Itineris mille annorum. Hunc ascendet omnis turba infidelium. Cumq; uerticem consederint, omnis intremiscet mons, omnemq; turbam deijciet in profundum inferni. Sic enim ait in Alchoran, Sourhicubu azohot: quod est, destruet eos zohot Ait, uerum est, quod dicis. Sed quid sub monte? Respondit, Terra. Quod est ei nomen? Respondit, Vuerelea. Quid sub ea terra? Respondit, mare. Quod est ei nomen? Alkasem. Et quid infrà? ut omnia per ordinem edisseras. Respondit, terra Aliolen, infrà mare Zere, infrà terra Neama, infrà mare Zegir, infra terra therib, infrà alia terra Agiba, alba ut lac, redolens ut muscus, mollis ut crocus, lucida ut luna. Super hanc congregabit Deus omnes iustos. Sic enim ait in Alchoran: In die illo mutabit terram pro alia terra. Infrà hanc mare Alknitar: Infrà piscis nomine albehbut, cuius caput in oriente, cauda in occidente. Super cuius dorsum terræ & maria, tenebræ, aër, & montes usque in finem sæculorum. Infrà piscem, uentus piscem substinens, infrà mons, infrà tonitruus, infrà fulgur. Sub his mare sanguineum, infrà infernus conclusus, infrà mare igneum, infrà mare opacum, infrà mare po*, infrà mare nebulosum, infrà laudes, infrà glorificatio, infrà solium, infrà tabula, infrà calamus, infrà maius nomen Dei. Et quid infrà? Respondit, Infinita quærendo prosequeris Abdia. Quis ultra potest? Præter quod æqualis est undique uersum omnipotentia Dei. Ait, Res mira. Nihil quidem aliter quam est uel opinari uideris. Sed prosequere deinceps si placet, & dic. Quæ sunt tria quæ de paradiso in hunc mundum uenerunt? Respondit, Mecha, & Iesrab, & Hierusalem. Ait, Verum dicis. Dum subiungas, quæ quatuor in hoc mundo ex inferno? Respondit, Vastat ciuitas ægypti, secunda Antiochia Syriæ, tertia Ehberam Armeniæ, quarta Elmeden Chaldææ. Ait, Et hoc quoque uerum. Consequenter ergo metire mihi orbem. Respondit, Orbis quantitas iter unius diei. Ait, Quomodo? Respondit: Totum enim sol ab ortu suo usque ad occasum permeat. Ait, Argute quidem hoc animaduertisti.

*Mons zohot in inferno.*
*Alkasem mare.*
*Alknitar mare.*
*Piscis maximus sustinens terram & mare.*
*Mirum Chaos potius, quàm ordo atq; digestio partiũ mundi.*
*E paradiso prodierunt oppida tria.*
*Ex inferno quatuor urbes.*
*Orbis ambitus iter diei unius.*

Nunc itaque si placet, quoniam summa & infima uides, paradisum oro, & quæ incolis eius uita, planè mihi describas. Respondit, Quia conuenienter & ex ordine quæris, placet, dum attentus assis. Paradisi namque solum aureum, smaragdis & hyacinthis crebro interpositis distinctum, omni fructifera consitum arbore, decurrentibus per amœna fluentis. Quorum alia quidem lac, alia mel album, alia uinum purissimum fundunt. Dies enim mille annorum, annus quadraginta millium annorum. Quid ergo? Nunquid non ita beatitudini sufficere uidetur? Ait, Quinimo, & uere uideri poterit, dum incolarum eius habitum & usum exequaris. Respondit, Incolis quidem eius, quicquid desiderari potest, statim aderit. Omni siquidem colore uestientur, præter nigrum: Qui color neminem illic attinget, excepto †præcone modò, qui ob insigne huius uitæ meritum proprium colorem singulari priuilegio retinebit. Perfecti omnes in statura quidē Adæ, in forma uero Iesu Christi, nunquam incrementum aut detrimentum aliquod patientes. Ait, Hæc quidem ita uere sunt. Assume iam de uictu & uoluptate eorum, à primo introitu incipiens. Respondit, Primum quidem ingressis

*Paradisus iuxta somnium Machumetis.*
*Præco, id est Machumet, in signis in paradiso singulari uestitu.*
*Incolæ paradisi statura Adæ omnes & forma Christi. In Alcoran tamen aliquoties pueri indicantur.*

greſſis ueſcendum proponitur iecur piſcis albehbut, cibus quàm ultra mirari poſſis delectabilis. Succedunt fructus arborum, potuſq; defluentis paradiſi, deinde quicquid affectarint, præſto erit. Ait, Dic ergo, cum quicquid influit, & effluere neceſſe habet, nonne ut comedent, ſic & iam egerere oportebit? Reſpondit, Non ſequitur. Nam & infans in utero dum uiuit, ueſcitur, nec tamen egerit. Et quam cito egerere incipit, mortalitatis legem ſubit. Quæ & illos, ſi egererent, neceſſitas conſequeretur. Si quid tamen ſuperfluit, id per ſudorem exit, odorem muſti fragrantem. Ait, Bene quidem, & diſcrete huic obiectioni reſpondiſti, dum ſubiungas, etiam'ne panem & carnes comedent, ut fructus & cætera? Reſpondit, Planè quidem quicquid geſtierint, oblectamenta tantum, non fame præter illicita: quæ nec ipſis placebunt. Ait, Quæ'nam? Reſpondit, uerbi gratia, caro ſuilla. Ait, Beaſti me, optime Machumet. Eam ſiquidem & nobis Iudæis, & ſcio non ſine cauſa, prohibuit Deus: quam uelim, ni pigeat, per Deum obſecro inter cætera, dū locus eſt, ediſſeras. Reſpondit, Placet, dum ſtudioſus ades. Nam Ieſus Chriſtus, dum rogaretur à diſcipulis, ut modum arcæ Noë, habitumq; ſuperſtitis in ea generis humani exponeret, tacitus rogantes audiens, formulam ex luto inter manus ſuas confectam iecit humi. Et ait, ſurge in nomine patris mei. Et ſurrexit homo canus. Cui Chriſtus, Tu qs es? Reſpōdit, Ego Iafeth filius Noë. Cui Ieſus, Ita'ne canus mortuus es? Reſpondit, Nequaq;. Sed in hac ipſa hora, putans me ad diem iudicij ſurgere, metu canus effectus ſum. Præcepit ergo Ieſus, ut omnem hiſtoriam arcæ diſcipulis rogantibus exponeret. Tunc ille rem omnem à primordio narrans, ordine peruenit ad locū, ubi cum ſeceſſus, inquit põdere egeſtionis arcā inclinaret, timuimus ualde. Cōſuluit itaq; pater Deū. Cui Deus: Adduc, inquit, elephātem, & uerte poſteriora eius ſuper locū. Et fecit. Vbi ergo elephas ſimum ſuum hominū egeſtioni iniecit, ſurrexit ſus grandis. Satis'ne uidetur ergo cauſę Abdia, uitā dianimal immundum? Ait, Certe ſatis: Dum proſequaris, quid profecerit hac neceſſitate editus. Reſpondit, Quę cum omnem (inquit) maſſam illā roſtro ſoſſorio diſpergeret, conceptū inſuetis naribus fœtorem efflans, murem edidit. Qui deinde tum tabulas indeſinenter roderet, conſulto pater Domino, leonem in fronte percutit. Leo concitus, flatu anhelo cattum naribus eiecit. Hic Iudæus: Bene, inquit, omnia. Sed hoc ſatis, ne à propoſito longius digrediamur. Et quoniam de uictu incolarū paradiſi plene expoſuiſti, reſtat, ut de uoluptate eorum proſequaris. Et illud primum, quoniā comedent & bibēt, ſi etiam miſceantur illic mulieribus, idq; qualiter, & qua lege. Reſpōdit, Si ullū oblectamenti genus deeſſet, beatitudo minime plena eſſet. Fruſtra ergo deliciæ adeſſent, ſi uoluptas deeſſet. Quinimo ſi quicquid uolūt, præſto eſt, & quaſcunque, & quomodocunq; uolunt habent, & qualiter, & ubi, & quando, & quātum, & quotiens uolunt, ſine mora & difficultate, ita quidē, quod quas hic uxores habuerunt fideles, habebūt & illic. cæteræ, cōcubinę erunt. Ancillarum uero non erit numerus. Ait, Optime quidem & ad unguem omnia. Sed illuc recolens, quod dicis, prę ter illicita: cum illic uini fluenta deſcribas, quæro quid'nam operis illic habeant, ſi uinum illicitum eſt? aut ſi licitum eſt, quid tibi cauſæ aſſumis in hoc ſæculo uini prohibēdi? Reſpondit, Adeò quidem argute quæris, ut neceſſariò una quæſtione geminā reſponſionem extorqueas. Vtrūq; ergo exponam, & illic eſſe licitum, & hic illicitū. Erāt enim angeli duo Arot & Marot, miſſi olim à Deo de cœlis in

*Eſus piſcis ex fabulis Iudæorum de Leuiathan:*

*Cauſa, cur à porcina carne abſtinendum, plena ſtoliditatis & blaſphemiæ.*

*Si patrem appellat, cur uos negatis filiū.*

*Vnde mures.*

*Vnde catti.*

*Etiam concubitus in paradiſo, & tales quidem, ut plerąq; proſtibula uideantur uerecundius habere.*

*Cauſa, ob quā à uino abſtinetur. Aliam tamen reddit ipſe Machumet in Alcorā*

terram, gubernando & instruendo generi humano, tribus his interdictis, ne occiderent, nec iniuste iudicarent, nec uinum biberent. Multo itaque tempore sic habito nocti iudices essent per uniuersum orbem, uenit eis die quodam mulier præ cunctis fœminis omnino pulcherrima, causam habens aduersus maritum. Quæ ut parti suæ accommodaret iudices, inuitauit ad prandium. Sequuntur. Illa satagens, conuiuantibus inter epulas & pocula uini apponit. Adstat ministrans, offert crebro, instat ut sumant. Quid plura? Vicerunt blandiciæ mulieris. Inebriati poculis, in hospitam formosam incaluerunt. uicti, accubitum postulant. Spondet ea conditione, dum alter uerbum doceat, per quod ascendebant cœlos: alter, per quod descendebant. Placet condictio. Cum ergo didicisset, eleuata est subito, & ascendit cœlos. Quod cum uideret Deus, explorata causa, posuit eam luciferum, pulcherrimam inter stellas, ut fuerat inter fœminas. Illis autem in iudicium uocatis, proposuit eis Deus, ut eligerent inter pœnam huius sæculi & pœnam alterius. Elegerunt hanc. Depensi sunt ergo per cathenas ferreas, demissis capitibus in puteo bebil, usq; in diem iudicij. Quid ergo Abdia? Nónne sufficiens uidetur causa cur & illic licitum sit uinum, & hic illicitum? Ait, certe satis, & meritò. Sed quoniam hæc ad plenum exposita sunt, uellem si placet, ut etiam de inferno breuiter percurras. Recte postulas, & ita faciam. Inferni siquidem solum sulfureum, fumosum, crebra pice intersertum. Ipse totus flammis teterrimis æstuans. Sunt in eo lacus & putei profundissimi, pleni pice feruente, suppositis flammis sulfureis, quibus quotidie immerguntur damnati. Sunt illic & arbores, quarum fructibus uescentur: quo cibo nihil grauius in toto mundo excogitari potest. Ait, Bene omnia exponis, si interseras, ubi est ille, quem Deus euocabit post diem iudicij? Respondit, in medio uallis inferni, in ualle gurges, in gurgite puteus, in puteo arca, in arca uictus cathenis, astrictus compede, spe constans, per mille annos incessanter misericordiam appellabit. Ait, Quid ergo faciet ei Deus? Respondit, Post mille annos adduci faciet eum, & dicit ei: Quid tibi uis miser, qui aures meas inquietare non desinis? Quæ te fiducia ducit? Quo merito speras? Respondet gemens, Domine Deus meus, ego non habeo Deum nisi te, qui misereatur mei. Tu satis habes præter me, ubi iram tuam uindices. Miserere mei Domine, miserere mei. Ait, Quid tunc? Respondit, eum reddi inferno. Adducetur, nec adhuc inuocare misericordiam Dei cessabit. Misertus tandem misericors miserator, eripi præcipiet eum. Cumq; pice nigrior eum infernalis calor tangat. Interrogabunt angeli, qualiter paradisi incolis misceri possit? Tunc lauari præcipiet eum Deus in fonte aërio, & fiet albus totus, præter maculam in fronte. Mundatus ergo incedet per paradisum, in publico conspectu omnibus uocabulis. Hic ergo assignabunt eum in inuicem omnes uidentes, ereptumq; inferno, quasi improperando hincinde murmurabunt. Ille uerecundus usq; adeò pudore superabitur, quousq; dicat, mallem inferno reddi, quàm huiusmodi probra longius ferre. Dicet itaq; misericors miserator angelis suis, ut iterum eum in eodem fonte quinquies lauent. Quod ubi fecerint, auferetur nota de fronte eius, fietq; similis paradisi incolis, & ita cessabit opprobrium. Hæc sunt quæ te de inferno quæsisse opinor Abdia. Procede si quid superest. Ait, Omnia quidem ita ad unguem executus es, ut nullum penitus intermiseris nodum.

*Metamorphosis fœminæ uenustæ in stellã Veneris.*

*Inferorum descriptio.*

*De liberato ex inferno fabula absurdissima.*

Nunc

Nunc itaq; per Deum tuum obsecro, ut quoniam cuncta tibi quasi præmanibus, diem iudicij planè mihi describas. Respondit, Placet, dum attentus adsis. In die illo mandabit Deus angelo mortis, ut omnem creaturam spiritum habentem interimat, tam angelos omnes, & diabolos omnes, quã homines, aues, pisces, beluas, & pecora. Sic enim ait in Alchoran: Omnia mortua præter Deum. Post hæc uocabit angelum mortis, dicens: O Adreiel, est ne quid superstes ex omni creatura mea? Dicet, Nihil domine mi, præter me seruum tuum imbecillem. Tunc dicet ei, Quoniam omnem creaturam meam occidisti, abi hinc inter paradisum & infernum, & occide postremo teipsum, ac morere. Abibit infelix, atq; in præscripto interuallo proiectus humi, & alis suis inuolutus, seipsum suffocabit, cum tanto quidem mugitu, qui & cœlestes spiritus & terrena animalia si uiuerent terrore exanimaret. Stabitq; totus mundus uacuus per quadraginta annos. Post hoc cœlum & terram pugno continens dicet: Vbi nunc reges & principes & potentes sæculi? Cuius est regnum, & imperium, atque rerum potentia? dicite, si ueridici estis. Et his uerbis ter repetitis, suscitabit Seraphiel, & dicet: Accipe tubam hanc, & descende in Hierusalem, & clange. Tunc accepta Seraphiel tuba, cuius longitudo itineris quingentorum annorum, stans in Hierusalem insufflabit tubam, exintus omnes animas iustas & iniustas inibi interim seruatas. Animæ euolantes in omnem terrã, quęq; ad corpora sua, ubicunq; sint dispergentur, atq; ad primum hunc sonitum omnium ossa congregabuntur. Transactis quadraginta annis iterum sonabit. Ad quem sonitum ossa, carnem, & neruos assument. Atque inde post quadraginta annos ubi tertio sonuerit, omnes animæ corpora sua induent. Sic facto, ignis ab occidente accensus, omnis creatura Hierosolymam agitabit. Quò cum omnes peruenerint, cessabit. Hic ergo ubi per quadraginta annos in sudore suo natauerint, expectantes iudicium, tot tandem miserijs affecti appellabunt Adam, sic dicentes: Pater Adam, pater Adam, ad quid nos genuisti? huiusmodi scilicet miserijs, & tormentis? Ita ne pater filios sub incerto fine, inter spem & metum fluitare pateris? quinimo Deum ora, ut planè finiat de nobis quicquid inter paradisum & infernum facturus est. Respondebit Adam, & dicet: O filij filij, scitis ut suadente diabolo inobediens præcepto Dei extiterim, quæ causa, ut indignus hoc habitus officio, uel huiusmodi præsumam. Sed ite ad Noë. Conuersi ad Noë, dicent: Intercede pro nobis, electe Dei pater Noë. Respondebit Noë dicens: Feci quod potui, saluaui uos in diluuio. Hic nihil mihi superest officij. Sed ite ad Abraham. Appellabunt Abraham, dicentes: Pater fidei & ueritatis, pater Abraham, respice nos miseros, & miserere. Quibus Abraham: Quid à me petitis? Non recolitis, ut diu uagabundus idololatra incircuncisus errauerim? Non sufficio. Sed appellate Moysen. Appellabunt Moysen, dicentes: Audi nos electe nuncie Dei, & prophetа, famule Dei Moyses. Quibus Moyses: Quem appellatis? Nonne legem uobis dedi, miraculis confirmaui, nec tamen credidistis? Si mihi credidissetis, facere possem quod postulatis. Sed ite ad Iesum Christum. Conuersi ad Christum, dicent: Iesu Christe, spiritus, uerbum & uirtus Dei, moueat te pietas tua, & intercede pro nobis. Tunc dicet eis Iesus: Quod à me petitis, ipsi amisistis. Missus quidem fui uobis in uirtute Dei, & uerbo ueritatis: uos autem aberrastis, & me plus quàm ego prædicauerim uobis, Deum

*Adreiel angelus mortis. Vt nouissime mors abolebitur.*

*Seraphiel tuba mortuos excitabit.*

*Adam, Noë, Abraham, Moſe, negantibus patrocinium in die iudicij, res peruenit ad Iesum Christum, postremo ad Machumet.*

*Abraham pater fidei & ueritatis.*

*Christus, spiritus, uerbum, et uirtus Dei.*

*Scopus primarius diaboli in omni doctrina, obscurare gloriam filij Dei, & occultare mysteriũ æternum uerę salutis.*

uestrum fecistis. Hoc itaq; beneficium meum amisistis. Sed ite ad ultimum prophetarum, hunc significans, cum quo loqueris Abdia. Ad quem conuersi dicent: O nuncie fidelis, & amice Dei, quàm male quidem peccauimus Exaudi nos pie propheta Dei, spes una superstes. Nam post te, in quo sperabimus? Exaudi nos, potentia, tibi à Deo collata. Aderit itaq; Gabriel: nec impotentem sinet amicum suum uoluntatis suæ. Procedent socij ante faciem Dei, dicetq; eis Deus: Scio ad quid uenistis. Absit itaq;, ut fidelis mei uotum in aliquo quassem. Hic ergo ponte facto super infernum, ad caput pontis aderit statera: qua libratis uniuscuiusque factis, ambulabunt super pontem. Salui ergo transibunt, damnati in infernum decident. Quære deinceps Abdia, quid placuerit. Et ille, Proh dolor, quæ me hucusq; demen tia tenuit? ut uerum luce clarius non uiderem. Sed quoniam omnia tibi pro uoto meo occurrunt, procede. Nunquam enim hæc audire fatigarer. Enumera ergo acies populorum in die illa, & discerne fideles atque infideles. Respondit, Erunt acies omnium hominum, CXX. è quibus tres tantum fidelium, reliquæ omnes infidelium: Eritq; longitudo uniuscuiusq; acieti itineris mille annorum, latitudo uero quingentorum. Ait, Vere ita est, ut dicis. Conclude postremum hoc, quod cum omnes creaturæ in eum modum, quo descripsisti, inter utramque regionem diuisæ fuerint, quid fiet de morte? Respondit, Mutabitur mors in arietem, & adducent eam inter paradisum & infernum. Eritq; magna inter utriusq; regionis incolas dissensio. Nam populus paradisi metu mortis necem machinabitur. Infernales uero spe mortis, superstitem fore cupient. uincet populus paradisi, & mortem inter paradisum & infernum occident. Hinc Iudæus exclamans, ait,

*In Alcoran Christo tribuitur etiam patrocinium.*

*Mors in arietem mutabitur.*

Vicisti optime Machumet, siste, & recipe confitentem me.
Ego credo, & uideo, quia non sunt dij, sed Deus unus
omnipotens, cuius uere tu nuncius
& propheta.

EXPLICIT doctrina Machumet, quæ apud Saracenos magnæ authoritatis est, licet ibi multa mendacia sunt, & multa ridiculosa.

DE

# DE GENERATIONE MACHVMET ET NVTRITVRA EIVS. QVOD TRANSTVLIT HERMANNVS DALMATA

Scholasticus subtilis & ingeniosus, apud Legionensem Hispaniæ ciuitatem.

*Quisquis scripsit apud Arabes de natalibus & educatione Machumetis, dignus est author illo quem studet mendacijs inter diuos ponere. Estq; uel ob hoc dignissimum scriptum quod legatur, ut euidentius cernatur, quibus hominibus ad suam religionem opus sit somnijs, & reuelationibus, & confictis miraculis: quibus nituntur præcipue inter Christianos, qui uolunt deiculi haberi. ut qui libris conformitatum, & id genus commentis impudentissimis, sua misere fulciunt.*

Genealogia Machumetis.

LIBER generationis nunciꝰ Dei Machumet, oratio Dei super eum, & salus, ab Adam & Eua per ordinem parentum utriusq; sexus, usq; ad tempus quo produxit eum Deus perfectum, gratiosum, & idoneum sibi. Cuius authores per ordinem, primus Kabalachbar, deinde Abnabdalla Machumet filius Eize. Post hunc Abnalmutarreff, Abderachin filius Eize, deinde Abuzaid filius Elcarab. Post quem Abumachumet, Alabez filius Abdalla. Sicq; Alfald filius Iahiat atq; Abulambez. Deinde Ezerigi filius Fulenum. Post quem Machumet Abhalati. Postremus filius Zaid Abnamar. Primus igitur Kabalachbar, sequentium omnium testimonio, cum in scripturis prophetam hunc sæculo nasciturum studiose didicisset, omnemq; historiam uiri astrologico testimonio approbasset, Ecce sæculorum serie in ipsis diebus suis uirum natum audit, in ciuitate Arabiæ Ieserab, omnia prouidentiæ suæ signacula præferentem. Celebri deinde fama, frequentiq; testimonio motus, hominem adit. Quem undique uersum perspiciens, omnemq; modum eius & conuersationem obseruans, ita quidem ut ipsas etiam corporis notas easdem quas præsignauerat, reperiret, ut in fronte maculam, inter scapulas huiusmodi characterem, hunc ipsum Machumet esse plene deprehendit. Quod deinde ut etiam sæculorum serie diuinaq; dispositione eum probaret, incipiens ab Adam & Eua usq; ad Machumet ordinem generationis eius, à magistro suo Rabelmehdi acceptam, in hunc modum exponit.

Abnalmutarreff.

Scripturæ de uenturo Machumet.

Propago prophetarum.

CReator Deus omnipotens, ut primum Adam creauerat, consurgentis recens cerebrum subito contremiscens sonuit naturaliter, quasi frondes uento commotæ. Quod stupenti Adæ, Sonitus (inquit Dominus) quem miraris Adam, signum est prophetarum & nunciorum mandatiuum. Hoc ergo lucis semen uirtutis meæ dono conceptum, non nisi dignis lumbis, mundæq; uuluæ commendabis. Fuit itaq; lux nasciturí ex eo prophetæ Machumet, omnibus diebus resplẽdens ex facie Adam tanquam sol in rota circuli sui, aut luna in nocte plenilunij. Quotiescũq; Euã aggressurus erat, lauari & mũdari castigabat, dubius qua hora dñs semẽ lucis ex eo promoueret. Obseruabat ergo Eua præcepta mariti, quousq; cõcepit Seth, patrẽ prophetarum

Ab hæresi Sethiana acceptum est, quia dixit omnes prophetas à Seth originem ducere.

phetarum & caput nunciorum Dei. Qua ipsa hora lux splendens, à facie Adam migrauit in faciem Euæ. Fuitq; exinde Eua cunctis diebus in formæ decore, lucisque splendore addens usque adeò, quod & aëris terræque animantia uultus eius nitore admirata stuperent. Stupens & ipse Adam, se à tactu grauidæ cohibuit. Singulis itaque diebus angeli salutantes ad-
Seth. ueniunt, odores paradisi afferentes, quousque genitus est Seth solus. Nam præter Seth omnes partus Euæ gemelli fuerunt, singuli ex masculo & fœmina. Nascens itaque Seth, maternæ lucis splendorem propria facie præfert, matre exuta. Posuitque Deus inter infantem & satanam terminum, quem transire nequiret usque ad septem annos. Stetitque lux erecta inter cœlum & terram, per quam angeli super Seth descendebant. Præco etiam super thronos audiebatur, cunctis diebus clamans: Gaude terra, & exulta, digna luce Machumet. Super eum oratio Dei & salus. Fuit itaque lux illa resplendens à facie Seth cunctis diebus, quousque appropinquaret terminus Adæ. Adam uero uidens imminere sibi terminum, acceptum manu filium Seth ducit ad locum oratorium, sicq; affatur: Quæ seruanda commendo fili, omni uigilantia & cautela custodias. Deum siquidem, & Dei nostri præceptum habeo, ut ante obitum meum testamentum tibi faciam lucis, quam præfers: Ne, quemadmodum ego quoque diuino iussu seruaui, eam unquam nisi sancto dignoq; commendes. Conuersoque ad Dominum sermone, ait: Domine Deus meus, ecce ego, prout præcepisti mihi, semen lucis, quod priuilegio quodam mihi commisisti, uni de filijs meis commendaui. Mitte ergo de angelis tuis testimonium inter me & eum, antequam uitæ nostræ fiat separatio. Vix ita dictis, adest angelus Gabriel cum septuaginta millibus angelorum, singuli cum paginis albis, calamoque de calamis paradisi, salutantes Adam, & dicentes: Audita est uox tua Adam. Edixit enim Dominus, ut ordo generationis procedat. Scriptum itaque edictum Adam hæredi sub angelorum testimonio reliquit, sigillo Gabrielis eadem hora signatum. Induit itaque Dominus Seth tunica duplici, punicea, splenden-
Machuueliet soror & uxor Seth. te ut sol, tenui ut flos uiolæ. Eademq; hora in præsentia cœtus angelici sub omnium testimonio desponsatur Seth soror Machuueliet, candida, matri Euæ statura & habitudine æqualis, formæ decore uultusq; uenustate similis. Sic facto, mortuus est Adam. Seth uxorem cognouit, concæpit Enos. Audit igitur grauida cunctis ex locis continuas angelorum salutationes, in gloriam & benedictionem lucis Machumet, seruauitq; eam omnis cœtus angelicus, tam ab homine malo, quàm à spiritu maligno. Nato igitur Enos, & adulto, pater admonitum consilium diuinumque decretum prædicat, seruandi luminis & propagandi cum dignitate & reuerentia. Per ordinem ergo lucis priuilegium Enos commendat filio suo Chainan, Chainan uero filio Machieil, Machieil autem filio Baradæ, Barade uero ex Barra coniuge genito filio sibi Enoc, Enoc autem filio Mathusalem ex coniuge Thurige, Mathusalem uero filio Lehet magno & forti, Lehet autem filio Noë ex Kainusa filia Kebil: Noë uero filio Sem ex Gonrara, cum arcula pariter testamentum lucis continente, ab Adam tradita, ex materia splendida, gemmeis ualuis, ex aureis cathenis, & smaragdinis laquearibus dependentibus, ordinatis in ea mansionibus omnium prophetarum. Sem itaque luce Machumet resplendens, uxo-

rem

rem ducit ex stirpe regia. Commendatq; lucis priuilegium filio Arphaxat, Arfaxat autem ex Margena coniuge filio Heber, qui & Hud propheta: Cui omnia loca conclamabant, hanc lucem nascituri prophetæ Machumet, qua omnia idola destruebat, quacunque graderetur. Eber autem ex Musacha filio Felech, Felech autem Salech, Salech Argauua, Argauua Sorach, Sorach Thaod, Thaod Tharoch, Tharoch autem Abrahæ, ex Ibecilne coniuge. Qui cum nasceretur, erumpentia duo lumina ex oriente & occidente in medio mundo concurrerunt, factáque est lux una omnem mundum illuminans à terra usque ad cœlos erecta. Factus que est sonitus angelorum per uniuersum orbem plenus tripudio, & modulamine cœlesti cum ingenti præconio, eam esse lucem prophetæ Machumet, super eum oratio Dei & salus. Exaltauitq; Deus Abraham, quemadmodum Adam. Stupens itaque Abraham dicit Domino, se nunquam uirtutem huic similem uidisse. Cui Dominus: Hæc inquam lux, quam admirari non sufficis, ex semine tuo nascituri amici & nuncij mei est: Cuius anima in prima animarum creatione, animæ tuæ permixta est. Cuius uerbum in uirtute mea: Cuius nomen in cœlo Achmet, in terra Machumet, in paradiso Abualtrazim. Fuit itaque lux illa ex Abraham facie resplendens, senescente iam Sara sterili. Quæ cum diuinam promissionem ex mariti uerbis quasi diffidens sæpius retractaret, Abraham angeli coamonitu Hegir ancillam adit, statimq; luminis claritas in faciem grauidæ migrat. Nascitur Ismahel, patrum lumen præferens. Sed Sara grauiter ferens, Quid est, inquit, quod ego uacua maneo, atque alia seminis tui fructum profert, quem ego totiens promissum, diu frustra expecto? Quam cum nequaquam desperans iugi affirmatione solaretur, aduenium hospites angeli numero tres, qui inter cætera Saram imprægnari inducunt. Postremò igitur Abraham cum imminere sibi terminum sentiret, aduocatis filijs, in cuius facie lumen suum cognouit, ei luminis testamentum cum arcula continente tradidit. Ducit itaque Ismahel Beelam, filiam Albar. Quam cum cognouisset, genuit Keidar, paterna luce futuri prophetæ fulgentem. Cui septem dona collata sunt, nulli ante simul habita. Fuit enim ualidus, audax, pulcher, uelox, æquus, uenator, sagittarius. Factusq; rex, uxorem duxit Miliam de terra Isaac. Accidit itaque die quodam, ut dum uenatu sequeretur, uocem audiret dicentem: O Keidar, ne lumen tibi commissum indigne colloces. Quod faciendum restet, sacrificijs responsa quæres. Hic monitus, omni relicto negotio in terram Ismael proficiscitur. Qua primo altari constructo septingentos arietes adhibet. Quos dum sigillatim immolaret, holocaustum cœlestis arripuit ignis, quousque uox audita est, proficisci iubens sub arborem heremi, captandi responsi causa, quid faciendum restet. Pergit, auditq; uocem, uxorem ducendam ex Arabia, nomine Algadira. Parens igitur angelicæ uoci per omnia, in Arabiam proficiscitur, latóque terrarum spacio peragrato, peruenit ad regem Alierchamin, filium Aomar: cui unica filia erat Algadira. Algadiram ducit Keidar. Reuersusq; in patriam, uxorem grauidat: in qua concepti seminis lucem propheticam emicaret. Indignati filij Isaac, seditionem mouent Keidar, causam proferentes pro eo, quod ipsi filij sint prophetæ: Sibi potius deberi testamentum lucis propheticæ. Tunc Keidar accedit ad arcam, aperire parans, subitoq; audit uocem prohibentem

*Ibecilne mater Abrahæ.*

*Ostentum, sed commentitiũ.*

*Opinio uanissima de anima.*

*Tria Machumeti nomina.*

*De uxoribus Ismaelis.*

*Gen. 21.*

*Cedar septem dotibus insignis.*

*Alierchamin rex Ismaelitarum: cuius filia Algadira, uxor Cedar.*

hibentem illicita,futuroq; ſæculo diuinitus reſeruata,ſed deferenda arcula Iacob. Cui dum Keidar diuinæ inſtitutioni obtemperans deferret,audit Iacob in terra Chanaã ſonitum arcæ:occurritq; cũ filijs, Keidar arcã teſtamẽti tradidit Iacob. Cui Iacob: Gaude (inquit) Keidar,& exulta.Natus eſt tibi nocte iſta filius,cœleſti prẽconio prædicatus.Cui Keidar,Quid quos rumores noctis proximæ de Aram afferres in terra Chanaan? Cui Iacob: Vidi,inquit,nocte iſta cœlos apertos,cœleſtiq; lumine mundũ omnẽ illuſtrari: angelos uero quaſi ex miniſterijs,officio aſcendentes & deſcendentes.Inter cẽtera præconiũ ingens audiui,Algadirã peperiſſe tantę celebritatis cauſam. His dictis,reſeruata apud Iacob arca teſtamenti,Keidar abijt,reperitq; natũ Hamel,paterno decore inſignitum. Adultum igitur Hamel cum pater Mecham duceret ad ſanctuarium Abrahæ, obuiat in itinere angelus mortis in forma hominis,habitoq; uiantium ſermone ait,cõſilium ſibi fore cum Keidar.Keidar aurem præbenti,angelus animã per aurem eripit:Cadit mortuus inter manus filij.Filio de funere patris anxio,adueniunt uiri,quorum auxilio ſepultus eſt Keidar in mõte Taſiber. Valuit igitur Hamel duabus patris uirtutibus,ualetudine & uenatione. Poſt hæc ducit Hariedã,gignitq; Thebicht,patrio inſigni decorum.Thebicht uero genuit Hamieſa.Hamieſa aũt genuit Adeth,qui primus de tribu Iſmahel ſcripturis operã dedit. Adeth autem genuit Aduue. Aduue aũt Adnen,cui ob formæ inuidiã inſidias plerique pararunt. Adnen autem genuit Machat regem bellicoſum, Iſraëli infeſtum.Machat aũt genuit Nizar:in cuius facie cum pernitentem uideret pater lucem naſcituri prophetæ,holocauſta arietum filio ſacrificat. Nizar aũt genuit Muſarẽ: cuius claritatẽ cum pater miſaretur,caſtigauit, ne ſemen lucis niſi digno utero cõmendaret. Factumq; pacti chirographũ, in ſanctuario Mechæ ſeruatum eſt.Deinde Muſar duxit Kerinam de gente ſua. Quæ confecta ſenio,peperit Aliez.Qui cum diu ſine cõiuge maneret, cõmota ſunt uiſcera eius,audiuitq; ſonitum lumborum ſuorum. Territus, diuinos adit.Reſponſo monitus,ducit Machara. Ex qua naſcitur Madraca. Madraca uero genuit ex Pharadz Horeima,cui in uiſione mãdatum eſt ducere Atamram filiam Vdem, ex qua genuit Kinena. Kinena uero genuit Annofra ex Rehiana. Adulto igitur Annofra pater ſomniũ exponit,quod ante ipſum uiderat. Arborem uidelicet ex lumbis ſuis conſurgentem,micãtibus ramis cœlos contingere: per ramos uero homines albos aſcendere,& deſcendere. Reſponſumq; à diuinis:arborem tãtam eſſe prolem ingentem, quæ & terras illuminaret,& cœlos cõſcenderet.Tãtus igitur extitit Annofra,ut cum Deus ab angelis ſuis quæreret,dicens:Eſt ne hodie homo in terris memor nominis mei? Reſpõderunt angeli,neminem planè,excepto Annofra filio Keinena de tribu Iſmahel.Poſthęc Annofra ducit Rahel:ex qua naſcitur Melic primo lumine futuri prophetæ præfulgens.Melic autem genuit Falhrem,Falhrem aũt Luie, Luie uero Galiben, Galiben uero Kab, Kab autem Murram, Murra Cudai regem Arabiæ fortem, prudentem, & iuſtum. Cudai uero genuit Abdamenef,regem potentem per quatuor mũdi partes. Habuitq; arcam Himahelis,uexillum Nizar,& claues omnium idolorum Mechæ. Genuit Abdemenef quinque filios. Primus Heſim,dominus paternæ lucis, naſcituri prophetæ Machumet regnum poſſidebit, uir tantæ muudiciæ, ut teſtatus fuerit ei dominus in hæc uerba: Teſtimonium adhibeo noſtrum angeli mei, quod hominem hunc omnis

*Adeth primus inter Iſmaelitas literis operam dedit.*

*Machat rex Iſraelitis infeſtus.*

*Somnium. Et uanitas eſt, ubi multa ſomnia.*

*Melic. Cudai rex Arabiæ.*

mnis immundiciæ immunem feci,ut digne in lumbis eius semen lucis nun
cij mei Machumet carni & sanguini eius miscuerim. Fulgebat enim facies
eius, non minus quam luna & lucifer. Quæ causa erat, ut tam insigni uiro
omnia supplicarent. Currebant ex omni parte reges & principes, offeren-
tes filias uirgines regi.Repudiabat omnes pariter cum filia Constantini,fi-
lij Helenæ,Romanorum imperatoris,non immemor diuini moniti,non su-
peresse dignam in terra suscipiendo lucis semini, excepta Seline filia Zeit,
filij Aomar,filij Leuit,filij Harras,filij Addi,filij Bahar regis.Genuit igitur
Hesim ex coniuge Seline Abdalmutalib, omni uirtute plenum, pariter cũ
luce futuri prophetæ.Qui cum die quadam solitarius dormiret,somnio per
territus,subitó ex pergefactus est.Perterritus ita,mittitur diuinis.Respon-
so accepto,desponsatur Hende filiæ Achamet. Igitur Abdalmutalib cum
esset XV. annorum, pater Hesim terminum sibi præsentiens, principes &
magnates regni sui conuocat,fieriq; precipit Hommi filio,pariter etiam ar-
cam Ismahelis,uexillumq; Nizar,omniaq; armaria Mechæ, & insignia hæ-
redi reliquit.Huic igitur omnis principum populus tributa soluens,metal-
li aggerem congerunt.Eratq; omnis illa terrarum pars huic regi subdita,ex
cepto Cæsare filio Hermetis regem Mediæ : cuius inimicitias superare ne-
quiuit. In diebus Abdalmutalib quotiens nimia siccitas terram urgebat,
concurrebat omnis populus ad regem,arreptumq; manu ducebant in mon-
tem Tasiber. A quo cum ex facie eius lux illa terram illustraret, continuo
sequebantur pluuiæ. Accidit interea,ut rex orientis Abrahat,filius Assa-
bath,excitaretur in Abdalmutalib,ut Mecham omnesq; terminos eius ex-
tirparet. Factumq; est,ut cum multitudine graui irruens ciuitatem obside-
ret, totis terminis eius deprædatis simul cum quadringentis camelis Ab-
dalmutalib.Incolę ad regem confugiunt,consilia & auxilia captantes.Sola-
tur rex,firmatq; fiduciam,exponens ciuitatem illam dominum habere cœ-
lestem,qui fouere & protegere eam non desinat.Hęc dicens,paucis comita-
tus procedit in montem Tasiber:unde splendor nuncij Dei tanquam pleni-
lunij ex eo utrinq; erumpens, usq; in sanctuaria Mechæ in modum cerei
flammantis corruscat. Quo uiso,firmata securitate,comites redire iubet:Ip-
sum Mecha recipit. Videns igitur hostis se quasi neglectum, mittit equi-
tem strenuum Heiatet Abhanieri causam quæsiturum, ad regem Mechæ.
Ad quem cum uenisset,uiso lucis insigni,pedibus eius prouoluitur. Expo-
sito nuncio,consurgens Abdalmutalib equitem sequitur. Venit ante regẽ
Abraahat. Abraahat exurgens uenientem excipit,secumq; rex regem col-
locat.Mutuis itaq; uerbis habitis,conuersus Abrahat in faciem Abdalmu-
talib,sciscitatur: Vtrum ne id lumen primus ipse habuerit,an ex parẽtibus
collatum. Respondit, per omnem patrum successorum seriem descendisse.
His habitis,iubet Abrahat elephantem in ostentaculũ produci.Procedens
elephas,corruit ad pedes Abdalmutalib,simulq; in uocem humanam erum
pens,his uerbis insonat:Salus super te Abdalmutalib,& super lumen,quod
ex lumbis tuis emicat.Tecum dignitas & claritas,honor & uictoria.His cõ
motus Abrath, magos, sortilegos, aruspices, & ariolos accersiri iubet, cau-
samq; rei percunctatur. Qui dicunt,nõ id exhibitũ esse Abdalmutalib, sed
semini lumborum eius. Vnde egressurum prædicant regem,cunctis mundi
regibus maiorem futurũ. Post hæc Abrath rogat causam aduentus Abdal-
mutalib.Cui cum exposuisset de camelis,ait: Quia ut primum uisus,statim

*Cõstantini Romanorum imperatoris filiã oblatã in matrimonium respuit Hesim. Iterũ somniũ.*

*Ingens uis opum ex uectigalibus.*
*Cæsar filius Hermetis.*

*Mira pluuiarum euocatio.*
*Arahat rex orientis.*

*Mecha obsessa.*

*Elephas loquitur gratia Machumeti, ut asina Balaam scilicet.*

*Machumet cũctis mundi regibus maior.*

amore tuo me uicisti. Et camelos reddam, & in cæteris uoto tuo concedam, excepta aduentus tantum causa Mecham destruendi. Reddit Abdalmutalib: iubetq; ciues ad montana effugere. Ipse sanctuaria concludit, cum huiusmodi oratione: Domine quiscunque es huius domus, cum homines etiã mansiunculas suas defendant, quanto magis tu Domine domum tuam? Interea Abrath castra mouet, iubetq; omnem exercitum ciuitatem aggredi, elephantem cum omni mole impedimentorum præmittere parans. Concitus elephas, ut eo impelli sentit, horridus barriens procidit. Agitarq; frustra conantur. Nam nec flagellis, nec tympanis ad aures tinnientibus proficiunt. Matura tandem ultio diuina auium multitudinem immittit. Aues desuper lapidibus immissis, omnem exercitum obruunt. Inter cęteros Abrahat medius crepuit, totaq; caro & ossa eius subita peste consumpta, horrendè fetida, corui colorem induunt. Hostium itaq; reliquijs tota regione abundante, ipse Abdalmutalib immensè ditatus, duxit Bethalam filiam Hares: Ex qua natus est ei Abulheb, malignus & infidelis. Mortua Vehela, duxit Zaada filiam Giez: ex qua genuit Alaabez. Mortua Zaada, duxit Huncida, ex qua genuit Hanza. Posthæc & Huncida mortua est. Accidit igitur die quodam, ut dormiens super lapidem, quem Abraham in sanctuario suo Mechę fundauit, uideret uisionem: Cuius terrore expergefactus, diuinos adit, sequente paruulo Alaabez filio, exponitq; uisionem, ut ex lumbis suis cathenam producentem uiderit quadripertito hinc usq; ad ortum solis, illinc usq; ad occasum surs̃um usq; in cœlum, deorsum usq; in profundum abyssi: subitoq; tota complicata, in immensam arborem murata surrexerit, uiridem & floridam, qualis nunquam uisibus humanis patuerit. Interea adsistentes sibi duos senes, ad quos conuersus cum rogauerim. Ait, qui fuerint, alter Noë, alter Abraham, prophetas altissimi Dei se esse confessi sunt. His inquit expergefactus, ad uos nescios consulendos aduenj. Datur responsum, ex lumbis eius egressurum hominem, per quem cœli & terrę credant, omnesq; nationes ad iustitiam & ueritatem conuertat, quæ tuens omnem dolum & iniquitatem destruat. Moratus est ergo Abdalmutalib aliquandiu dubius, cui mulierum temporis sui potissimum iungeretur: quousq; oraculo didicit, Fatimam filiam Aomar ducendam. Ducit Fatimam datis in arras sponsæ C. camelis, & totidem talentis auri. Genuit ex ea Ibetalib, & Eminã, & Bertam: Nec splendor lucis à facie eius migrauit, quousq; die quodam uenatu rediens oratiõe soluta fessus, ut fit, aquæ poculo sitim extinguit. Haustus liquor lũbos cõcitat. Vxorem adit. Grauida lucis splendore coruscat. Cõiuge tunc deinde exuto, peperit. Igitur Abdalla, qui primũ dictus est Abdallet, minor filiorũ Abdalmutalib procedit. Abdalla paternæ lucis splendore coruscus, cuius natiuitas eadẽ hora Alahar Syro cognita est. Habebat eñ Syrus telã de lana cãdida, tinctã in sanguine Ioãnis filij Zacharię, quę hora natiuitatis Abdalla stillare cœpit. Quod ille scripturarũ, quas legerat, testimonio cõsens, cognouit Abdalla filiũ Abdalmutalib. Notatoq; annorũ, mensium, & dierũ cõputo, ut cognouerat, inuenit. Cũ igitur ætate processisset Abdalla, conuenit multitudo magorũ & aruspicũ, cũ sortilegis & ariolis, multaq; id genus plebe, ut occiderẽt eũ, pro eo quod de semine eius omnis culturæ suę ruinã præuidebãt. Datus est igit̃ Abdallæ pędagogus tutor, qui uidebatur homo, nec erat, ipsumq; perpetuis excubijs obseruans, oẽs illorum uisus frustrabat. Pugnabãt eo tẽpore Arabes cũ Syris, quotiensq; ex Arabia quiquã

*Iterum in elephanto miraculum.*

*Iterũ somniũ.*

*Abdalla, qui & Abdallet. Iudæus astronomus fuit & doctus in lege sua & Christianorum, Abdallæ familiaris.*

*Miraculosus sanguis baptistæ Ioannis.*

*Magi coniurant in necem Abdallæ.*

in

in Syriam uenirent, à diuinis Syriæ ab Abdalla reuersis, quid de illo uisum esset, scíscitabantur. Quibus ille, se reliquisse eum in magna uirtute & fortitudine, lumenq; illud præclarum & admirabile, quod præsentabat, nequaquam eius esse, sed nascituri ex eo prophetæ, & nuncij Dei Machumet. Post hæc collecti sunt septuaginta sapientes de Iudæis, coniurati omnes unanimi terin necem Abdallæ. Arreptis igit̃ LXX gladijs toxicatis, pariter omnes Mechã proficiscuntur: ita quidem ut noctu irent, lucem quiete & silentio, & in abscondito transigentes, quousq; in finibus Mechę in abscondito recepti sunt. Hic dum, ut mos erat, quietem noctem ut præstolarentur, sors Abdallam † uenerat pergentem solum, per medias ingerit insidias. Cognito quem quærebant, libera occasione oblatum totus hostium populus strictis gladijs occurrit: Circundant hominem. Homini laborantí auxilio ueniunt uiri, qui uidebantnr homines, nec erant: Partimq; cæsis, partim dispersis hostibus, laborantem eripiunt, & incolumem saluant. Aderat eminus hoc conspiciens, qui nec interim appropinquare cessauit, Abdemenef Azuchri. Cumq; cognouisset Abdallam, reuersus domum conuenit uxorem Berram de filia Hemina, quam pulcherrimam & honestissimam habebat, ut si quo modo fieri posset, amore caperet Abdallam, antequam alijs occuparetur. Factum est autem, ut Berra cum filia ornatissimè composita, quasi uisitandum Abdallam uenerit. Visæ uirginis amore iuuenis hæsit. Nec immemor uisionis, qua id præscriptum acceperat, aut longum differens, Eminam ducit. Quo zelo per omnem ferè Arabiam mulierum multitudo correpta est: in tantum, usq; quo ad ducentas numero flamma frustra sperati amoris consumptæ interierint. Quamplures uero ex longa uexatione uix deinde resipuerunt. Ventum est longa sæculorum serie usq; ad terminum, quem prouiderat Deus, & præscripserat, ut lumen prophetę Machumet ipsum tandem in mundũ prodiret. Factaq; est in mense † dulcheia, nocte ueneris, diei * Arrafa, uox domini ad Arriduam, dicens: Aperi portas paradisi, omniaq; eius penetralia. Nocte siquidem complacuit mihi, ut lumen nuncij mei ex lumbis Abdalla in uterum Eminæ transferam, in mundum processurum. Sic facto, cum iret Abdalla filius Abdalmutalib, iudex & dominus Arabum, ad domum orationis, respiciens uidit lucem magnam à domo sua in cœlum effammare. Quod cum simul comitantibus assignaret, & ipsi idem se uidere testati sunt. Post hæc mortuus est Abdalla, prẹgnante uxore. Transactis igitur diebus XII de mense saabem, feria secunda prodit in lucem ipse Machumet. Qua ipsa hora inclinata sunt idola, & denigrata. Arreptus etiam Lucifer ab angelis, immersus est profundo maris alcazum: Vnde uix post quadraginta dies euadens, in montem Kobelz aufugit. Quò cum terribili fragore & horrendo mugitu omnes angelos suos conuocasset, quid causæ sit, anxij rogant. Causam exponens, Quia natus est (inquit) Machumet filius Abdalla, quem Deus produxit, missum in gladio radianti, acie cuncta penetrante, in nostram planè ruinam, ne quicquam nobis in mundo supersit, nec restet locus, quò non perueniat per eum doctrina de unitate Dei, qui cuncta creauit. Propter hunc etiam prophetam damnauit me Deus, & posuit Satanam maledictum. Iste enim est propheta † alumi arabi de * Alchoras Tuhenn azezen, dominus uirgæ & cameli, fidelis Deo: Cuius unitatem prædicans,

*Iudæi coniurant in Abdallam patrem Machumet.*

† *Videtur legẽd. sors quæ inuenerat.*

*CC. mulieres ob unius amorem mortuæ.*

† *Is est mensis positremus Arabum.*

* *Id est, dies quo aperiuntur portæ tẽpli Mechæ.*

*Abdalla princeps Arabum.*

*Abdalla pater nondum edito Machumet ex cedit è uiuis.*

*Nato Machumet inclinarunt se & denigrata sunt idola.*

*Lucifer mergus in mari Alcazum.*

*Conciliabulum cacodæmonum causa Machumet. Non meus Satan organum tuũ, sed simulas.*

† *Alumi, id est laicus, uel illiteratus. aliter alumi legitur Et hæc uerba in textu ponũ tur.*

* *Alchoras, id est natione. ſ. prouincia Azazemi, id est à fonte.*

al. de Alchoras Tuhemi, id est, ex ista prouincia Azzemi, id est, à fonte.

prædicans, omnem participatum abiget. A' quo, & gente eius, & cor & oculi mei obstruentur, ut nec supersit locus fugæ nostræ tutus. Cui satellitum suorum principes respondentes, aiunt: nec hoc domine rex noster curæ tuæ causa sufficiens est. Meministi siquidem, ut Deus Adam septem uirtutibus perfectum creauit. De quibus cũ hoc tempore una tantum supersit, an metuis, qui in illum prævaluimus, nos resistere huic non posse? Quibus ille: Nequaquam, inquit, confido. Hominem siquidem uideo, qui dolum & iniquitatem perdens, iustitiam & ueritatem seruabit. Aggrediemur, inquiunt, genus humanum per concupiscentias eorum, dolo & hypocrisi, omnicq; ingenio mendacij. Multisq; huiusmodi frustra solantur. Cum autem anno illo tota illa pars terrarum sterilitate damnata esset, Deus nati prophetæ & nuncij sui benedictione & saturitate totam repleuit. Posuitq; ea nocte per omnem Arabiam interstitium inter masculum & fœminam, quod nemo Arabum tota illa nocte transgredi potuit. Omnibus etiam magis, sortilegis & aziolis eo die artificium suum defecit. Euersa sunt eadem hora omnia solia regum ab ortu solis usq; ad occasum, ut nullum staret erectum. Qua ipsa hora iecit Deus præconem per cœlum & terram, natum sibi amicum fidelem & benedictum. Testatur & mater, filium nec in utero, nec partu, ullum feciſſe dolorem: Hoc referens, quod cum sola esset in domo solitaria parturiens, nec adesset qui sitienti poculum ministraret, nec ipsa sufficeret, Adest, inquit, mulier cum poculo in uase perlucido, haustumq; præbens, laborantem reficit. Assunt & obstetrices albis indutæ, similes filiabus Abdemenef, ut iusta me admiratione terruerint, quis illis indicauerit, aut unde tam celeres aduenerint. Interea uocem audio dicentem, recipi infantem ab oculis hominum: uideoq; acies auium cum rostris smaragdineis, atq; alis hyacinthinis, extendentes uisus meos ab ortu solis usq; ad occasum. Territa ad infantem respiciens, uidi quasi inflexum, tendentem digitos ad cœlum, tanquam fundendis precibus. Aduenit & uir albis indutus, tres claues margaritis similes infanti proponens. Quas cum simul omnes collegisset infans, exclamauit dicens: Recepit Machumet clauem uictoriæ, & clauem legum, & clauem prophetiæ. Sequuntur tres uiri, faciebus tanquam sol radiantibus. Quorum primus peluim smaragdinam cum quatuor ansis margaritis continentibus proponens, ait, Hic est mundus iste, & cardines eius: Hic oriens, hic occidens, hic meridies, hic septentrio: uideamus quam partem capiat. Illo totum è medio capiente, ait: Quia recepit Machumet † Alkaaba per Dominum cœli & terræ, & * Abalkibla toti mundo imperabit. Capiensq; urceolum ex secundo, infantem septies lauit, deinde manu tergens, euoluensq; sigillum inter scapulas eius suprà scriptum characterem impressit. Tunc assumens eum inter alas, affixo ore in aurem longum fudit susurrum, nemini auditum. Datóque in fronte osculo, ait, Gaude, & exulta Machumet. Tibi enim conseruatum est, quicquid cæteris negatum fuit prophetis: quos omnes sapientia & cordis amplitudine superas. Cum tibi præ cæteris data sit clauis uictoriæ, eris sine metu & horrore: nec restabit in mundo, qui nomen tuum non prædicet. Hunc dicit Alaber fuisse Arriduuam. Attestatur & auus Abdalmutalib, quòd cum esset in oratione † sibeit Alharam idolum Abel adorans, repente insonante ualido fragore perterritus est. Hic (inquit) adstitit uir alatus, alarum attactu per terrorem confortans. Interea uocem magnam audio ter repetitam: Deus

Dolo, hypocrisi, mendacio, egregie fucũ fecit.

Omnia plena sunt miraculis

Nota statim contradictionem in uerbo.

Machumet tres claues accepit.

Id est, templũ Mechæ.

* Id est, ab eodem templo.

Machumeti conseruatum, quicquid negatũ aliis prophetis.

Christus regnabit, et Machumet cadet.

Fibeit, id est, in domo.

maior,

maior, dominus Machumet omnipotens, domumq; ipsam hic & uerbis intonantem: Nunc emundauit me Deus ab idolis, omniq; eorum spurcicia. His attonitus ad uisendum nurum properat, pulsat, aperitur. Visa nuru, Quid (inquit) ô nurus optima, quid uides? Dormio, an uigilo? Nurus, Vigilas sanè. Et ille, Vbi est ergo splendor faciei tuæ? Cui illa, in nepote tuo. Iam enim peperi. Socer, ludis ne me? Nam nec ueri simile est, quod dicis. Nullum enim signum partus in te comparet, præter splendoris absentiam: cum præsertim nec parturientis solatium, nec partus auxilium aliquod sola relicta uideam. At illa, Per domus huius penates, peperisse me non dubites. Et ille, Vbi est ergo? demonstra, ut uisendum adeam natum. Cui nurus: Nec hodie uidere tentes, quin certum habeas his IX diebus humanis uisibus prohibitum. Hic illi extracto gladio, Aut tu (inquit) iam uidendum dabis, aut ceruicem huic gladio: aut ego quidem, ut utriq; satisfaciam, in meipsum hunc gladium conuertam. Mulier uicta, illic esse, digito assignat: Ille irrumpens, ut penetralia adire parat, uir terribilis obuius oppositio ense aditum prohibet. Viso territus, in fugam conuertitur, impedito linguæ officio per septem dies. Hic igitur, ut Ibenaber asserit, certatim conueniunt omne auium genus, tum nubes & uenti ex omnibus mundi partibus, postremo & cœtus angelici pro educatione infantis altercantes. Dicebant enim se aues commodiores esse nutrimento infantis, pro eo quod diuersis fructibus cõgerendis faciles sint. Dicebãt uenti, Imò nos potius, qui totius mũdi odoribus eũ replere possumus. Dicebãt nubes, Quinimo nos comodissime, quibus omnium aquarum dulcedinem ministrare promptũ est. Indignati angeli aiunt: Ad quid hæc? nobis hæc cura superest. Litem compescuit uox diuina, dicens: Non auferetur manibus hominum. Nam beata ubera, quæ suget: beatæ manus, quibus tractabitur: Beata domus, & cubile eius. Iniunxitq; Deus curam hanc & officium Halimæ filiæ Dueib Azadi. Cuius rei causam & ordinem Halima ipsa exponit, dicens: Anno siquidem eo tota Arabum regione fame pereunte, ego grauida tanto grauius uiuebam, quanto sterilia rura quærendis uitæ suffragijs peragrare minus ualebam. Producebam tamen utcunque uitam, deficientem campestribus quibusq; herbiculis, non mihi magis anxia quàm fœtui, gratias agens per omnia Deo. Peperi tandem, nec longe post partum ecce in uisione somniantem me uir ad flumen perducit lacte candidius, melle dulcius, croco suauius, butyro blandius: unde bibere iubet, unde implear lacte & beneficio. Cumq; bibissem, monet denuò. Cumq; bibissem, cogit tertiò. Post hæc conuersus in me, Nosti ne me, ait? Respondi, Non. Tunc ille, Ego sum (inquit) Gratia, quam agere Deo non intermisisti, in omni affectione tua. Mando igitur, ut Mecham pergas. Inuenies enim illic gratiam, & ampla beneficia: unde cum integro splendore tanquam plenilunium redibis, omniaq; hæc silentio seruabis. Tunc manu sua pectus meum tangens ait: I, cum gratia Dei, det tibi & lactis abundantiam & beneficiorum. His expergefacta, plenam me & integram reperi, lacte ex uberibus meis in modum canalis profluente: idq; eo nempe tempore, cum tota propemodum gens Arabum fame periret. Attenuante namq; mane corporum & habitudo & color immutata erant. Gemebat omnis domus, nec audiebantur per uicos nisi tanquam ægrotantium uoces. Deerant & lachrymæ intensa siccitate. Nec mirum, omnis enim tellus arida, omni uirore carebat. Arbores † ne de flori-

*Ibenabem citatur.*

*Certamen de Machumetis educatione, maius quàm de patria Homeri.*

*Halima nutrix Machumeti.*

*Gratia.*

*Ne, pro non sõlum ueruetia.*

bus,imò etiam frondibus nudæ. Ipsi etiam montes & syluæ gramina ignorabant. Inter hæc, hisq; similia, me subita commutatione & habitudine plenam, & colore integram, mirandum, omnis populus accurrit,id ualde stupentes, quod cum externo die fame consumpta nec homo uiderer, hodierno delicijs affluens uiderer filia regis. Itaque diem quodam ego & plures aliæ cum in partem Mechæ, ut solebamus, quærendis graminibus exiuissemus, audiuimus semel omnes præconem uociferantem, quod Deus altissimus & benedictus per totum illum annum ab oriente usque ad occidentem interdixerit omnem partum, tam hominum quàm dæmonum, causa unius qui natus est Malchoraïs. Ipse sol diei, & luna noctis. Accurrite ergo mulieres de Benizat, & inuenietis filios nutriendos. His auditis reuertuntur omnes, quæ simul mecum audierunt, ut cum maritis suis conferrent de uerbo,quod audierant. Instituunt iter Mecha. Ego cum marito meo asinam sedens, postrema egredior. Dumq; pergo, audio aluum asinæ † mutu gressus dah dah resonante, utpote potu inundante sine cibo. Inter hæc maritus increpat, ut acceleremus: quoniam præcesserunt omnes. Audio simul omnibus ex locis uocem Hamen hamen ô Halime. Coniugem appello, Non audis, quæ audio? Ille, Quid audiam? Insana es,aut paues. Vrget asellam stimulo. Illa imbecillis uix mouebatur. Peruenimus è monte in uallem. Et ecce uir, in manu sua telum splendidum, quo percutiens asinam super uentrem, ait, Perge iam ô Halima cum pace & salute ad effectum uisionis tuæ. Præcepit mihi Dominus,ut custodiam te ab omni homine malo, & omni spiritu maligno. Appello coniugem. Audis'ne & uides, quæ audio & uideo? Ille, Quid habes pauida? Tecum esto. Audiam'ne & uideam, ubi nec uox sonat, nec corpus adest? Impellit asinam. Illa ictu uiri restituta facillime prosilijt: ita quidem, ut alias omnes, quæ longe præcesserant, nos facile consequeremur. Peruenimus mane prope Mecham ad duo milliaria. Hic ego fessa considens, maritum præmitto, ammonitione uocis quam audieram, ad domum Abdalmutalib. Interea omnes alias accersiuerat Abdalmutalib, omnesq; repudiarat infans. Vnde reuersæ omnes iam inuenerant, quod quæsierant. Solus supereſt filius Abdalla,& ego sola. Interea perueni & ego, audióque præconem, quem iecerat Abdalmutalib: Si superstes est alia de mulieribus Benizat,ueniat.Et ueni.& respiciens Abdalmutalib rogat,Cuias est? Respondeo,de † remzat. Et ille, Quod tibi nomen? Ego, Halima. Hic ille, Papæ bath beth, inquit, Zaad & Helin † ron omnia in una responsione: Est mihi nepos orphanus, nomine Machumet, qui iam omnes alias repudiauit. Veni uidere, Faciam, inquam,si prius coniugem consuluerim. Et ille, Ne obtestor, offensa recedas. Ego, nequaquam. Maritus recipere consuluit. Interrupit fratruelis meus,qui una nobiscum aduenerat, quid mihi uelim, ut orphanum penuriæ domus meæ adjciam. Ego concessione mariti nec immemor uisionis, infantem postulo. Exhilarata est facies audientis. Acceptaq; manu,deducit ad penetralia. Intranti assurgens mater infantis Emina, cultu & forma splendens ut lucifer, ait: Grates & gratias. Tibi ô Halima datur infans, super eum oratio Dei & salus. Inuolutus syndone laneo lacte candidiore, musto suauiore: subtus interula serica uiridi blandissima, resupinus dormiens mellitum attingens. Expergefacio. Aperiens oculos, arrisit. Ex ore lux emicat usque

*Deus edicto uetuit omnem partum.*

*Malchoraïs. Alchoraïs.*

*Forte, inter.*

*Vox congratulationis.*

*Benizat. Al. secundo.*

*Machumet orphanus, quippe posthumus.*

in cœ-

in cœlum. Stupens faciem eius operio, per horam deinde mammillas præbeo. Recepit dexteram. Nam Ibenabez ait, sinistram eum collegæ suo, filio nutricis, nomine Daram, reliquisse. Recepto igitur infante, cum ad coniugem redirem, ait, Halima, respiciens uidi inclinato eum capite humiliari ablato infanti. Et dicebat, Gaude Halima. Nec enim ulla nostrarum cum tanto beneficio reuertitur. Mandauit autem mater, ne Mecha discederem, antequam consilium eius audirem. Quod expectans transacto triduo, nocte quarta forte, ut fit, expergiscor. Et respiciens uideo uirum uiridi perlucido indutum, ad caput infantis sedentem, oculis frontem paruuli continue repetentem. Suauiter excito coniugem, ut miraculum uideat. Ille uidens susurrantem conspicit, & silentio rem seruari monet. Transactis itaque diebus, cum reditum omnes pararent, procedimus & nos. Cumq; consedissem asinam, præbet maritus paruulum. Procumbit asina, tanquam adorando. Suscepto consurgit, & subleuato capite præcurrit omnes, quæ iam præcesserant. Quod cum uiderent, admirantes rogant: Hæccine est asina tua, per deos O Halima? quam nudiustertius totiens releuari uidimus? Respondi, hæc ipsa, hæc ipsa. Asina tanquam pro se respondens, & in uerba humana prorumpens, alta uoce proclamat: Sic me Deus ex pereunte refecit, ex morte in uitam restituit. O si sciretis, quis est, quem defero. Hic est, inquit, sigillum prophetarum, Dominus nunciorum, melior prioribus, amicus Dei omnipotentis. Quid plura? Perueni ante alias omnes: omnisq; fortuna mea ita commutata est, ut non solum domus mea, uerum omnis uicinia fortunæ meæ fauorem senserit. Ita ergo educatus est, ita creuit, ut nullus unquam nutrientem molestijs infestarit. Factumq; est, ut cum puer iam inter pueros lusum iret, & rediret, die quodam lusu rediens, interrogat dicens, Vbi sunt fratres mei? O mater, cum eos hic non uideam? Respondi, abesse ad pascua, nec ante uesperum redituros. Cœpit flere, dolens, quod ipse cum eis non ierit. Solata sum, promittens. Mane facto, appositis quæ & solis terrori & oculis fascinantibus opponuntur, puerum cum filijs meis ad pascua mitto. Sicq; multis diebus facto, ecce die quodam uenit accurrens filius meus Danira, ualido clamore totam domum terrens: Accurrite celeres: nec enim fratrem meum Machumet, nisi mortuum inuenietis. Territus pater quærit, quid nam acciderit. Ille tres uiros puerum è medio sociorum arreptum in montem eleuasse, apertoq; uentre totum euiscerasse ait. Accurrimus amentes inuenimusq; ut dixerat in monte, illæsum tamen. Rogamus queruli, quid nam acciderit? Ille quasi terrefactus, Tres (inquit) uiri de pascuis arreptum huc eleuarunt. Quorum primus à pectore usque ad umbilicum nihil lædens aperuit, apertaq; uiscera niue lauit. Succedens secundus, cor per medium scidit, & è medio granum nigrum eripiens, abiecit dicens, Hæc est portio diaboli. Tertius † loca extergens, me ut fueram, & sum restituit. Quo facto me in una libræ lance posuerunt, in altera decem uiros, & pars mea pependit. Apposuerunt & alias decem, & iterum partis meæ pondus uicit. Sic facto, Sinite, inquit unus: Nec enim innumerabilis hominum multitudo huic æqui pendere posset. Osculisq; mihi in capite & fronte datis, abeunt. Et ecce digito assignans, ait, Abeuntes nonne uidetis? Hicq; tanquam febre percussus, intremuit. Tremulum solliciti diuino, quoniam uicinum

*Asinæ Machumeti se inclinat.*

*Asina loquitur, testimonium reddens Machumeti.*

*Superstitio.*

*Danira filius Halimæ, collactaneus Machumeti.*

*Machumet puer euiscerat⁹ & repurgatus.*

† al. lota.

*Machumet multis præpõderat.*

*Quod uerum est sano intellectu. Augurium adhibitũ Machumeto.*

habebamus, adducimus. Cui cum rem exposuissemus, ab ipso audire uelle ait. Ille ab initio rem omnem per ordinem pandit. Aurem diuinus attentus præbet. Vix dum finierat: Et ecce aruspex inflammatus spiritu, iniectis manibus arripit puerum, & adstringens exclamat: Hunc credite, si superstitem dimittimus, ruinam omnis fidei & religionis nostræ patimur. Pro turba deorum accurrite io populi, si quos deorum sacra mouent: nec tantam diuinitatis cladem patientes, me potius cum ipso pariter perimite. Hic ego uehementer irruens, puerum eripio. Domumq; reducto consulit omnis uicinia, ut ab solitaria educatione puerum parentibus reddam. Credito consilio, cum puero Mecham tendo. Cumq; per maiorem portam introirem, in introitu portæ senatus consederat. Hic & ego cum audiendo causas consedissem, puero ante me collocato, subitò inter manus meas puer euanuit. Exclamo territa, quis nam subduxerit, aut sic ubi uisus fuerit? Omnes uidisse negant: clamantem dementiæ potius & furoris increpantes. Ingemino miserandas uoces, lachrymis profluens. Audientes plangentem, solatio accurrunt. Dumq; circumstant, adstitit senex tremulus, ferula subnixus, monens ut Abhabel responsum quæram. Cui cum respondissem id s. *dos ne pro eo rogem frustra quem ipsi adeò suspectum habent, ait. Sequere ergo me, si tu desperas: Ego pro te orabo. Sequor. Ingressus itaq; senex incuruatur Abel principi, sicq; socijs dijs per gyrum, datisq; osculis, manibus & genibus Abel supplicat pro puero Machumet filio Abdalla, filij Abdalmutalib. Hic ipse Abel, omnisq; illic adstantium & multitudo contremiscens intonat: Nos ne stulte senex infestare uenis, eum nominans, qui in ruinam nostram natus est? Abi hinc malè sane. Ita ne tecenium alienauit, ut tui oblitus aliena tractes? Hinc ego, ingeminato dolore anxia recedo, cogitans, ut ante rumorem ego prior ad Abdalmutalib occupem, aggredior. Ille ut audiuit, uehementi furore concitus, ualido clamore totam urbem commouet. Arreptoq; gladio: Quoniam, inquit, inuidia mihi nepotem ademit, ego hodie tantam cædem in Alchorais conficiam, quanta nullis audita sæculis: aut integram mihi uindictam reddat, ut saltem iram meam abundantia sanguinis satiet. Affluit turba magnatum & plebis. pauidæq; trementibus alijs, procedentes principes solantur, dicentes: ut quid hic domine rex? Nónne equorum cursu totam prouinciam lustrare possumus, ne ullus superstit locus, qui absconditum retineat? Sic facto, frustra fatigati redeunt. Rex impatiens templum ingreditur, ut saltem deorum munere amissum recuperet. Audit interea præconem cœlitus clamitantem, iuxta fluuium Tuhene sub arbore heremi reperiendum.

*Machumet hostis deorum.*

*Senatus in porta. Quo loco causas antiquitus actas esse, patet in Iob & Mose.*

*Querela deorum uidentiũ per Machumet se destruendos.*

Profiliunt rapidi: inueneruntq; puerum, cum gaudio & exultatione magna reducunt. Ego regijs muneribus diues, læta domum cum gratiarum actione rediui. &c.

INCIPIT

# INCIPIT CHRONICA MENDOSA ET RIDICVLOSA SARACENORVM.

*Libellus iste de uitis Machumetis & successorum eius, etsi non integer est, quod colligi potest ex primo libro Cribrationis Alcorani Nicolai de Cusa: non tamen ingratus erit studiosis, dum integrum nanciscì liceat. Ostendit autem initia & pessimas artes, quibus imperium Machumeticum est conditum. quædam etiam, quæ lectioni Alcorani accommoda sunt.*

IN creationis suæ primordio Deus, manu propria quatuor condidit, prout multorum Arabum, cæterorumq; Saracenorum plurimum testimonium perhibet, & authoritas asserit. Ego uero Latinus interpres, eorum nomina silentio commendaui. Vt enim à latinitatis regulis prorsus sunt aliena, sic illi licet diligenter adnotata, penitus manerent frugis omnis expertia: Nisi quis uerborum prolixitatem, & foliorum augmentum, fructum extimet. Creauit igitur primò calamum, per cuius officium ad mundi finem ab ipsius initio cuncta prænotentur: Secundò, protoplastum primum Adam: Tertiò, thronum: Quartò, paradisum. Ad Adæ quidem plasmationem pugno suo Deus puluerẽ multicolorem collegit. Vnde quædam hominis in diuidua albedine, quædam nigredine, quædam colore medio: quædam item malicia, quędam bonitate, sic cæteris qualitatibus participant. Propheta Machumetus Arabes alloquens, ait: Vos generationes LXX. nascendo secutæ sunt: Omnibus gentibus probitate bonitateq; præcellitis. Subsequenter & ipse perhibuit, Deum homini nomen imposuisse, priusquam crearetur. Eiusdem est, quod fœtus in aluo materna per XL dies sperma perseuerat. Illud XL diebus sequentibus in coagulum sanguineum condensatur. Vnde carnis fœtus corporis lineamenta suscipiens, in diebus XL succedentibus formatur. Illi tandem quadragenario dierum numero sequente, angelus à Deo mittitur, ut animã inspiret illi, quatuorq; necessaria præscribat, uidelicet quo uictu, quo uitæ termino, qua sorte fruetur. Vnde per Deum, præter quem non est Deus, interdamnandum quempiam & paradisum intercapedo solum cubitalis ex operationis suæ meritis appareat, necessario redibit ad opera, quæ ab angelo præscripta illum in ignem detrudent. Huius quoq; conuersa siue conuersionem pandat. Spacia quidem temporum inter patres nostros primæuos, tum inter se tum inter suos successores habita ita dinumerat. Adam præcessit Noë per MCCXLII annos. Post Noë quidem uenit Abraham, annis MLXXX. Inter Abraham autem & Moysen uoluti sunt anni DXV. Inter Moysen & Dauid, D. & LXIX. Inter Dauid & Christum, mille CCCL. Inter Christum & Machumetum, tandem DC. & XX. Sciendum est quidem, quoniam exceptis prophetis cęterarum gentium, inter Moysen & Christum de filijs Israël facti sunt prophetæ M. Inter Christum autẽ & Machumetum quatuor. Ex prædictis itaq; inter Adam & Machumetum, colligitur numerus annorũ quinq; milliũ CCCCXXVI. Notandũ itẽ, q̃d Christi mater Maria, cuius totã uitã LXII anni mẽsi sunt, post ipsum quinquẽnij spacio superstes extitit. Super Adam defunctũ Seth, Gabriele iubente, XCV orationes fudit. Cnm dies aũt hodierna numerum orando quinarium seruet, sciendũ est, orationes quinq; factas fuisse propter Adam hominem, XC uero propter ipsum patrem & ducem omnium gentiũ. Fuit quidem & est orationis initium, alla uuaackbar, id est, Deus & omnium maximus.

*Aliquid differentiæ inter Arabes & Saracenos.*

*Quatuor deus principio creauit, calamum, Adam, thronum, paradisum.*

*Arabes omnes gẽtes præcellunt bonitate. quod olim Persæ sibi arrogabant.*

*Formatio hominis in utero. Anima inspiratur ab angelo.*

*Fatum.*

*De temporibus rationes falsas ponit pleraq;.*

*Israelitarum prophetæ mille inter Mosen et Christũ.*

*Mariæ uita annorũ LXII quæ V. annis post Christi ascensum.*

*Numerus prophetarum.*

mus. Sciendum est, omnium prophetarum numerum esse centum XX millia: legatorum autem diuinitus missorum gentibus prædicatur CCCXV. Horum quinq; fuerunt Hebræi, uidelicet Adam, Seth, Esdrik, Noë, Abraham. Arabes quoq; quinq; fuerunt, scilicet Huth, Schale, Ismaël, Schaib, Machumetus. Leges tamen optime prædicauerunt, tum uiribus atq; potentijs tulerunt. Propheta primus Iudęorum Moyses extitit, Christus ultimus. Est item scitu dignum, quod prophetis cœlitus missi sunt libri CIIII. Quorum L. dati sunt Seth, Moysi testamentum, Christo Euangelium, Machumeto Alchoran. Omnium gentium sapientissimæ sunt quatuor, uidelicet Arabes, Persæ, Romani, & Iudæi. His namq; cæteræ collatæ nihil censentur. Cum quidam cui per somnium apparuit Machumetus, gradum obtinens sextum cuiusdam celsi loci septem gradibus distincti, illud reuelasset ipsi, tale propheta responsum edidit: Locus ille mundum designat, suorum graduum numerus mundi spacium, uidelicet VII millia annos. In quorum sexto millenario ego uenio: post quem non est alius propheta uenturus. Finem quidem mundi propinquum clarificabit ortus solaris in occidẽte, & occasus in oriente. Sciendum item, quoniam cum Noë tres filios habuerit, scilicet Sem, Cham, & Iaphet, ex Sem processerunt utiles, boni uiri, uidelicet Arabes, Romani, & Persæ. De Cham item bonitate uiri præditi, scilicet Aethiopes, Alhabaes, & Aegyptij. Orti autem sunt ex Iaphet † Obog & Magog, cæteraq; gentes in Deum minime credentes. Prophetа quæsitus, quando præceptum est ipsum fieri prophetam? Respondit, inter corporis Adæ creationem, animæq; suæ inspirationem. In filijs Himael Deus sibi prælegit Kyuem, & in filijs Kyuem Chorasc, & in illius filijs Hesim: Inter eiusdem filios Machumetum prælegit, & præamauit. Eius quidem generatio totius simpliciter fornicationis expers, ex Adam legitimè processit usq; ad ipsum naturalem illius egressum ab aluo materna. Illiq; nascenti Deus lucem quandam imposuit, Chorasc uidelicet, quæ (uelut plures perhibent) duobus millibus annis ante plasmationem Adæ manibus creatoris inhærens, ipsum adorauit, sicut & angeli. Hanc deinceps ab ipso Deo creante Adam, illius costis incluſam, sicut in terram, ipse detulit. Eandem item Deus in arca Noë costis misit. Ipsam itidem suscepit diuinitus Abraham, in ignem proijciendus. Consequenter quoq; uentres illa maternas semine uicissitudinis ingrediens, ad Machumetum orientem peruenit, ipsum illuminans. Cuius hæc est generatio.

*Horum prophetarum crebra est mentio in Alcoran.*

*Christus ultimus Iudæorũ propheta.*

*Libri sacri.*

*Gentes sapientissimæ.*

*Machumet sexto millenario mundi uenit.*

*Origines populorum falsæ, ut Gen. 10. &c.*

*Gog.*

*Propheta in libello hoc pro Machumet ponitur, per antonomasiam.*

*De ista luce in natalibus Machumeti.*

*In Fortalicio fidei, ex libro generationis Mahurit talis est successio.*

*Ismael. Cedar Hamel, Tebich, Hamessa, Adech, Adue, Adne, Mahak, Nisar. Muzar, Aliẽ, Emosera, Melich, Vain, Lue, Galibem, Caph, Mirrha, Coidai, Abdemenoph, Abdemutalif, Abdalla, Machomet.*

SEQVITVR GENERATIO MACHVMETI.

MAchumetum quidem genuit Abdalla, qui fuit filius Abdalmutalif: qui fuit Adamanef: qui fuit Facien: qui fuit Kaleph: qui fuit Morta: qui fuit * Kabni: qui fuit Lunay: qui fuit Paliff: qui fuit Phasce: qui fuit Melich: qui fuit Anascere: qui fuit Chinene: qui fuit Hudhaifa: qui fuit Mudicita: qui fuit Ylges: qui fuit Mudhar: qui fuit Schaad: qui fuit Aadiren: qui fuit Abhimaista: qui fuit Nisca: qui fuit Celif: qui fuit Amir: q fuit Amubascar: qui fuit Acaba: qui fuit Abhuen: qui fuit Almucaien: qui fuit Numhib: qui fuit Kaab: qui fuit Thebit: qui fuit Ismael: q fuit Abrahæ: qui fuit Ydriff: qui fuit Staron: qui fuit Hut: qui fuit Felech: qui fuit Amer: qui fuit Farcastad: qui fuit Sem: qui fuit Noe: qui fuit Lemich: qui fuit Almuta Vuaslak: qui fuit Annast: qui fuit Kanok: qui fuit Bard: qui

*Non possunt barbara illa nomina recte instaurari sine libris Arabicis, nec etiam multum in his momenti est situm.*

qui fuit Belchíl, qui fuit Chamen, qui fuit Anuſc, qui fuit Seth, qui fuit Adæ protoplaſti. Huius quidem generationis ſeries ſic ex ordine paterni ſanguinis proceſſit. Matrem illius Eminam, genuit Azohaar filia Veheb. Quam genuit Abdemilef. Abdemilef autem natus eſt ex Azoharata, filio Kileff. A' quo primum naturæ generis utriuſcp parentis ſui coniunguntur. Natus quidem circumciſus & hilaris prodiens ex aluo materna, die lunæ duodecima die menſis rabe, primo anno, anno Elfil poſt eius initium, ſexageſima die eiuſdem idem Elfil, Anno uiceſimoquinto fundatum eſt Alkaba: anno uero quadrageſimo Machumet propheta datus eſt. Elfil autem ille ſecum adiutorem ducens, Abruatam filium Iacum regis Alhabaſc in medio Almuharam Mecham profunditus atcp profectus dirutum Alkaba, ut ſic iram ſuam ſaturaret, uindicta grauiſſima ſumenda ob plenum pudore factum, uidelicet egeſtionem cuiuſdam ciuis Mechenſis, in templo ab Elfil ipſo fundato, in cuius medio caſulam ſimilem Alkaba apud Mecham circuiendam peregrinantibus ædificauit, cum exercituum ſuorum uniuerſo ferè numero contritus eſt, & in partes minutas quaſi grana frumenti redactus. Iniectu lapidum nigrorum ab auibus multimodis diuinitus miſſis, uindicatum ſcelus illud. Machumet quidem poſt ſeptem dies ab ortu ſuo nutrici traditur. Pater in Yetrib animam expirauit. Quò deinceps mater ſua cum illius tota pecunia ſimul & altrice puerum ferens, ipſum auunculis ſuis cuſtoditum & educatum tradidit. Finitis autem annis quatuor ab ortu, mater inde rediens, Mecham in itinere præoccupata migrauit. Puer itacp à nutrice ſua commiſſus auo ſuo, ſcilicet Abdaalmutalif, ipſum patronum & alitorem beniuolum ſortitus eſt octo annorum ſpacio. Seraphim quocp per terminum ſemper auditus, nunquam uero uiſus, ſibi curam atcp cuſtodiam impendebat. Cui conſequenter Gabriel archangelus datus eſt cuſtos per uiginti nouem annos. Ille quidem annorum quadraginta legem à Gabriele ſibi commiſſo ſuſcipiens, per triennium illam omnibus, præter admodum paucos, ſcilicet credentes, occuluit. Emenſis autem XVIII menſibus à tempore quo ſui factores illũ ducem atcp primatem ſtatuerunt, à Gabriele archangelo Hieruſalem ductus, ab eodem eſt illic in cœlum ſubleuatus. Vnde ad terram facto deſcenſu, ſocijſcp ſibi iunctis, uidelicet Eubogara, & Alí, ac Zaid, profectus Athaiff publice docuit, communiter perhibens, ſe prophetam eſſe. Indecp Mecham reuerſus eſt. Annis tamen decem uelut gyrouagus nunc hac nunc illac gradiens, quocuncp ſcilicet ſpes aliquos ad Deum legemcp conuertendi duxit eum, procul dubio pollicentem paradiſum conuerſis, ferè nihil ironiæ ridiculicp unquam geſſit, indeficienter tamen & efficaciter inſiſtens. Vnde ſingulis in domibus eam allexit. Tandem in loco ſui comitatus Alabem turbam LXX uirorum iam per eum conuerſorum, conquerentem eum tanto labore torqueri, prædicationiſcp latentis cura tabeſcere, cum iam potens eſſet legem uiribus inferre, uenientem aſpiciens, à comite ſuo pertimeſcente quæſitus, quid'nam eſſet illa cohors? Inquit illam ſuæ legis eſſe, nequaquam ulterius hic paſſuros, ſed legem manu collata illo aduentus ſui potente conſtanter affirmabat, & legem uiribus illaturos: cum iam nulla domus credentis expers maneret. Illis quidem ſic eum conſulentibus, quid ſua uoluntas diſponeret? Inquit ille: Mea quidem uoluntas exigit, uos mandata legis penitus exequi, & ſibi in diuitijs ac pauperitate conniui: Et uos alterna firmacp dilectione quaſi filiali, uel propria perfrui:

*Pater illius fuit Hayop.*

*Mors parentum Machumet.*

*Angeli cuſtodes Machumeti.*

*De hoc uaniſſimum commentum in libro Halmahe reig. Summatim autem refertur à Richardo in Confutatione Alcoran.*

*Subintrauit ut uulpes, & clã operatus eſt myſterium iniquitatis, donec confirmatis partibus exiſtimauit ſe ui aliquid poſſe. Doctrina Machumet uerbo. Nam in animo cogitauit amplitudinẽ ſibi comparare: ut Alcoran ſatis docet.*

frui: Et à uobis nullatenus alienas uxores fornicatorie respici: uos item à malis abstinere, & illa prohibere, bona persuadere, & perpetrare: Et in Dei nomine lites peragendo, metum uimq; inferendo circa pascha decimi diei dulhega leges inserere summo desiderio. Vobisq; pro talibus operibus paradisum uere promitto. Vnde Zaid filius Zuzara fidem sumpsit prophetæ, sibi fidem suam mutuo tradens, cæteriq; similiter auxilium illi fortiter gerendi. Mecham itaq; profectus, secum ducens Eubocaram, & Ali, atq; Zaid, & Thalha, ac Bibel conuerti, suæq; legis mandata sequi fecit. Comen & Zaid, & Talha, ac Azubair, cæterosq; tot, quod numerum quadragenarium impleuerunt, cum Aomar, qui gladium suum euaginans Deum iurauit, se nullatenus ultra passurum diuinam inuocationem legisq; suæ celebrationem occulte fieri. Viribus enim notatur sue uiam fortis armatus inuenit: Ensisq; timor sæpius plus quam rationis amor efficit. Deinceps ergo armatæ fortisq; manus uiribus propheta confisus, aperte multa cum audacia prædicauit, cum ense, cum ore proficiens: Deoq; iubente cum exercitu Yetrib aggressus est. Ipse quidem & Eubocara Yetrib tendentes, cæterisq; uisis exire præter Ali depositorum custodem, ut illis redditis eum sequeretur, admonet. Fauri, cauernam ingressi, per trium noctium duorumq; dierum spacium ibi morati sunt. Quo duobus sibi camelis adductis, ab Amer & Abdala, inde minabat perrexerunt. Vbi noctis dieiq; mora consumpta, quendam scilicet Aomar adibant: Cum quo quadriduana mora peracta, Ietrib uadentes, illam ingressi sunt feria secunda, die duodecima rabe primi. Vbi bonorum multitudine conuersorum perenni constipatus, septendecim mensibus non alias quam centum uersus Hierusalem orationes fudit. Deinde ab ipso Deo castigatus, orando uersus Alkaba faciem suam uertebat.

*Ensis sæpe plus quàm ratio efficit.*

*Qui gladium accipit, gladio peribit.*

## QVALITER EXPVGNATA MECHA VIOlenter legem suam imposuit, & in prophetam simul & in regem eleuatus sit, & de tota uita eius usque ad mortem.

*Primum prælium Machumet apud Mecham.*

ROmodam igitur die XIII. feria VI. anno secundo post exitum suũ à Mecha, eiusq; derelictum, uel post eius biennium seu triennium, ut placet Abbohut, certamen certauit primum. Secundum autem, die Albãdara seu Zeabb, anno quarto, seu quinto secundum alios, peregit. Anno quidem sexto in mẽse dulcada* apre albudembie pugnauit. Anno uero septimo, in quo suam peregrinationem Romadam Mecham expugnauit: ubi per XV. noctes moram impendẽs, orationes deuote fudit. Inde profectus Hunaim, gentem Illiche Vezin mensis Schauuel medio repertã deuicit. Vnde multa trophæi spolia sumpta uiritim diuisit. Consequenter ciues Tharf obsedit menstruo spacio. Vnde fatigatus absq; captione discedens, Ietrib usq; peruenit. Mechæ deinceps dominio ditauit Azeib, qui secundum quosdã eodem anno uidelicet octauo, Arabibus, alijsq; multis Saracenis comitatus, Mechã peregrinando petijt. Fuit autem eodem anno præfectus Mechæ Moaad filius Gadel manu prophetæ, ut Alchoran iuraq; tenendo in pecuniarum diuisione morte ueniente doceret. Anno quidem octauo, mense Raieb, Machumet cum exercitu suo Tambich profectus, templũ usq; in diem hodiernum durabile constituit. Illic ab ipso quidem missi Zalid, & Meluuelid, ad Alozaida filium Almathaliff regem Aliendel, illũ sibi tributarium effectũ

in

in regno suo dimiserunt. Machumet Iechibrit reuersus, Eubocharam misit Mechã, iniungens, ut cũ gente sua peregrinationem faceret, & edicens, ne quis ulterius nudus illic egrederetur, nec quispiã prẽter homines suæ legis intromitteret. Et si tunc, anno uidelicet X. credentiũ tantũ populus accessit. Eodem etiã anno reges circũquaq; cirtis suis admonuit, & ad legem suã beniuole suscepit. Direxit itẽ nuncios suos cum eadem admonitione, ad regem Persarz, uidelicet Rezre, Abdalha. Misit quoq; Dechera filiũ Aaisa, ad Romanorum imperatorem. Et Aomar filiũ Alasci, ad regẽ cinne: & Alale, ad imperantem duobus fretis: & Animarata filiũ Mumaia, ad regem Aethiopiæ: Achatib filium Rabea, ad Iabala regẽ Hesthẽ: & Stuna, ad Alumkariz, regẽ scilicet Alexandrię. Eodẽ item anno in prędicta peregrinatione Dulchada quinq; diebus residuis Machumet Mechã ueniens, diemq; festũ expectãs, hominibus publice leges atq; iura mõstrauit. Vnde Ietrib reuersus, ubi per totũ Dulcheia, residuũ anni scilicet XI. terminũ, & sequẽter per totã almuhara atq; Saphar permãsit. Vbi feria secũda mẽsis rabe primi XII die, in quarto scilicet Ietrib primum ingressus est, uitã expirauit. Illis igitur †alhigerã integre decẽne spaciũ mensum est. Smumopere quisq; diligenter attendat, omnem hominẽ ineuitabiliter morti succumbere. Loco quẽ Deus suæ sepulturæ prælegit, in domo Aiscæ mulieris suæ, filiæ Eubocare, qua teste e per morbũ cardiacum obijt, sepulchrũ in loco suæ dormitionis, ubi die adhuc hodierna templũ uidetur, ex lateribus coctilibus sibi stratum est. in quo corpus suũ est conditum, tribus albis pãnis inuolutum, ubi nec peplum affuit, nec interulą. Quidã quæsiti, cuius ætatis esset, illi perhibebãt, ipsius mentum raris canis albescere. Illã tamen caniciem mentum musto ceteris q; perunctũ occuluit. Alyquidẽ à quibusdã interrogatus de illius qualitatibus, respõdebat, illum habuisse caput immensum, faciẽ albedinis & ruboris innati participem, barbã prolixam, pedes optimæ cõpositionis atq; coloris. Gradiendo quidẽ aquæ fluxũ ab alto in imum imitabatur. Idem ipse asserit, se nunquam uidisse quẽquam tanto decore taliq; forma prædituũ. Eius quippe facies omnium gentium faciebus luce præfuit. Nec minus cordis benignitate magnanimitateq; ualuit. Vnde quadam die equo currẽs sella carẽte apud Ietrid, cum homines illius casum timerent ob equi cursus impetũ, nimiũq; turbarentur, ille securus inquit, Aequoris similem inueni. Cũ illi proponẽti Romano imperatori chartã mittere, diceret, ipsum minime literis adhibiturũ nisi sigillatis, annulũ argenteũ sigilli formã habentẽ fieri iussit, & eidem insculpi, Machumet nuncius Dei. Apud ipsum quidem eandẽ dignitatem obtinuit Teidã filius Kakiz, quã apud regem iusticiarius. Scriptores sui fuerunt Zaidz filius Thebit, & Inoaypha filius Effitu. Exercitus XIX eduxit. Bis peregrinatus est. In Dulhada Mechã quater uisitauit. Anno quoq; sequente in Dulcada semel, & in eodẽ mense uice secũda, cũ prędã adductam de Humani distribuit. Tertioq; in cõsimili mense peregrinationem efficiens, Mecham aduenit. Suæ quidẽ uitæ spaciũ LXIII anni mensi sunt. Perhibuit post illũ autem XII ex natione Chorasc sui uice posituros. Quorum primus, uidelicet Eubokare, uita breuis erit. Secundus aũt Arabs erit optimus, molẽdini quidem dominus, scilicet Aomar filius Alathab, uitam longã ducturus. Tandem ob iustitiam perimetur. Propheta uisum suũ ad Ademen uergens, illũ sic affatus est: Si tibi Deus camisiã induerit, nunq; tuæ uoluntati parens auferre coneris. Sin aũt, per Deum cuius manibus in-

*Ietrib.*

*Legationes circummittẽs ad principes inuitat ad suã superstitionẽ.*

*Alhigera, id est, regnum Machu. X. annorum.*

*Forma Machumet.*

*Benignus & magnanimus.*

*Titulus Machumet in finitis partibus modestior uicariorũ Christi.*

*XIX expeditiones fuscepit. Aetas Machumeti.*

t tereſt

tereſt anima noſtra,nõ erit camelo trãſitus per acus foramen difficilior,quã tibi ingreſſus in paradiſum.Ipſe quoq; teſtatus ſuæ legis præcepta,omniũq; ſequentium prælatorum conſtanter atq; diligenter obſeruari uſq; ad finem XII.uicariorum ſuorum decoraſſe. Maximæ quidem turbæ ſecutæ illum, ſic locutus, domumq; reuerſus, quærentiq; rerum euentus poſt illos XII. ille reſpondit: Contrarietates contrarietates. Ac ei dicunt: Abdalla filius Monoz interrogatus, inde perhibuit prophetam affirmaſſe XII. ſuorum poſt ſe dominaturos, ſecundum morem & numerum ſubditorum Moyſi. Machumet hortum quendam ingreſſus,ſuo clienti familiari,uidelicet Neg iniunxit, quatenus percutientem portam extrinſecus introduceret, dupliciq; gaudio lætificaret dicens: quoniam poſt me populum meum reget,& paradiſum præmium ſuſcipiet.Ille igitur præceptum Dei ſui properans perficere,Eubokarã extrinſecus repertum nimium exhilarat. Secundo quoq; domini ſui iuſſu Aomar percutientẽ introducens inquit, Poſt Eubokaram regnabis,& paradiſum poſſidebis. Tertio uero percutienti ſcilicet Odmẽ, ſeruiens prædictus ore prophetæ monitus ait, poſt Aomar regni gubernacula ſortieris,& per cædem uita priuaberis. Ille quidem introgreſſus, hoc audito moleſtus prophetam curioſiſſime cõuenit:Poſt tuę legis profeſſionẽ nec me mendacio pollui,neq; membrum uirile cum dextra tetigi. Reſpondens autem propheta,ſicut proculdubio futurũ affirmauit.Cuius ſententia eſt, Nullum prælatũ ingreſſurũ paradiſum,niſi populo ſibi cõmiſſo optime præerit,prout ſibi diſpoſuerit. Omnis quidẽ x.hominum regimini præſidens,ad iudiciũ manibus mento ſtricte ſuppoſitis ueniet. Quas libere ſemouere ſibi licebit,ſi regendo iuſtitiam exercuerit. Sin autem,immotæ manebunt,uſquequo cunctorum iudicium terminetur. Omnis exauditor mei, Deum exauditorem inueniet. Hocq; de uicarijs meis penitus cenſendum. Vnde nec ipſe Deus exaudiet, non audientes me,ſeu meos. Ipſe propheta ſemel in templo fuit prædicans. Inquit,Si quilibet Aethiops ſeu captiuus uobis prepoſitus fuerit,illum ſicut me diligenter audite.Omnium hominũ Choraſc boni bonos, maliq; malos imitabuntur. Meæ quoq; legis dignitas & obſeruatio perſeuerabit, quamdiu de Choraſc XX ſuperſtites erũt. Mei quoq; ſucceſſores habitu uiliſſimo potientur,uſq; ad triginta annos. Vltra uero ornatibus gaudebunt,atq; ſuperbia. Sciendum item,omni prophetæ quatuor conſiliatores eſſe datos,duos ſcilicet cœleſtes,ſicut huic Michaëlẽ & Gabriẽlem,duosq; terreſtres,quales ſunt Eubokara & Aomar. Aſſerebat quibem Moaxi filius, Ocſin ſe audiſſe prophetam dicentem, quod illi de Coraſc præ cæteris inſtituta gubernacula tractabant:Poſt mortem tamẽ omnia præcepta legis obſeruent,iuraq; peragant ex doctrina Eubokaræ & Aomar. Illius item prænunciatum eſt ore, poſt ſe trigintaduos ſubſequi, Deoq; ſibi mendacium impoſiturus. Quorum unus,ſcilicet Alaſuued,rex erit Chanaa,ubi ſubtiliſſimum eſt artificium pannorum ſericorum. Alius quidẽ,ſcilicet Muſthaleime,regno cui nomen † Aliemania, dominabitur.

*Nullus prælatus paradiſum ingredietur,niſi populo ſuo bene præerit.*

*Obedientia.*

*Vaticinium Machumetis de luxu & ſuperbia poſterorum.*

*Quatuor conſiliarij ſingulis prophetis.*

*Forte Aliemonia, ut infra.*

## DE SVCCESSORE EIVS EVBOCARA.

*Vocatur etiã Ebuberis, & Empokora.*

*†Natura, uel natiuitates.*

COmmuni igitur aſſenſu prophetæ præſagiũ comitante,regni gubernacula legisq; curam ſuſcepit Eubokara,cui cognomen Abdalla.Huius autem pater fuit Odmẽ,filius Amir: Amir autẽ genitus ex Amara,filio Kaab.Kaab autem fuit filius Zaid,filij Thaib,qui genitus eſt ex Murra. In quo eius atq; prophetæ † non concurrunt. Mater quidem eius Celine,cui cognomen

cognomen Oamalatair. Illa autem genuit Kathriam, filium Amace: qui fuit natus Kaab. Kaab quidem genitus est ex Zaid, filio Kaib, filio Morræ. Sublimationis quidem illius die mortis prophetæ celebrate principes extiterunt, Bestie, & Aomar, & Bobaida fauore. Ipse quidē eleuatus, impugnādo malos & incredulos ad legem conuertit: quā ipse penitus more prophetæ tum firmiter obseruauit, tum cæteros hoc idem facere coēgit. Mendaces aūt prædictos, scilicet Almustai, Hileme, & Holesiued peremit, & Aliemoma in suā seruitutem redegit: doloſumq; Talha captiuauit. Vnde nec quis illi resistere quiuit. Eius color subniger extitit: statura mediocris: barba rara atq; prolixa. Fuit quidem & macilentus, manus † aichuina, tingere solitus. Phtisis ipsum consumendo, per XV. dierū spacium infestans, mortē *illutit illi. Super quē duobus pānis inuolutū orationibus fusis ore † domar, iuxta prophetā sepultus est: Qui anno alhigere & III mēses ac XIII dies est priuatus uita. Propheta Deum exorans inquit, Tu Deus genti misericordiam atq; protectionem præbe, per Eubokaram & Aomar in lege firmissimam.

†Non possum cōiectare quid scriptum sit.
*Intulit.
†Aomar.

SEQVITVR DE AOMAR, SVCCESSORE EVBOCARE.

AOmar cōsequenter legem, & diligentem curā legis administrauit. Ille quidem patrē habuit Alhata, filiū Alphail, quē genuit Abdalore filius Reia, filij Adij, geniti ex Kaab. A' quo rami generis illius atq; prophetæ prodeunt. Natus autem ex matre Khacuna filia Oscib, quem genuit Almughira, filius Abdalla. Illū autem genuit Aomar, filius Maktum. Ille quidem, sicut Eubokara, primitus nutu prophetæ sublimatus, legem indeficiēter obseruauit: populum sapienter uirtuoseq; rexit: numerosis exercitibus multas suæ potentię terras subiugauit. Ipsius iussu ob ritum sunt congregati ter scripti: At scriptores pro modo sui meriti remunerati. Ipse rursus primo singulis templis orationes sic in mense Romodan fieri præcepit, & ordinauit, ut mense completo totus Alchoran perlegeretur. Annulum gessit prius habitum à propheta, consequenter ab Eubokara. Scriptores eius fuerunt Abdalla, & Zaid filius Thebit. Ipse quidem longus extitit, subniger, caluus, barbam habens raram, & semper albedine tinctam, manu quoduis opus optime peragens. Interfecit eum tamen captiuus Almigira. Vitam suam mensi sunt sexagintatres anni. Iuxta prophetam & Eubokaram sepulturam sortitus est. Annis singulis Mechā peregrinatus est. Morbo grauatus, uitæ termino ueniente præcepit, ut communi consilio sui loco uiceq; funge retur, qui melior dignioriq; inter septē ab illo prelectos, uidelicet Odinn, Ali, Thalha, Azur, Vbair, Caad, Abdarakem. Qui præcedens, hoc audito, dixit: Regnum ego renuo, sed deliberemus, quis aptior uideatur. Electionis igitur dignitatem Odinem obtinuit, qui C. etiam solis portionem accepit ab Auff filio Abdarakinum. Qui patre iubente, ut de pecunia sua singulis residuis Dobera. C. præberet solis, singulis præter Odinem quadraginta contulit. Regnauit quidem Aomar decem annis & sex mensibus, uno die minus. Qui subleuatus decimotertio anno alhigero uitam uigesimoquarto finiuit. Præcepit propheta, ut iuxta eum sepeliretur, ubicunq; mortuus. Omnis teste propheta uitam exuens, absq; consiliatore bono, more bestiali morte mala perire perhibetur.

Ordinatio de lectione Alcoran.

Optimus regno præficiendus.

DE ODMEM, QVI SVCCESSIT AOMAR.

ODmem quarto loco rex constitutus, atque doctor, fuit filius Alphen: qui fuit filius Alaci: qui fuit Vtraien: qui fuit Abdastametz: qui fuit

Abdamineff. De quo processerunt huius atq; prophetæ genera. Ortus est quidem ex matre Aruua, filia Rabea, filij Abib. Quem genuit Abdastamz, filius Abdamineff. Vnde parentis utriusq; genus effluxit. Iste per triduum ante mortem Aomar generali fauore prælatus statutus, annulum sua manu gessit prophetæ, duorumq; successorum illius. Quo in puteum ex illius insipientis manu lapso, alium iterum argenteum fieri iussit, his literis insculptum: Vel indurabis, uel pœnitebis. Scriptorem habuit Mareuuem filium Alhakem. Faciem habuit albam, uenustè compositam, staturam mediocrem, barbam prolixam, Ab omnibus uel ante sui conuersionem ad legem, & postea summè dilectus. Qui multum pecuniosus tum ob mercaturam, tum ob sapientiam atq; prudentiam, largus atq; munificus in prophetam atq; bonos inuentus est, omnesq; sui redituum & tributorum crementum senserunt. Ipse quidem cæterorumq; auxilio Alchoran integritatem collegit primo. Qui post multarum terrarum captionem in Ietrib lectioni uacans, in domo propria, manu maximæ turbæ accurrentis peremptus est. Quem insepultum triduano spacio, deinceps quinq; boni uiri noctu uenientes, ipsum latenter sepulturæ commiserunt. Vixit annis octogintaseptẽ, imperauit duodecim annis, una die minus. Propheta quodam in loco lites post eum uenturas prædicens, de quodam illic facie cooperta transeunte dixit: Ille uiam ueritatis non derelinquet. Quem quidam illò profectus agnoscens esse Odmim, indeq; quærens prophetam, an illum intellexisset, respõdit: Ita. Propheta quoq; loquendo prosequens inquit: Omnibus meliores Deus meos socios præter prophetas posteros elegit. Quibus tamen omnibus bonis, bonitate præcellunt quatuor, scilicet Eubokara, Aomar, Odmẽ, & Ali. Ait item, Qui me uidit & credidit, bonã mercedem habebit. Septuplum tamen, qui me non uiso crediderit. Nullus hucusq; propheta peremptus est, nisi cuius mortem comitata est cædes septuaginta hominum. Nec successor etiam quisquam eius uicarius, nisi cum quo perempti sunt triginta quinq;. Turba prædicta donum Odmem & ipsum obsidente, quidam uir propinquus exiens, cui nomen Abdalla, filius Aomar, taliter illius impetum atq; furorem mitigare nisus est. Ait enim: Propheta defuncto, & similiter tribus eius sequacibus illius nutu, sicut & Odmem, ut sæpius prædictum est, prælectis, si mortem Odmem affectatis, atq; figitis, nobis illo meliorem restituite. Quod, uelut arbitror, uobis occurrere impossibile.

*Symbolum annulo signatorio regis Odmem inscriptum: uel constans eris, uel pœnitebis.*

*Alcoran collectus.*

*Impie detorti ad Machumet uerbum Christi, Beati qui non uiderunt & crediderunt.*

*Vltio cædis prophetarũ.*

## DE †ALI NEPOTE MACHVMET.

*†Hali.*

HAli consequenter regnum sortitus est. Filius fuit Abithaliff, filij Hescer, quẽ genuit Abdemineff. Vnde ille atq; prophæta deriuati sunt Mater autem sua dicebatur Fatima, filia Azad, quem genuit Hescem. Die quidem cædis Odmem hic eleuatus est. Multis tamẽ dissentientibus, & ob hoc Mecham euntibus, fugitiuis ad Aysca filiam Eubokaræ cõiugem prophetę: Cui adhęrendo, suo fulciti cõsilio rebelles effecti sunt. Vnde dies cameli partibus ambabus L. necem plorauit. Discedẽtes autem inde, Aali reuersus est Alchufa, Aisca uero Ietrib. Tandem Moaxia filius Cephin suo exercitu, similiterq; filius Odmem cum suo, simul cum illo uindicare tendens paternum sanguinem iuxta fluuium † Abforat bella gerentes, de ciuibus & adiutoribus Arachæ propè ciuitatem Aracham conueniunt. Ibiq; quinquagintaquinque diebus contra suos hostes bella gerentes, de illis uigintiquinque morti dederunt, nec sine detrimento suorum. Ex uiris enim

*†Forte Asorat, id est, Euphrates.*

Hescem

Heſcem ſexagintaquinque animas † ſpiraverunt. Vnde deinceps utraque parte deliberante, pacíq; conſulente, omnium aſſenſu communi duo uiri, ex parte uidelicet Aali & ciuium Arachæ Alaſcari, ex parte Moauui ſuorumq; Ammara filius Alaſci, electi ſunt, ut eorum iudicium terminum bellis imponens, ſuis in locis alios bonos atque dignos reſtitueret. Illis igitur egreſſis deliberatum ad locum, cui nomen Algendel, Alaſceri conſilium Aali ab honore ſuo priuari iudicauit. Alter uero ipſum ſuo regno firmum affirmat. Sic tamen lite diuiſa, nec pace facta, Aali reuerſus eſt Alcupha, Moauuia uero Heſcem. Iſtis deinceps tempore multo manum bello negantibus, ſui uiciſſim homines inter ſe ter prædando, ter pugnando mala fecerunt. Illis poſtea Cepham conuenientibus, Aali partem uigintiquinq; uirorum protegebant, partem uero Moauuia ſeptuaginta. Aali uero profectus expugnatum Albeſtera, trigínta ſecum duxit. Iſtis quidem bellis communis ſententia perhibuit, omnes bonam uitam ducentes illic peremptos paradiſum poſſidere. Poſt illa bella peracta, eis iterum armatis ad bellum, magnis factis exercitibus, Abdarakum filius Mulgem in templo peremit Aali menſe romadam, anno Alhigere quadrageſimo. Qui poſt orationem factam ſuper eum ore filij ſui Alhatem, ex parte ſolaris occaſus extra uillam Alculpha ſepultus eſt. Vitæ quidem ſuæ ſpacium quinquagintaſeptem amplexum eſt. Annis quatuor, menſibus nouem regnauit. Annuli ſui ſculptura talis erat: Corde deuotus, Deus eſt meus dominus. Colorem eius ſubnigredo notabat, ſtaturam breuitas commendabat. Barbam prolixam, brachia & tibias piloſas geſtabat. Qui talis apud prophetam hoc perhibentem inuentus eſt, qualis eſt Aaron apud Moyſen: hoc tamen excepto, quod hunc prophetam nullus propheta ſequitur. Prophetæ quoq; ſententiam nemo niſi uir bonus diliget, hos quatuor ſcilicet Eubokaram, & Aomar, ac Odmem, & Aali. Cuius filij, uidelicet Alhatem & Alhuacin, quanto cunctis iuuenibus paradiſi præcellunt, tanto ſuperantur à bonitate patris. Cuius fuit ſublimatio anno alhigere trigeſimoſexto.

† exſpiraverunt.

## DE ALHATEM, SVCCESSORE HALI.

ALhatem patre ſuo defuncto, per Arachæ ciues in regem ſubleuatus eſt. Qui natus ex Fatima filia prophetæ, ſimilitudinem prophetæ formamq; repræſentauit. Suus annulus his literis fuit inſignitus: Dei ſolius eſt exaltatio. Eius ſcriptor O uuaidalla manũ auxilij cæteris Arachæ ſublimatoribus illius confidenter conferens, illum comitatus eſt pugnaturum contra Moaxia, cum exercitu uenientem de Heſcem. Illis igitur coniunctis in Elember, Alhatẽ exercitus ambos aſpiciens, pietate cędis bellicíq; periculi motus, ſe manibus Moaxiæ ſuppoſuit, illum ſibi præferens. Illis igitur cum utroq; exercitu profectis Alcupham, illic Moaxiæ & Alhatem pecuniam pro uelle ſuo tribunt, tranſmittentes illum Ietrib. Poſtea per ipſius manum apud Alcuphe Almughire rege conſtituto, ipſe Moaxia Hecchera reuerſus eſt, ambobus exercitibus comitatus. Alhatẽ ex hora ſuæ ſublimationis uſq; ad reddítionem honoris, quinq; menſes & uiginti dies numerauit. De quo ſemel eo præſente ſic propheta locutus eſt: Per puerum iſtum pacem ſuper duos exercitus, quorum alter alterius mortem ſtudebit, Deus cõuertet. Pater ſuus, ſcilicet Aali, ſimpliciter ſolis uacans litibus, nunq; peregrinatũ fuit. Fuit anno XLV. mortuus in Ietrib, die prima, X die Almuharan, anno

Alhigez XLV. Fuit autem natus anno Alligez tertio. Propheta tunc litem faciente, Alhatem ob quoddam somnium uisum bellari renuit. Videns enim propheta in somnis tenentem manum super thronum Dei, & manum Eubokare iacentem super humerum prophetæ, & super illius scapulas manum Aomar, cuius humerum tenuit manus Odmem, inter quos ipse cruorem cernens, & causam illius quærens, audiuit illis patefacientibus, illum esse sanguinem Odmem, cuius uindictam Deus ipse requiret.

## DE REGNO MOAVVI.

MOauui itaq; filius Cephim, filij Zargar, filij Nuharb, filij Vmaye, filij Aadastemus, filij Abdemineff, unde propheta descendit: natus ex matre Huid, filia Octebe, filij Rabea, filij Abdaasteniz, filij Abdamineff. Hic inquam pace firmata, communi fauore sublimatus, omnia redegit in melius. Ad quem omnes orientales & occidentales confluxerunt, illi parentes. Annum autem in quo contigit illud, annum alema, id est, annum congregationis appellauerunt. Ille quidem iustitiæ bonorumq; morum firmissimus tutor, mitis, expers iracundiæ, sapiens, modestus in prophetam, omnesq; bonos largifluus. In littore maris Romanorum multa munimina cœpit, & in terra Christianorum multa mirabilia peregit. Erat illius inscriptum annulo: O Deus, ueniam mihi præbe. Scriptorem habuit Vuabaidalla. Dedit quidem Albesterum Alkigire, Alcupha ei dempta, & Azed tradita: qui fuit uir bonus, & in utraque urbe prædicta templum fundauit. Fuit autem Moauuie colore candidus, facie uenustus, statura mediocris, oculos habens uarios, barbam assuetus tingere. Cum Alhima & Alchatin ipsius quondam inspiciente puteum quendam ore cruentato, per spasmum uita per aliquot dies molestata finiuit. Qui post orationem factam super eum à filio suo Iezid, in Damasco sepultus est mense raieb, anno alhigere sexagesimo. Totam eius uitam mensi sunt octoginta anni. Regnauit annis nouemdecim, uno die minus. Potens tamen fuit super Hescem uiginti annis, ante Aomar & Odmem. Secundum prophetæ testimonium Algoda terra Damasci, cæteras terras à Sarracenis habitatas fertilitate superat. Moauui profecto cum Odmem in expeditionem & peregrinationem, quidam dux eorum dixit, post Odmem regnabit Hali. Respondit alius, Imò qui mulam albam equitat: significans Moauui. Quod etiam concessit Hali, percunctatus inde prophetam iam animo suo bono dato, bonis hominibus inuitatis, ab illo quidam illum sic precantem audierunt: O Deus, uoce Moauui scribere, & numerare, & illum à malo protege. Propheta nunc sic suos discipulos affatus est: Cum uos omnes pastores sitis, uestræ curæ & custodiæ Deus quæsitor existet, qui perscrutabitur mulierem de custodia domus uiri sui, seruientem de domini pecunia sui, singulos similiter de singulis operibus suis. Hali quæsitus, cur sibi successorem non elegit, respondit: Nolo quidem hic, prophetam imitans. Sed si Deus uos dilexerit, uos unanimes faciet, ut uestra deliberatione uir bonus & dignus uobis rex perficiatur. Quidam uir probus testatus se nunquam uidisse meliorem Moauui post prophetam, percunctatus à quodam alio, an ille de bonitate superasset Eubokaram, respondit: Eubokara fuit melior, sed iste bonus. Huius similitudinem etiam retulit de illo ad Aomar & Odmem. Moauui primus cum Odmem, aliisq; multis uiris & mulieribus nauigio † Christianorum est ingressus.

*Annus Alema*

*Egregium de conferendis magistratibus.*

*† terram.*

DE

IEzid filius Moauui, filij Cephin, natus ex Maiocara filia Ietrib, filij Calp, filij Iohimer. Die obitus sui patris, per quem prius adhuc uiuum electus est, in regnum accepit populo fauente. Suus annulus has habuit literas: Deest Dominus meus. Scriptor suus Amere. Ille quidem morbum paralyticum, staturam longam habuit. Qui scribens ad Abdallam filium Azabair, inquit: Iam tibi missis à me compedibus aureis, & cathenis argenteis, illis uinctus ad me festinanter accede. Ille uero rescribens, illi dixit: Tuum uerbum me nequaquam emolliet, uel eneruabit, nisi prius lapide se mollem
10 masticatui præbente. In Harram † ex p cc pleumonia obijt, anno triceſimo- † ex perigneu
septimo. Super quem locum Damascus frater eius orationem fecit, & eum monia.
terræ commendauit. Regnauit annis tribus, mensibus octo, diebus duodecim. Solebat autem dicere: Nemo prælatis & regibus maledicat, sed ut Deus emendet deuotè postulet, sicut etiam iussit propheta. Quodam tempore nimium feruido, hominibus in expeditione potantibus atq; dicentibus, Iezib libate pocula ob illius tentorium clausum, impetus uenti superueniens tentorium euulsit. Et sic illum † natari lectioni innotuit. Dicebat quoq; † uacare.
prophetam præcepisse, subditos omnes patienter obtemperare suis regibus, siue prælatis, licet malis & flagitiosis. atq; dixisse: Misericordiam uos conse-
20 quemini, illi pœnam. Tyrannos igitur uobis prælatos, licet pecuniæ uestræ corporibusq; detrimentum inferentes, æquanimiter sustinete. In diebus eius ciues Alcupha scripserunt Alhiatem filio Dali, promittentes ei regnum, si à Mecha rediret. Amer autem filius Iezid illud percipiens, obuius illum deuicit, & in Alcuphe confinio peremit, die decimo Almuharan.

# ANNOTATIONES ERVDITI CVIVSDAM ET RECENTIORIS SCRIPTORIS, QVI ALICVBI citat Nicolaum Cusanum, quæ in marginibus Alcorano fuerunt adiectæ. Aliquot etiam capitum argumenta & censuræ.

DEVS multis nominibus appellatur in hoc libro, propter multifariam illius potentiam. Dicitur itaq; misericors: quia bonis omnibus bonũ auget, malis omnibus uel pœnam suam minuit, uel æqualem reddit. Dicitur etiam pius: quia cunctos inuocantes exaudit, omnibusq; uolentibus subuenit. Dicitur item salus: quia expers est totius detrimenti, & quia saluat, donũq; salutis dat beneficis, qui scilicet in ipsius dextra sedebunt. Dicitur fortis, quia nihil est illi graue uel difficile. Non iracundus: sustinet enim suos detractores, & sibi malum imponentes. Dicitur etiã mundus: quia nihil nisi bonum & honestum diligit. Dicitur benedictus: uel quia ipse solus est benedictio, uel quia cuncti benedicunt ei. Pater etiã dominus, sed perfectius quàm cæteri: ipse namq; solus omnibus rebus dominatur, Fides etiam, seu credulitas: sed hæc nomina quibusdam prioribus non assimilantur. omnes enim in eum credũt, ipse autem in nullum. Ipse quoq; firmat omnes, nullus autem eum. Testis: quoniam omnia nosci, omniaq; reuelabit. Fidelis: omne namq; dictum suum atq; promissum efficit, nunquam mentiens, meddaciũ semper abhorrens. Dicitur etiam tector: multa namq; celat, tegens illa mente sua. Abundans: nullis enim indiget, omnia possidens. Largissimus: cũ & ipse temporale bonum, & æternum tribuit. Conditor: Ipse namq; solus omnia creat, & nihil ei est impossibile. Inspector, uel uisor: nihil enim latet eum. Propinquus: quia præsens ubiq;. Immensus: continet enim omnia, à nullo contentus. Altus: præest enim omnibus, omnibus superior. Patiẽs: nõ enim est impetuosus. sed uindictã differt ad tẽpus. Potens, uel potentiosus: illi nãq; cuncta leuia sunt.

Notandum est legentibus librum istum, quod licet Deus ipse, prout Machumetus fingit, dicens se nec unquam legisse, nec literas uidisse, ne pute-

tur ab illo compositus, legem istam manu propria scripsit, prophetæq; prænominato tradidit, ut mũdo prædicaret eã. Et tamẽ ipse loquẽdo, personarũ assumit uarietatem. Nũc enim loquitur in persona Dei, nunc prophetæ, nunc bonorum Deũ inuocantiũ, ipsiq; gratias agentium: nõnunquã etiã bonos increpantium, secundum locorum diuersitatem.

Nota quod liber iste Alcoran est summæ apud eos authoritatis: Ita ut quisquis contra aliquem diceret, statim sine mora interficeretur.

Dicunt etiam, quod si quis hunc librum in uita sua millies legere potuerit, quandam mulierem in paradiso habebit, quam paradisitam uocant: miræ, ut ipsi delirant, pulchritudinis & magnitudinis: ita ut supercilia eius tanta sint, quantus est arcus qui apparet in nubibus.

Sciendum autem, quod lingua Arabica maximam cognationem habet ad Hebraicam. Vnde & Arabes isti, qui hic Ismaëlitæ uel Saraceni dicuntur, sicut Iudæi à dextra in sinistram, non à sinistra in dextram, sicut nos, scribendo literas ducunt.

Eliph lem, mim, a, l, m. Has (tres) literas Arabicas in principio libri ponunt, q; sigillũ libri dicũt.

Causa uero, quod ab huiusmodi charactere inquiunt: quoniam eliph, & in ordine literarum & in nomine Dei prima est apud eos. Per lem uero maiestas Dei, per mim imperium designatur: ut insinuent Deum omnipotentem, cuius hic nuncius, & huius præcepta.

Azoara Arabice, uultus Latine dicitur. Vnde quod nos capitulum dicimus, illi uocãt azoaram. Sicut enim uultus maxime notat, quis uel qualis sit homo: sic capitulum, quid sequens litera dicere uelit. Secũdum quosdam azoara oraculum sonat. Illi namq; soli iudicium tribuit. Prophetas autem dicit fore patronos & adiutores suorum professorum.

AZO. I.

1 Primum capitulum istud breue matrem libri dicit ob hoc, quoniam ex eo tota lex originem sortitur, & fundamentum: sicut lex nostra ex oratione dominica. Et est fundamentum, & initium, & summa omnium orationum eorum. Azoara primum septem uerba continet. Verba sententias uocat cuiusq; capituli, iuxta quosdam eorum. Licet multi Saraceni dicant, se nescire discernere, quomodo, uel qualiter hæ sententiæ distinguantur in singulis uersibus. Oratio autem in libri initio præmissa, quã matrẽ Alcorani uocant, eo quod principiũ & finis est orationũ omniũ eorũ. Verba sunt Machumeti. Nã per totũ librũ nullũ cuiquã uerbũ adscribitur, nisi soli Deo colloquẽti Machumeto. Misericordi.) In primis ipse Machumet loquitur, quasi exhortans ad agendas gratias creatori: eo quod sibi talẽ legẽ dederit. Nã deinceps per totũ librum quasi Deus loquitur ad ipsum, aliquãdo singulariter, aliquãdo pluraliter. Aliquando uero personarũ uarietatẽ adsumit, ut quandoq; ipse propheta loquatur, quandoq; boni inuocãtes, uel malos increpãtes secundũ, locorũ diuersitatẽ. Hostes Dei Iudæos uocat, quia Christũ prophetã optimũ absq; peccato semper uiuentem, iustissimum, & à uirgine natum absq; reatu suspendere uoluerunt. Cui multas contumelias intulerunt, & prophetas multos antecedentes multis modis penitus afflixerunt, multos etiã morti dederunt. Christianos dicit erroneos tum quia putat illos adorare tres deos, tum imagines. Iudicium s. dies. Postre.) dies ultima, qua cuiq; dabitur merces iusta.

Beneuol.) scilicet ut prophetas.

Azoar. 2 Capitulũ de boue ducentorum octogintaquinq; uerborum. Singula cap. de aliqua re, quæ ineo specialiter memoratur, appellat. Sicut istud primum, quod idcirco de boue nominatur, quia hic fabulose intexit cuiusdam uaccæ mentionem. Cuius tamen rei memoriam in ueteri testamento esse constat: sicuti & multarum fabularũ, quas hic mendose inducit, tam ex nouo quàm ex ueteri testamento penè omnes materias habuit, licet omnia mendacissime narret, sicut Iudæi eum & hæretici docuerunt. In primo capitulo statim orationes & eleemosynas laudat: ut scilicet sub hac quasi boni similitudine, ad sibi credendum incautos alliciat. Et hoc per totum librũ nota, quia mira calliditate quando aliquid & impium dicturus est, uel iam dixisse se recolit, mox aliquid boni uel de ieiunio, uel de oratione, uel de laude Dei interserit ita: Sicut post aperiens turpitudinem mendacio inescatis, quo ubiq; plenus.

3 Domini Iesu.) Hoc dicit propter Christianos, quos mirabili insania putat tres deos credere, qnia Christum & Spiritum sanctum æquales Deo patri dicunt. Et nota, quod in isto hæresis Arriana reuixit. Manum.) Hic iactat, quasi nullus hominum talem librum facere possit. Paradiso.) Nota quia talem paradisum uitamq; promittit, scilicet carnalium deliciarum. Quæ fuit antiqua hæresis olim, & in isto nunc pejus repululat.

4 Admittit Alcoran, Christum sequentes præferri omnibus: cum Christus sit omnibus sanctiss. prophetis suprapositus. Ideo subiungit præ cæteris præbuimus te, ex intentione. Intendit Christo scilicet potius adhærendum: prout late deducit Nicol. Cusanus Card. cap. octauo, in Cribratione Alcorani. 5. De gẽte Ioachim ducentorũ uerborũ.

7 Vt cauti & præmuniti (præmoniti legendum) sint in bellis.

8. Quot uxores habere debeant, & de substantia eis diuidenda, & de multa cura mulierũ.

9. Item de mulierib. Et præcepta quædam stulta, & ut post coitum & egestionem antequam orent,

orent, lauent culum, & cætera uerenda.

10 Cohortationes ad pugnam, & ea quæ sæpe solet deliramenta repetit.

11 In qua asserit, non occidisse Iudæos Christum, sed nescio quem similem eius: nec Deum habere filium. Item solitas insanias dicit: quod & sæpe facit.

12 Ea quæ solet, repetit more suo: Vana & fabulosa & impia intexit.

13 Christianorum sacerdotes & præsules dicit magis sibi credere. Quod ualde dolendum est.

14 Hic dicit, non sibi datum à Deo miracula facere, & cætera bona, & friuola, quæ solet.

15 Iterat quæ solet: & fabulæ de Abraham, & quibusdam alijs prophetis.

16 Multiplicat solitas nænias, & insanias repetit.

17 Hic retexit fabulas infinitas de Adam & Eua, & Belzebub, & prophetis quibusdam inauditis: & de Moyse solita deliramenta, & insanias, & uerba stultissima reiterare non cessans, agitante eum spiritu maligno.

18 Eadem quæ solet, deliramenta repetit: pugnas & depræda tiones contra eos, qui sibi non credunt, incessanter persuadendo.

19 Ea quæ solet repetit, & maxime cohortationes ad pugnam, & ad prædam, & ad rapinam.

20 De solitis nugis, atq; mendacijs.

21 Solitis insanijs & mendacijs plena.

22 Continet fabulas & mendacia de Ioseph, nescio ubi inuenta, & à sacra historia omnino aliena.

23 Solitas fatuitates ineptissimas replicat.

24 Stultitiæ & uanitatis plena.

Nota similitudinem arboris.

25 Solitas fatuitates replicare nõ cessans. Exig.) Hic dicit diabolum ex igne creatum. Plasm.) Replicat fatuitatem, de adoratione Adæ ab angelis.

26 Verba iterum atq; iterum replicans stultitiæ atq; insaniæ plenissima. Exempl. null.) Nota exempla, quæ ponit. Mendax.) Hic excusat se non esse mendacem, cum tamen nihil aliud quàm mendacia ubiq; & per totum fingit. Latini.) Hic specialiter contra Latinos loquitur. Villæ.) Nota parabolam.

27 Seruũ.) te scilicet ô Machumet. Longinq.) id est, Hierusalem. Haram, id est Mechæ. Parẽte.) Nota de honore parentum. Ne ponas.) scilicet quod Deus habeat filium uel æqualem. Oratio.) A mane usq; ad uesperam orationibus incumbẽdum est. Licet omnes.) Si omnes homines & diaboli conuenirent, non possent facere librum similem Alcoran. Nec filium.) Solitam blasphemiam replicat.

28 Deum habere fil.) Nota impietatem magnã. Adolescent.) Nota quomodo peruertit historiam illam, quæ inuenitur de septem dormientibus, & quã mendaciter & turpiter eam narret. Nihil te fact. fir.) Nota ut nihil affirmet. parab, de duob.) Nota parabolas stultissimas.

Moyses.) Fabula stultissima de Moyse. Alex.) Nota fabulam de Alexandro ridiculosam.

29 Hic est medium Alcorani diabolici. Azoara XXIX. fabulas habet mendacissimas atq; stultiss. de Ioanne baptista, de natiuitate Domini, de Moyse, de infinitis atq; ridiculosis † merat. Ioannes.) †Leg. Nota mendacium impudens, & quod nullam omnino nænijs scripturarum sciebat: qui nomen Ioannis & in propheta Hieremia, & in libris Machabeorum præcessisse non nouerat. Spiritum qui mutar.) Nota, quàm hæretice delirans, uult dicere, nuncium qui missus est ad Mariam, ipsum spiritum Dei fuisse in similitudine hominis, miserrimus, quid dicat, nesciens. Impregn.) Nota turpem & mendacem narrationem, atq; hæreticam, de partu uirginis.

Mihi quidem orat.) Nota impietatem, quam repetere non cessat. Deum filium.) Solitam blasphemiam replicat. Per alchirna, Locus idolorum.) quæ destruxerat, intelligitur.

30 Stultitiarum, & fabularum, atq; impietatum plenissima. Tua sorore.) Vbiq; mendacia, quæ à diabolo didicerat, repetit etiam contra scripturam. Nostris act.) Nota dictum. Aduxor ali.) Non seruauit hoc præceptum pessimus ribaldus, quia multorum uxores rapuit.

31 Mendacijs & uanitatibus copiose referta. Villa.) scilicet Mecha, uel quælibet alia. Cibis pot.) scilicet ut essent forte s fortes, si qui pugnando intulerunt leges. quod uult dicere de Abraham, & de Moyse, scilicet quod pugnando, & uiolenter cogendo ad legem suam homines compulerunt: ut tali exemplo magis animet eos ad pugnandum & interficiendum omnes, qui ei credere nolebant. Ipsum confund.) id est, ipsam falsitatem ueritas confunderet. Deum filium.) Nota solitam impietatem. Dauid.) Nota fabulas stultissimas de Dauide & Salomone. Martial. indũ.) Dicit insanus, quod Dauid primus in uenerit artificium loricæ faciendæ: cum in scriptura sacra legatur Golias, quem ipse Dauid occidit, habuisse loricam. Mulierum opt.) Nota dictum de Christo & matre ipsius. De matre Domini uult dicere, sed impie dicit atq; hæreticè, Deum scilicet insufflasse ei animam suam nescio quã.

Alchist.) Nota fabulas infinitas, & Alchiramum prophetam inauditum, quem magis arbitror aliquem fuisse diabolum. Prænoscitur à Deo.) Hoc dicit in excusationem sui, qui propheta non erat, nisi diaboli.

32 Variantes leg.) Christianos uariatores legum appellat, uolens dicere illos Euangelium corrupisse, & ad suum libitum commutasse. Abraha.) Abraham dicit fundasse templum Mechæ. Tibi contrauerſ.) Deum scilicet contemnunt, non te.

33 Castitatẽ.) Nota, & uide castitatem diaboli.

Asser-

Aifferdeum.) Locus paradisi, quem iste suis promittit. Filium mori.) Nota stultitiam & impietatem solitam. Nota hic, de Christi & matris suæ paradiso.

Nos ueritatem nuncio.) Nota quàm misere & stulte putat filium Dei à nobis quasi alium Deũ intelligi.

34 Vana, stulta, impia. Vxorib. impon.) Nota compassionem eius circa mulieres adulterantes.

Male loquent. de mul.) Item cura mulierum, quas credibile est eum rogasse, sicut suum familiarissimũ, ut de eis in Alcorano suo loqueretur studiose, easq; attente commendaret. Domum ingr.) Nota. Dicit ut nullus ingrediatur domum nisi suam propriam, nõ tamen repente ingrediatur: sed antè aduentu suo nunciato: timens uidelicet deprehendi cum uxoribus alienis, quas assidue scortabat leccator pessimus.

Domibus de.) Nota qualiter sit orandum. Nubium nigerr.) Nota stultitiam.

35 Vana, stulta, & impia. Hath, Them.) Nomina suorum prophetarum. Intercapedo, est spacium inter unam rem & aliam.

36 Nutriui puer.) Nota mendacium de Moyse.

Si ceperitis.) Nota, quanto fabulositas.

Hut.) Nota Hut & Hat prophetas, qui nunquam fuerunt. Themuth.) Nota superius istum omnes istas fabulas induxisse: quas iterum repetit, non habẽs quid dicat. Pessundauimus.) id est, cõculcauimus.

37. Fauimentum.) Nota insaniam.

38 Haram, prohibitis à nutritura eius.) Hale licitum significat, Haram illicitum. Mundanæ petu.) Nota stultitiam atq; mendacium. Non enim qui bene utitur diuitijs, in futuro sæculo perdetur.

Karon.) Nota, quomodo non habens quid dicat, ad fabulas Iudæorum conuertitur: sicut & sæpe facit.

39 Imagines.) Hic loquitur contra imagines Dei. Abrah. diues.) Nota paulò ante illum dixisse, quod qui diues esset in hoc sæculo, in alio perditus esset. Nunc autem dicit, Abraham diuitem in hoc sæculo, & tamen bonis connumerandum. Et hanc eius contrarietatem atq; stultitiam ferè ubiq; inuenies.

40 Stulta, uana, & impia.

41 Vana, stulta, & impia.

42 Vanitatis & fallaciarum pleniß. De suo spiritu insufflans.) Deus de spiritu suo insufflans Adæ, &c. ubi nota opinionem ipsius de anima.

Incredul. in ign.) Nota, quanta contrarietas. Illum quem dixit perpetuo in igne mansurum, statim dicit ad Deum conuertendum.

43. Vana, stulta, & impia. Tuas muli.) Nota, quãta cura de mulieribus suis: quas ad minus XIII. habebat. Viri seu fœmine.) Nota, quomodo post tantam curam mulierum suarum, statim sermonem facit de castitate: ut cooperiat leccitatem suam, qui præ cunctis hominibus in mulieres libidine insaniebat. Tu uirum à Deo dit.) Hoc dicit propter seipsum, introducens Deum sibi loquentem, ut cuiusdã uxorem, quam ualde amabat, licenter stupraret, & postea sibi eam uxorem acciperet, quasi ex præcepto Dei dantis sibi licentiam sicut prophetæ sancto, quam alij non habebant: uidelicet ut omnes adulteri sint.

Tibi mulier.) Nota iterum leccacitatem, quomodo facit sibi Deum loqui, ut quascunq; uoluerit, constupret. Nullus prophetæ.) Nota quomodo uult cooperire, & quomodo temperare, quod superius dixerat. Hoc totum propter uxores suas dicit, sicut zelotypus, & adulter pessimus. Midena.) de tali loco.

44 Vana, stulta, & impia. Salom.) Nota, quanta fabulositas de Dauide & Salomone, & quotiens eam reiterat. Coram Deo.) Nota, quàm insanè & stulte loquitur, sicut dæmoniacus. Missus cunct. gentibus.) Hic dicit, quod sit nuncius ad omnes gentes. Homo mag.) Nota, quomodo conscius ipse sibi de se putat omnia dici. Ita enim erat omnino, sicut dicebat illos dicere de se.

45 Vana, stulta, & impia. Alkmer, est aliquid uile & modicum.

46 Leccacitatis plena. In paradiso lect.) Nota leccacitatẽ insanã, & paradisum, quã promittit suis.

48 Dauid.) Nota insanias fabulosissimas, quæ sequuntur. Portæ parad.) paradisus Machumet.

Hominem de lut.) Nota, qualiter istam suam primam fabulam, quam diu intermiserat, modo repetit, quid dicat non habens.

49 Si Deus fil.) Nota insaniam solitam, & blasphemiam. Tribus recepta.) Hic uult dicere, quod in uulua uel in matrice mulieris tria sunt receptacula, ubi formatur homo. Quod ei forsitan aliquis physicus dixerat. Octo parilia bestiarum more solito insipienter dicit: cum non solum octo, sed multa parilia bestiarum fecit Deus. Credentium primum.) Dicit se primum credentium. Alcoran fals. expert.) Imò omnis quodammodo ueritatis. Exempl.) Nota exemplum.

51 Stulta, uana & friuola. Hic libet à Deo.) Mentiris, sicut penè ubiq;.

52 Solitus nugis atq; mẽdacijs plenissime referta.

53. Stultissimis mendacijs & nugis plena.

Christo.) Nota de Christo, & parabolis ipsius, & de solita impietate.

54 Impia atq; sacrilega.

55 Stulta, uana, & impia. Filijs Is.) Nota hic quid dicat de filijs Israël.

56 Stulta, uana, & impia. Non sum præm.) Dicit hic, se nescire quid sibi suisq; gerendum sit.

O Deus fac.) Nota ubiq; stultitiam.

57 Stulta, mendax, & impia.

58 Azoaram, oraculum uel præceptum. Azoaras singulas chartas Alcorani dicit: quas per Gabrielem sibi à Deo mitti mendacissime confingebat, non simul, sed paulatim dicens eas super se uenire.

59 Diabolica & insana.

61 Per uent.) Nota, quàm stulte iurat, quod scriptura eius uera sit, & quàm insana iuramenta facit.

62 In.) Nota iterum stultam iurationem.

63 Vana, mendax, & impia. Subleuatus.) Dicit se in cœlum eleuatum, & locutum fuisse cum Deo. Vana nomi.) Nomina idolorum, quæ tunc colebant Saraceni, dicentes fœminas ab ipsis esse creatas. Qui tunc.) Hoc similiter. Ascheare.) Nomen gentis alicuius, quam fingit, fuisse sicut & alias multas, quæ etiam nunquam fuerunt.

64 Luna.) Aliquod signum contigerat in luna: quod dicit per se factum. Themuth.) Nota, quoties istas fabulas de Noë, & de Hat, & de Themuth iam iterauit, non habens aliud quid dicat. Camel.) Ecce iterum camelam Themuth, quàm occiderant ei nescio qui, qui nolebant ei credere. Psalt.) Cuius psalterij mentionem facit, nescio. Sed puto, quod audierat ab aliquo nominari psalterium, & putat ibi scripta esse, quæ nunquam audita sunt.

65 Hermodactyli fructus sunt palmarum. Hominem de Celcal.) Nota sæpe repetitam fatuitatem de angelis. Omnis res mund.) Quàm insane loquitur sicut diabolico spiritu agitatus. Ignem clariss.) Nota quam stultè dicat ignem clariss. atq; fumosum. Paradis.) De paradiso sua, nota plurima.

66 Paradis.) Nota quod huiusmodi paradisum semper describit & promittit. Diligunt enim Saraceni talia delectamenta, esse scilicet semper in hortis inter arbores atq; aquas, habere secum pulchras mulieres, comedere delicioſe, luxuriari, & concumbere indesinenter.

67 Scitote uitam huius.) Nota bonum dictum. Nullum animal.) Hic loquitur de præscientia. Christo.) De Christo & euangelio.

68 & 69 Vana, mendax, & impia.

71 Christum.) De Christo, quod prænunciauerit Machumetum, & ipsius nomen expresserit. Christus Iesus.) Iterum de Christo.

73 Vanissima & impia.

74 Diabolica.

75 Mulierib.) Nota, quanta est ei compassio circa mulieres.

76 Hic facit se increpari quasi à Deo, quare aliquid de suis uxoribus suspicientur: cum sint ipsæ bonæ, & non sit opus eis aliquid prohibere. Iuraiurā.) Quæ iuramenta coëgerat eas facere, quod Dei fidem seruarent. Insuff.) Nota quod sæpe repetit de insufflatione animæ beatæ Mariæ, & quid intelligat ex præcedentibus & subsequentibus, diligens lector inquirat.

78 Calam.) Nota fatuum iuramentum. Iterū crebro.) Et tu pessime, qui non cessas stultissima iuramenta facere, de illis es. Alius.) Aduerte lector, quod alius genitiuus in hoc opere pro alterius quasi semper ponitur.

80 Vanissima. Quinquaginta an.) Nota fatuitatem de annis, &c. Mulieres prop.) Aduerte hic pessimum ribaldum, in facto libidinosum cum uxoribus proprijs.

81 Diabolica.

83 Vanitatis & insaniæ plena. Fraudetur.) id est, scindetur.

85 Mendax, ut suprà. Per diem.) Iuramenta fatua, quæ Deo adscribit.

86 Mendax & uana. Paradis.) De paradiso sua.

87 Per angul.) Nota sæpe stultissima iuramenta, quæ Deo attribuit.

88 Timentes suffic.) De sua paradiso. Optimaq; remunerat.) Mentiris, quia maior est, quam Christus in Euangelio promisit. Angeli.) Prosequitur suam fatuitatem de angelis, quos de igne creatos asserit, & mortuos, & tandem resurrecturos.

93 Paradis.) De paradiso sua.

98 Aliorum autem facies.) De paradiso sua. Illos castig.) Cur ergo præcipis, ut gladio ad tuam legem conuertantur homines? Et si non coactor sed doctor es, cur non rationibus ut homo, sed potentia ut bestiæ & animalia bruta homines subijcis? Sed ut mendax ubiq; tibimet ipsi contrarius existis.

107 Noctem alchideram uocat, in qua dicebat super se uenisse angelos, & attulisse Alcoran.

108 Librorum ho.) Librorum homines & legibus subditos, Christianos uocat & Iudæos. Maxime autem de Christianis uult dicere, quod ante suum aduentum dissensiones habuerint, & nihil sciuerint: sed ipse attulerit bonam legem, & legerit eis libros benedictos. Deo particip. adiung.) Christianos hic maxime notat, putans infœlices, quod tres deos crederent.

115 Nunquid.) Hic tangit aliquam fabulam inauditam, ut uideatur dicere mirabilia.

116 Homines Coraſc uocabantur, de quorum progenie ipse erat.

121 Amilcas.) Iste aliquis erat inimicus eius.

122 Deum unum.) Nota impietatem, quam nec in fine tacere potest.

HIC EST FINIS LIBRI.

# CONFVTATIONES

LEGIS MAHVMETICAE, QVAM VOCANT ALCORANVM, singulari industria ac pietate à doctissimis atq; optimis uiris partim Latinè, partim Græcè, ad impiæ sectæ illius, errorumq; eius impugnationem, & nostræ fidei Christianæ confirmationem olim scriptæ, ac magno studio hinc inde conquisitæ, inq; lucem editæ.

Quorum catalogum uersa pagina continet.

*Adiecta quoq; est Lodouici Viuis Valentini, uiri doctissimi, de Mahumete & Alcorano eius Censura, ex Libris ipsius de Veritatè fidei Christianæ decerpta, unà cum alijs lectu dignissimis.*

Item

IOANNIS CANTACVZENI CONSTANTINOPOLITANI regis, contra Mahometicā fidem Christiana & orthodoxa assertio, quatuor libris comprehensa, & per Rodolphum Gualtherum Tigurinum è Græco ante annos ferè CC scripto in latinum sermonem conuersa.

Cum gratia & priuilegio Imperiali ad quinquennium.

CONFVTATIONVM LEGIS MAHVMETICAE,
*secundo hoc Tomo comprehensarum Catalogus.*

Lodouici Viuis Valentini de Mahomete & Alcorano ipsius Censura, è Libris eius de Veritate fidei Christianæ decerpta.

De Mahometo, eiusq; legibus, & Sacacenorum rebus, ex Volaterrano.

Mahumetanorum sectam omni ratione carere, Commentatiũcula lectu dignissima, Hieronymo Sauonarola autore.

Disputatio Christiani eruditissimi, qui diu uersatus est apud principem Sarracenorum cum magna dignatione: & Sarraceni sodalis ipsius, aduersus doctrinam & flagitia Mahumetis.

Cribrationum Alcorani Libri tres, Reuerendiss. atq; doctissimo D. Nicolao de Cusa Cardinali autore.

Richardi fratris ord. Prædicatorum, Confutatio legis à Mahumete Sarracenis latæ, è Græco Demetrij Cydonij Latinitate donata, Bartholomeo Picено interprete.

Christianæ fidei Exomologesis, siue Confessio, Sarracenis facta, cùm primis quidem pia, & spiritum planè Apostolicum redolens, è Græco conuersa, incerto autore.

ACCESSIT *nunc postremò*,

IOANNIS Cantacuzeni Constantinopolitani regis, contra Mahometicam fidem Christiana & orthodoxa assertio, libris quatuor, Græcè ante annos plus minus ducentos scripta, & per Rodolphum Gualtherum Tigurinum latinitate donata.

# DE MAHOMETE, ET ALCORANO IPSIVS, SIVE SARACENORVM LEGE, LODOVICI Viuis Censura, è libris eius de Veritate fidei Christianæ excerpta.



Prima ætate Mahometes fuit pauper, & exercuit latrocinia: tum nactus opulentas nuptias, militauit sub Heraclio imperatore, inter populares suos Arabes. In ea militia occasionem principatus ac potentiæ inuenit. Nam quum Arabes irati Heraclio, discessionem ab eo fecissent, hic se ordinibus iratorum militum admiscuit, eorumq; animos aduersus imperatorem exacuit, & in defectione confirmauit. Tum creatus est à parte quadam militum dux Mahumetes, quemadmodum ij solent in omni seditione extolli, qui praua multitudinis consilia comprobant, potentesq; & principes insectantur. Humilitatem generis & uitæ prioris sordes, multi in nouo duce aspernabantur. Ipse ut ab illo se contemptu uindicaret, quod est apud stolidam plebem facillimum atq; efficacissimum, diuinitatem suis actibus prætendit, non iam se ducem & principem ferens, militari fauore electum, sed prophetam & nuncium Dei omnipotentis, ut obtentu diuinitatis omnes haberet dicto audientes. Caput uero negotij erat, Deũ misisse primò humano generi Mosen, hinc Christũ IESVM, instructos facultate prodigiorum: homines illis non se præbuisse obsequentes: statuisse Mahumetem mittere sine miraculis, armatum, ut quos non mouissent oracula, cogerent arma: se esse postremum nuncium, nec futurum postea alium, prædictum à Christo in Euangelio, prænunciatum luce admirabili, quæ ab Eua per successionem generis in omnes mulieres transierit usq; ad matrem suam, &c. de quibus plura in Alcorano, hoc est lege sua, quam sibi dicit cœlitus traditam, ut communicaret hominibus: in qua est mira eius inconstantia. Aliàs enim dicit, se gentem habere peculiarem, cui sit missus: & neminem intellecturum suum Alcoranum, nisi sit Arabs, aut sciat Arabicè. Aliàs dicit, omnibus se gentibus ferre leges. Præterea nec minus securè infinita mendacia in Alcorano confingit partim ex Thalmut Iudæorum, quæ tamen ipse magis corrupit, ut de Adam, de Cain & Abel, de prædicatione Noe, de morte Mosis: de Pharaone, qui iussit sibi ædificium usq; ad cœlum extrui, ut uideret deum Mosis: de Solomone, quod haberet exercitum hominum dæmonum & auium, ipsum glorificantiũ: de Dauide, cui montes & aues obediebant. Iam quæ sunt aperte planis uerbis in ueteri Testamento explicata, ipse deprauat, & narrat falsò, ut de Mose, de Pharaone, de Gedeone & Saule & Noe & arca, de Abraham & Lot, de Ioseph. De nouo autem Testamento narrat falsò natalem Domini, & de Ioanne baptista, &c. Nec solum de utroq; Testamento tam licenter mentitur, sed & de historijs gentium. Alexandro ait tributam à Deo scientiam rerum omnium. Quis unquam id tradidit inter tot Latinos scriptores & Græcos, qui illius uitam & res gestas memoriæ mandarunt? Fieri profectò non potest, ut Mahumetes legerit utrunq; Testamentum. Nam & si ego de illo pessimè sentio, non tamen arbitror fuisse tam excordem, ut sic apertè mutaret & detorqueret, quæ nihil ipsi oberat integra relinquere. in quibus etiam si fuisset error, non tamen erat is tanti, ut diuina correctione indigeret. Sed de utroq; Testamento partim ipse fando audierat nonnulla, quæ prauè retinuerat: partim Christiani & Iudæi persuaserant sic habere. Itaq; ea scripsit, per quæ manifestò uanitas & imperitia illius se patefaceret, & ueritas esset ad percipiendum non difficilis. Nec ipse quid sit Euangelium, nouerat: quanquam sæpe dicit Christo esse datum librum euangelium à Deo. Nullum librum Deus dedit Christo, nec ipse euangelium scripsit, sed lætissimum nuncium attulit generi humano, reconciliationem fieri hominis cum Deo, & placatam iram Dei, cessare ultionem, reditum ad gratiam patêre: quo nullus est nuncius melior. Euangelium enim bona est annunciatio. Eiusdem notæ est & illud, quod ait Dauidi missum esse psalterij librum, quum ille sigillatim psalmos composuerit, & cecinerit Domino. At quo ore, quanta impu-

dentia, quasi nihil mutasset, Si quid (inquit) dubitatis in his, quærite ab ijs qui librum legerunt ante nos, quærite ab ijs qui legem & euangelium legerunt: hoc est, à Iudæis & Christianis. Hunc tu putes uel frontem habuisse, uel cor? Necesse est uel illum nihil legisse, sed quæ accepisset ab alijs, habuisse pro indubitatis, in quo eius tarditas & socordia ostenditur: uel si quid legit & nouit, non proiectæ solum & profligatæ, sed dementissimæ est impudentiæ, eos pro se testes adducere, quorũ testimonio sciat se condemnatum iri. Profectò alterum necesse est: uel ipsam beluam fuisse, uel eos quibus loquebatur habuisse pro beluis. Plura de Alcorani & Mahumetis erroribus, nempe quàm absurda de Deo, de Christo, de rerum natura, de die extremi iudicij, de beatitudine statuat, itemq; de legibus & uita Sarracenorũ plenissimam tractationem reperies in Lodouici Viuis de Veritate fidei Christianæ libro 4. qui in hoc ipso confutando totus uersatur. Nos ista duntaxat hoc loco adiecisse, ut disputationis huius saltem admoneremus lectorem, operæ precium duximus.

## DE MAHVMETO, EIVSQVE LEGIBVS, & Saracenorum rebus, ex Volaterrano.

SAracenorum gente Arabiæ felicis numerosa ac bello potentissima, nulla magis Christianos exercuit: eius Ptolemæus & Marcellinus in primis meminere. Ii diu regibus Persarum unà cum reliqua Arabia seruierunt, usq; ad Heraclij principis tempora, annũ uidelicet salutis DCXX. Tũc primùm Mahumetes ex eis caput extulit, quem (ut refert Bibliothecarius) humili genere natũ, defunctis parentibus captiuum, Abdemonaples, Ismaelitici uir generis, emit, sibi gratum ob formam & ingenium. Quapropter mercimonijs ac negocijs ab eo præficitur. Frequentabat ea tempestate domum Abdemonaplis, Sergius monachus, qui ob sectam hæreseos è Constantinopoli in Arabiam fugerat, Machumetemq; ob ingeniũ ualde diligebat. Interim herus sine liberis moritur, uxor uidua & quinquagenaria hunc sibi in uirum capit. Is igitur cum sæpe in alienationem mentis se uenire ostentaret, & tanquam qui morbum patiatur comitialem, corpore prosterneretur, admirante uxore: Desine, inquit, mirari, hoc mihi ex ipsius Dei spiritu me corripiente prouenit, qui mihi futura suggerit. Seq; planè prophetam dictabat, atq; hæc omnia iuuante & consulente Sergio agebat. Paulatimq; uulgata fama, nec multo pòst hæres ab uxore moriẽte institutus, opibusq; adauctus, simulq; autoritate, inter suos legem condere cœpit: nouamq; propterea sectam edidit, ab Hebræis nonnulla mutuando, partim etiam à Christianis. Circumcisionem & abstinentiam porcinæ simul & uini præcepit: ieiunium mensem continuum seruare, tantumq; noctibus uesci, diurnam abstinentiam longa crapula compensando. Veneris diem colunt, quòd in hac ille rex factus: uel (ut quidã aiũt) ut Hebræis Christianisq; dissentiant: eademq; de causa ad meridiẽ conuersi Deo supplicant. Vxores, quot pro facultatibus licet, fas ducunt habere: quarũ Zelotypi solent esse, adulteras capite plectendo: nullam fœminam nisi operta facie forás prodire, mancipijs pro libidine uti, uoluptates corporis futuræ felicitati minime officere. Tris tantum prophetas admittunt, quos Razales uocant, Mahumetem, Mosem, & Christum, quem minimè deum alioquin esse putant: & angelos, ueterem etiam legem recipiunt. Hæc reliquaq; præcepta in uolumine cõscripsit, quod Alcoranũ appellant, atq; in latinum sermonem conuertit Ioannes Hispanus in concilio Constantiensi, Martini V. tempore, idq; Christianis argumentationibus publicè refellit. Contra hoc iterũ Ricardus ordinis Præd. summusq; Theologus librum condidit: quem Demetrius Cydonius in Græcũ sermonem conuertit. Hac igitur superstitione armatus Mahumetes, obtemperantes Saracenorũ animos ad rebellandum cõtra Persas excitauit. Vixit annos XL. Moriens prædixit se iturũ in cœlũ: quod diu expectãtes, tandem tetro coacti odore, sepulchro mãdarunt apud Mechã ciuitatem, quæ aditur ab eis ut à nostris Hierosolyma. Post eius mortẽ plures è successione principes eius gentis, partito inter se exercitu alibi alij regnauerunt, uarijs etiã nominibus appellati, Calyphe, Amorræi, Admirati, Miramemelini, Sultani, quæ est apud eos summa potestas. Homar igitur à Mahumete tertius, post Persas subiugatos, Hierosolymã omnẽq; Syriã cepit, anno circiter DCLXX. sedente Agathone et Constantino IIII imperatore. deinde Aegyptũ inuasere, cõstituto apud eã Calypha. Res itaq; incolumis Saracenorũ usq; ad Mauguet Persidis principem durauit. Hic cum Himbraelem Babyloniæ regẽ ex eadem

secta

secta expugnare uellet, inter sequoq; dissiderent, Muchaletum Turcam ex Scythia accersiuit: à quo postea Persidis imperio exutus fuit. Hinc Turcæ quaquauersus prævalentes, etiam Aegypto potiti sunt per Syracinum, qui Calyphã interfecit, Almerici regis Hierosolymitani tempore: Sultanusq; appellatus est, cui Saladinus successit. Verùm Saraceni ex Asia pulsi, alij alia loca petiere. In Africam transgressi, apud Carthaginem regiam constituerunt: inde in Siciliã, Sardiniamq;, ac nonnullas Tyrrheni maris insulas, simul & Baleares inuaserunt. Anno DCCXXX, duce Miramomelino Hispaniam petiere, quod bellum in eius descriptione cõmemoraui. Eodem ferè tempore Zulemone duce in Thraciam traijcientes, Constantinopolim Leone IIII. imperante, classe potentissima obsidione triennali cinxerunt: quam relinquere tandem diuinitus coacti sunt, peste maxima fameq; cõsumpti. Anno DCCCLVIII. sedente Leone IIII. ex Africa soluentes, Siciliã omnẽ occupauerunt. In Italiam quoq; transfretantes, Apulia capta, apud Nuceriam sedem constituerunt multos annos, egressiq; inde Ostiam usq; cursitauere. Indeq; agrum populati, basilicas etiam apostolorũ dicuntur incendisse, quibus Leo cum Romana iuuentute occurrens eos repressit. Haud multo pòst, anno uidelicet DCCCCXVII, iterũ oram percurrentes, Ioannes X pontifex ad Minturnas nobili prælio fudit. Anno DCCCCXXXV, ex Africa soluentes, Siciliã, Sardiniã, Baleares, insulasq; Hetruriæ plures occupauerũt: oraq; eius omnẽ, simul & Genuã populati sunt. Ad loca quoq; in Adriaticum uergentia penetrantes, Lotario Imp. & Sergio sedente, Anconã adpliciuere, toto ferè Piceni littore occupato: unde apud Crotonem uictores Venetorum classis fuere. Qui uerò in Hispania erant, conati in Galliam traijcere, ab Eudone Aquitaniæ duce contra Francos uocati, à Carolo Martello clade memorabili adflicti, interfectis ex eis propè CCC milibus. Insequentibus deinde temporibus Hispaniæ regum, præsertim Ferdinandi nunc regnantis uirtute, ex Europa penitus pulsi sunt: qui quamuis Africæ nunc quoq; dominentur, uiribus tamen ac uetere belli gloria magnopere ceciderunt. Duplex eorum hodie qui restant, genus in Africa: qui urbes colunt, & Nomades, qui foris armenta pascunt, quotidieq; per agros incerta sede uagantur: quorum est præcipua conditio, formidiniq; urbanis sunt, à quibus & uectigal certum exigunt. Annis ab hinc XXV. Cidianus quidam prophetæ nomine inter eos cœperat ad spem gentem profligatam reuocare, opinione uitæ, uirtutisq;: sed breui tempore pereuntis hominis uanitas animaduersa. Saraceni Arabesq; omnes lingua utuntur Arabica, & propria, illorũ sectæ communi, uerùm indigenæ longe puriore.

## MAHVMETANORVM SECTAM OMNI ratione carere, Commentatiuncula lectu dignissima, Hieronymo Sauonarola autore.

ATMahumetani quodammodo inter Iudæos & Hæreticos medij, postremo nobis loco conuincendi supersunt. Nam & Iudæorum circumcisionem imitantur, & omnium ferè hæreticorum errores coaceruarunt. Ideo non multo labore hæc contra illos pugna conficietur. Si quis enim inter eos uersetur, illorumq; mores ac religionem diligenter consideret, legiferiq; Mahumetis perlegat Alcoranum, quem inuiolabili fide tenendum putant, facile uanitatem rei deprehendet. Omnis namq; uera religio aut à naturali, aut à supernaturali lumine proficiscitur. Sed eorum superstitio penitus confusa, à neutro horum lumine prouenit. Quiuis enim uel mediocriter rationis philosophiæq; peritus, tam in speculatiuis quàm in practicis, eam religionẽ facile subuerteret. Cuius autor se literarum omnino ignarum fuisse ostendit. Librum enim suum, quem Alcoranũ, id est præceptorum collectionem uocat, adeò insulse ac confuse tradidit, ut à nemine ordinem ullum in eo deprehẽdi posse existimẽ: quod præcipuũ ignorantiæ est atq; secordiæ signũ. Tot præterea in eo fabulæ, totq; cõtra bonos mores imperata uel permissa cõtinentur, quæ Philosophi ludibria & nefaria cẽserent, ut ea irridere satius sit quàm refellere. Huiusmodi ergo religio ab ipso lumine naturali, cui cõtraria est, prouenire nõ potest. Neq; etiã à supernaturali proueniet. Quicquid enim naturali lumini aduersatur, ipsi etiã supernaturali cõtrariũ est, ut postea ostẽdemus. Itẽ quæ malo inchoata sunt principio, bonũ perraro uel nunquã exitũ sortiuntur. Sed hæc secta autore gloriatur Mahumete. Qui, sicut certa tradit historia, prorsus irrationabilis, sceleratus, adulter, & populorũ prædator

fuit. Cumq; epileptico, ut fertur, morbo sæpe correptus collaberetur, interrogatus cur id ei contingeret, se angeli colloquio tunc frui referebat. Vi autem & gladio, nõ rationibus instructus, pollicitationibus primũ malaq; arte homines rudes ac impuros sibi asciuit. Quibus paulatim alios in suã lasciuiã fabulosamq; sectam pellexit. Armisq; peruagante licentia, imbellem multitudinem subegit. Cum ergo origo pessima fuerit, neq; à Deo cepisse, neq; bono potest fine concludi. In Alcorano item Mahumetes Euangelium uetusq; Testamentum ubiq; probans atq; confirmans, Christũ cõmendat: quem de uirgine natum, prophetamq; ueriſsimũ cõfitetur. Quid ergo insipientius dici potest, quàm eadem affirmare & negare, nec eam quam probat doctrinam, sed contrariã sequi? Illud autem ridiculum est, quod in erroris sui excusationẽ affert, dicens Euangeliũ à nobis esse cum ueteri Testamento deprauatũ. Quod tam facile ac aperte refellitur, quàm leuiter temereq; prolatũ est. Pro certo enim constat, utriusq; Testamenti codices Hebraicis, Græcis, Latinisq; literis uxta harũ nationum idiomata antiquis monumentis asseruari, & per uniuersum orbem ex ijs complura uolumina eodem exemplo uarijs tẽporibus fideliter esse transcripta, uetustiſsimisq; nouiſsima cõfirmari. Quomodo ergo in tot exemplaribus, apud diuersas mũdi nationes, uarijs linguis, diſsimilibusq; hominum studijs & ingenijs potuit hæc simul locũ habere deprauatio? Imò ex huiusmodi scripturarũ consensu illius fabulæ ac mendacia, quibus ineptè procaciterq; utrumq; Testamentũ uitiant, planè deprehenduntur. Vera insuper religio ad bene beateq; uiuendum, & ad cordis puritatem, ueritatisq; contemplationẽ est ordinata. Eiusmodi autẽ secta, terrena tantũ sapiens, nulla ueræ beatitudinis mentione habita, bestialem quandam uoluptatem uentri consentaneã post præsentem uitam pollicetur. Ne quis uerò eum parabolicè locutũ existimans, in alium sensum illius uerba accipienda putet, asseueratio totius sermonis ostendit. In quo liberũ sibi mentiri putans, nihil in figuris à se traditis inter tot deliramenta unquã dixit. Huius ergo uanitas religionis per se declaratur. Nil præterea diuinum aut mirabile in hac secta, propter quod à Deo existimãda sit, apparet. Nullis enim, quemadmodum Christiana religio, fulcitur miraculis. Quod ipse Mahumetes atteſtatur. qui ait, Christo miraculorum uirtutem, quibus potiſsimè mundũ conuerteret, sibi uerò gladij potestatem esse cõcessam, & ad hoc miſsum ut per uim ad fidem suam populos cõpellat, perinde ac per tyrannidẽ uoluptatesq; fiat acceptabile Deo sacrificiũ. Quod autem maximũ inter eos habetur, est, ubi pronunciatur, Non est Deus niſi Deus, & Mahumetes nuncius eius. Et sæpe repetit Alcoranus, Deus est magnus, & potens: & notiſsima quædam de Deo, multis posthea deturpata fabulis. Quas nec pueri nostri dignarentur. Nemo insuper inter eos magnarũ diuinarumq; rerum autor uel propheta aliquando uisus est: sed fatuos stultosq; quosdã, per furorem ac insaniã seipsos ferientes, ac debacchantes, tanquã sanctos uenerantur, apud quos nulla omnino diuinorum peritia est. Quàm stulte etiam Mahumetes in Alcorano sibimet contradicat, uel ex eo apparet, ubi se nescire fatetur, utrum ipse & sui in uia sint salutis, nec ne: neminemq; inter mortales haberi, qui Alcoranum intelligat. Nonne is autor de suadeq; aliorum salute incertus, ac mandata perplexa inscrutabiliaq; proponens, potius lapidibus obruendus quàm imitãdus fuit? Cum itaq; nullis rationibus, nullis miraculis, nullaq; uitæ sanctimonia huiusmodi dogma fundatũ sit: sequitur, ut omni ex parte sit sugillandũ. Quod si disputandi cum eis daretur locus, facillime uanitatis huius error detegeretur. Sed inscitiæ ac prauitatis suæ conscius Mahumetes, callide mandauit, nõ niſi gladio religionẽ suam tuendam esse. Vt quod ratione & honestate defendi non poterat, ferino impetu decerneretur. Sed fortè obijciat aliquis: Cur fide Christi iam in toto orbe terrarum propagata, passus est Deus opere Mahumetis, innumeros populos ab imperio ipsius Christi subduci, & ad alias leges compelli? nec ultricem manum tanto tempore in eos extendit? sed potius illorum imperium in hunc usq; diem augeri permisit? Si ergo Christus est Deus, illiq; Mahumetes aduersus, cur se à Mahumete superari passus est? Vera igitur (inquiunt Saraceni) fides nostra est, uestra autẽ falsa. Hoc enim potiſsimũ argumento aduersus Christianos se defendunt. quo etiam multi è nostris ita obuoluuntur, ut quid respondeant, prorsus ignorent. At nos primò respondemus, ex hoc superiora argumenta nostra, quibus Christum Deum & religionem Christianam ueram esse probauimus, non infirmari. Nam si uita sanctior ea, quam docuit Christus,

inuenuri

inueniri non potest: atq; si nemo alius à seculo tot mirabilium & diuinorum patrator operum comparuit, quis dubitet hunc cœlitus deum & hominem pro salute humani generis aduenisse, quem talia ac tanta oracula, signa, gesta, successusq; testantur? Quod si qua in terris religio uera est, nulla præter Christianã alia dari potest. Quæ profectò Mahumetis legi penitus cessisset, si meliora præcepta ab eo introducta, aut maiora opera fuissent exhibita. Cum autem in eius lege uniersoq; populo nil magnificũ, nil præclarum, nil singulare editũ sit, sed enormia & subsannanda multa conspiciantur, nunquid præferendus est Christo, eo quòd multos à catholica fide seduxerit, plures debellauerit, & in malo inualuerit? Cur non pari argumento humani generis subuersor diabolus, Christo melior dici potest? qui plures multo, quàm Mahumetes, à ueritate detorquet. Cur iustis sanctisq; uiris impij & bonorum corruptores, qui plures quàm iusti ad se trahunt, non præponuntur? O admirabile argumentũ, Mahumetem Christo præponi, quia rudes & eneruatos populos ipsius fraudibus & pollicitationibus, minis insuper & gladio, à fide Christi sanctissima subductos, ad uoluptatem perditosq; mores induxerit. Sanè operæprecium est in malitia gloriari. Haud talia nostra sunt argumenta. Non his religio nostra nititur fundamentis. Quid uerò mirum est, si pauciores Christum sequantur, iubentem benefacere, & mala pati, & propter inuisibilia omnibus mundi blanditijs abstinere, duraq; omnia acerbaq; potius eligere, quàm modestiam, continentiam, iusticiam, pietatem, fidemq; maculare? Quod si illorum ualida esset ratio, omnis philosophia confundi posset, dum bonum malum, uerum falsum, ac lucem deniq; ipsam tenebras existimare appellareq; liceret. Pauci enim philosophorum ueritatem uerumq; bonum sequuntur. Ideoq; rari inter eos uiri integri extiterunt. Si ergo uitam ex numero commendemus, certè bonum quod à perpaucis obseruari consueuit, malum potius, multorũ autem errorem bonũ esse dicemus. Quod cum absurdum sit, constat ab ipso Mahumete non ideo Christum esse superatum, quòd diuina iustitia permittente multos lasciuienti licentia armisq; subegit: quemadmodum etiam diabolo ac prauis hominibus assiduè incautos & inertes simplicesq; & innocentes circumuenire & opprimere permissum est. Nam si Christus cum adhuc eius nomen ignotum esset, & nouitate ignominiosæ mortis maudita omnibus fugiendus, & nihili pendendus uideretur, contra uniuersum mundum prævaluit: quid modò, si uellet, post eius ubiq; gloriam celebratam, receptamq; efficere posset? Nonne facilius nunc quàm ab initio Christiani nominis palma consurgeret? Sed hæc omnia ipso sciente ac permittente, quemadmodum etiam ab ipso prænunciata sunt, in ultionem scelerum euenerunt. Scriptum est enim: Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Ecclesiaq; sæpenumero aucta & diminuta est. Liberum enim ad uirtutes & ad uitia nobis Deus dedit arbitrium, nec ab ipso deo in alterutram partem coguntur homines. Neq; enim stante natura cogi possunt: alioquin neq; merito, neq; de merito locus esset, si libertas cessaret. Deus autem præmijs tantum homines attrahens, & pœnis à malo deterrens, non semel cõcessæ naturæ uiolator, sed conseruator existit. Delinquẽtibus itaq; uarias pœnas cõminatus, primam statuit, nisi citò resipiscerent, mentis excæcationem. Vnde in persona Christi & iustorum omniũ contra impios loquitur Dauid: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorũ semper incurua. Et ad Esaiam ait Dominus: Vade excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne quando uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Sic & incredulis Iudæis, qui cedere primi debuerant cordis obstinatione Euangelio, sæpius & euersio Hierusalem, eorumq; captiuitas usque in finem mundi duratura, prænunciata est.

Item multos à fide catholica defecturos, paucosq; saluandos legimus. Vbi in ipso Euangelio de nouissimis diebus loquitur Dominus: Quia enim abundabit iniquitas, refrigescet (inquit) charitas multorũ. Et alibi: Cum uenerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et Apostolus eius Paulus ad Timotheũ scribit: Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis tẽporibus discedẽt quidã à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentiũ mendaciũ. Deniq; si Euangelicã doctrinam reuoluamus, hæc omnia à Christo prænunciata, & ipso permittente subsequuta esse comperiemus. Male uiuentes enim suo priuat lumine, ac in cæcitate relinquit. Quemadmodũ ergo Iudeos propter ipsorũ superbiam pertinaciamq;, ita & Mahumetanos, aliosq; à fide contumaces

maces propter scelera puniuit. Nulla enim pœna grauior infligit potest, quàm ueri luminis rectæq; uitæ priuatio: propter quam certa damnationis æternæ uia præcipitium ducit. Nam prout superius declarauimus, extra fidem Christi nulla rectitudo, nullaq; salus, sed error ac perditio est. At forte dices, Cur pro patribus filij pœnas luunt? Si enim prisci Iudæi ac Mahumetani peccauerunt, cur in filios & nepotes eorumq; posteros huiusmodi pœna deuoluta est? Respondemus itaq;, eam esse Christianæ fidei ubiq; terrarum manifestationem, & miraculorũ famam, ut nemo se excusare possit, quin ei ueritatis inquirẽdæ cognoscẽdæq; facultas oblata sit: quam si neglexerit, ipsi imputetur. Neq; enim in parentũ reatũ ueniret ultio, nisi idẽ crimen sequeretur. At si iuxta rationem naturalẽ uitã saltem componret, ab ipso Deo, qui in necessarijs nemini deest, sed semper est præsto, proculdubio illustraretur. Id quod iam satis suprà ostendimus. Quanquam occulta insuper Dei iudicia plurima sunt, quæ ab hominibus inuestigari non possunt. Propterea ait Apostolus: Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Moxq; inscrutabilem & profundißimam diuinæ maiestatis abyssum expaueſcens, exclamat: O' altitudo diuitiarũ, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Illud tamen sciendum est, quod sicut Dominus noster IESVS CHRISTVS futura hæc mala prænunciauit: ita Ecclesiæ quoq; suæ in stabili petra fundatæ, nunquam defuturum attestatus est dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Sicut ergo quæ is prænunciauit, ad hunc usq; diem omnia euenerunt, inter quæ multorum à fide cernitur defectio: ita credimus, Ecclesiam in æternum permansuram. Tam solida enim habet fundamenta, ut putare nefas sit ea posse subuerti. Quinimò ubi ultrix ira Dei in pessimos Christianos, cæterosq; infideles completa fuerit, Ecclesiam illum suam renouaturum, atq; uniuersum terrarum orbem ad se conuersurum esse confidimus, ut fiat unum ouile & unus pastor. Quod non procul abhinc omnino fore speramus. Atq; ita per uarias temporum uices nunc prosperè, nunc aduerse nauigans Petri naucula perseuerabit, donec ueniat dies Domini magnus: in quo manifesta erunt abscondita tenebrarum, iustißimaq; Dei iudicia tum demum cognoscentur. Nunc autem quod ad peruersitatem Mahumetis pertinet, satis dictum est: postquam neq; diuinis neq; humanis rationibus se tueri potest, sed sola ui atq; irrationabili impetu fertur. Cumq; nullum uiolentum possit esse perpetuum, quanto magis aucta est, tanto maiore corruet lapsu. Cuius sanè ruina seductis ab eo populis comperta ueritate fiet in salutem.

# DE HÆRESI HERACLII ET PRINCIPATV AC LEGE MACHVMETI.

Disputatio Christiani eruditissimi, qui diu uersatus est apud principem Saracenorum in magna dignatione: & Saraceni sodalis ipsius, aduersus doctrinam & flagitia Machometis, dignissima uisa est, quæ ex XXIIII. libro Speculi historialis huc adiiceretur. Licet enim in compendium sit contracta, multa tamen cõtinet ad historiæ cognitionem pertinentia, multa quæ ad lectionem Alcorani conferunt. Ipsum uerò superbũ molimen Machumeticæ superstitionis, uelut aries ualide impressus, subruit & demolitur. Vt facile appareat, quanto potentior sit ueritas paucis & simplicibus uerbis exhibita, quàm mendaciũ infinita uerborum congerie & uersutia fultum.

Pyrrhus

PER idem tempus Cyrus Alexãdrinus episcopus & † Sergius Constãtinopolitanus patriarcha, Monothelitarũ hæresim prædicabant: qui scilicet unam tantum in Christo naturam esse putabant. A quibus depraua tus Heraclius Augustus, post tantas uictorias aberrauit à catholica fide. Vnde diuino iudicio Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Hummaro duce † cœperunt lacerare. Nam Hummarus Damascum & regionẽ Phœnicis, & Hierusalem, totamq; Syriam occupauit, & Antiochiam comprehendit. Promotus est etiam Mauchias à præfato tyranno prætor & amiras totius regionis, quæ est ab Ægypto usq; ad Euphratẽ. Hac præterea tempestate Saraceni, qui & Turci dicuntur, Machumet pseudopropheta eis ducatum præbente, à suis sedibus exierunt, & imperium Heraclij grauiter deuastare cœperunt. Porrò iste Machumet Saracenorum & Arabum princeps et pseudopropheta, fuit de genere Ismaël filij Abrahæ. Qui cum in primæua ætate sua esset mercator, pergebat frequenter cum camelis suis † apud Ægyptum & Palæstinam cum Iudæis & Christianis, à quibus tam nouum quàm uetus † testamentũ. Sed et magus perfectissimus effectus est. Et cum hac illacq; discurreret, contigit ut Corozoniã ingrederetur prouinciam: cuius prouinciæ domina Cadigã nominabatur. Quæ cũ diuersas species quas secũ Machumet attulerat, miraretur, cœpit ei præfata mulier familiarius adhærere. Quã Machumet incantationum suarum præstrictam phantasmate, cœpit asiu paulatim in errorẽ inducere, dicens ei: quòd ipse esset Messias, quem esse uenturum adhuc Iudæi expectant. Suffragabantur uerbis eius tam incantationum præstigia, quàm calliditatis eius ingenia copiosa. Qua opinione non solum potens mulier est decepta, sed & omnes Iudæi, ad quos fama eius pertingere poterat, ad eum cum Saracenis cateruatim confluebant, attoniti † tanta nouitate rei. Quibus cœpit nouas Leges fingere, & eis tradere, adhibens etiam ipsis legibus testimonia de utroque Testamento. Quas leges Ismaëlitæ suas appellant, eumq; suũ legislatorem esse fatentur. Præfata quoque mulier uidens hominem Iudæorum & Saracenorum pariter contubernio uallatum, existimabat in illo diuinam latère maiestatem. Et quum esset uidua, adsumpsit eum sibi maritum. Sicq; Machumet totius prouinciæ illius obtinuit principatum. Deinde uerò Arabes ei adhærentes, regnum Persidis cœperũt infestare, ac demum orientalis imperij fines usq; ad Alexandriam super Heraclium inuadere. Post hæc uero † cœpit cadere frequenter epileptica passione. Quòd Cadigam cernens, oppidò tristabatur, quòd nupsisset impurissimo homini & epileptico. Quã ille placare desiderans, talibus sermonibus, demulcebat eam, dicens: Quod Gabrielem Archangelum loquentem mecum contemplor, & non ferens splendorem uultus eius, utpote carnalis homo, deficio & cado. Credidit ergo mulier, & omnes Arabes et Ismaëlitæ, quod ex ore archangeli Gabrielis illas susciperet leges, quas suis discipulis dabat: eò quod Gabriël archangelus sæpe à deo mittatur hominibus sanctis.

eius imperiũ grauiter

tantæ

Machumet

Machumeti genus. ad didicit

Comitiali laborasse Machumetum.

## DE QVIBVSDAM libellis, in quibus agitur de ipsius fallacijs.

FErtur autem † libellus in partibus transmarinis, de Machumeti fallacijs, in quo legitur, quod ipse uolens sibi conciliare animos populi Arabum, dicebat se esse prophetam ad eorum salutem diuinitus missum: ut uidelicet legem Iudæis & Christianis, quæ nimirum rigida nimis ac scuera esset, mitiorum præcepto-

esse

rum promulgatione temperaret. Et ut eiusdem missioni adinstar Moysi prodigia quædam uiderentur attestari, populum assignata die conuocauit ad certum locum, quasi legem diuinitus missam, in signis & prodigijs accepturum.

Columba Machumethumeris aduolare edocti.

Tunc eo sermocinante ad populũ, columba quæ in uicino erat, ad hoc ipsum fallaciter edocta, super humerum eius aduolans stetit, & in eius aure iuxta morem solitum grana inibi reposita comedens, quasi uerba legis suggerere ei simulauit.

Taurus legis librũ ferre assuefactus.

Taurus quoq; similiter ad hoc ipsum consuetudine quadam edoctus, ut de manu eius pabulum acciperet, ad uocem eius coram populo uenit, & quasi legis nouæ mandata cœlitus missa, quæ ipse cornibus eius alligauerat, detulit. Sed & Picerias lacte ac melle plenas, quas ipse in certis locis terræ latenter infoderat, quasi per diuinam reuelationem ibidem effodi fecit, & populo uelut in signum abundantiæ futuræ, quam per eiusdem legis obseruantiam idem populus mereri iuberetur, ostendit. Sicq; quasi miraculis & magnalibus diuinis congratulantes & acclamantes seduxit, atq; ad legem suam quasi diuinam recipiẽdam pertinaciter animauit.

legis

Porrò de libro † regis ipsius, qui Alchoranus dicitur, qualiter conflictus sit, et quàm dilaceratus atq; confusus, dicetur paulo inferius. Hic enim pauca libet inserere, de libello disputationis cuiusdam Saraceni & cuiusdam Christiani de Arabia, super lege Saracenorum & fide Christianorum, inter se: Qui ambo probati philosophi, & in secta sua perfecti, Emirhelmomini regi Saracenorũ erant familiares ac noti, sibiq; inuicem amici charissimi. Hunc autem librum fecit dominus Petrus abbas Cluniacensis de Arabico in Latinum transferri, à magistro Petro Toletano, iuuãte Petro monacho scriptore: cum esset idem abbas in Hispanijs constitutus, cum imperatore Alphonso, eo anno, quo idem imperator Choriam ciuitatem cepit, & inde Saracenos fugauit.

Saraceni & Christiani philosophi disputatio D. Petrus Abbas Cluniacẽsis.

## DE ORIGINE AC uita Machumetis.

Machumet Idololatra.

HOmo igitur iste, uidelicet Machumet, pupillus fuit in sinu patrui sui Abdamanef, qui cognominatur Abdemutalla. In cuius tuitione pater ipsius moriens, eum commẽdauerat: Eratq; tutor & curator illius. Ipse uero præter ea cultor fuit idolorum, quæ uocantur Ellech & Aleze in Mecha, cum omni domo & generatione sua, sicuti in sua scriptura testificatur dicens, ita dictum sibi fuisse, Nónne tu fuisti pupillus, & collectus es: et in errore, et iustificatus es: et pauper & ditatus es? Ita ergo uixit, usquequò peruenit ad seruitium camelorum Adegæ filiæ Hulert, cuius factus fuerat mercenarius. Et proficiscebatur cum camelis in Syriam & in alia loca, donec duxit eam uxorem, interueniente causa, quam tu scis. Postquàm uero se diuitem factum eiusdem mulieris opibus uidit, conatus est super gentem & patriam suam regnum arripere. Sed dum hoc ad effectum, prout cupiebat, non posset perducere, præsertim cum paucos adhuc fautores haberet, arte & ingenio magno usus est, ut qui rex esse non poterat, prophetam se Dei simularet esse, & nuncium. Hoc displicuit omni parentelæ & generationi eius, quæ uocabatur Chorades. Cumq; hoc modo prophetæ sibi nomẽ usurpasset, ingressus est ad homines, qui tanto facilius qualibet astutiæ machinatione decipi poterant, quanto longius ab omni sapientia & usu ciuilitatis, totiusq; humanæ prudentiæ honestate per agros & uillulas sequestrati, quid Dei nuncius uel propheta esset, aut in quo cognosci deberet denique quid inter ueritatẽ & mendaciũ, inter fatuitatem distaret & sapientiam, discernere nesciebant. Ad hos decipiẽdos cuiusdam astrologi, cuius postea nomen & causam dicemus, †opere et cõcilio nõ mediocriter confortatus, homines ad se pestiferos, & uiarũ insidiatores, fugitiuos quoq; et homicidas sibi aggregauit. Quos etiã ad deuia syluarũ, ad cacumina montiũ, & ad proxima fontibus loca circũquaq; mittebat, insidiari scilicet negociatoribꝰ. & iter agẽtibus ad interficiendũ eos, & diripiendum tam camelos quàm cætera quæ ducebant, uel quæ negotiationis uel necessitatis causa portabant.

Prophetæ nomen sibi usurpat Mach.

opera & cõsilio

## DE FVRTIS ET LAtrocinijs eius.

DE ipso etiam scimus, quòd primo tempore prophetiæ suæ, cum de ciuitate ueniret ad Mechã, & inueniret hominem camelũ habentem, eundẽ illi camelũ abstulit. et cum iam quinquaginta triũ annorũ esset, tali beneficio prædicationis suæ primordia dedicauit. Habuit autẽ ibi quadraginta de suis, qui affuerunt custodiẽtes eum ab illis de Mecha, quos ualde infestos habebat: eo quod ipsi omnes artes eius & maleficia nossent. Oderant quippe illum nimis, quod cum latro & pestifer esset, prophetã Dei se esse stultis hominibus mentiebatur. Abijt aũt in ciuitatem quandam destructã, quã ex maiori parte Iudæi pauperes inhabitabant. in quam cum ingrederetur, uolens ostẽdere iusticiæ suæ regulã, & †prophetice modũ, pupillis cuiusdã carpẽtarij filijs domũ abstulit, et in eã meskidã fecit. Deinde misit in prima sua expeditione Hanzetam filium Abdimelech, cum equitatu XXX. uirorũ, ad syluas regionis in Hemẽ, rapere camelos Chorais, quãdo reuertebãtur de Syria

Mecha.

prophetiæ

Machumetis latrocinia et expeditiones.

Syria. Cumq; illi occurreret Hebegel filius Hyssen in trecentis uiris de Mecha †dispersos, ubique cum eo erant, nullum certamen ausus committere, fugit. Post hæc in secunda expeditione misit Hugaida Alarachi, filij Amichalla bi sicut tu nouisti, in †L X. militibus, ut esset duplex numerus primo cœtui, † nec facile ab aliquo terreri possent, ad loca proxima Alfagati. Cui occurrit Ebezesin cum suis militibus. Inter quos tanta extitit effusio sanguinis, quantam ipse nouisti. Ego autem nullum ibi ab angelis adiutum audiui, cum dicatur in Alchorano, quod angelus Gabriel in similitudinem equitantis super albã equam, habens uestimenta uiridia, comitatus fuerit filios Israel, cũ eos persequeretur Pharao in CCCC. curribus. Sed ueniamus ad tertiam expeditionem. In qua cum missus esset Zaid filius Ebibacad, similiter non longe ab Algafati in X X. uiris, & non inuenisset camelos: iam enim altera die trã sierant, spe sua & desiderio frustratus, inanis & uacuus redijt. Licet autem tres istæ expeditiones sufficere possint ad conuincendam falsitatem tui prophetæ, non tamen alias ipsius, quas per se uoluit facere improbitates, tacebimus: illam scilicet primum commemorantes, qua egressus est ad capiendos camelos Chorais, quando uenit ad locum qui dicitur Gueden. Vbi cum conuenisset Vmbrem filium Guhselmuhin, & non præualeret aduersus eum, redijt uacuus. Iterum exijt per semetipsum, donec uinceret Iambo, quærendo iterum camelos Chorais, qui erant apud Sem, & quibus insidiabatur in redeundo. Et quãuis tunc pro eis acriter dimicaret, tandem confusus abscessit. Aduerte si huiusmodi expeditiones ad Dei prophetam debeant pertinere, in quibus nihil aliud quàm fraus & uiolentia, & humani sanguinis effusio, & quicquid prorsus latrones et uiarum insidiatores faciunt, agebatur. Fuerunt q; expeditiones ipsius uiginti sex, præter insidiarum assultus, qui fiebant nocte ac die. Quarum nouem ipsemet fecit, reliquas socijs imperauit.

dispersis

Forte, sexcentis, aut absque trecentis, ne

Machumet sanguinarius.

## DE CRVDELITATE ipsius.

FAciebat etiam, quod peius est, ut si qui ei in istis †maleficijs contradicerent, uel in aliquo eum reprehenderent, statim eos, ubicunque sibi contingerent aut per se, aut per suos, dormientes siue uigilantes proditorie iugularet. Sicut senem illum Iudæum dormientem, secum, in lecto suo ideò iugulari fecit, quia se ab illo uituperatum dicebat. Quis unquam, non dico prophetam, sed qui uel in modico qualemcunque Dei noticiam haberet, talia fe-

suis

Iudæus quidã dormiẽs à Machumete obtruncatus.



cisse auditus est? An non poterat aliter de Iudæo illo suas iniurias uindicare, nisi dormientem confoderet? Quod non solum apud deum, sed & apud omnem creaturam ipso auditu super omnia mala horribile est. Certè quod de brutis animalibus, ipsa humani cordis naturalis affectio fieri detestatur, adeò ut pullos auium in nido repertos nullatenus occidere, pro lege teneat, iste de hominibus faciebat. Vnde igitur hoc illi, nisi ex diaboli parte, qui proditor & homicida primus ab initio extitit, inesse poterat? Quod & humano & diuino iudicio omnes impietates exuperat. Vbi est, quod dicebas eum in sua scriptura dixisse, Missus sum ad homines cum pace & misericordia? Hæc & his similia, quæ si per singula diceren tur, possent fatigare legentem: tu uide, si prophetæ Dei opera sunt. Nam illam ridiculosam ipsius expeditionem, superfluum puto retexere. In qua cum ei præciso labro, dentium etiam inferiorum medius excussus fuisset, insuper & à Gutheba filio Abbiacad in fronte & facie uulnera suscepisset, filius Cumennæ dextrum cum humero brachium penè illi sustulerat: nisi à Thala filio Humetcalla, qui ibi digitum perdidit, defensus †euaderet. Cui tamen digitum, quod satis prophetam decuisset, non restituit, ostendens quàm alienus sit ab illo qui sicut Euangelium narrat, etiam inimico auriculam abscissam reddidit. Iste enim nec amico, qui se pro illo morti obiecerat, in aliquo subuenire potuit. Et ubi erant angeli, qui olim cum prophetis semper fuisse leguntur, eosq; à persecutoribus defendisse? sicut Heliam ab Achab, Danielem & socios eius à Nabuchodonosor, multosq; alios, quos numerare longum est.

Machumet uulneratus.

euasisset

## DE IMPVDICITIA eius, & flagitijs.

QVi tale dedecus in scriptura prophetiæ suæ sibi facere non erubuit, ut diceret datum suis renibus à deo, X L. uiros in coitu potentissimos fortitudine libidinis adæquare. Vbi quoque inter cætera, rebus odoriferis & mulieribus se delectari dicit. Sed ut etiam de his aliquid nominatim dicamus, nónne ipse cum adamasset Zameb filiam Gayßi, uxorem Zaidi, & non posset eam habere, Deum illi in Alchorano introduxit loquentem ita: Cui dedit Deus, ego illi faciam uirum tuum retineri super te: Tu autem time bis Deum, & celabis, quod facturus est. Et si times hominem, magis Deum. Iterum ad seipsum loqui Deum faciẽs. Cum (inquit) compleuerit Zaidi uir eius uotũ suum in ea, tunc eam dabimus tibi. Nihil est enim prophetæ difficile in eo, quod Deus instituit. Quid uerò turpius dici potest, quã quod

Libidinis mã cipium turpissimum Machi.

Aysſa Machumeti uxor.

in ſua uxore, quæ uocabatur Ayſſa, ipſe feciſſe dicitur? Hæc enim cum pulchra eſſet, & libidini dedita, diligebatur à Zhaphagam filio Almuhatham Ethſulami, qui & conſuetudinarium cum ea ſtuprum gerebat, ipſo Machumet

de illo

ſciente & conſentiente. Cumq; multi † inde loquerentur, & teſtificarentur, maximeq; Muſatha & Hazen, ad ultimum uero Hali filius Abitalib princeps & nobilis inter ſuos inde eũ liberius argueret, copiam mulierum eſſe dicẽs, nec decere tantum hominem à muliercula dehoneſtari, dignamq; repudio eſſe confirmaret, reſpondit, nullam ſibi adeò charam uel dilectã, utpote quam uirginem acceperat, & adhuc in

Odium inter Ayſſæ & Hali poſteros.

uenculam. Videbatur non ſe inde curare, nec propter hoc mulierem ſibi habilem dimiſſurũ. Vnde uſque hodie odium eſt in Arabia inter generationem Ayſſæ & generationem Hali. Poſtmodum uero dicit in Alcorano, mulierem illam innocentem eſſe, & ſibi hoc diuinitus reuelatum. Fuerunt autem uxores eius X V. ingenuæ, & duæ ancillæ: Quarum una fuit Huneteline, cuius nomen Iud, filia Abimnei. Ipſa eſt ſeducta mater infantium, de qua dixit Machumet, quod auferret ab ea zelum, quando diſceſſit ab eo ad matrem ſuam, fugiens uxorem Gaiaræ: quam poſtea reuocauit, dans ei ueſtes, & ornamenta & duas armillas. Ipſa uerò accepit hæc de poſſeßione huius ſæculi, & futuri. Alia fuit Zameb filia Gayßi, Zaidi, cui ipſe miſit portionẽ carnis, & ipſa reſpuit. Vnde & ipſe indignatus eſt in eam, propter illam quoque in alias uxores iratus, propoſuit ſe ad nullam earum ingreſſurum per unum menſem, ingreſſus tamen uiceſimo nono die. Alia quoque Zaphia Iudæa alabaſtria, filia Hai, filij Aptab: quam docuit gloriari ſuper alias uxores ſuas, quæ improperabant ei iudaiſmum, & ut diceret eis: Ego, cuius pater eſt Aaron, patruus Moyſes, maritus Machumet. O quam longè eſt ab iſta impura & turbulenta doctrina, Chriſtianæ diſciplinæ pia et ſancta religio. Si una ſola uxor à Dei amore impedit hominem: quomodo qui

tot

† tantas habebat, officium prophetæ congrue adimplere poterat? Officium nanque prophetæ non aliud eſt, quàm ieiunare, orare, prædicare, et his ſimilia bona opera facere. Quibus, miror, ſi homo tantis flagitijs deditus unquam potuit uacare.

Machumeti uxores.

Prophetæ officium.

## DE HOC QVOD falſo propheta dictus ſit.

Propheta quis.

QVod ſi quis obijciat, multos male uixiſſe, ſed tamen bene docuiſſe, qualiter etiam ueſter propheta docuerat, uideamus. Propheta eſt, ignota prædicens ſiue de præteritis ſiue de



futuris. Scimus autem, quod olim quando prophetæ fuerunt, non ſtatim quicunque hoc nomen uſurpaſſet, autoritatem habebat? Sed longa & diuturna uitæ ſanctitate, ſignis quoque & miraculis à principibus et populis Dei primitus comprobatus, huius nominis gloriam obtinebat. Si dixeris, eum multa præterita enarraſſe, ueluti ſcilicet de Adam, de Noë, de Abraham, de Moyſe, & Chriſto, utinam ſicut apud nos erant, ipſe ea ueraciter prædicaret, & non per multa mendacia delirans, totam pene ſcripturæ ſanctæ ueritatem ſubuerteret. Quantũ ergo ad præterita, iam de ordine prophetarum cecidit, qui tot mendacijs ueritatem corripit. Sanè ſi aliquas fabulas, forſitan ad ſuum libitum, compoſuit, quæ nunquàm auditæ ſunt, nullatenus ei credendum eſt. Quia & hoc à quolibet facile poteſt fieri, & ipſe iam in alijs mendax probatus eſt. De futuris uero quod nihil dixerit, nec teipſum ignorare puto, maximè cũ in tota ſcriptura eius nihil tale inueniatur. Vnde & quantum ad futura, à prophetali gratia excluſus. Iam nec ſignis, nec miraculis, nec prophetia, nec uita inter prophetas eſſe meretur. Nam illud totum, quod de paradiſo quaſi prædixiſſe uidetur, ad nihil aliud nos cogit, niſi ut dicamus, eum ita mentiri de futuris, ſicut probatus eſt mentitus fuiſſe de præteritis. De ſignis uero & miraculis, quod non ſint illi data à Deo, ipſe ſibi teſtis eſt, dicens: Niſi ſciremus eos tibi non credituros, ſicut nec alijs crediderunt, daremus tibi ſigna & prodigia. Iterum forſitan dices, quia niſi eſſet propheta, nũquàm ad talem potentiam peruenißet. Maxime cum ſocij eius pauci eſſent numero, quando pugnauit contra regem Perſarum, qui erat fortißimus atque potentißimus, & obtinuit triumphum. Quamuis uero ſemper illi qui Dei cultores ſunt, hoſtes ſuos ſuperent, tamen inueniuntur etiam in ſcriptura ſacra pauci idololatræ multos Iſraelitas fugaſſe. Sed et illi qui ſemper uincunt, non propter ſua merita ſemper uincunt: ſed quia illi contra quos dimicant, tali pœna digni ſunt. Nihil enim mirum eſt, Perſarum gentem idololatram & ſpurciſſimam à Machumet uictam eſſe. Non quia ipſe melior illis erat: ſed quum ipſi hoc promeruerant, ut à ſibi conſimili diabolo punirentur. Illud denè que quod ſibi dicit Deum dixiſſe, Niſi ſciremus eos tibi non credituros, &c. ad Arabes quid pertinebat, qui nec prophetam uiderant, & ideò nec ſigna prophetica contempſiſſe unquam potuerant? Cuius autem impudentiæ eſt dicere, illos ſignis eius non credituros, qui non ſine ſignis tantum, ſed & ſine aliquo alicuius boni indicio, quod nec pecora facere debuiſſent

Machumet præteritorum narratione Scripturæ ſanctæ ueritatem ſubuertere conatus

Machumeti ſucceſſus in bellis.

sent, peßimæ uitæ homini crediderunt?

## DE FABVLIS AB EO confictis.

Machumeti signa ridicula & fabulosa.

QVia ergo illum tam philosophicis rationibus, quàm diuinis autoritatibus sua etiam confeßione ab omni prophetali gratia extraneum esse probauimus, reßtat, ut quales sint fabulæ, in quibus contra, id quod supra dixerat signa se feciße, asserit, uideamus. Dicitur itaque ibi, quod aliquando audiens ululantem lupum, socijs ait, se ex uoce illius intelligere, quod lupus ille inter alios maior & princeps omnium esset. O signum propheticum. Nónne similiter potuit dicere, quod lupus eum in illa uoce prophetam esse signaret? Quis enim †illum posset arguere, cum quid inter se lupi dicant, homines nesciant? Certè fabulam hanc multo urbanius, si quid intelligeret, componere potuißet. Sicut & de quodã alio lupo ibi refertur: quod cum allocutus fuißet Veheben, filium Haizelhßim, ßtatim sic factus est Saracenus. Vbi si leonem pro lupo ille fabularum compoßitor posuißet, multo elegantior fabula extitißet. Sed non immerito fabulis suis præcipue lupos intexuit, qui more lupi rabidus semper & cruentus inceßit. Qui etiam bouem Zozai domino suo locutum fuisse dixit, & quod super uerba Humemabet mulieris manum suam posuerit. Item quod ipse præceperit arbori, & ßatim adorauit eum. quod tamen Saraceni ipßi falßum esse teßantur. Iterum dicit, quod cum Zameb Iudæa uxor Zelem, filij Muslim, Iudæi in oue assa uenenum sibi appoßuißet, scapula ouis locuta sit ei, dicens: Noli me comedere, quia uenen o †confecta sum: Et ipse noluit comedere. Comedit autem inde Elbetem filius Mazum, & mortuus est. Vellem scire, utrum ipse solus, an omnes qui cum eo aderant, uocem illius scapulæ audierint. Si enim ille solus audiuit, quare socium suum inde comedere permißit. Si uerò omnes audierunt, mirum est quomodo ille comedere ausus fuit. Niſi forte de suo propheta ſperans, quod etiam mortuum reſuscitare potuerit. Iterum narratur ibi, quod aliquando miserit manum suam in cauernam, unde exierunt aquæ, de quibus ipse bibit, & socij eius & pecorarius. Quod magis de Machumet filio Azari narrari solet, cum de utroque apud Saracenos incertum & friuolum habeatur. Ipse quoque iſta omnium mendacißima esse teßatur, cũ in maiori scriptura sua dicat, signa sibi non esse data. Et cum iterum loquitur, dicens: Nõ sum missus niſi uirtute gladij: & qui non suscepe rit meam prophetiam, occidatur, aut reddat tributum pro infidelitate sua, & dimittatur. Vnde uerò apertius aut manifeßtius ipso teße

inde

infecta

Quis scapula locuta.

Machumet fil. Azari.



falsa esse illa omnia comprobantur, quàm ex suis iterum dictis, quibus in Alchorano sic loquitur: Quicquid inueneritis scriptũ pro me, conferre illud cum Alchoran. Et si ei non concordauerit, scitote, quia innocens sum ab illa scriptura, & non est mea. Ergo secundum istã regulam, signa illa omnia reſpuenda sunt, quæ nullatenus in Alchoran inueniuntur.

## DE MORTE ipsius.

IAm illud tam ridiculum nobis, quàm lamentabile suis est, quod cum præcepißet eis, ut mortuum se non sepelirent, eo quod tertia die assumendus esset in cœlum: ipsiq; præceptum obseruantes magnis hoc desiderijs expectarẽt, & iam à secunda feria in qua mortuus fuerat, usq; ad uesperam quartæ feriæ longa expectatione fatigati, nihil aliud in eo quàm fœtoris magnitudinem superexcreſcere cernerent, tandem (sicut retulit Humbrem) nudum eum proiecerunt. Guinbran tamen filius Helizam dixit, quod lotus & tribus ueßibus indutus, sepultusq; sit per manus Hali, filij Abitalib, & Alsadi filij Alahabet, filij Abdemutalla patrui sui. Fertur enim, quod per septem dies morbo pleuritico ægrotauerit, & amiserit sensum, septimo uero die conualuerit. Iratus est Hali filius Abitalib, eò quod perdiderat sensum, & dixit hoc ei, At ille iußit nullum amplius remanere secum in domo, niſi Alahabet filium Abdemutalla. Alia uerò die septima mortuus est, & intumuit uenter eius, & retro curuatus est minimus digitus eius. Et fuit obitus eius secunda feria XII. die mẽsis rabeg primi, anno LXIII. uitæ ipsius, poßquàm ægrotare cœpit XIIII. die. Vita ergo eius LXIII. annis extitit. Quorum in prophetia XXIII. expendit, X. in Mecha, XIII. in ciuitate. Hæc sunt quæ fecit Machumet, à principio usque ad finem.

Machumeti ridicula apotheosis.

## DE INSTABILITATE sectatorum eius.

MOrtuo uero Machumet, omnes ab eo decepti, reuersi sunt ßatim unusquisq; ad suã, quam ante tenuerant, sectam, siue idololatriã, siue quamlibet aliam: præter paucos suæ cognationis, qui expectabant se fore successores in regno. Eo tempore fuit Ebubere filius Amichahaf, uir prudens & callidus: qui non multo pòst regnum adeptus est. Quod uehementer displicuit Hali, filio Abitalib, quousque rex adeò illum obsequijs & blanditijs deliniuit, ut etiã regnũ ei post se delegaret. Illos qui auersi fuerant à secta Machumet, omni ingenio ad eam reuocans, iterum eos ſtulticiæ mancipauit. Quidam enim timore, quidam ſpe honoris, & facultatum, alij alterius cuiuslibet lucri causa,

Machumeti successores.

omnes tamen simulatorie, non ex animo redierunt. Puto autem te optime recordari, quod dominus meus Emurhelmoni, aliquando cum essemus ei adstantes, & quidam quererentur de aliquo, qui uidebatur esse Saracenus, & nõ erat, coram omnibus responderit. Dixit enim ita: Ego miror, quod de isto solo, quasi aliquid nouum mihi dicatis: cum sciam non istum solum, sed multos alios nobiliores & probiores in patio meo, Saracenos esse: ostendunt quidam se esse, sed non sunt. Est enim, inquit, mos penè omnium, ut sicut de Iudæo prouerbium dicit: Iudæus nisi postquàm efficitur Saracenus, Iudæus non est: Et uix aliquis suam legem, nisi prius aliam acceperit, diligit. Ego autem de hoc quid aliud debeo uel possum facere, quàm quod dominus meus Machumet ipse faciebat? Nam illi hoc etiam contigit, ut ferè omnes, & maximè qui ei proximiores & familiares esse uidebantur, non nisi simulatè ac deceptorie legem eius tenerent. Adeò enim spernabatur ab eis, & quicquid dicebat, pro nihilo habebant, odientes eum in cordibus suis: ut quadam die uolentes eum occidere, expectarent eũ in quadam ualle, quatenus transeunte illo terrificarẽt subito mulam eius, ut præcipitatus interiret. Qui tamen nunquam propter hoc eis se iratũ monstrauit. Eius igitur exemplo omnes istos, qui siue de Christianis, siue de Iudæis, siue de paganis Saracenos se esse dicũt in regno meo, & non sunt, nunquam ad aliud cogam. Scio namq; quod nullus Christianus qui timore Saracenus fieret, in Saracenitate permanebit. Similiter de alijs sentio. Quid ergo amplius possum facere? Videat Deus, & iudicet. Hoc solum faciam, ut semper maledicam eis.

Prouerb. de Iudæis.

## QVOD LEX EIVS non sit diuina.

Sed iterum si forte dixeris, non debuisse me reprehendere ipsum illum, si se aliquando uindicauit: cum hoc inueniatur fecisse Iosue, & cæteri multi prophetæ: Scias aliud esse quod fit præcipiente Deo, aliud quod homo præsumit. Deus enim hoc illis præcipiebat. De cuius præcepto, quodcunque sit, quandocunque sit, non licet homini iudicare. Ergo inquis, nec Machumet †de hoc hic reprehendi: Siquidem & illi Deus talia præcepit. Vnde tamen probas, quod deus illi præcepit? deus enim ille si deus fuit, in aliquo se deum esse ostendere debuit. Secundum ea uerò, quæ superius ostendimus, nec signis nec miraculis hoc ostendit. Nos igitur eum deum fuisse non credimus. Quod enim de Deo credimus, tam in nouo quàm in ueteri testamento, signis & miraculis commendatum nobis & confirmatum est. Nec alium

Vindicare se quatenus liceat

debet

Deus



unquam pro deo habebimus, nisi illum unum & uerum, qui quotiens legem dare uoluit, signis hanc diuinis & mirabilibus, confirmauit. Propheta uerò tuus quis fuerit, uel unde uenerit, nescio, cum dicatur mihi à domino meo Iesu Christo, quod in Ioanne Baptista finis sit omnium prophetarum. Illud quoque prudentiæ tuæ nullo pacto conuenire arbitror, quod inuitare me uoluisti, ut scilicet dimitterem sacrosancta & spiritualia domini nostri Christi præcepta, Ex quibus ipse mihi non illam sordidissimam quam descripsisti paradisum tuam, sed æternam angelorum uitam in cœlestibus promittit: & accederem ad impurissimos & pecuales ritus, non à Deo, quod absit, imò à spiritu fornicationis, & gastrimargiæ miserrimis & carnalis feculentiæ seruis infelicissimis persuasos. Quorum, sicut de similibus Paulus apostolus dicit, Deus uenter est, & gloria in cõfusione ipsorum. Qui non nisi terrena, caduca, uentri & libidini congruentia sapiunt, nec sapere possunt. Excæcauit enim eos spiritus immundiciæ. Qui æternam putredinem & uermes immortales hæreditabunt: quia porcorum more semper in stercore & fœtore libidinis uolutantur. Ego enim mirari non sufficio, quo modo persuaderi potuit, non dico alicui sapiẽti, sed illi qui per somnium aliquid humani cordis se habere putaret, istum fuisse prophetam, cum eius & uita & doctrina ita contraria sint non solum diuinæ religioni, uerum etiam humanæ honestati: ut ipsa quoque bruta animalia pene hoc intelligere possint. Sed ut iterum aliquid mitius dicamus, quis unquam sanctorũ & diuinorum nunciorum, quos à Deo esse missos cognouimus, in terrore gladij se missum asseruit? Quis ita facinorose uixit? Quis denique tot spurcitias docuit? Aut quis ita uentri & libidini genus humanum prostituit?

Prophetarum omnium finis in Ioanne baptista

Machumet an propheta

## QVALITER PER FALlaciam fuit data lex.

Iterum tamen ad præcepta eius diligentius inspicienda reuertamur, quæ ego nescio ad quam legem pertinere uideantur. Duas enim à Deo accepimus, unam gratiæ, alteram iustitiæ. Lex gratiæ à Christo data est, lex iustitiæ à Moyse. lex gratiæ talia iubet: Diligite inimicos uestros, Benefacite ijs qui oderunt uos, & cætera huiusmodi. Lex iustitiæ, oculum pro oculo, dentem pro dente, usturam pro ustura, percussuram pro percussura, & cætera quæ ad talionem pertinent, reddi imperat. Harum duarum nullam socij tui esse manifestum est. Multitudo enim antequàm ipse emergeret, una à Christo, altera à Moyse data est. Cum enim istæ duæ tantummodo leges hominibus datæ sint

Lex iusticiæ à Deo tradita.

sint, quarum altera diuina, altera humana magis esse uidetur: ista tertia lex à socio tuo inuenta, quid erit nisi diabolica? Diabolo enim inspirante maximè hanc subitò, nescio unde emersisse cognoscimus: quæ nec humana nec diuina esse probatur. Sed inter utrunq; prodigiosa facie, nunc hoc nunc illud uideri uolens, et se nũc illam, nunc istam esse confingens, nullum alium nisi diabolum, qui se inter deũ & homines semper medium facere nisus est, imitatur. Sed forsitan dices, inde probari hanc legem esse diuinam: Quia cum Machumet idiota & sine literis esset, nullatenus eam scribere uel annunciare hominibus nisi diuina uirtute potuisset. Maximè cum ipse dicat: Quia nec homines nec dæmones talem scripturam facere possent. Et iterum: Si hanc legem fecissemus descendere super montem, inclinaret se mons ipse, & adoraret eam, præ timore Dei. & alia multa friuola & nihil rationis habentia, quæ tu aperta & manifesta signa prophetiæ socij esse dicis, quibus probetur esse uera. O signa & miracula in istis ait Machumet. O signa comparanda mari rubro diuiso, & † soli ad imperium Iosue stanti, & Christi præcepto mortibus imperanti. Imò uere magna tam ueritatis quã uirtutis inopia, quæ tibi hæc sola argumẽta, imò delira mẽta omni ratione et uirtute uacua dereliquit.

Machumeti lex diabolica.

Machumet idiota, & literarũ imperitus

solide

## QVALITER ALCHORANI LIBER CONNEXUS SIT.

SErgius monachus cum in monasterio grauiter peccasset, & propter hoc excommunicatus & expulsus fuisset, uenit ad regionem Cubenne: & inde usque ad Mecham descendens, ubi erant duo populi, unus cultor idolorum, & alter Iudaicus, inuenit ibi Machumet, qui colebat idola, uolensq; aliquid facere, unde monachis illis qui eum expulerant placeret, & reconciliari mereretur (erant enim hæretici Nestoriani, qui dicunt Mariam non peperisse deum, sed hominem tantum) omni studio & conamine persuadebat ei, ut ab idolis recederet, & Christianus, Nestorianus esset. Quod cum effectui mãcipasset, discipulus ei factus est Machumet, & ille se propter hoc Nestorium nuncupauit. Et ita factum est, ut ab ipso monacho aliqua de ueteri & nouo Testamento edoctus, ipsa in Alchorano suo fabulose ac mendose intexeret. Hoc & ille persuasit, ut in Alchorano suo poneret dictum à Deo, quod monachi & presbyteri Christiani familiariores ei esse deberent, quia non superbiunt. Cum uerò cognouissent Iudæi, quod multi, & etiam Machomet ipse, ad qualemcunque quasi umbram Christianitatis illum monachum sequerentur, & penè illud quod postea factum est per Machumet, per istum † Nestorium iam cõsummatum esset,

Sergius monachus.

Nestoriani hæretici.

Machumet Nestorius

Nestorianus



prosilierunt tres Iudæi, & timentes ne in uerã Christianitatem quandoq; Machumet incideret, accesserunt ad eum, & malicioſa calliditate socios uel discipulos eius se esse in hac secta dicentes, eiq; omnia quæ turpiora uel nequiora in Alchorano sunt, scribere persuadentes, usq; ad finem eius cum eo semper fuerunt. Post mortem uerò Machumet, cum, sicut diximus, unusquisq; redijsset ad sectam suam, & successisset in regno Ebubere, Hali quoq; filius Abitalib, licet nobilior eo, sub ipso maneret, prædicti Iudæi uolentes iterum turbare omnia: persuadebant Hali, dicentes: Quare cum sis fortis & nobilis, non te in prophetam eleuas, sicut fecit socius tuus Machumet: qui erat Christianus Nestorianus? Et erimus tecum, sicut fuimus cum illo, adiuuantes te in omnibus. Ille autem, utpote iuuenis, & totius bonæ doctrinæ expers, facile acquieuit. Iam enim quasi ad hoc prædoctus fuerat. Siquidem aliquando cũ puer esset, & uagabundus, ut illius ætatis est, quadã die per aliqua deuia incederet, † Nestorij illius pseudomonachi latibulum, unde ab eo Machumet furtim responsa dabantur, offendit. At ille cum se deprehensum uideret, puerũ tam minis quàm blandicijs induxit, ut hoc nulli hominũ proderet. Itaque iam penè ad hoc incipiendum declinauerat Hali. Sed rex Ebubere hoc cõperto, ad se uenire mandauit. Quem, cũ uenisset, tantis blanditijs ac promissionibus deliniuit, ut ab huiusmodi incœpto omnino desisteret, seq; illi subditum in omnibus exhiberet: Iudæi tamen non cessauerunt facere, quod potuerunt. Nam accepto libro ab ipso Hali, quem reliquerat ei Machumet, quicquid sibi uisum est, aut addiderunt, aut detraxerunt, aut mutauerunt. Ex quibus illud est unũ: Dicũt Iudæi, Christiani nihil sunt: Dicũt Christiani, sed Iudæi stulti sunt. Itẽ inter alia multa & fabulosa illud capitulũ, ubi est fabula de formica. & aliud, in quo est fabula de ape, & aliud de aranea narratur.

Hali.

Nestorianã

Alcoran à Iudæis magna parte auctum.

## QVALITER EIVSDEM scriptura dilacerata sit.

QValiter aũt scriptura ista nõ solũ à Iudæis, sed etiã ab alijs multis uarie † incepta, diuerse intellecta, multiformiter exposita, & tandem penè tota dilacerata sit, ex aliqua parte explicabimus. Post XL. uel sicut alij uolũt, post sex menses, ex quo regnare cœperat Ebubere, uocauit Hali filiũ Abitalib, & dixit ei: Quare præsens non fuisti, quãdo factus sum rex, et nõ cũ alijs nobis adstitisti, cũ sis magnus princeps & nobilis? Respondit Hali, Quia occupatus fui in colligenda scriptura, sicut iniunxit mihi propheta. Et iam collegerat Eleage filius Nizef multos codices, & diminuerat multa in illis. Sicq; cæteri multi. Qui-

acepta

familiares

dam enim legebant secundum Hali scilicet † familia, & domestici, & propinquiores eius, illam scripturam quæ fuerat apud Chorais, & quæ prima illius fuisse dicebatur, quam tradiderat ei † Nestorius monachus: quem uocabat aliquando Gabrielem, aliquando spiritum fidelem. Alij uerò legebant collectum à diuersis hominibus. Multi uero secundum Arabem quendam, uenientem nuper de solitudine: qui multa inde scripserat absque sensu & ratione. Alij secundum Zabefatin, & Arabin. alij secundum alios. Qui omnes in membranis & rotulis, quod unicuique uidebatur, transtulerãt. Erant itaque uarij inter se & discordes, dicebantq; cum legerent alter ad alterum: Ego melius quã tu, sed tu deterius quàm ego: Et ego totum habeo, sed tu nihil: Sed tu nihil, & ego totũ. Hoc igitur modo alijs addentibus, alijs minuentibus, alijs mutantibus, alijs alio quolibet modo corrumpentibus, liber ille omni fide indignus effectus est.

Nestorianus

Alcoran colligentium altercatio

## DE ITERATA COLLECTIONE illius, & dißipatione.

DEnique mortuo Ebubere, & succedente sibi Ozimen filio Hasen, cui insidiabatur Hali, filius Abitalib, & quærebat eum interficere: cum perlatum fuisset ad regem de diuersitate scripturæ, & assiduis contentionibus & rixis, quæ propter eam fiebant: dicerentq; illi sapientiores, timere se, ne de hac causa seditiones & dißidium orirentur in regno, maximeq; ne ex toto scriptura illa periret: præcepit rex, omnes libros & chartulas undecunque colligi. Licet tamen Hali, Abitalib, & Ibenmuzod libros suos dare noluerunt: reliqui uerò collecti, dati sunt in manus Zeidi filij Zebith Aleuzari, & Abdalla filij Alahabet, ad redigendum omnia in unum codicem, & emendandũ. Dictumq; est illis: Si contigerit uos in aliquo capitulo non posse concordare, scribite illud secundum exemplar & autoritatem Chorais. Quod & ipsi fecerunt. Sicut, uerbi gratia, quãdo inuenerunt in quodam loco arcam, & alius dixit arcem, & alius arcum, tandem secundum id quod habebat Chorais, dixerunt. Sic & de multis alijs. Facientesq; quatuor similes codices, unum miserunt in Mecham, alium in Syriam, alium in Aleiarac, alium relinquerunt in ciuitate. Sed ille qui ad Mecham missus fuerat, incendio perijt, quando uastata est Mecha ab Ozeario. Ille uerò qui in ciuitate remansit, in diebus Gezit filij Maioma, perditus est. Tertius qui in Aleiarac erat, à tempore Almustat nusquam comparuit. Rex autem Azimen, qui libros illos præceperat fieri, quæcunque remãserunt in chartis, præcepit comburi. Ex his

Alcorani farrago hinc inde collecta.

Alcorani primum quatuor codices tantũ

Mechæ uastatio.



igitur uarietatibus & mutationibus, quæ superius dictæ sunt, contigit, ut multa ibi capitula diuersa inter se & sibi inuicem contraria inueniantur. Sicut, uerbi gratia, capitulum bouis & capitulum uaccæ: de quibus dicitur, quod capitulum bouis ante fuerit prolixius capitulo uaccæ, nunc uerò breuius. Dicitur etiam, capitulum corruptum esse & imperfectum. Dixit etiam Aissa uxor Machumet, Hali multa inde abstulisse, & penè totum demutasse, & insuper prohibuisse homines, ne legeretur Alchoran, & propter hoc multos sæpe uerberasse.

Alcoran quare multa habeat contraria inter se.

## QVALITER RECOLLECTA & dißipata sit.

POst multa iterum tempora Elehagig filius Vizes cum regnare cœpisset, iußit congregari omnes libros, & chartas & uolumina: cõfectoq; ex eis uno codice ad suum libitum, post quàm multa adiecit & multa detraxit, multaq; † narrauit, cætera omnia quæ ubicunque inuenirentur, iußit incendi. Fecit autem de suo libro exemplaria. Ex quibus unum misit in Aegyptum, alterum in Syriam, alterum in ciuitatẽ, alterum in Mechã, alterum in Mesopotamiã, alterum in Albazara. Aliquando etiam uenerunt ad istos multi de gente Elueh beti, qui idololatræ erant, & simulantes se uelle esse Saracenos, ut legem eorum si possent annihilarent, multa nihilominus in prædicta scriptura, ubicunque latenter poterant, modis omnibus lacerabant. Quod si nulla alia uarietatis huiusmodi scripturæ causa † uideretur, quàm ex illo habebatur, scilicet quod Hali, & Ebubere, & Ozimen & Gonor semper discordes fuerãt & inimici, sufficeret. Dum pro certo constat, singulos eorum pro sua intentione alterum aduersus, alterum in libro illo iuxta propriam uoluntatem, quicquid sibi placuit, ad suæ commodũ uel addidisse, uel minuisse, uel † narrasse. Viri certè probi Saraceni, & qui satis inde dolebãt, mihi sæpius hoc dixerunt, quod tota Alchorani scriptura adeò commixta & confusa sit, ut quicquid ibi est, totum sine continuatione, sine compositione, absque omni uerborum ordine, postremo absque ullo senso uel ratione uideatur.

uariauit, uel mutauit legendum est.

fuisse

uartasse

## DE VILITATE STILI eius, & materiæ.

MIror autem, quid illic tibi placere posßit. Nam si eloquentia consideretur, nemo tam turpiter aliquid Arabice scripsit. Quantum enim ad sapientes Arabicos scriptores, quid est totum Alchoran, nisi digna risu barbaries? Si uerò sententiæ perpendantur, ego nihil ibi uideo, si tamen esse potest, aliquid boni.

Alcorani etiã Arabici barbaries.

Nam

Nam mala illic multa reperiri nõ dubium est, quæ uel quilibet stultus similiter, aut certè multo elegantius fingere posit. Esto tamen bona ibi uideantur esse aliqua, sicut uerbi gratia, ut aliquando ieiunetur, oretur, & ut fiant aliquæ eleemosynæ: Nunquid primum talia inuenta sunt à Machumete, qualia scilicet ante ipsum nullus audierat? O quanto sanctius, quanto honestius, quanto rationabilius & Moyses, & Helias, & alij prophetarum multi? Iohannes quoque baptista, sed & ipse dominus omnium Iesus Christus, & ieiunauerunt, & adorauerunt, & misericordias impenderunt: nos quoque ieiunare, & orare, & eleemosynam dare ante prodigiosam prophetiam Machumet infinitis retro temporibus docuerunt. Cesset cesset Machumet, earũ rerũ uelle uideri magister primus, quarũ nec dignus fuit in aliquo discipulus esse uel ultimus. Absit absit à nobis talis prædicator ieiunij, qui post monstruosum ieiunium sic omni libidini & ingluuiei operam impendere præcipit, ut non ad aliud u ideatur instituisse ieiunium, quàm ut postea uoluptuosius & appetentius excitetur omnis turpitudo libidinum. Iam uerò illud quod & tu mihi dixisti, & ipse in eadem scriptura prædicauit, hanc scilicet scripturam talem esse, qualis nec ab hominibus, nec à dæmonibus fieri potest, certe satis ipse elegit, quibus diceret, rusticissimos uidelicet & agrestes homines, qui & nouiter de diuersis sectis uenerant, ipsamq; linguam Arabicam ignorabant. Cæterum si hoc nobis exponere liceat, per omnia sic ei concedimus, quod uerè tam stulta, tam inhonesta, tamq; irrationabilis scriptura nec ab hominibus, nec à dæmonibus fieri potest. Puto enim, quod etiam dæmones talia scribere erubescerent. Sanè si tantum uult Machumet gloriari de suo Alchorano, quanto magis gloriari possent alij quidam, quos te ignorare non puto: Muzeilenia, Helecisi, & Æthiops Alabazbi, & Calliata Ellecedi? Qui eodem tempore æmulatione illius, ut et ipsi nomen sibi apud homines compararent, suum quisque Alchoranum fecerunt: multoq; honestiora, & saltem in aliquo ueri similia cõscripserunt. Sed quia non ex toto uentri & libidini frena laxabant, nõ tantos bestialium hominũ greges asininos post se trahere potuerũt.

Quicquid in Alcorano boni est, multo melius docuisse prophetas alios & Christum.

Ieiunium.

Machumeti sectatores quales.

Alcorana plura etiam ab alijs scripta.

## DE IMPERITIA & fictione illi adhærentium.

Si ergo miraris, quare tantum †hæc scriptura placuit, pro certo teneas, nulli unquàm nobili uel sapienti eam placuisse: sed miserrimo imperitissimo uulgarium hominum generi. Qui ab eo de locis syluestribus congregati, cũ

quibusdam



has primas literas audissent, rei nouitate stupefacti, sacrilegas fabulas diuina esse oracula crediderunt. Denique cum & paupertate & assiduo ruralium operum labore confecti fuissent, cibi, potus, preciosarum uestium, amœnitatis umbrosæ, uasorum spectabilium, uxorum insuper pulcherrimarum, & infiniti concubitas, aliarumq; spurcissimarum paradisi deliciarũ, quas etiam te proh dolor enumerare non puduit, beatitudinem audientes, seq; ibi ex promissione Machumet iam iamq; futuros esse sperantes, ad omnia quæcunq; uoluit, † pecorini homines cucurrerunt. Inde est, quod contra regem Persidis exiens, sic adiutus est ab eis, ut uinceret. Promiserat siquidem omnibus, qui in bello ipso mori pro eo eligerent, sui paradisi delicias. Quidam tamen magis idcirco pugnasse dicuntur, ut hortos optimos, quos in Perside uicerant, obtinerent. Nam & illos se post uictoriam daturum eis dixerat, ut & in hoc seculo & in futuro semper in hortis essent. Nosti autem, Arabes quantum delectentur hortorum pulchritudine. Sed dicis: Non solum rustici illi, sed & multi alij sunt secuti eum. Verè multi alij, sed pessimi, & leccatores, & qui grauati ære alieno, uel pro suis sceleribus morituri, hanc solam euadendi uiam inuenerant. Nã dic mihi obsecro, quem unquam sapientem, aut nobilem, aut honestum ad Saracenitatem uenire uidistis? Illi enim qui è Iudæis uel è Christianis adhuc ueniunt ad uos, absit ut aliqua prouocati honestate hoc faciant: Sed quia miseri & impudici legis suæ regulas non ferentes, ad latam & spaciosam uiam, quam socius tuus docuit, se conuertunt. Quod quibusdam maximè Christianis contingit. Quorum lex spiritualis & cœlestis, omnia quæ in mundo sunt, cõtemni spe & amore uisionis Dei æternæ præcipiens, dum carnales & fluxas infelicium mentes cõprimit, statim ab ea diffugiunt: quia pugnare contra concupiscentias negligunt. Hoc tamen certissimè scias, quia neque Iudæi, neque pagani, neque Christiani, quocunque modo se exterius habeant, & si uenientes ad uos de uestra secta se esse simulent, unquàm ex corde uobiscum sint. Simulant quidem se esse, quod non sunt, ut, sicut prædixi, aliquod corporis euadant incommodum: aut ut porcinis uoluptatibus, quarum apud uos copia est, perfruantur. Adeò autem quicquid facitis, pro nihilo ducunt, ut sæpe inter se loquentes, Machumet & legi eius maledicant, nec dignum eum aliquando fuisse prophetia uel Dei lege affirment.

peculiã

Arabes hortorum amantes

Machumetanæ sectæ simulatores.

## DE NOMINE MACHVmet, quod falsò dicatur in throno scriptum.

Sanè

Sanè superfluum mihi uidetur tecum agere de illis, quæ tuam non latent industriam, qualia sint apud uos, & quàm nulli pudenda, scilicet diuersitas in præconio, celebritates ex equiarum, uarietas in teſtimonio, orationes ſolennitatum, ſollicita ad plagam meridianam conuerſio, & modus legendi, & modus diſcernendi, ſimileſq; huiuſmodi uarietates. Quæ omnia in corde tuo quàm nihil ſint, ſcio: cum hæc ſola ſuperficie teneas, non tamen propter principatum quem tenes, dimittere uelis. Porrò illud quod mihi ſcripſiſti, Antequam ſæcula crearet deus, †fuiſſe in throno, Non eſt deus niſi deus, Machumet nuncius Dei: unde acceperis, aut ibi inueneris, neſcio: cum nec in Alchorano, nec in alia qualibet ipſius inueniatur ſcriptura. Veruntamen ponamus, ut alicubi hoc repertum ſit. Velim ergo, ut mihi dicas, ſi hoc in throno ſcriptum eſt, quis ſcripſerit. An aliquis ſcripſit hoc deo? Sed quis poſſet ſcribere, cum nec dum ſæcula creata eſſent? An Deus ipſe ſibi ſcripſit, timens ſcilicet perdere nomen ſuum, niſi illud ſcriberet? Quod ſatis abſurdum uidetur. Sed forſitan deus ſcripſit, ut angeli poſſent hoc legere. Et hoc non minus inſulſum eſt ſentire. Non enim per literas loquitur deus angelis, ſed illuminatione præſentiæ ſuæ, quæ illis ubique adeſt. Num præterea propter homines ſcriptum eſt, ut ipſi legerent, & ſcirent? Sed homines in throno quo modo legerent? Reſtat ergo, friuolum & uanum eſſe: quod & teipſum intelligere credo, teq; tibi ipſi ſcienter illudere. Sicut quidam de ſocijs dicunt, qui hoc pro nihilò habent, dicentes à Iudæis conflictum eſſe, & inter alias fabulas mixtum, ut riſum de uobis toti mundo mouerent. Certe cum aliquis uult benedicere Machumet, & ultra modum laudare, hoc ſolummodo dicit: Deus tu benedic Machumet, ſicut benedixiſti Abraham & generationi eius.

ſcriptum

Angelis quomodo loquitur Deus

Vnde & in libro eius ſcriptum eſt: O filij Iſrael, recordamini beneficiorum quæ ego exhibui uobis: quia prætuli uos omnibus gentibus. Si ergo ita †benedici Machumet à Deo, ſicut benedictus fuit Abraham & generatio eius, ſuper omnes laudes & benedictiones eſt, etſi filij Iſrael prælati ſunt à Deo omnibus gentibus. cum tamen nec Abraham, nec generatio eius nomen habeant ſcriptum in throno: quomodo factum eſt, ut nomen Machumet, qui ſecundum hanc regulam ipſo Abraham & generatione eius minor habetur, ibi ſcriptum ſit?

Machumeto benedicendi formula, benedicentur

## DE SVPERSTITIOSIS ieiunijs & lauacris Saracenorum.



Denique inuitas me ad quinque orationes, & ad ieiunium menſis Ramazan. Vbi non tam tibi reſpondeo, quàm ut ipſe tibi reſpondeas, uolo. Dixiſti enim in tua exhortatione, quod inter alia, quæ de noſtra religione cognoueras, etiam orationibus monachorum & ieiunijs interfueris, genuflexiones & inſtantiam deprecationum uideris, & cætera omnia, quæ uerè ſancta & cœleſtia eſſe nullus negare poterit. Super animam ergo tuam hoc pono, & teipſum iudicem facio. Scio namque pro certo, quia ſi, quod iudicium rationis exigit, inde dicere uolueris, quantum ad ieiunia & orationes Chriſtianorum, ieiunia & orationes ueſtrorum non ſolum ieiunia & orationes non eſſe clamabis: uerum etiam quod tales ſordes ueris & ſanctis ſeruorum Dei uirtutibus ſe comparare ullo modo auſæ ſint, cum maxima indignatione ridebis. Quod uerò frequenti corporum †lauatione hominem purificari creditis, eaſq; lauationes totiens frequentatis, hoc tibi reſpondeo, quod Dominus meus in Euangelio ſuo Iudæis ſimilia facientibus ait: Væ uobis hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris ornatis de foris, cum habeant intus cadauera: Ita uos quidem lauatis corpora ueſtra forinſecus, & corda ueſtra polluta ſunt iniquitate. Quid ergo prodeſt lauare manus & pedes, & extergere caput, & inſiſtere orationibus: cum conſcientia cordis, & mens, & animus occupata fuerint in effuſione ſanguinis, & diripiendis ſubſtantijs aliorum, uxoribus quoque & filijs captiuandis? Vide ergo, quomodo reſpondet eis ſpiritus uiuificans? Oportet enim hominem prius lauare interiora cordis ſui, & purificari à cogitationibus peſſimis: deinde ſi placet, & ſi neceſſe eſt, etiam corpora.

ieiunia et orationes.

lotione Lotionum frequentia.

## DE CIRCVMCISIONE, & prohibitione carnis porcinæ, & uxoris repudio.

Circumciſio uerò quid ad uos pertineat, ſcire non poſſum, cum nec Machumet circumciſus fuerit, nec in Alcorano ſuo inde aliquid dixerit. Niſi forte Abraham in hoc uos ſequi dicatis. Cum enim uos Iſmaelis filios eſſe iactetis, et Abrahæ dicatur à Deo, non in Iſmaele, ſed in Iſaac reputabitur ſibi ſemẽ: uos in ſemine Abrahæ quomodo eſtis, qui ad Iſaac nullo modo pertinetis? Si uos dicitis, Chriſtum fuiſſe circumciſum, quid ad uos, qui Chriſtiani non eſtis? De cuius tamen circumciſione quàm rationabilis fuerit, ſi uel digni eſſetis, uel in aliquo ad eum pertineretis, pleniſſime reſponderemus. Nunc uerò cũ nec Iudæi nec

Machumet non circumcisus.

Ismaelitæ.

nec Christiani sitis, circumcisionem inuenistis. Nisi certè, quod ualde credibile est, hoc etiam à Iudeis libro uestro insertum sit: ut sicut de quibusdam Paulus Apostolus dicit, in carne uestra gloriarentur, dum uos more suo circumcidi facerent, & suos in errore socios habere gauderent. Quare etiam Machumet porcum comedi uetuerit, nescio. Nam & Iudæi à porco & à quibusdam alijs prohibiti sunt. Ratio certa apud nos est, quorum fidei lex illa militabat. Et licet nos modo illa corporaliter non seruemus: ea tamen quæ ibi significabantur, spiritualiter implemus. Quibus in nouo Testamẽto reuelata sunt omnia per Christum, qui utriusque Testamenti conditor est. Ipse enim dixit per Apostolum suum: Omnia munda mundis, & nihil reijciendum, quod cũ gratiarum actione percipitur. Illam uerò turpitudinem †audiens non exhorreat, quam non erubuit Machumet in Alchorano suo ponere? Vt scilicet uiro quandocunque uoluerit, qualibet etiam causa, possit uxorem repudiare: sed non nisi prius alteri uiro iungatur, nec si uelit, possit eam reuocare. Hanc certe legem etiam bruta animalia, si loqui possent, turpissimam esse clamarent.

Porcina cur interdicta.

quis

Repudij licentia.

## DE PEREGRINATIONE ad domum Mecha.

Quid est autem, quod me inter alia legis uestræ optima etiam ad Alabagh, hoc est, ad peregrinandum in domum Dei illicitam, quæ est in Mecha, exhortatus es: ad proijciendos quoque lapillos, & ad inuolutionem linteoli circa renes? Miror etenim, quod ita mecum loqueris, acsi nunc me primo nosse incipere. Nunquid ego aut cæcus, aut surdus nuper effectus sum, aut forsitan mutatus in puerum? Cui sic illudere possis, ut modo primum discere incipiam inanes & fatuas superstitiones, quæ nec rationem, nec honestatem in aliquo habere probantur. Quasi uerò nesciam, quid sit, & unde processerit, uel qualiter ad uos ritus ipsius erroris stultissimus inter alia mala deuolutus sit. Nonne hæc & illa præclara socij tui †idolorum destructione diligentia? Vt cum à cæterorum cultu suos discipulos inhiberet, istud tamen in honore Veneris fieri Mecham suam permitteret. Quod quale sit, uel à quibus cœperit, quoniã tu te †simulas, audi. Duarum Indiæ gentium, quæ uocantur Zechian et Albarachuma, antiqua consuetudo fuit, nudos & decaluatos, magnisq; ululatibus personantes simulachra dæmonum circumire, angulos quoque osculari, & proijcere lapides in aceruum, qui quasi pro honore dijs extruebatur. Inde enim est, quod in libro Salomonis dicitur: Qui proijcit lapidem in aceruum Mercurij. Faciebant autem hoc bis in anno, sole scilicet existente in primo gradu arietis, & rursum cum esset in primo gradu libræ: hoc est, initio ueris & autumni. Hæc ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamq; suo tempore apud Mecham in honore Veneris Machumet celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen cætera idololatriæ præstigia remouisset. Illud uerò soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retro, id est, sub genitalibus membris proijcerentur, eò quod Venus illis maximè partibus dominetur. Vnde adhuc ita fit in domo Dei, quam tu uocas illicitam, id est, ubi nihil licet, nisi quod sacrum est. Veruntamen cum hoc à nudis ex toto hominibus, semper fieri soleret, non tulit hoc humana uerecundia. Instituerunt aliqui, ut proiectores lapidum paruo saltem linteolo renes obtegerẽt, ne omnino denudati homines canum impudentiam imitarentur. Hanc ergo insaniam merito creditur Machumet saluam & incolumem, cum reliquas dæmonum culturas cessare præciperet, dimisisse, ne dominam suam Venerem, in qua se esse potentissimum ipse iactabat, penitus sine honore relinqueret. Pro quo beneficio talem illi gratiam Venus rependit, ut ad eum totam huius gloriam referri, utpote ad singularem amicum, æquanimiter sustineret: Dum uos modo non Veneri, sed ipsi prophetæ eius hoc obsequium impendatis. Quod apud quosdam uestrum tantæ stultitiæ deputatur, ut uir prudens Gomar filius Hazha cum ad osculandos lapides (quod ante alia Machumet & fecerat, & fieri iusserat) aliquando accessisset, sic locutus fuisse dicatur: Ego scio, quia lapides istos osculari nec obest, nec prodest. Sed quia sic fecit, fierique iussit noster propheta, facio: licet sit omnino inutile.

Mecham frequentandi superstitio.

in

Veneris cultus. Mechæ. ignorare

Salomonis locus.

Lapillorum superstitiosa proiectio.

Machumetti Veneri addictus.

## DE HOC QVOD IN domo illa dicuntur fieri mira.

Ecce quid est alabagh uestrum, & alchimar, & peregrinatio in domum Dei illicitam? Ecce ad quæ sacra, ad quam festiuitatem, ad quantæ honestatis & utilitatis celebrationem amicos tuos inuitas. Obsecro charissime, ut & nobis in hoc & tuæ quoque uerecundiæ amodo parcas, nec homines ad huiusmodi spurcitias, sed magis porcos, si ita uolueris, aduoca. Nunquid autem uerissimum in tua laudatione dixisti, quod scilicet mira ibi fieri uideantur? Et uerè mira non solum uidentur fieri, sed fiunt: quando rationabiles homines in bestialem sensum mutati,

tati, ista quæ narrauimus & similia faciunt. Non enim hoc facere possent homines, nisi prius ab humanæ rationis iudicio ad pecualẽ animalitatem conuerterentur. Verum ne dicas, nos serio, non ludo tecum agere debere, dimittamus paululum ioca, & quod ad rem pertinet, disseramus. Quæro igitur à te, quæ sunt illa mirabilia, quæ ibi fieri uidisti, uel audisti? Nam si me interrogares de locis uel de ecclesiis Christianorum, tale aliquid non unum ego, sed mille tibi loca numerare & ostendere possem, in quibus cæci uisum, surdi auditum, muti loquelam, paralytici, uel quolibet alio modo claudi gressum recipiunt. Ad ultimum, ibi omnium generum languores & incommoda, siue animarum siue corporum, depellũtur. Ibi etiam sæpe, quod maius est, ipsi mortui resuscitantur. Et hoc non aliquibus exterioribus adiumentis, siue quolibet genere medicinæ humanæ, sed fide, & oratione, & pura cordis deuotione id apud Deum & sanctos, pro iusticia & uera pietate erga mortuos impetrante. Tu ergo si unquam uel semel huiusmodi uirtus aliqua in illa quam uocas domum Dei, facta sit, enarra: Et si saltem unum tale quid ibi aliquando factum mihi ostendere potes, concedo uera esse, quæ dicis. Sed quoniam scio te id nullo modo posse, non enim illud tacuisses, si haberes, quando me inuitans, & mirabilia illa narrãs, nihil habuisti quod diceres, nisi quia lapilli proijciuntur: quod non uirtutis diuinæ miraculũ, sed diabolicæ impuritatis constat esse deliramẽtum. Cur illa loca sacrata etiam dixeris, respondere nequis.

Christianorũ ecclesiæ miraculis celebres

## DE HOC QVOD MAchometus iubet homines ad sectam suam uiolenter cogi.

DEniq; inuitas me ad uiam Dei, quæ est expeditio contra aduersarios, & incredulos, & participatores, scilicet in ictu gladij, et populatione & deuastatione, donec ingrediantur in fidem Dei, & testificentur, quia non est Deus nisi Deus Machumet, & quia Machumet seruus eius & nuncius, aut reddant tributum subiecti. O tu prudens & sapiens, obsecro te, quomodo possunt continuari uerba tua? Nam multum discrepant, cum dicas hoc cõtra tuam scripturam, quam credis esse à Deo, quæ ita dicit: Missus est hominibus pariter in pietate & misericordia. Qualis habetur misericordia cum effusione sanguinis, & latrocinio, & præda? Si autem iterũ apposueris nobis Moysen, quoniam ipse cultores idolorum expugnauerit, recordare illa prodigia & miracula, quæ legisti eum fecisse in lege: & uidebis, quod iustum est credere, illum ex præcepto Dei hoc

Machumet sanguinarius,

Moses



fecisse. Similiter de Iosue filio Nun, cui sol & luna stetere. Quæ miracula cum fieri non possint nisi ab electis Dei, credimus, quod quicquid fecere, iussu Dei factum sit. Tu autẽ nunquam legisti in diuina scriptura, aliquos ad Deum uiolenter conuersos: nec præceptis, gladio, direptione, captiuitate, sicut tuus socius fecit, & iussit obedire, coactos. Multi certe olim hæretici fuerunt, quorum tamen nullus nec gladio, nec aliqua coactione aliquem ad suam sectam pertrahere conatus est, sed fallaciis. Quicunq; enim uoluit inducere homines ad ueritatem siue ad mendacium, non potuit hoc facere sine aliqua uel saltem uerisimili prædicatione. Et omnes quidem præter socium tuũ ita fecisse nosc untur. Ipse enim ad suam sectam non ita homines, hoc est, non sola arte callidita tis aut ingeniosa loquacitate, sed gladio, & uiolentia, & oppressione, & depopulatione coëgit. Nunquam auditum est ab aliquo, quod ille dicebat hominibus: Quicunq; non confitebitur me prophetam esse domini seculorum, gladio illum feriam ego. Et omnes quicũq; de progenie mea sunt, similiter facient, & domum eius diripiam, & omnem familiam eius captiuitate affligam.

Iosue An uiolentia cogendi homines ad fidem.

Hæreticorum fallaciæ.

Prophetæ confirmationem sibi.

Machumet etiam minando arrogat.

## DE VANIS PROMISsionibus & minis Machometi.

NOn scripsimus ex inuidia uel indignatione, sed causa disputationis, ad quam nos prouocasse uideris. Compulisti nos pauca de multis in medium proferre. Noster siquidem ignis latebat in lapide: sed tuo chalibe excussus, coactas erupit in flammas. Quocirca tam tibi quàm omnibus qui meum scriptum uiderint, plane & fiducialiter loquor. Quoniam illa ad quæ me inuitasti de rebus labilibus & fugitiuis, tam stulta & inania sunt: ut etiam si æterna essent, nullatenus homo rationabilis ea deberet appetere, uel suum ad hæc animum inclinare, præsertim cum aperta sint asinis & porcis, siue cæteris animalibus in quibus nihil aliud est quàm comedere, & ũibere, & concumbere. Hic etenim mundus, qui maxime per ista miseros decipit, apud rationabiles homines cum omnibus illecebris pro nihilo deputatur: qui solerter ac ueraciter cuncta eius blandimenta & gaudia fugitiua & misera esse considerantes, seq; ab ipsius laqueis uiriliter excutientes, CHRISTI Domini uera & sempiterna bona in futuro seculo promittentis sacro sanctis uestigiis adhæserunt. Istis autem tuis inordinatis admonitionibus nemo dignus habetur, nisi qui suæ carnis miseriæ subiacens, pronus & præceps ad quælibet libidinis inctamenta, sicut equus & mulus fertur, & rapitur.

Mundi, rerũque mundanarum uanitas.

tur. Ego autem te non puto credere, me ad talia anhelare. Sapientes enim ac rerum causas subtiliter perpendentes, ab omnibus illis, quæ tu pro magno munere in libro tuo promittis, longe distare uidentur. Illi enim indesinenter toto nisu per Dei gratiam elaborant, concupiscentias et uitia carnis extinguere. Et ut etiam quod non naturaliter superfluum habetur in corpore, possit auferri sanctissimo castimoniæ studio seipsos non desinunt castigare. Deus enim non creauit hominẽ ad hoc, nec in die iudicij ad hoc simile resuscitari faciet. Tu autem in libro tui socij scis hoc scriptũ esse: Nos nõ ad aliud homines et dæmones creauimus, nisi ad colendum nos. Deinde aduersus soluit pactum, et destruit ædificiũ, præcipiens uxores tres uel quatuor ducere, & ancillas quantæcunq; inueniri poterunt, unumquenq; sibi applicare: Insuper & more pecudum comedere & bibere absq; ordine, omniq; moderationis discretione. Capitulum uerò repudij, & licitæ reuocationis hic ponerem, nisi proli xus esse timerem, & librum istum uerbis inhonestissimis sordidare refugerem. Nam & ipsi gentiles, qui filios suos idolis immolant, hanc turpitudinem omnimode abhorrebant. Ego autem confundor tãta nominare, & scribere. Illud uerò quod mihi aliquando dixisti, & me tuis minis uerberasti, fiducialiter in Christo agens non timeo. Dixisti enim mihi: Considera quæso diligenter, & hanc iniuriam tibi inferre noli, neq; quod noceat prouoca. Audi ergo Dominum Iesum Christum in suo Euangelio mihi dicentem: Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Ego igitur securus & constans, scio & credo, quia nullus in animam meam potestatẽ habet: nisi Dominus Iesus Christus, cuius nomen sit gloriosum & benedictum. Qui in me abundare fecit clementiam domini mei Emir molimini. Nam & ego & mei similes, qui eius uel longe uel propè familiaritate gaudemus, sub umbra alarum ipsius in securitate, & æquitate, atque benignitate manemus.

Castimoniæ studium.

Legis Machumeticæ licentia.

## EXPOSITIO CVLTVS Saracenici.

FRustra igitur inuitas me ad sectam tuam dicens: Inuito te ad quinque orationes, quas quicunq; impleuerit, petitione sua non fraudabitur, nec damnũ aliquod pertimescet: eritque tam in hoc sæculo quàm in futuro laudandus. Istæ quippe orationes duabus institutionibus datæ sunt, una quidem à Deo, altera à Dei nuncio. Sunt enim post cœnam tres genu

Quinque orationum superstitio.



flexiones, & duæ in aurora, et post meridiem duæ, & duæ post solis occasum. Quicunque autem aliquid ex hoc dimiserit, à peccato immunis non erit, & oportet illum pœnitere, et subdi correptioni. Institutio orationis inter diem et noctẽ XVIII genuflexionibus constat. In aurora duæ, post meridiem IIII. in uespera quatuor, post solis occasum quatuor, in prima cœna ante comestionem duæ, post cœnam (quæ uocatur ultima, quando iam est alahathama, id est densitas tenebrarũ) duæ. Rursus inuito te ad ieiunium mensis † Ramazan, quod Deus iudex instituit, & in eo Alchoran uenire fecit. In quo mense de nocte prædestinationis testificatus est, & nox illa mille mensibus melior habetur. Ieiunabis in die ab omnibus cibis & potibus, & concubitu, usquequo solis lumen occidat, & noctis ordo incipiat. Tunc comedes, & bibes, & concumbes per totam noctem, quousq; filum album à nigro discerni possit. Hoc enim liberum et licitum est, & uita tranquilla & suauis à Deo. Tunc uerosi puritate mentis ad celebrandam noctem prædestinationis peruenire mereueris, ab omni malo et nunc, et in futuro sæculo securus eris. Dixit etiam Deus gloriosus & excelsus: Scripsi uobis ieiunium numeratis diebus, sicut scripsi illis, qui uos præcesserunt, fortassis timebitis. Si quis infirmus est, aut occupatus itinere, eundem dierum numerũ alio tempore soluat. Illorum uerò ieiunium, qui ieiunare non poterint, uictu unius pauperis redimatur. Interim qui obedierit, melius illi erit. Si enim ieiunaueritis, & scieritis, quod hominibus utile est, & iustificationis testimonia, et Alfurcan, propriam mercedem habebitis. Dormire uerò cum mulieribus in ieiunio, licentiam uobis tribuo. Illæ indumentum uobis sint, & uos similiter illis. Præsciuit enim Deus, quod circũcisuri essetis animas uestras, & pœnituit eum, & liberauit uos. Adhærete igitur illis, & diligite hoc, quod uobis scripsit Deus. Comedite & bibite, donec in aurora discerni possit filum album à nigro. Deinde perficite ieiunium usq; ad noctem sine coitu mulierũ. Eritis enim perseuerantes in domibus orationũ: tamen appropiabitis eis. Hæc sunt præcepta Dei. Præferebat enim nuncius Dei uespertinã cœnam matutino cibo. Iterum inuito ad domum Dei illicitam, quæ in Mecha sita est, & uidere illicitum nuncij Dei, et considerare uestigia & loca ipsius & quomodo lapilli proijciuntur retro quod uocatur Alchimar, & inuolutionem linteoli circa renes, & quomodo osculatur angulus domus illius, & uidere loca illa sacrata, & multa mira, quæ ab hominibus

Ieiunium.

Alromadan.

Libidinis usus in ieiunio concessus.

Mechæ cultus.

Expeditio diuina.

appetuntur. Iterum inuito te ad expeditionem diuinã, quod est contra inimicos & aduersum incredulos proficisci, & expugnaret participatores & hæreticos in ore gladij, donec ad fidem Dei ingrediantur, & testificentur, quia non est Deus, nisi Deus Machumet, et ipse nuncius Dei & seruus, aut tributum reddant.

## DESCRIPTIO PARADISI iuxta figmenta Machometi.

ITerum inuito te ad confessionem dei, ad cuius nutum resuscitabuntur mortui, qui iudicabit eos in iustitia, & bonis bona retribuet, & malis mala. Et faciet suum populũ eos qui sibi obedierunt, & confitentes singularitatem eius testificati sunt, quod Machomet est propheta ipsius & nuncius, & crediderunt omnibus, quæ super eum descenderunt à deo, in excipiendo legem uidelicet de paradiso, in quo multa bona sunt illis præparata, cum habuerint armillas de auro & electro, eruntq; uestimenta eorum serica, & dicent: Gratias deo, quia non abstulit à nobis retributionem. Nulla oppressio uel molestia eos tanget. Habebunt certum alimentum, & fructus, & erunt in paradiso deliciarum exultantes, & sibi inuicem occurrentes honorificati. Discurretur per eos uasis argenti candidi. Quilibet bibentes delectabũtur. Non erit ibi luctus, neq; mœror. Habebunt mulieres uenustis oculis. Habebũt cœnacula, & supercœnacula, sub quibus erunt flumina. Nunquam enim promissio dei fallit. Et dicetur eis: O cultores dei, nolite hodie timere: Tristicia non appropinquabit uobis. Ingredimini paradisum uos & uxores uestræ, & estote securi. Discurretur per uos calathis & scutellis aureis, & habebitis quod animæ appetunt, & concupiscunt oculi in secura mansione in hortis & fontibus. Ibi primo prima noctem alia non sequetur. Et faciet eos securos à tormentis inferni. Hæc est gratia dei tui. Ipsa est enim liberatio magna. Dixit enim deus gloriosus & excelsus: In paradiso, quem pollicitus sum timentibus me, sunt flumina aquarum, in quibus nihil noxium est. Sunt flumina lactis, cuius sapor nunquam deficit: flumina quoq; uini, bibentium delectatio: flumina uerò mellis purissimi, habent siquidem omnes in eo fructus, & remissionem à domino. Dixit quoq; gloriosus & excelsus: Timentibus deum optime erit in ultimis. Aperientur eis portæ horti Eden, ubi pariter discumbentes præcipient sibi afferri uinum, & abundantiam fructuum, et habebunt oculis uxores speciosissimas. Hoc eis promittitur in die Iudicij. Victus ibi nunquam deficiet. Dixit iterũ deus gloriosus & excelsus, in descriptione paradisi: Sunt in eo duo fontes currentes. Sunt in eo pomorum arbores, & palmæ, & mala punica. Discumbent in excelsis uiridarijs super pomis & prunis. Adducentur timentes deum in paradisum per turmas & agmina congregati. Quibus cum hostiarij ianuas aperuerint, dicent: Pax uobis, habemini: Suauiter ingredimini, & estote hic in perpetuum.

Paradisi felicitæ uoluptates.



## ADHVC DE EODEM.

ET dixit gloriosus excelsus: Feci eos occurrere gaudijs & delectationibus, et dedi eis pro retributione paradisum, eò quod patientiam habuerunt. In quo erunt discumbentes super plumaria, et non percutiet eos sol, neq; frigus: Et super eos umbræ illius permanebunt. Per quos etiam uasis argenteis et canistris discurretur, similiter & uasculis modicis argenti, & pixidibus ministrabitur eis, & facient eos potare uase quasi cõmixti gingiberi. Fons in eo est qui claritas appellatur. Non audient ibi dolum, neq; mendacium. Hæc est retributio domini tui, quod est donum præmaximum. Dominus enim eorum liberabit eos à cruciatu inferorum, dicens: Comedite & bibite securi, discũbentes in lectulis dispositis. Dedimus eis uxores pulcherrimas, nihilq; eis de suo malo opere imputabitur, & unusquisq; secundum quod appetit, obtinebit. Dedimus eis diuersitates pomorum, & quicquid carnis ad edendum concupiscunt, & ut sibi propinent inuicem. Ministri sicut aurum fulgentes discurrent per eos, ad seruiendum parati. Et dixit benedictus & excelsus: Præcedentibus et festinãtibus dentur mansiones in paradiso uoluptatis. Pauci de primis, & pauci de nouissimis erunt super lectulis ordinatim dispositis, semetipsos ad inuicem intuentes. Inter quos erunt ministri sine fine mansuri, tenentes discos & conchas & uasa preciosa. Quicquid de pomis uel de carne uolatilium uoluerint, obtinebunt. cum quibus adhærebunt mulieres uelut margaritæ fulgentes, scilicet sui operis præmium. Non existit illic dolus uel iniquitas, sed tantum pax et salus. Hæc est descriptio paradisi, quam præparauit deus credentibus in se, & in nuncio eius Vbi præparata sunt illis multa delectabilia edendi, & bibendi, & dormiendi cum mulieribus intactis. Quæ sunt uelut lapides preciosi sine fine splendẽtes, & accipient omnia, quæ oculi eorum concupiscunt, & habebunt honorem & uitam. Et sedebunt super thoros mollibus induti, & purpureis: ornati quoque armillis preciosis & nitidis. Vultus eorum hilares & iocundi. Inter quos mares & fœminæ seruientes ambulabunt, & uelut aurum rutilantes fragrabunt ut muscus, & uariæ aro-

matum

matum ſpecies. Bibent de fonte ſuauitatis, & dicetur eis, Auete in omni pace. Comedite & bibite, et delectamini, eo quod digni eſtis, cum omni ſecuritate.

## DESCRIPTIO inferni, iuxta eundem.

Inferno deſtinandi qui.

INfideles uerò qui participes faciunt deo, & pares illi attribuunt, & prophetæ dei non credunt, nec epiſtolam eius ſuſcipiunt, & præceptis dei aduerſus prophetam eius rebelles effecti ſunt, deputabuntur gehennæ incendio: Eruntq; in cruciatu & ſtridore ineffabili, & igne ſine fine inextinguibili. Quorũ cutis quotiens ignis ardore conſumitur, totiens ad noua iterum ſupplicia reparatur. Manſio eorũ puteus abyſſi, potus omni felle amarior, cibus de arbore quæ appellatur Alzekon: Zazachum, & eſt omni peſſimo ſapore deterior. Erunt ſub ira dei cum diabolo, & angelis eius. Dixit quoq; deus glorioſus & excelſus: Qui non credunt mirabilibus Dei, & prophetas & eos qui ueritatem prædicant interficiunt, erunt in horribili cruciatu. Quorum opera maligna, nullo eis auxilio ante, ſuper ipſorum capita redundabunt. Morientur, nec tamen à cruciatu liberabuntur. Et dixit, Arbor azachum data eſt pro delectatione impijs. Ipſa eſt enim, quæ in profundo abyſſi naſcitur, cuius fructus quaſi dæmoniorum. De quo manducantes uentrem ſuũ implebunt. Denique omnibus malis ſubijcientur, & ſemper ad inferni ſupplicia reuoluentur. Superius & inferius caligo, ignis, & tenebræ. Et dixit: In die reſurrectionis facies eorũ qui deo non credunt, horribiles atque nigerrimæ. Nunquid enim gehenna manſio impiorũ



non eſt, & eorum qui noſtris ſignis non credunt, & damnandi ſunt? Et dixit. Qui nõ crediderunt, detrudentur in infernum conglobati. Ad quem cum peruenerint, & miniſtri portas aperuerint, dicent illis: Nónne ex uobis erant nuncij miſſi ad uos, qui uobis inſinuantes præcepta dei, annunciauerunt diei iſtius occurſum. Intrate igitur portas gehennæ, ad habitandum in ea ſine fine. Hæc domicilia præparata ſunt ſuperbis. Et dixerunt qui in igne ſummerſi ſunt, miniſtris: Deprecamur uos, orate pro nobis deum, ut alleuiet nobis cruciatum huius diei. Miniſtri reſponderunt: Orate. Sed quid oratio impiorum, niſi error? Ex hinc ſentient pondus cathenarũ, & uincula. Erunt pallentes in igne, & rurſum fatigati in igne. Tunc uidebit eos afflictione oppreſſos, & tumidis oculis latenter aſpicientes. Iterum dixit benedictus & excelſus: Impij permanebunt in cruciatu gehennæ, ubi detruſi ulterius non reſpirabunt. Nos nihil illis iniuſte fecimus. ſed ipſi ſibi impij extiterunt. Tunc uociferabuntur: Vſque quo damnandi ſumus, ò rex? Dixit, Ita manebitis ſine fine. Et iterũ dixit: Arbor azachum cibus eſt peccatorum: feruet in uentre ſicut ſulphur. Accipite illum, & ad horribilia inferni loca deducite, et ſuper caput eius cruciatus et dolores infundite. Hæc ſunt enim opera, quæ faciebatis. Et dixit glorioſus et excelſus: Afferte aquam amaram, quæ uiſcera eorum dirumpat. Væ non credentibus in die quæ nec permittentur loqui, ut aliquã habeant excuſationem. Hæc de illa diſputatione duorum philoſophorum, pagani et Chriſtiani, breuiter excerpſi, ad inſinuanda figmenta & fallacias Machometi.

# CRIBRATIO ALCHORANI CLARISS. VIRO D. NICOLAO DE CVSA Cardinali autore.

## PIO SECVNDO, VNIVERSALIS ECCLESIÆ summo sanctissimoq; Pontifici S.

Pius. Leo.

SVME sanctissime Papa libellum hunc, per humilem seruulum tuum fidei zelo collectum. Vt dum more ter sancti Leonis Papæ, prædecessoris tui, Nestorianam hæresim apostolico spiritu, angelico ingenio, diuinoq; eloquio damnatis: tu Machumetanam sectam de illa exortam, eodem spiritu, pariq; ingenio, facundiaq; æquali, erroneã, eliminandamq; ostendes, cito promptecq; quædam rudimenta scitu necessaria ad manũ habeas. Tuo etiam iudicio, qui in episcoparu fidei princeps es, illum & cuncta quæ scripsi scribam ue, atq; me totũ ut fidelem decet, subijcio, in nullo unquã ab apostolico tuo throno dissensurus.



## PROLOGVS.

Petrus Cluniacensis.

SECI quam potui diligentiam intelligendi librum legis Arabum, quem iuxta translationem per Petrum abbatem Cluniacẽ sem nobis procuratam Basileæ habui: cum disputatione eorum nobilium Arabum, quorũ unus socius Machumet, nisus fuit alium trahere qui doctior et magnus inter Arabes, Christianam fidem quam zelose coluit, ostendit potius tenendã. Erant etiam alia quædam opuscula de generatione Machumet, & duodecim successoribus eius in regno, & de ipsius doctrinis ad centũ quæstiones. dimisi librum apud magistrum Ioannem de Segobia, & ad urbem Constantinopolim perrexi, ubi apud fratres Minores habitantes apud sanctã Crucem, reperi Alchoran in Arabico, quem mihi in certis punctis fratres illi prout sciuerunt, explanarunt. In Pera autem, in conuentu sancti Dominici erat translatus, modo quo Basileæ dimisi. Quæsiui si quis Græcorũ scripsisset contra illas ineptias: & non reperi nisi

Ioannes Damascenus.

Ioannem Damascenum, qui parum post initium illius sectæ fuit, pauca ualde scripsisse, quæ habentur. Fuit tunc Balthasar de Luparis mercator apud Constantinopolim: qui uidens me sollicitum circa prædicta, narrauit quomodo doctissimus & maximus inter Teucros, postquam in Pera occulte de Euangelio sancti Ioannis instructus fuit, cum duodecim uiris magnis ad Papam uenire proponeret, & plene informari, si ego secrete eis de conductu prouiderem. Comperi relatione fratrum hæc sic se habere: & disposui conductum, ut petierunt. Et quia ille supremus præerat hospitalibus, uoluit illa uisitare: & demum declinando



ad locum ubi nauis eos expectabat, Romam proficisci, sed pestis eum in uisitatione absulit. Dominus Balthasar, qui nunc miles Bononiæ moratur, sæpius mihi retulit, omnes doctores eorum, euangelium ualde amare, & libro legis suæ præferre. Demum concitaui fratrem Dionysium Carthusiũ, ut scriberet contra Alchoran: qui fecit, & misit opus suum magnum Nicolao Papæ. Vidi post hæc Romæ libellum fratris Ricoldi ordinis prædicatorum, qui Arabicis literis in Baldach operã dedit, & plus cæteris placuit. Vidi et aliorum fratrum de ea materia scripturas catholicas: maxime sancti Thomæ, de rationibus fidei ad Cantorem Antiochenum: & ultimo reuerendissimi domini Cardinalis sancti Sixti, hæreses & errores Machumet uiuis rationibus confutantis. Ego ingenium applicui, ut etiam ex Alchoran Euangelium uerum ostenderem, & ut hoc facile fieri posset, cõpendiosum meum cõceptum paucis præmittam.

Dyonisius

Ricoldus

Thomas

EXperiemur in nobis appetitum quendam esse, qui ob motum qui in eo est, spiritus dicitur: quodq; ratio motus ipsius est bonum. In ratione enim boni, mouetur appetitus. Sic uidemus bonum sua ui trahere spiritum nostrũ: ac quod nulla est ratio cur bonum appetitur, nisi quia bonum. finis igitur desiderij, bonum. Neq; potest aliunde spiritus noster habere appetitum boni, nisi à bono. Bonũ igitur, est creator spiritus nostri ad se: & est eius principiũ pariter et finis. Nõ igitur quiescit spiritus noster, nisi in suo principio. Et quia spiritus noster intellectualis non est ipsum bonum quod appetit, cum bonũ illud non sit in ipso: si enim in ipso intellectu esset, esset intellectũ sicut scitum in scientia est scientia. Ignorat igitur intellectus quid sit bonum illud. Appetit ergo spiri

Appetitus Spiritus.

Bonum.

tus

tus intellectualis, in sua natura comprehendere bonum illud. Nam etsi nulli deesse possit quod est, cum esse sit bonum: tamen nisi intellectus intelligat ipsum, caret eo, & quiescere nequit. Et cum intellectus quid sit hoc bonum, quod esse nõ dubitat, ignoret: non habet etiam scientiam nominis eius, et conceptum de ipso facere nequit, quem non hæsitat omni conceptu maiorem & meliorem. Et quoniam nihil experimur in nostro intellectu comprehendi, quod per sensum in ipsum non intrat (cæcus enim à natiuitate scientiam coloris non habet) scimus bonum illud non esse de regione huius sensibilis mundi, quodq; spiritus noster in hoc mundo ad quietem non perueniet. Cum autem sciamus appetitum boni illius nos non habere frustra, etiam certi sumus spiritum nostrum intellectualẽ non esse de sensibili mũdo, sed quod exuta sensibili uita ipsius appetitus ad quietẽ pertingere poterit. Verum nisi ad hoc nostræ intellectuali naturæ iste mundus conferret, frustra intrassemus in ipsum. Oportet igitur quod fateamur, nos in hoc mundo habilitari uel dehabilitari posse, ad hoc quod in futuro seculo quietemur uel inquietemur. Via autem per quam in hoc mundo transire debemus, ut habilitemur ad apprehensionem desiderati boni, non debet esse nisi bona: & quæ seducit, mala erit. Hæc sic se habere, cuiq; habenti intellectum clarũ est. Sed cum multæ possint uiæ esse quæ bonæ uideãtur, manet hæsitatio, quæ sit illa uia uera & perfecta, quæ certitudinaliter nos ducit ad cognitionẽ boni, quod quidem bonum nominamus Deum: ut dum de ipso conferimus, nos mutuo intelligamus. Moyses quidem descripsit unam: sed non est ab omnibus recepta, nec intellecta. Christus illam illuminauit, & perfecit, multis tamen adhuc incredulis remanentibus. Machumet eandem uiam, ut ab omnibus etiam idololatris reciperetur, faciliorem describere nisus est, licet astu malignĩ seductus. Et hæc sunt magis famatæ descriptiones, dictæ uiæ: licet aliæ multæ sapientum & prophetarum factæ sint. Omnes autem descriptiones iam dictæ, in fundamẽto habent bonũ illud sæpe dictum, esse maximũ: et ideo unum, quod deum unum omnes appellant: suasq; descriptiones bonas dicunt, quia sint ipsis, aut putentur ab eodem bono Deo reuelatæ. Clarum est autem, quod cum nullus purus homo deum concipere possit, quod nõ habemus certitudinem, qualemcunq; purũ hominem nobis posse uiam ad sibi ignotum terminũ pandere. Vnde si nec Moyses, nec Machumet unquam dum in hoc mundo essent, sæpe dictum bonũ uiderunt (Deum enim nunquam uidit homo) quomodo

Via ad cognitionem boni uera quæ.

Moses.

Christus.

Machumet.

Deus unus et bonum unum



tunc alijs iter ad ipsum pandere potuerunt? Esto autem quod sermones aliquos eis immissos publicassent, qui figurabant seu significabant Deum, et uiam ad ipsum: tamen ipsi illos exponere non potuissent, neque alius homo. Et si aliquis homo hanc uiam manifestare potuisset, aut posset, illum utiq; maximũ omnium hominũ esse necesse fuisset, quemadmodũ Messiam esse omnes nationes fatentur. quod si ille homo non esset ipsa omnisciens diuina sapientia, per quam deus omnia operatur: utiq; quod sibi incognitũ esset, reuelare nequiret. Iesus autem uirginis Mariæ filius, Christus ille, per Moysen & prophetas prænunciatus uenturus, uenit, et uiam sæpe dictam, cum nihil ignoraret, manifestissime propalauit, attestante etiam Machumet. Certum est igitur, quod qui Christum et uiam eius sequitur, ad comprehensionem desiderati boni perueniet. Vnde si Machumet in aliquo, Christo dissentit: necesse est, ut hoc aut faciat ignorantia, quia Christum non sciuit, nec intellexit: aut peruersitate intentionis, quia non intendebat homines ducere ad illũ finem quietis, ad quem Christus uiã ostẽdit, sed sub colore illius finis, suũ ipsius gloriam quæsiuit. Vtrunque autem uerum credi oportere, comparatio legis Christi ad legem ipsius docebit. Tenendũ igitur credimus: ignorantiam, erroris et maleuolentiæ causam esse. Nemo enim cognoscens Christum, dissentit ab ipso, aut detrahit eidem. Intentio autem nostra est, præsupposito Euangelio Christi, librum Machumet cribrare, & ostendere illa in ipso etiam libro haberi, per quæ euangelium si attestatione indigeret, ualde cõfirmaretur. et quod ubi dissentit, hoc ex ignorantia, & consequenter ex peruersitate intentionis ipsi Machumet euenisse. Christo non suam gloriam, sed dei patris, & hominum salutem, sed gloriam propriam quærente.

Christus ueræ ad Deum uiæ doctor.

Machumetis scopus. Ignorantia erroris & maluolentiæ causa.

## ALIVS PROLOGVS.

Refert nobilis ille Arabs Christianus, de quo suprà memini, Sergium monachũ de monasterio suo eiectum, Mecham applicuisse, ibiq; duos populos repperisse, idololatras, & Iudæos, prædicasseq; ibidem fidem Christianam, prout Nestorius illam tenuit, ut fratres suos illius sectæ placaret ad gratiam: quia omnes idololatras conuertisset ad fidẽ. inter quos Machumet erat, qui conuersus de idololatria, mortuus est Christianus Nestorianus. Sed tres astutissimi Iudæi se Machumet coniunxerunt, ut ipsum auerterent, ne perfectus fieret, & illi suaserunt uaria mala. Post uerò mortem Machumet, omnibus ad suam sectam reuertentibus, illi Iudæi accesserunt Hali filium Habita

Ricoldus. Sergius monachus.

Hali successor Machumeti.

lix, cui Machumet suas collectiones dimisit: & persuaserunt ei, ut sicut Machumet, ita & ipse se in prophetam eleuaret, & apposuerunt, & deposuerunt de libro Machumet, quæ uoluerunt. Videtur igitur quod Machumet ab initio fundatus fuit per Sergium, ut esset Christianus & legem illam seruaret. Ab illa uia non potuerunt Iudæi ipsum amouere: sed ut quantum possent retraherent, addiderunt illa per quæ uideretur propriæ sectæ propheta, & ueteri testamento non minus quàm Euangelio fidem dare. Sergius autem obtinuit ab eo (ut refert suprà allegatus) quod ipse posuit in Alchoran Christianos maiores amicos, maxime religiosos & sacerdotes, quàm Iudæos. & quamuis hæc dicat, tamen postea à Iudæis inductus, Christianos deridet, qui suos prælatos & pōtifices Dei loco uenerantur. Hoc ideò, quia Christiani nominant illos nomine quo solus Deus nominatur, scilicet dominos. Nulli autem conuenit illud, nisi Deo. Sic enim in Exodo habetur: dominus, ipse est Deus. Facit etiam de decem nominibus Dei aliquando mentionem, inter quæ est Adonai, quod dominus interpretatur. & nomen ineffabile per Adonai significatur, legitur, & exprimitur. Ideò in Alchoran, nulli nisi deo tribuit hoc nomen, imò nec Christo, nec Mariæ uirgini. Et quia Christiani nominant Christum, Dominum Iesum, & Mariam dominam: dicit, quod loco Dei ipsi uenerentur. Et sicut cauet quod nunquam nisi Deo tribuat hoc nomen Dominus, ita cauet quod nunquam Deo tribuat nomen pater: quia dicit deū, prout uult omnia facere, ideò non conuenit ei actus generationis. Quando igitur ipse de Christianis bona dicit, intelligit de ueſtitis in albo: sic enim discipulos nominat. & de credulis Christo, uti Nestorianos putabat, quorum errorem ignorauit, nec alios Christianos cognouit. Nestorius autem omnia quæ sunt in Euangelio acceptauit: & quod in Christo esset corpus, anima, & diuinitas: circa modum autem unionis errauit. Fatebatur corpus & animam uniri unione naturali, ut esset uerus homo: sed hominem illum uniri diuinitati aiebat per gratiam. sed non per communem gratiam, quia boni deo uniuntur, sed per plenitudinem gratiæ, ob quā

Domini appellatio soli Deo conueniens.

Patris appellatio in Deo.

Nestoriani.

Nestorij error



una esset Dei & hominis Iesu uolūtas. propter quam excellentißimam gratiam de Christo uerificaretur, ipsum esse filium Dei. Sed non admisit Mariam esse matrem Dei: quia id quod in Christo reperitur à matre sua receptum, non conuenit Deo. sic uoluit naturam humanam in Christo esse deificatam. Et quia Euangelium dicit, quomodo uerbum Dei factum est caro, non quod caro sit facta uerbum Dei: ideò hunc sensum damnauit ecclesia in Concilijs uniuersalibus, tertio, & quarto, dans matri Iesu nomen quod est theotocos, id est Dei genitrix. Nestoriani autem generationem æternam confitentur. Quare uidetur Machumet contra sanctißimam trinitatem & generationem æternam nihil uoluisse scribere, solum pluralitatem deorum damnans, ut dicetur. Etiam si quis interrogasset Machumet, in qua forma misisset Deus ad homines legatum plus quàm angelum, certum est ipsum dixisse: si Deus angelum mitteret legatum ad homines, eum forma humana induceret. sic, & si plus quàm angelum mitteret, respōderet. Misit autem, secundum ipsum, Christū: quem dicit uerbum Dei, & filiū Mariæ. Quare cum uerbum Dei sit eiusdem naturæ cuius est Deus, cuius est uerbum (omnia enim Dei, Deus sunt, ob simplicißimam eius naturam) quando uoluit Deus summum legatum mittere, misit uerbum suum, quo non potest maior legatus concipi. Et quia ad homines misit, uoluit quod indueret humanam naturam mundißimam: quod ita fecit in uirgine Maria, ut sæpius legitur in Alchoran. Non igitur erit difficile, in Alchoran reperiri euangelij ueritatem: licet ipse Machumet remotißimus fuerit à uero euāgelij intellectu. Nec est prætermittendum, quo modo capitula collectionis dicti libri legis Arabum, non continuantur ad inuicem: sed quolibet de per se, integrum existit: & proprius est rhythmus, seu carmen plenè mensuratum. In hoc enim summum studium adhibuit compilator, ut blanditijs dictaminis cunctos alliceret, & in stuporem uerteret, sicq; dictata faceret diuina uideri. Hinc ignoscendum mihi, si non uidebor undique congruum ordinem tenere: quando confusißimi libri continentiam discutio.

Maria theotocos.

Christum dei uerbū esse cōfitetur etiam Machumet.

Euangelij ueritatem reperiri etiam in Alcoran.

Alcoran uersib. scriptum.

OPVS IN TRES LIBEROS DIVISI, ET
*cuiuslibet Capita Annotaui.*

## CAPITA LIBRI I.
*huius operis.*


De Alchoran: & quod Deus uerus non sit autor eius. Cap. 1.
Quid continet Alchoran, secundum eius laudatores. cap. 2.
Quid continet, secundum iudicium perfectorum. 3.
Quod Alchoran fide careat, ubi sacris scripturis contradicit. 4.
Quod euangelium sit Alchoran præferendum. 5.
Quod euangelium sit lux ueritatis Alchoran. 6.
Quod elegantia dictaminis non probat Alchoran Dei esse dictamen 7.
Quod Christum sequentes omnibus præferuntur. 8.
Quod Alchoran male dicat Christianos incredulos, quia Christum filium Dei dicunt. 9.
Quod clare ostenditur Christus dei filius. 10.
Cur Christus non se nominauit deum, sed Dei filium. 11.
Laudes Christi ex Alchoran, & ostensio diuinitatis eius. 12.
Facilis ostensio, Christum qui est uerbum Dei patris, esse eius filium. 13.
Obiectio ex Alchorã, & eius solutio. 14.
Quod Iesus, quia Messias, est Dei uerus filius. 15.
Quod Christus quia uerbũ & legatus summus Dei, est Dei filius. 16.
Quæ testimonia Alchoran continent, Christum Dei filium esse. 17.
Quomodo in Alchorã intelligi debet, Christum esse spiritum & animam Dei. 18.
Quomodo in Alchorã intelligi debet, Christum esse uirum bonum & optimũ, & faciem omnium gentium. 19.
Digressio ad manuductionẽ diuinorũ. 20.


## CAPITA LIBRI II.


De theologia mystica, secũdum quã Deus est ineffabilis. 1.
De theologia affirmatiua, secũdum quam Deus est creator trinus & unus. 2.
Quomodo ex operatione intellectualis naturæ, uidemus diuinam. 3.
Quomodo de fœcũditate intellectualis ad fœcũditatẽ diuinæ naturæ eleuamur. 4.
Manuductio ex ijs quæ in mundo sunt, ut uideatur Deus trinus. 5.
Manuductio de intellectuali trinitate, ad diuinam. 6.
Manuductio eiusdem per amorem. 7.
Declaratio sanctæ trinitatis. 8.
Aenigma licet remotum, benedictæ trinitatis. 9.
Iterum ex tribus personis manuductio. 10.
Quod necesse est Arabes fateri trinitatẽ. 11.
Christum ueraciter fuisse mortuum & crucifixum. 12.
Quod crucifixio sit Christi exaltatio & glorificatio. 13.
Quomodo Deus animam Christi ad se reduxit, ipsum transfigurari fecit, & assumpsit. 14.
De resurrectione Iesu Christi. 15.
Mysterium natiuitatis & mortis Christi 16.
De fructu mortis Christi. 17.
De paradiso. 18.
Inuectio contra Alchoran. 19.


## CAPITA LIBRI III.


Quod Alchorã, fide unius Dei salua omnibus blãditur, Christũ tamẽ præfert. cap. 1.
Quod Machumet ignorauit quid agendũ & sentiendum, & nihil firmi reliquit. 2.
Cur dicuntur saluati credentes Alchorã, & quod gladius est magister. 3.
Quod deus Alchoran uideatur deus absolutus. & deus alius quo de loquitur, rebus sit immensus. 4.
Quod Deus Alchoran uideatur minor omnibus rebus, & seruus Machumet, atque eius conceptus. 5.
Quod Machumet temerè contra dei præcepta Christũ in christianis persequitur. 6.
Quod Machumet credat Dei præscientiam necessitate ad omnia quæ aguntur. 7.
Quod finis operis Machumet, fuit sui exaltatio. 8.
Quod Machumet nũc scribat Christũ deũ & hominem, nũc hominẽ tantũ, sic nũc singularem Deum, nunc pluralem. 9.
Quod Machumet continue uariat, ut in exemplis. 10.
Cõtra id quod lex alchorã sit lex Abrahæ. 11.
Quod Alchorã male dicat Abraham fuisse idololatram, & uera historia ponitur. 12.
De promissione facta Abrahæ fideli. 13.
Quod pactũ Dei & Abrahæ excludit Ismaelitas: in Christo mediatore concluditur. 14.
Quod nõ nisi Christianus trinitatẽ in unitate adorãs, Abrahæ filius esse possit. 15.
Quod Arabes legem Abrahæ penitus ignorent, & eius sint persecutores. 16.
Persuasio quod Solthanus mandet Mariã uirginem theotocon credi, & lumen euãgelij amplecti. 17.
Ad califfam de baldach quod Iudæi de Abraham appoſuerunt in Alchoran. 18.
Ostẽsio sine Christo nõ posse felicitari. 19.
Ostensio Christum meruisse Christianis immortalitatem. 20.
Declaratio similitudinis Adæ & Christi. 21.

## DE ALCHORAN, ET quod Deus uerus non sit autor eius. Cap. I.

Alchoram, Alfurkan.



EST liber legis Arabum Alchoran, ob præceptorũ collectionem, atq; Alfurkam, ob discretam capitum separationem, nominatus. Habet et alia nomina. Dicunt quidam obseruatores libri, illum aliter in Oriente, & aliter in Hesperijs partibus distingui. Occidẽtales enim, post orationẽ quæ præmittitur, & mater libri nominatur, aiunt totum librum azoras, seu capita habere 123. Orientales uerò primam azoram, aiunt durare usque Soret amram, quod est quintum Cap. in libro Hispaniarum. Hic liber ut in Hispania legitur in Latinum uersus, per nos usus est. & ubi de hoc libro legis quicquam allegamus, illud in Latino illo haberi, dicere intendimus. Huius autem uidetur apocryphus. Aiunt enim quidam Arabes, ipsum Machumet quendam de Arabia de genere Ismael composuisse. Alij uerò dicunt, Machumet dixisse hunc librum in septem uiris à deo descendisse, quos nominant. Alij dicunt, mortuo Machumet quatuor differentes & discordantes Alchoranos per quatuor quos nominant, sibi aduersantes, compositos. Dicunt etiam quidam, hunc qui in usu est, Merbam filium Elbeken composuisse, & alios igni tradidisse. Fertur etiam Elgag, uirum potentem 85. sententias detraxisse de libro, & totidem alias addidisse. Legimus in chronica Machumet, & regum suorum successorum quomodo Gomar secundus rex post Machumet, ordinauit orationes fieri in singulis templis, in mense Remadam, & Alchoran, completo mense, perlegi. Cui succesßit Odiner, qui auxilio aliorum, integritatem Alchoran primo collegit. Ex quibus certum est, licet Machumet aliqua præcepta ex testamento & euangelio collegerit, quæ præcepta Dei seu Alchoran dicebantur: tamen liber iste in sua integritate post eius obitum collectus est. Liber uerò ipse in primo cap. sic dicit: Omnis aduersarius, Gabrielis hunc librum tuo cordi per creatorem intimantis, ipsumq; diuino præcepto tuis commissum manibus, &c. Hæc ut dei uerba ad Machumet leguntur, & sæpißime in libro eadem sentẽtia repetitur, quæ uult solum Deum creatorem autorem libri esse. Sed ut sapientiores Arabes & uerè historiæ habent, & liber ipse atque nomen Alchoran ostendit, tunc est collectio quorundam præceptorum. & quæ quidem collectio, nullo modo deo uero attribui potest. Vnde ipse colligeret, qui est ipsa sapientia? Oportet igitur quod collectio quæ non potest nisi in tempore fieri, nequaquam deo ascribatur: cuius operatio est supra omne tempus sine succeßione. Cui igitur debet ascribi collectio, nisi homini: qui de diuersis scripturis collectionem facit, et collecta ut uult appellat, quemadmodum hæc collectio Alchoran dicitur? Ideo quidam sapientes libri defensores, aiunt collectionem esse humanam: intimationem uerò Dei, per Gabrielem esse. Verum est, collectionem hominis esse, sed quod Deus creator uniuersi, per Gabrielem ipsum librum intimauerit cordi Machumet, non potest esse uerum: cum illa in libro contineantur, quæ ob suam turpitudinem, iniusticiam, & notam mendacij, & contradictionis, Deo sine blasphemia ascribi nequeant. Alius igitur erit autor eius, quàm Deus uerus: nec potest esse, nisi deus huius seculi. Hic enim est, qui excæcat mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ CHRISTI, qui est imago Dei inuisibilis. quibus cum Euangelium sit opertum, ipsi pereunt, ut Apostolus Corinthijs scribit. Hic falsus deus, seu princeps huius mũdi, qui à principio est mendax, per aliquem suorum angeloaum, qui speciem lucis, & nomen forte Gabrielis assumpsit, intuentes Machumet hominem idololatram, Venerem colentem, & omnia quæ huius mundi sunt concupiscentem, ad hoc aptißimum: per ipsum principaliter, & eius successores, mendosam Alchoran collegit, cui hæreticos Christianos et peruersos Iudæos aptos ad hoc consiliarios adiunxit. uti sunt Sergius Nestorianus, & Iacobita Baheira: & Iudæi, Finees & Abdia, nominę Salon, postea dictus Abdalla: ut ueræ historiæ de hoc apud Arabes reperiuntur. Et licet multa testimonia uideatur continere de laude ueteris testamenti, & Euangelij, & prophetarum Abrahæ, Moysi, et maxime IESV CHRISTI filij Mariæ uirginis: tamen cum illis omnibus quo ad uerum & salutarem finem contradicat (ut infrà patebit) potius ad decipiendum hæ laudes positæ creduntur.

Mater libri, Azora.

Alchorani autores.

Gomar.

Odiner.

Autorem Alcorani non esse deum.

Collectio.

Christus imago Dei,

Machumet idololatra, & Veneris cultor.

Sergius. Batheira. Finees. Abdia Salon Abdalla.

## QVID CONTINET ALchoran, secundum eius laudatores. Cap. II.

DIcunt autem sequaces Machumet, bona intentione Alchoran scriptũ, & continere Machumet orphanum, erroneum seu idololatram, atque pauperem, legis & scripturæ penitus ignarum, solum natiuam Arabum linguam scientem, multas uxores habentem,

Machumet [illegible] prædi[illegible] a secta-toribus ipsius

à Deo misericordiam consecutum, diuitem, & magni cordis subtilium capacis, & altinominis factum. Quem ipse Deus doctorem rudis gentis Arabicæ & idololatræ constituit, legatumq; suum ad ipsas creauit, & eis prophetam præposuit, absque tamen manifesta miraculorum potestate, ut gentem illam sibi commissam ab errore in uitam reduceret. Et reuelauit ei Deus, ut fidem Abrahæ uiri iustißimi (qui à deorum cultura recedens, unum solum Deum uniuersorũ creatorem adorauit) acceptaret, & ab Arabibus acceptandam suaderet, absque tamen uiolenta coactione, prædicaretq; illum solum & unicum omnium creatorem, & non alium esse imperatorem & regem uniuersi, omnium bonorum datorem, omnipotentem, uitæ & mortis dispensatorem, sapientem, incorporalem, incomprehensibilem, et interminalem seu infinitum, pium, & misericordem, ueniæq; datorem omnibus fidelibus ipsum adorantibus et inuocantibus. qui in die illa tremendi iudicij, quæ erit omnium terminus, resuscitabit mortuos ea facilitate qua ipsos creauit. & iudicabit inter bonos & malos, dans fidelibus & credulis secundum merita sua perpetuam paradisi omnium uoluptatum & desideriorum mansionem, & uitam optimam: Incredulis uerò & malis, iuxta demerita cuique, gehennam & perpetuam pœnam. Librum uero Alchoranum à Deo descendisse dicunt, cuius libri mater & uerißimum fundamentum, fides præmissa unius Dei, & reditus omnium ad ipsius terribile iudicium affirmant. Alia autem quæ in ipso libro continentur, quædam aiunt probationes illius fidei, quædam uerò leges Arabum, quas secundum librum illum creduli Arabes seruare tenentur. si Deo quem colunt obedire, & in eius gratia persistere uolunt, & iuxta merita felicem assequi in in paradiso remunerationem. Vnde omnes hanc fidem tenente, Musilmannos, scilicet sanæ fidei appellant: siue sint homines, siue angeli, aut dæmones. Hanc igitur fidem dicunt de neceßitate salutis, omnes qui ignem æternum uitare uolunt, tenere oportere. in quam omnes, ut aiunt, præteriti prophetæ consentiunt. Ideo liber ille, nulli prophetarum contradicit, sed approbat eos, et confirmat libros à Deo ipsis traditos: scilicet testamentum Moysi, psalterium Dauid, & Euangelium traditum IESV CHRISTO filio Mariæ uirginis, concludens, omnes prædicta credentes, & legem in libris legis suæ scriptam obseruantes, liberari à gehenna. Dicunt, quomodo omnibus gentibus Deus natiuos nuncios miserit, & eas

Alcorani summa.

Mussilmanni

Deũm omnibus gentibus natiuos nuncios mittere.



commonuit quid credere & quid agere ipsas oportet, ut in die iudicij inter bonos connumerentur, & paradisum plenum gaudij assequantur: ne causam habeant tunc se excusandi, non recepisse doctorem & commonitorem: quodq; illis Dei nuncijs credere debebant, & diuinis per eos promulgatis præceptis obedire, in quo decipi non poterant. Quomodo enim Dei uerbis parendo, in Deo confidens, qui est ueracißimus, quisquam in die illa se posset reperiri deceptum? Quare concludunt, quod si uarietas legum uel rituum in identitate fidei in uarijs gentibus per Dei nuncios præcepta reperiatur, hoc quidem obedienti, nequaquam quo minus apud piißimum atq; iustißimum iudicem condignum præmium assequatur, obesse poterit. Enumerat autem prophetas & Dei nuncios, quibus credendum erat, Abraham, Ismaelem, Isaac, Iacob, Moysen, CHRISTVM, & alios plures. Hæc est summa continentiæ Alchoran secundum libri illius laudatores.

Nuncij Dei, quibus credẽdum.

## QVID CONTINET ALchoran, secundum iudicium perfectorum.

### Cap. III.

SEd qui tam inter Arabes quàm Christianos perfectionem dono Dei assecuti sunt, aduertunt, quoniam sub prætextu huius eradicationis idololatriæ, asserit Christum nec Dei filium, nec crucifixum, & quod hæc adiectio uidetur totius libri intentio: scilicet quod CHRISTVM seu Meßiam nec Dei filium, nec crucifixum persuadeat. quoniam CHRISTVM filium Dei esse, & in cruce mortuum, est fides illa quæ uincit diabolum & mundum, & sola est uera & perfecta, & nulla fides præter illam resistere potest diabolo, & dare uictoriam & immortalem uitam fideli, in regno cœlorum intellectuali & incorruptibili. Ideo hoc medio sathan, de mundo ipsam euangelicam fidem omnino eliminare conatur: quemadmodum uidemus multa Christianorum regna iam à fide uera CHRISTI receßisse, & Arabum legem acceptasse. Scimus autem tam ex Euangelio, quàm Alchoran, Mahumet non posse præualere, sed CHRISTVS demum uincet, ut infrà patebit. Multi etiam Christiani sub principibus sectæ Arabum CHRISTO deuotius seruiunt, et infiniti Christiani renegati, et Arabes, et eiusdem legis cum ipsis, timore gladij fingentes se illius sectæ, in hora mortis profitentur se Christianos, sic finaliter omnes facient.

Impia Alchorani dogmata

Christus tandem uictor.

Quod

# QVOD ALCHORAN fide careat, ubi sacris scripturis contradicit.

## Cap. IIII.

Machumet literarum prorsus ignarus.

DIcit autem quidam sapiens, attendendum, quomodo necesse fuit, Machumet (qui nullam præter Arabicam linguam sciuit, nec legendi artem, nec scribendi habuit, etiam si eloquentia Arabica, rythmica & poetica præ cæteris pollebat, quia præ cunctis Arabicis libris Alchoran laudatur:) habuisse Iudæos & Christianos, qui illi in Arabica lingua ea quæ in ueteri testamento, psalterio, atque euangelio continentur, referrent. Nam in illis sacris literis per Alchoran approbatis & confirmatis, tanquam lucidis & perfectis doctrinis, eum peritum esse oportebat, cum sint Alchoran substantia, & præsuppositum, & nominantur supra aliqui ex illis, qui ei adhæserunt. Sed cum illi hoc obijceretur, quod sic instrueretur, cecidit in faciem suam, & contractæ sunt manus eius & pedes, & socij cooperuerunt ipsum uestibus suis. qui ad se rediens dixit: Deus misit corripere uos de sermone quem dixistis, quod tales me docerent, & legit unam sententiam ex Azora eluael, quod interpretatur palma, quæ sic habet: Scimus quod ipsi dicent, quod instruet eum homo lingua eorum qua loquuntur, Persica. Hæc autem Arabica patens est. Ex hoc dixit, Quo modo potest dici quod illi me instruerent, quorum unus Persicus, & alter Hebræus est. qui dixerunt ei: Potest esse quod lingua sua loquantur tibi, & exponant, & tu lingua tua omnia rectifices. nec inuenit responsionem. Ecce ipsum Machumet à diuersis instructum.

Quando Machumet floruerit.

Et quia eo tempore, quando Machumet post CHRISTVM annis 624. tempore Heraclij Imperatoris incœpit, multæ hæreses circa Euangelij & ueteris testamenti intellectum dudum exortæ fuerunt, & synodaliter reprobatæ: est uerisimile ad ipsum plures confluxisse, qui puritatem intelligentiæ dictarum scripturarum permixtam cum nouitatibus opinionum minus uerarum habebant, & scripturas Veteris testamenti cum Talmuthicis narrationibus, & Euangelij claritatem cum Apocryphis libris permiscebant, & prout ipsum uisum fuit ipsi Machumet recitabant.

Historiæ Alchorani curta ueteris & noui testamenti historijs dissideant.

Fertur etiam, suprà nominatos Iudæos se Machumet coniunxisse, ut impedirent ne perfectus fieret Christianus. Ex quo & poetico scribendi modo euenisse aiunt, raro concordare historias in Alchoran descriptas, cum ipsis in Veteri testamento & Euangelio positis. Sed



contra hæc (ut aiunt) nititur Machumet respondere, se non nisi à Deo informatum: uolens q; excusationem adducere, dicit 25. cap. Cum sit hæc (scilicet in Alchoran) alicuius uerbi pro uerbo mutatio, deo compositionem suam sciente: dicunt increduli, tu quidem non es nisi mendax, cum adeò uerba tua uaries. sed huius rei plures sunt inscij. Ipse namque deus & spiritus benedictus, hunc librum ueracissimum composuerunt. Sed hæc excusatio conficta & mendax, non sufficit: quin libri compositor uarius reperiatur, quod de uero & in commutabili Deo asserere blasphemia est. Neque dicimus uariationem, si sit uerborum aliqua mutatio, stante identitate sententiæ, sed ubi sententia Alchoran non est eadē cum Euangelio, aut ueteri testamento, tunc enim nequaquam excusabilis est Alchoran, quin concedi oporteat, deum illa non tradidisse, cum nō concordent cum prioribus diuinis, & per Alchoranum approbatis libris. Puta, ait in Alchorano, uirginem Mariam matrem IESV, sororem Aaron, et filiam Amram: certissimum est, illum qui hæc Machumet narrauit, errasse, & ueram euangelij historiam ignorasse. cum Maria filia Amram, soror Moysi & Aaron, mortua fuerit annis plus mille, & in deserto sepulta, ante uirginem Mariam matrem Iesu Christi gloriosam, quæ, ut in eodem legitur Alchorano, fuit tempore Zachariæ patris Ioannis baptistæ. Et cum hæc nō semel, sed pluries Alchoran dicat, hoc unicum exemplum sufficit errorem reperiri in libro, et ideo Dei compositionem non esse. Adhuc dicit Capite septuagesimoquinto de Maria in fine: Maria se dirigendo, nil malitiæ seu prauitatis operata est. unde animam inflauimus illi, nostra uerba librumq; confirmanti, & in bonitate perseueranti. Certum est Mariam ante Alchoran penè sexcentis annis mortuam: Quomodo tunc cōfirmauit librum Alchoran, de quo tamen Arabes ipsum loqui intelligunt? Sic erat in Capite trigesimoquinto, in recitatione illa, quando Moyses uenit ad Pharaonem: ubi Pharao dicit, se Moysen in sua domo nutriuisse. Nam ille Pharao, qui Moysen nutriuerat, diu mortuus fuit ante reditum Moysi ad Ægyptum: Exodi capite quarto. Fuit enim quadraginta annis Moyses in Madian, quo tempore obierat. Talia plura reperiuntur dissona à ueritate sacræ scripturæ, à Deo, ante Machumet traditæ, & Alchoran præferendæ. Nec Alchoran hoc negat. Sic enim capite decimonono dicit: Si de mandatis tibi missis quicquam dubitas, antecessorum tuorum Libros legendo, ueritatem

Variatio in quibus intelligatur.

Maria soror Mosis.

Pharao.

tibi

tibi missam agnoſces, ne ſis ambiguus nunc, nunc negans, nunc affirmãs. Ecce iubet in dubijs recurri ad libros priores, qui etiam admittit, quod ueriores ſeu meliores libri oſtendantur, & illis ſtetur. Sic enim Capite trigeſimo dicit: Recentes te magum affirmantes, tu dic, Librum iſto meliorem, ueſtrum dictum affirmantem afferte, eumq; beniuole ſequar. Ecce quomodo nunc uult affirmare Alchorã euangelio præferendum. Non ſunt igitur ea quæ in Alchoran cõtinentur, ut Dei uerba acceptanda, quando prioribus à Deo traditis, & per Alchoran admißis libris, aduerſantur.

In dubijs recurrendũ ad libros meliores.

## QVOD EVANGELIVM ſit Alchoran præferendum.

### Cap. V.

DEſcendentes itaq; ad magis particularia, ut deueniamus ad id quod intendimus, ſcilicet euangelium Alchoran præferendum, dicimus eum qui Alchoran in Hiſpania in Latinum uertit, referre in principio Capite quinto, ſeu Soretamram, ſic haberi: Deus pius & miſericors, uiuus & altißimus, præter quem non eſt alius, qui prius uetus teſtamentum, deinceps euangelium rectas uias hominibus tradidit: poſtremo librum ueracem, uidelicet Alfurcan, ueſtræ legis confirmatorem, deſuper uobis tribuit. Iſteq; continet uerba quædam firmißima & infringibilia, quæ ſunt libri mater & materia: quædam uerò alia, & reliqua. Ecce quomodo uetus teſtamentum & euangelium rectas uias dicit continere, & confirmat ipſa: Alfurcan uerò dicit ueracem, & continere quædam firmißima, quæ ſunt mater & materia libri, & quæ illa ſint ſupra dictum eſt, & continentur in oratione in principio libri quod principium mater libri nominatur, ſcilicet quod ſit unus Deus creator adorandus ac timendus, & terribilis iudex in die ultimi iudicij, quando eſt reſurrectio. alia non habent illam firmitatem infringibilem. Quare ubi diſcordant, cum ueteri teſtamento uel euangelio, potius ſtandum illis. Ad idem attente aduertendum, quomodo in Alchoran legitur, Deum Iudæis dixiſſe, Cap. 12. Chriſtum Mariæ filium, cui commiſimus euangelium, quod eſt lumen & confirmatio teſtamenti ac caſtigamẽ, & recta uia timentibus Deũ, ad ueſtræ legis complementum miſimus. Alibi ſæpe nominat Euangelium lucidum, & aliquando ſplendidißimũ. Cum ergo hoc ita ſit, quod euangelium in ſe omnia neceſſaria ad ſalutem contineat, & ſuppleat ad legem ueteris teſtamenti quæ ſupplenda reſtabant: nihil igitur in Alchoran reperitur, quod ſit neceſſariũ ad ſalutem, ultra id quod in euangelio continetur: & non eſt aliquid necißitatis in ipſo Alchoran, quod non ſit euangelio conforme. Ait etiam quidam deuotus, & Arabicæ linguæ peritus, qui in Baldach ſtudio Alchoran operam dedit: in cap. Elmeide ſic haberi. Limitauimus ueſtigia hominum per Ieſum filium Mariæ ueracißimum patenter, & dedimus ei euangelium, in quo eſt directio & lux & ueritas manifeſta. Ex his patet Alchoran Arabas ad euangelium remittere, tanquam ad lumen & rectam uiam Deum timentium. Dicit enim in Alchoran: Sciendũ quidem, uiros legum nullius legis fidei ue perfectionem aſſequi, niſi teſtamenti & euangelij, ac huius libri à Deo poſiti præceptis pareant. Nec hoc poteſt de illis Chriſtianis intelligi, qui lucidißimum librum euangelij ſequuntur, cum ipſe in pleriſque atteſtetur, illos Chriſti diſcipulos in albis ueſtitos, perfectißimos eſſe. Oportet igitur ut de Iudæis & Arabibus, qui ſunt uiri legum, intelligatur. Mandatur etiam ſeptuageſimo capite Alchoran, quod omnes boni Deo ſeruant, ut Chriſtus Ieſus Mariæ filius perſuaſit. Si igitur ad hoc boni Chriſtiani nituntur, ut faciant quemadmodum ibidem Alchoran continet, certißimum eſt, ipſos ab illis qui Alchoran credunt, irreprehenſibiles eſſe.

Mater libri.

Alchorani teſtimonium de Euangelij auctoritate.

Viri legum.

## QVOD EVANGELIVM ſit lux ueritatis Alchoran.

### Cap. VI.

ALchoran dici nõ poteſt ſufficere, et uia recta eſſe, niſi includatur in ipſo euangeliũ, & ſolum illud cõſtat, lucem ueritatis & recte uiæ in Alchoran dici debere, quod euangelio cõſonat. Nec de euangelio hæſitabat autor Alchoran. Allegat enim paſſus & continentias euangelij, de eo quod Chriſto parabolas exponenti, aliqui abierunt retro, de grano frumenti, de cæco nato, & aliis. Illud Enim euangelium de quo locutus eſt, & allegabatur per ipſum in partibus Arabiæ, & undique reperitur, etiam fortaßis hodie & prius ſcriptum in aliquo antiquo uolumine quàm Alchoran conficeretur, & cum ab initio fidei Chriſtianæ per tot centenos annos ante Machumet euangelium mundo publicatum & hucuſque inuariatum maneat, de quo nec Machumet tunc legitur dubitaſſe: mirandum eſt, quur Arabes pro intellectu Alchoran generaliter non addiderint ſtudio & lectioni Euangelium. ſicut multi ſapientes eorum, ſecrete Euangelium ſumma deuotione amplectuntur, cum ſine eius ſcientia nihil perfecte ex Alchoran trahere poßint. Sed ut quidam peritus ait, alia cauſa non eſt, niſi quia ſapientes eorũ ſciunt

Euangelij loca aliquot recitata in Alchorano.

Arabes quoſdam Euangelium religioſe amplectũ

sciunt, quod falsitas Alchoran de facili deprehenderetur, si ad legendũ sacros et ueraces dictos libros admitterẽtur. Vnde et si quis recte cõsiderat, illi nationi Arabũ non fuit legatus necessarius ad aliam, quàm ad Euangelij fidem et legem docendam. Post enim Christum, omnium prophetarum etiam secundũ Alchoran altissimum, & librum euangelij omnium librorum perfectissimum, nihil melius restabit à deo expectandum. Hinc si quid pulchri, ueri, & clari in Alchorã reperitur, necesse est quod sit radius lucidissimi euangelij, & hoc uerum uidet, qui euangelio lecto ad Alchorã se transfert. Vnde contemptus huius mundi, et prælatio futuri seculi, persuasio iustitiæ & operum misericordiæ, & diuini proximi amoris: unde uenditio omniũ suorũ, etiam animæ ipsi Deo, maximi lucri cõuincũtur? Vnde habetur quod mori pro deo sit uiuere æternaliter, unde uirtutum dilectio, usurarum, homicidiorum, periuriorum, fornicationum, atq; adulteriorum, alienorumq; cõcupiscentiæ prohibitio, in Alchoran suæ claritatis splendorem receperunt, nisi ex euangelica perfectione & conuenientia? Cur alia multa, quæ circa uoluptatem sensibilem & immundiciam carnis promittuntur in Alchoran, tenebrosa & tetra uiliaq; ab omnibus sapientibus etiam Arabibus reputantur, nisi quia ab euangelicis promissis discordant, ut infrà latius dicetur? Lucet igitur euangelij splendor in Alchoran, illis scilicet qui spiritu Christi ducuntur, etiam præter intentionem autoris: sed non ipsi lubrico Machumet, & illis antichristis, qui hoc seculum futuro præferunt, & nihil bonum iudicant, nisi huic mundo & eorum concupiscentijs conformetur. Illi putant Deum autorem Alchoran, suã corrupta desideria confirmare: non aduertentes, nihil ueri esse, quod euangelio cõtradicit.

Euangelij radius quicquid est ueri in Alchoran.

Quibus luce at euangelij splendor in Alchoran.

## QVOD ELEGANTIA DIctaminis non probat, Alchoran Dei esse dictamen. Cap. VII.

NEc debet quenquam mouere id quod dicit alibi, librum Alchoran non potuisse, nec ab omnibus hominibus, nec dæmonibus componi, ob ipsius admirabilis dictaminis elegantiam, ac quod ideò diuinus censeri debet. Esto enim quod hoc donum Machumet habuerit, quod censetur per alios Arabes singulare, diuinum, & inacceßibile: & hoc arguat ob pulcherrimum dictamen, dulcedinem, & blandiciem sermonis stupendam, & cunctis mirabilem, librum dei donum esse: non tamen propterea est affirmandũ, omnia quæ in ipso conscripta sunt, Dei uerba esse, qui uerax est, & stabilis, & sibi nequaquam contrarius. Vnde



cum multa in Alchoran de ijs quæ in testamento et euangelio habẽtur, adeò uarientur, quod simul cum prædictis uera esse non possint, utique deo ignorantiam & inconstantiam atque mendaciũ ascribi oporteret, quod tamen etiã in Alchoran pro maximo peccato habetur. Quod autem dulcis sermonum compositio nõ concludat dictata uera, patet ex tertio cap. Alchoran, ubi sic dicitur: Plures eloquij mellè flui, quorum uox cordi non consonat, deum sui cordis testem inuocant, cum ipsi tamen perniciem, gentiq; flagitiũ, fructibusq; pestem inducere nitantur. hi tales gehennæ puteo, pœnis undiq; uexati sepelientur. Sed si, ut sequaces Alchorã aiunt, admitteremus, libro Alchoran finem & intentionem esse, non solum non detrahere, nec Deo creatori, nec Christo, nec prophetis ac legatis dei, nec libris diuinis testamenti, psalterij, & euãgelij: sed gloriam dare deo creatori, laudem & testimonium Christo Mariæ uirginis filio super omnes prophetas perhiberi, testamentum & euangeliũ confirmare & approbare (cuius contrarium omnes sapientes & zelosi credunt, ut suprà patuit) utiq; tunc cum hoc intellectu Alchoran legens, licet uaria occurrant quæ offendant legentem, quasi ille liber ob suam contrarietatem, quam tam in se habet quàm cum euangelio & testamento, non posit dei esse, ac quod Machumet uir muliebris, lubricus, totus huius mundi & sensibilium amator, de peruersa idololatria & ignorantia ad legationẽ dei & propheticum spiritum sine potestate miraculorum à deo assumptus non debeat credi, nec ipsius simplici relationi stari, qui inconstans & uarius reperitur, & Dei arcana se ignorare confitetur, & multa fortia argumenta quæ in Alchoran contra Machumet in uarijs obijciuntur, et non soluuntur: tamen quando hæc omnia sic considerantur quod prædictæ intentioni seruiãt, tunc aliquis elici potest fructus. Puta, cum quis legit uitam Machumet quæ in Alchoran scribitur, statim intelligat, ideò illam deo permittente insertã, ut sciatur ipsum non esse, nec Christo, nec Moysi, nec alijs prophetis comparandum, & multo minus præferendum. Quando enim comparatur uita & scientia aliorum prophetarum ad uitam & scientiam ipsius, statim uidetur nullum debere potius sequi Machumet, quàm Christum, quod etiam Alchoran manifeste confitetur.

Non qnia eleganti oratione aliquid cõpositum, ideo uerum.

Lectionis Alchorani fructus.

## QVOD CHRISTVM SEquentes, omnibus præferuntur. Cap. VIII.

ADmittit Alchoran Christũ sequentes præferri omnibus, cũ Christus sit omnibus sanctißimis

ctißimis prophetis supraposítus. Ait enim sic fictus Deus in Alchoran, Cap. 4. Omniũ prophetarum alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, uim atq; uirtutem præ cæteris præbuimus. Ecce, ait, præ cæteris præbuimus. Si igitur prophetas nobis à Deo missos audire & sequi tenemur, præ cæteris utique Christum sequi tenemur. Hoc clarißime Alchoran ex intentione intendit, Christo scilicet potius adhærendum. Dicit enim alibi Alchoran, Christum dixisse: Timentes Deum, me sequamini. Deus enim meus ueſterq; dominus est, quem adorantes, recto proceditis tramite. Et subiungit: Quomodo uiri albis ueſtibus induti ipsum secuti, alijs omnibus per Deum supra positi sunt. Et alibi scribitur, ut suprà allegauimus: Euangelium esse lumen & confirmationẽ testamenti, & castigamen, & rectam uiam deũ timentibus, & legis complementum. Ecce Christum & eius euangelium sequi, est sequi lumen, & ire per rectam uiam deum timentium. Et iterum alibi: Iam diuina ueritas nobis data, rectam uiam proficiscentibus ostendit. cuius obseruatio, salutem obseruantibus generat, error quidem detrimentum. Ecce diuina ueritas utique per Christum in Euangelio est patefacta. Alibi de eodem sic ait: Tandem Christo Mariæ filio misso, cuius sequaces ipsi penitus obedientes corda constantia, & humilia atque fidelia gesserunt, nos Euangelium dedimus, non ob aliud nisi ut per ipsum Dei dilectionem atque gratiam assequerentur. sed non, ut dignum erat, obseruauerunt, & licet plures eorum sint increduli, eorum tamen credentibus meritum debitum & maximum tribuimus. Iterum alibi: Omnes boni Deo seruiant, ut Christus Iesus Mariæ filius persuasit, interrogans uiros albis indutos ueſtibus, quis mihi subueniat ex parte dei me sequendo? responderunt illi: Nos. Quidam autem filiorum Israel crediderunt, quos cæteris incredulis manentibus, longè super illos extollimus. Iam satis ostendimus ex Alchoran, Christum potius quàm Machumet, & euangelium potius quàm Alchoran sequi oportere. Nunc descendentes inquiramus, an omnia quæ in Alchoran scribuntur, tendant ad gloriam dei? Omnes enim homines creatos esse ad glorificandum Deum, Alchoran attestatur. Videtur autẽ qui plures deos ponit, uelle Deo suam claritatem & gloriam obfuscare. Ideò ponere Deo socios, participes, filios, alios deos, est gloriæ magni Dei detrahere, & confundere atque diuidere uniuersum, et cuncta in schismate & in confusione & malo ponere, ut Alchoran declarat, secundum intellectum quem Arabes libro attribuunt.

Christus prophetis omnibus præfert Alcorani quoque testimonio

Euangelium.

Omnes homines ad glorificandum Deũ creati.



## QVOD ALCHORAN male dicat Christianos incredulos. Cap. IX.

CVm tu auctor libri Alchoran, solum deorum pluralitatem damnes, cur Christianos, qui Christum filium Dei credunt, incredulos dicis? Nonne postquam Alchoran pluries negauit deum filium sumpsisse, se in xxxij. cap. sic resoluit dicens: Deus nequaquam filiũ seu participem sumpsit alium deum. tunc enim quisque cum suis facturis ueniens, in alium insurgeret. Dicit alium deum: in quo declarat, Christianos non esse incredulos, si dicunt Christum dei filium non esse alium Deum. Inquantum enim gloriæ dei non detrahit societas, participatio & filiatio: Alchoran secundum uos non intendit illa de Deo tollere, cui nihil perfectionis deesse potest. Sed inquantum illa dicunt alium deum, & illi uel illis gloriam illam soli creatori debitam tribuunt: tunc detrahunt à Deo creatore suam gloriam, et alteri diuidunt, nec manet deus creator, deus quando non habet omnem gloriam, & maior in gloria esse posset. Ideo nulla ratione hoc dici potest. implicat enim cõtradictionem, plures esse deos: quãdo sequitur nullum esse Deum, cum quisque careat summa gloria, quæ soli Deo conuenit. Alchoran huic sententiæ secundum uos consentit, & ait omnes prophetas in hoc concordare: nec in hoc Christiani & Iudæi contradicunt. Et Alchoran dicit, Machumet missum ad Arabes idololatras, ut eo ad cultum unius Dei creatoris ducat. Si igitur Machumet est ad hunc finem tantũ missus ad idololatras suæ nationis, cur Christiani persecutionem patiuntur, qui nec sunt Arabes, nec plures deos colunt? Patet satis Alchoran, secundum etiam intellectum quem ipsi Arabes tribuunt, non negare quin Deus habeat filium seu filios, dummodo non sit alius Deus, aut alij dij. Christiani enim & Iudæi non sunt reprehensibiles in eo, quod in oratione ad Deum creatorem & originem omnium, nominent ipsum patrem: & quemadmodum hoc tam in ueteri testamento quàm in Euangelio legitur, liber Alchoran non intendit negare, nisi quod sibi absurdum uidetur, homines se dei filios appellare. Sic enim ait capite XII. Vos Iudæi atque Christiani, si dei filij eiusq; dilecti estis, prout uos dicitis: cur uobis culpas atque peccata gerentibus, pœnas & malum ingerit? Certe uos nihil aliud quàm homines estis, à deo ueniæ mercedisq; maximæ datore, ad quem omnium erit reditus, creati. Videtur ex hoc, ipsum arguere

Christus Dei filius, non alius Deus.

Deo filios attribuere, quomodo absurdum dicat Alchoran.

præsumptionem & modum dicendi, quasi filiatio dicat consubstantialitatem. Sed ubi non intenditur, non negat: & quia in testamento ueteri ac Euangelio nusquàm legitur Christũ, aut alium quemcunque sic filium dei appellari, quod sit alius deus à patre creatore: nec probationem Alchoran refellit quisquàm Christianorum, scilicet deum non posse sumere filium, neque ab uxore, cum non habeat, neque si sumeret nobilissimam creaturam in filium. Non enim esse potest creatura eiusdem naturæ cum creatore, sicut necessario filius existit. Etsi assumere deus filium, utique cum in tempore fieret talis assumptio, filius creatura esset. Concludit igitur Alchoran, impossibile esse deum habere temporalem filium, quam conclusionem Christiani nequaquàm impugnant. Negat autem Alchoran, Christum filium Dei, licet ipsum exaltet supra omnem prophetam. Interrogo autem te subditum libro Alchoran, cur negatur Messias filius dei, cum in euangelio per te approbato, sæpius legatur Christus dei filius? Forte dicis ex Alchoran, Christum coram deo ad rationem positum, quod se deum nominauerit, hoc constanter negasse. ideò huius contrarium in Euangelio reperiri, nequaquàm admittit. Nõ tam admiramur, quando Christus coram deo de hoc inculpatus sit quod se Deum nominauerit, & quomodo præsens fuerit Mahumet qui deum inuisibilem (ut ipsemet fatetur) nunquàm uidit, quàm planè irridemus. Ignorabat ne deus ueritatem, & Christo falsum imposuit? aut si ueritatem, tunc primò sciuit, postquàm Christus se excusauit: nonne secundum Alchoran Christus est in carne mortali uiuus, in quodã loco amœno aquis irriguo? & ait ipsum uenturum denuo in hunc mundum, demum moriturum, & surrecturum, & in iudicio futuro rationem operum suorum redditurum? quomodo hæc concordant, hæc esse facta, quæ in futuro iudicio secundum Alchoran fieri expectantur? Nonne dicit Alchoran, nullum uiuum hominem deum accedere, & cum eo colloqui posse? Ecce quod huic dicto Alchoran non est fides adhibenda. & ut hoc ex textu Alchoran uerum uideatur, aduerte sic in textu dici ex capi. 14. fictitio deo dicente: O Iesu Mariæ fili, tu persuades hominibus, ut dei loco te matrẽq; tuam deos habeant & uenerentur. Respondit Iesus: Nolit deus, ut quid præter uerum dicam. & si protuli, tu nosti, quia tu omnium secreta cordium noscens, mei cordis arcanum penetras, ego uerò nequaquàm tui. Tu scis itaque nil hominibus nisi mãdata tua dixisse: scilicet, quod te deum meum & suum inuocent & adorent, quorum quãdiu tibi placuit, testis affui.

Christum esse filium Dei, negat Alcoran.



Nunc autem tu, qui es testis omnium, postquã ab illis ad te me sublimasti, eorum cognitor existas. quibus si malum feceris, gens tua sunt: si condonaueris, tu es incomprehensibilis & sapiens. Dicit deus: Nunc instat dies, quo suã uindicis ueritas perficiet. eis etenim ueniam, quoniam me secuti sunt, quod ipsis præ cæteris lucrum est maximum, & paradisum aquarum fluxu dulcissimam, ubi perseuerent, tribuam. Ego nanque omnipotens deus, cœlo & terræ & uniuersis quæ eorum capacitas continet, impero. Ecce textum, qui nihil facit contra diuinam Christi filiationẽ. Sed quod Christus nunquàm persuaserit se & matrem loco dei uenerari, nec id Euangelium habet, nec Christiani credunt. Non enim uenit Iesus, nisi ut daret gloriam deo patri suo, & suam nequaquàm quæsiuit.

Christus filius patris gloriam quæsiuit.

## QVOD CLARE OStenditur, Christum esse Dei filium. Cap. X.

DIceret Arabs: Si Christus deus fuisset, utique cum Iudæi dicerent, quia tu homo cum sis facis teipsum deum, non excusasset se, allegãdo in lege deos dici, ad quos sermo dei factus fuit, sed clare respondisset. Dicimus eum clare respondisse, aiebat enim: Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum. uos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia in me est pater, & ego in patre. Ecce quàm clare locutus est: scilicet, non esse blasphemiam, si se filium dei dixit, & ideò se tacite deum confessus sit. Nam si sermonum dei capaces dij dicuntur, nõ est dubiũ, quin is quem pater ut pater ab æterno sanctificauit, & in tempore in mundum misit, non blasphemat, si se dei filium appellat. Pater enim, ut pater, nõ generat nec sanctificat nisi filium. qui autem sanctificatus est à patre ante mundum, & deinde in mundum missus, utique coæternus patri est. Quod autem hoc cognosci possit, quantum ad credulitatem sufficit, opera ostendunt, quæ nullus hominum ante ipsum fecit, ita quod humanæ naturæ illa ascribi non possunt, aut creaturæ, sed creatori. Nisi igitur pater creator esset in Christo, quomodo eius opera Christus fecisset? Essentia igitur patris, quæ operatur omnia, in Christo erat. Etsi deus pater essentialiter est in Christo, erit Christus eius filius, quia eiusdẽ essentiæ. Erit igitur Christi, quia filius in patre, cum extra essentiam patris filius esse non possit. Sicut si autoritatem

Sermonũ dei capaces, dij appellati.

Christus Dei filius.

mitten

mittentis uideo mittentem, & æqualem autoritatem in misso uideo missum: utique mittẽs est in misso, & missus in mittente ob æqualitatẽ. De quo infrà latius.

## QVOD CHRISTVS nominat deum, sed Dei filium. Cap. XI.

ADhuc attente considera fidem Christianã esse, patrem omnipotentem esse Deum creatorem, & Christum, illum Deum nominare suum patrem. Ait enim in Euangelio ad Iudæos: Est pater meus, qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus uester est. Ille bene intelligit Christum non se Deum nominasse, quia se patrem suum nominasset. Ostendit autem se satis filium Dei, quando illum semper patrem nominauit, quem Iudæi Deum dixerunt. Vnde Dei filium se nominauit, & non deum: cum nominatio Dei, sit nominatio patris Christi. Est igitur Christus filius Dei patris, & non Deus pater. & est uerus filius dei patris, ideò & consubstantialis patri: licet non alius Deus, quàm pater. Vnde Christus non est Deus pater creans omnia, sed est Dei patris uerißimus filius, eiusdem naturæ cum patre, per quem Deus pater creat omnia. Christus igitur non est nisi Dei filius unigenitus, & hinc eiusdem essentiæ & naturæ cum deo patre: cum hoc sit de natura filij patris, ut sit cum eo eiusdem essentiæ & naturæ, uti filius hominis est eiusdem essentiæ & naturæ cuius est pater eius, eiusdem scilicet humanæ naturæ: sed essentia humana non est idẽ cum homine, ut tamen essentia diuina est idem cum deo, ob simplicitatem maximam diuinitatis. Ideò filius hominis licet sit eiusdem naturæ humanæ cum patre, non tamen idem homo, sed alius. Filius autem dei est idem deus cum patre, & non alius. Hæc clarißime sacrum euangelium reuelat, quod Alchoran approbat in genere, & ei in specie non contradicit, ut ex sequentibus ostenditur.

Cur Christus se non Deum, sed Dei filium appellet.

Filius Dei idem Deus cum patre.

## LAVDES CHRISTI EX alchoran, & ostensio diuinitatis eius. Cap. XI.

SCribitur enim in Alchoran, Mariæ uirginis filium Iesum Christum esse, per hæc uerba: O Maria, omnibus mulieribus & uiris splendidior, mundior, atque iocundior, tibi summi nuncij gaudium cum uerbo dei, cui nomen est Iesus Christus, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo atque futuro, sapiens uir, optimus ab uniuersitatis creatore mittitur. Illa respondit: O Deus, cum uirum non tetigi, filium quomodo habebo? Inquiunt angeli: Deo nihil occurrit impoßibile, omnia ut uult operanti. ipse filium tuum cum diuina uirtute uenientem, li-



brum legiferum, omnisq; magisterij peritiam, & testamentum & Euangelium edocebit. Ille cæcos & mutos curabit, morpheaticos & leprosos mundabit, mortuos creatore cooperante uiuificabit: quæ cuncta à credentibus in deũ miracula censentur. uetus testamentum confirmabit. seq; cum diuina uirtute uenisse patefaciens, inquiet: Timentes Deum, me sequamini. Deus enim mei uestriq; dominus est, quem adorantes, recto procedunt tramite. Iterum alibi sic: Iesus Mariæ filius, Dei nuncius, suusq; spiritus, & uerbum Mariæ cœlitus missum existit. Ecce Iesum, ecce Meßiam seu Christum & uerbum Mariæ cœlitus missum, hoc est à deo cœli missum: quare eiusdem naturæ, cuius deus mittens. Non enim dici potest, quod diuinum uerbum, cum sit dei uerbum, sit aliud quã deus simplicißimus. Deus enim, & suum uerbum, non sunt duo dij, sed idem Deus simplicißimus. Sic igitur patet: Deum mittentem, & suũ uerbum missum, esse eiusdem naturæ diuinæ: sed cum mittens Deus non seipsum mittat, nec alium deum mittat, non erit mittens missus, nec alius deus, deus mittens, & alius missus.

Verbum Dei idem quod Deus.

## FACILIS OSTENSIO, Christum, qui est uerbum Dei patris, esse eius filium, Cap. XIII.

ADhuc sic. Certum est ex Alchoran, uerbo Dei omnia esse creata. uerbum igitur Dei, increatum est, quoniam per ipsum omnia creata sunt. Est igitur uerbum, æternum, increatũ. Non est igitur uerbum sensibile, sed plus quàm intellectuale. Intellectuale uerò uerbum, per quod intellectus omnia operatur, intellectualis est conceptus. nam nisi intellectus intueatur in conceptum suum, quem intellectualiter generat, non facit quicquam intellectualiter. Sicut ædificator domus in uerbum seu conceptum intuetur, per quem ædificat. Dicitur autem uerbum. nam sicut uerbum extrinsecum sensibile, generatur à uerbo intrinseco intellectuali: sic conceptus generatur ab intellectu, & dicitur eius uerbum. Intellectualis igitur natura, omnia per uerbum suum format, & per uerbum reformat. Ædificator enim per uerbum formato domum: & si ruit, per idem uerbum reformat. Deus sic per uerbum format, & reformat. Hoc uerbum uocatur etiam sapientia, omnia enim deus per sapientiam facit. Et dicit Alchoran: Christus cum diuinis uirtutibus aduenies inquit, En assum cum sapientia uestras dissensiones discussurus, meq; sequendo, timete deum. Nominat igitur Alchoran, id quod prius uerbum aiebat, nunc diuinam uirtutem & sapientiam. Sic uerbum ratio dicitur. Omnia enim

Verbum Dei increatũ, per ipsum uero rea ta omnia.

Verbum idẽ quod Sapientia.

Ratio.

Ratio. cum ratione facta sunt. Nihil enim est, cuius legitima ratio non præcesßit. Sic uerbum sermo dicitur, ars, seu magisterium, per quod Deus omnia facit. Euangelium uerò illud nominat uerbum, sine quo factum est nihil, & idem uerbum nominat Dei unigenitum, per quem fecit

Vnigenitus Dei. & secula. Sed cur potius Alchoran nominat uerbum, quàm filium illum per quem omnia facta sunt? Fortaßis ex eo, quia cum uellet omnem modum pluralitatis deorum eliminare à rudibus idololatris, noluit occaßionem dare errandi illis qui capere non poterant filiationem intellectualem, aliter quàm in sensibili mundo uidetur. Intellectuali uerò fœcunditati propinquius uerbum quàm filius accedit. Neque apta locutio est, Deum habere filium. nam cũ Deus sit pater omnipotens, omnium creator, qui omne id est quod habet, cũ nihil sibi deesse poßit: non est apta locutio, ipsum habere filium, quia idem uidetur, ac si diceretur, Deum patrem esse filium: cum habere in ipso sit esse. Propter hoc tamen non intendebat Euangelio contradicere,

Ioannes Zachariæ F. nec testimonio Ioannis Zachariæ, quem approbat, & ait esse confirmatorem uerbi, qui in Euangelio confirmat Christum esse filium Dei unigenitum. Vnde cum illum quem Christiani nominant Christum, nominet Dei uerbum, & Mariæ filium: tantum in hoc à Christianis uidetur discrepare.

## OBIECTIO EX ALCHORAN, & eius solutio. Cap. XIIII.

DIceret aliquis: Nonne sic legitur in Alchoran? Pars plurima mentiendo dixit, Deũ habere filium: quomodo hæc non contradicũt Euangelio? Dico Alchoran se declarare. Addit enim: Cœpit ne deus filias plus diligere? quid iu

Deum non habere filium humano modo. dicatis immemores? An uestri dicti rationem firmam habetis? librum quidem uestrum, si ueraces estis, in medium afferte. Ecce Deum non habere filium humano modo, Euangelio non cõtradicit: cum Deus sit spiritus, qui carnem & ossa non habet. Sed quod CHRISTVS sit unigenitus Dei filius, librum Euangeliorum in medium proferre poterimus, & ueraces reperiemur. Adhuc diceres: Nonne azora antepenultima sic habet? Constanter dic illis, Deum unum esse, necessarium omnibus & incorporeum, qui nec genuit, nec est generatus, nec habet quenquam similem. Respondemus, illam azoram intelligi debere taliter, quod per ipsam intendit dare Deo gloriam, & non detrahere à CHRISTO laudem. Vnde cum incorporeus Deus & deitas sint idem, si Deus de quo loquitur azora deitas intelligitur, non contradicit Euangelio. Deitas enim cum sit essentia



diuina, nec est generans nec genita, nec habet aliam deitatem sibi æqualem: sed pater generat filium eiusdem essentiæ. Vnde considerare te oportet, quod licet idem sit Deus & deitas, cũ Deus simplicißimus sit penitus incorporeus & incompositus, tamen quando respicis in deitatem, nullam uides generationem: cum respicis in Deum, uides ipsam. Nam Deum patrem no

Deus pater, nõ autem deitas. minari, in ueteri testamento, psalterio, & Euãgelio clare legitur: deitatem autem, nõ legitur, patrem uocari. Si igitur Deo conuenit quod pater nominetur, & in hoc non imponitur ei ullum mendacium: tunc cum uerum sit ipsum Deum esse patrem, non inconuenit Deo quod deus filius nominetur, cum pater non intelligatur pater sine filio. Etiam azora illa, licet ad exclusionem plurium deorum posita sit, cum ad hoc totus liber principaliter tendere uidetur, per eius sequaces, & ad hunc finem per eos irrepræhensibilis iudicetur: tamen etiam secundum ueritatem Euangelicam azora tolerari potest, deum uidelicet nec genuisse, nec generatum esse. generatio enim in diuinis cum sit in æternitate, nunquam transiuit in præteritum,

Deum nec genuisse, nec esse generatum. ut deus dicatur genitus, uel generatus: sed deus pater æternus, generat deum filium æternum, eadem deitate deum, eadem æternitate æternũ.

## QVOD IESVS QVIA Meßias, est Dei uerus filius. Cap. XV.

ADhuc dico, eo quod Alchoran dicit Iesum Mariæ filium Meßiam seu Christũ, omnia quæ prophetæ fatentur de Christo, ipse fatetur. Dicit auẽ Micheas propheta: Et tu Bethleem Effrata, paruula es in milibus Iuda. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. & egreßus eius ab initio, à diebus æternitatis. Hic propheta de generatione Meßiæ loquitur: & duplicem ponit generationem. unam temporalem in Bethleem, aliam æternam. Ab initio mũdi prophetatum est, deum, Meßiam saluatorem in mundum mißurum. Certum est, Meßiam ante mundi constitutionem esse, ut Christus de se loquens in Euangelio attestatur ad patrem, dicens: Clarifica me pater claritate, quàm habui ante mundi constitutionem. Ecce dicit, Clarifica me pater. Vnde si deus Meßiam mißurus erat, illum qui ante mundi constitutionem clarificatus fuit: utique ille Meßias, qui ut omnium supremus & maximus saluator expectabatur, dei filius, fuit alius à patre ipsum mißuro. Deus igitur erat, eiusdem scilicet naturæ cum patre ante omnem creaturam. Si enim tunc fuit, quando non nisi natura diuina fuit, utique illius naturæ fuit, & ideò deus fuit. Hinc Esaias propheta dicebat: Deus ipse ueniet, &

Meßiæ duplex generatio.

saluabit

ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Et ſequitur ibi de ſemita & uia recta, quæ ſancta uocabitur: Euangelium ſic appellans, uti Alchoran. Ita Baruch propheta uidit ipſum Meßiam deum, & dei ſapientiam, uenturum, & cum hominibus conuerſaturum. Sic cæteri. Nec difficile hoc uerum uideri. Nam Meßiam uenturum in hunc mundum, ante eius natiuitatem ex uirgine Maria, prophetæ uiderunt, & Iudæi crediderunt: ſicut & hodie uenturum credunt. Non poteſt dici, quod dum Meßiam uiderunt, & illum uenturum prænunciauerunt, creaturam aliquam uiderint, ſed diuinam uirtutem & potentiam mente conſpexerint, quam in hominem uenturam, & in mundo ſe manifeſtaturam expectarunt. Et ſicut crediderunt & expectarunt, ita factum eſt. & non eſt alius Meßias de Maria natus, & alius quem uidentes ſeu prophetæ uiderunt: ſed iam ipſe quem mente in æternitate contemplati ſunt, in tempore apparuit. Neque opus eſt ad præſens, ut multa de Meßia dicamus: cum IESVS ſit ille CHRISTVS, de quo omnes ſcripturæ locutæ ſunt, et atteſtantur ipſum eſſe, quemadmodum Euangelium de CHRISTO loquitur. nec Alchoran minus de CHRISTO intendit affirmare, quàm Euangelium & prophetæ. Vnde cum ait, ipſum ſummum dei nuncium uenisse cũ uirtute dei ac quod ſe cũ illa uirtute ſeu poteſtate uenisse patefecerit, maxima de Chriſti affirmat. quo modo legatus eſt capax poteſtatis Dei ipſum mittentis, ſi non eſt ſic ſummus, quo maior eſſe nequeat? quo modo eſt pura creatura, quo purior & nobilior per Deum creari non poßit? quomodo poterit creare, quæ non eſt ſimpliciter maxima, ita quod maior per Deum fieri nequeat, & ei communicari plenitudo diuinæ poteſtatis?

Meſſiæ aduentus.

Ieſum Chriſtum eſſe Meſſiam.

## QVOD CHRISTVS, QVIA uerbum & legatus ſummi Dei, eſt Dei filius. Cap. XVI.

VErbum igitur, quod in uirgine Maria humanam recepit naturam, non fuit uerbum niſi omnipotens omnipotentis dei patris, cuius incapax eſt omnis creatura. Recte igitur ait Alchoran, Illi ſapientiam & omne magiſterium aſcribens. et in hoc optime ait, quod affirmat CHRISTVM patefeciſſe mundo, ſe cum diuina poteſtate uenisse, ut ſcilicet ipſe legatus Dei cum omnia dedit in manu poteſtatis eius, omne id poſſet quod homines à deo petere poſſunt: miracula enim quæ CHRISTVS

Chriſtus Dei legatus.



operatus eſt, patefecerunt in ipſo eſſe eandem poteſtatem quæ eſt in deo patre, qui eum miſit. Et ut hanc patefactam Alchoran rudibus melius declararet, enumerat in ſumma curationes incurabilium morborum per homines, & reſuſcitationem mortuorum: etiam addens, quomodo factis de luto auibus inſufflando eis uitam tribuit. quaſi diceret, nihil defuiſſe ei quæ deo aſcribimus. Sic in doctrinis ſuis Machumet aſſerit, CHRISTVM ex terra in nomine patris ſui, Iaphet filium Noe excitaſſe, ut referret geſta patris ſui Noe in archa. Per quæ uerba etiam patet, ipſum CHRISTVM filium dei, quem patrem eius aſſeruit: & ad quem finem hæc facta ſit patefactio, Alchoran concludere uidetur, ſcilicet ut fidem haberent. Nam cum nullus nuncius, qui eſt purus homo, ſit talis quod neceſſe ſit ipſi credi, cum omni rationali creaturæ, quantumcunq; ueraci, deus ueraciorem creare poßit: manet hæſitatio, an illi quis talem fidem dare debeat, quod ipſum ſequatur. Non eſt autem apud quemcunq; dubium, deum eſſe ueracem, & eius filium cum ſit eiuſdem naturæ, nequaquàm minus ueracem quàm deum creatorem. Patefecit igitur IESVS, ſe CHRISTVM & legatum cum omni uirtute & poteſtate dei ad ſalutem hominum, ad quos miſſus fuit: quia IESVS. Ideò adiecit, ut ait Alchoran: Timentes deum, me ſequamini. Deus enim meus ueſterq; Dominus eſt. Filio enim regis unigenito & hærede uniuerſorum ad regnum miſſo, & patefacto quod ipſe ſit filius & legatus patris ſui, ſciunt cuncti ipſum eſſe ſummum legatum, quo pater nullum potuit maiorem mittere: quodq; ipſe cum ſit unigenitus, dilectiſſimus regis patris ſui filius, cum omni uirtute & poteſtate uenit, & ei ſit penitus credendum & obediendum. Ille filius conuenienter utiq; diceret: Timentes regem patrem meum, me eidem obediendo ſequamini. Rex enim ipſe meus ueſterque Dominus eſt. Vnde illi, qui Machumeth illa ipſamet uerba in Alchoran ſæpe repetiſſe aiunt, ſcilicet Chriſtum dixiſſe deum ſuum & aliorum dominum, ad oſtendendum Chriſtum non ſe confeſſum deum fuiſſe, cum dicat deum ſuum dominum, Alchoran male interpretantur. Approbare enim Ieſum eſſe Chriſtum, & Euangelium eſſe uerum, & negare Chriſtum eſſe filium dei, implicat contradictionem. Sed optime conuenit Chriſto filio dei, nominare patrem ſuum dominum: quando fatebatur, ſe filium & legatum ad ipſius honorem et gloriam augendam aduenisse, & nequaquam ſuam quærere, ut Euangelium atteſtatur.

Ex libro de Infantia Chriſti.

Chriſtus Deũ patrem cur dominum ſuum uocet.

## QVOD TESTIMONIA ALchoran continent, Christum Dei filium esse.

### Cap. XVII.

Christo datum a spiritu diuino testimoniũ, quod sit filius dei.

DIceret aliquis: Quid sibi uult Alchoran, ubi fatetur, quod CHRISTO Mariæ, filio spiritus diuinus auxilium atq; testimonium extitit? Spiritum diuinum testimonium dedisse CHRISTO, Ioannes Zachariæ attestatur: ut in euangelio scribitur. Ait enim: Quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super IESVM: & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit: super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. & ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Spiritus igitur diuinus in columbæ specie super CHRISTVM in Iordane descendens, dedit testimonium, quod & Ioannes perhibuit, CHRISTVM esse filium dei. Dedit etiam in omnibus Apostolis ille spiritus, & alijs sanctis testimonium, usq; ad mortem in clusiue, quoniam IESVS est CHRISTVS filius dei. Quale autem auxilium dederit Christo in uirgine Maria concepto de spiritu sancto, & in omnibus qui spiritum sanctum receperunt pro arra promissionum CHRISTI, & quomodo ille suggesserit fidelibus ut intelligerent ueritatem eorum, quæ CHRISTVS locutus fuit, quoniam est spiritus ueritatis, sciunt, qui Euangelium attente, atq; sanctorum scripta studuerunt. Hoc meo arbitratu notandũ, quo modo Alchoran extollit Ioannẽ Zachariæ, tanquàm illum cui omnino credendum: quem dicit uirum bonum, uirginem perseuerantem, magnumq; prophetam, uerbum dei confirmantem, & similiter testimonium sancti spiritus allegat. Hæc omnia misericors deus inseri uoluit, ut sic sapientes remittat ad ueritatis testimonia, ne CHRISTO detrahat, si rudi populo hoc palàm non publicat, ob causam supra positam, CHRISTVM filium Dei. Nam etsi dixerit Deum inuisibilem, incorporalem, & quem nemo unquàm aperta facie uidit, ita quod quisq; bene intelligere poterit uisibilem CHRISTVM sensibilibus oculis non fuisse, secundum conditionem illam uisibilem & corporalem, deum: tamen quia timuit, spiritualem diuinam uerbi Dei naturam incredulos attingere non posse, ideò illis idiotis & ignaris, quibus loqui oportebat ut talibus sensibilibus, de intellectualibus nihil sentientibus, cautius considerabat negatiue prædicandum, CHRISTVM Mariæ filium non esse filium dei, cum filius Mariæ homo corporalis & uisibilis esset, quæ naturæ diuinæ non conueniunt. Eum tamen habere uirtutem & potestatem diuinam, quæ sola fide uideri potuit, attestantibus operibus illis miraculosis, quæ nemo hominum ante eum fecit, negare non potuit.

Ioannis Baptistæ laus ex Alcorani testimonio.



## QVOMODO ALCHORAN intelligi debet, CHRISTVM esse spiritum & animam Dei.

### Cap. XVIII.

Christus quo modo spiritus & anima Dei.

DIceres, Cur fatetur Alchoran CHRISTVM spiritum Dei: & alibi, quod Deus ipsi animam suam propriè contulit. Dicimus, Alchoran animam & spiritum sæpe pro eodem capere: & nos intelligimus per illa, uitam illam intellectualem, quæ sapientia est. Contulit enim ei Deus piam & misericordem animam suam, hoc est uitam, non appropriètè, sed propriè. ita ipse CHRISTVS ait in Euangelio: Sicut pater habet uitam in semetipso, ita dedit filio uitam habere in semetipso. Ecce quomodo Deus pater animam seu uitam suam propriè dedit CHRISTO: ut pater animalis, suam uitam animalem propriè dat filio suo, ut in semetipso uiuat, sicut pater uiuit, à quo uitam recipit. Vna est igitur uitalis natura dei patris, & eius filij CHRISTI: quod Alchoran per unam utriusq; animam expressit. Et quia in patre est uita omnipotens, ita ut quem uoluerit uiuificet: ita & dedit filio, ut ita quem uoluerit uiuificet, & ideò illa uita spiritus dei dicitur, propter uitalem motum. Omnis enim motus à causa occulta, spiritus dicitur, etiam uentus. In uita enim, nisi uitalis & delectabilissimus motus esset, non est uita uiua. Quare sicut somnolentia est figura mortis, ita uigilantia ob spiritualem motum figura uitæ. Recte igitur id Alchoran dicere potuit, quod CHRISTVS de se in Euangelio loquitur: Ego sum uita & resurrectio, scilicet à morte. Et alibi: Verba quæ locutus sum, spiritus & uita sunt. Spiritus enim CHRISTI, est spiritus bonus, qui ad bonam uitam & immortalem, quæ Deus est, mouet. Sed spiritus diaboli, est spiritus malus, qui mouet ad mortem perpetuam.

Spiritus.

## QVOMODO INTELLIGI debet Alchoran CHRISTVM esse uirum bonum, & optimum, & faciem omnium Gentium.

### Cap. XIX.

QVæreret aliquis, quid hoc significat quod Alchoran ait, CHRISTVM uirum bonum & optimum, & faciem omnium gentium in hoc, futuroq; seculo? Dicimus, Alchoran uir-

ran uirginem Mariam super omnes uiros & mulieres exaltare. & bene: quia mater est Christi filij dei. Certum est autem, CHRISTVM supra Mariam eius matrem exaltatum. Erit igitur uir bonus, & optimus, quoniam melior esse nequit. Omnis uir quantumcunq; bonus, quamdiu non est adeò bonus quod melior esse nequit, non est simpliciter optimus in posse & esse. et cum solus deus sit simpliciter bonus, imò optimus, ac bonitas ipsa, certum erit, uirum qui sic est bonus, participando bonitatem quod etiam est optimus, inter illum & deum non posse mediare quenquàm. Sed sic erit ille uir bonus, quod etiam ipsa bonitas. Vnde CHRISTVS est bonus, bonitate creata: quæ non est ipsa bonitas secundum eam naturam, qua uir seu homo. & cum hoc bonitate increata, quæ est ipsa bonitas, cum sit adeò bonus, quod optimus, qui melior esse nequit. Patet, quomodo idem CHRISTVS, ut est filius Mariæ, matris suæ humanam habens naturam, est bonus bonitate creata: & ut est filius Dei, patris sui diuinam habens naturam, est optimus, hoc est bonus bonitate increata. Quæ ideò optima, quia nec melior, nec aliter esse potest, cum sit actu omne id quod esse potest. Quod autem IESVM faciem ait omnium gentium, tam huius quàm futuri seculi, maxime CHRISTVM extollit. Nam per hoc exprimit, illum esse de quo propheta Dauid dicebat: Speciosus forma per filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te deus in æternum. Vbi est resplendentia pulchritudinis uitæ, nisi in facie? Quid pulchrius facie omnium uirtutum? Quid aliud CHRISTVS secundum prophetam Dauid, nisi dominus uirtutum, & rex omnis gloriæ, claritatis, & formositatis? Quare ipse est filius Dei, in quo habet pater summam complacentiam: & est Christus, unctus præ consortibus suis. Vnde dicit Machumet in doctrinis: Perfectos in statura Adæ, & forma IESV CHRISTI, resurgere in die iudicij. Nam hæc forma, quæ est facies omnium gentium, est perfectio perfectorum. CHRISTVS igitur est, per quem perfecti iudicantur. & eius forma est illa, quæ solum immortali uitæ apta est. Qui igitur similes ei erunt, intrant in gaudium domini. Ob hoc Alchoran alibi pluries repetit, quorundam facies in die iudicij albescere, & claras fieri, scilicet perfectorum & beatorum: quorundam nigrescere, scilicet incredulorum & malorum. Et ut perbreuiter dicam: CHRISTVS est omne id, quod in omnibus gentibus præsentis & futuri seculi uere et iuste laudatur. Hinc ipse est omnium facies decora,

Christus supra matrem suam exaltatus.

Christus quo modo bonus, & optimus.

Quomodo Iesus omnium gentium facies.

Facies aliorũ albescere in die iudicij, aliorũ nigrescere, quid.



in quo omnes gentes, quiescunt & benedicuntur.

## DIGRESSIO AD MANVductionem diuinorum.

### Cap. XX.

QVomodo Alchoran CHRISTVM dicit ruhella, cuius interpretationem alij dicunt esse flatum dei, alij spiritum dei, alij uerbum dei, alij animam dei: licet hæ interpretationes non uarient ueritatem. Qualitercunq; enim interpretetur, siue sit flatus, siue spiritus, siue anima, siue uerbum Dei, necessariò deus est, ut satis patet in præmissis. Nobis tamen uidetur, quod hæc interpretatio, quod sit uerbum Dei, scilicet intellectuale, quod conceptum appellamus, quia cum sacratissimo Euangelio concordat, sit merito acceptanda. Et ut simpliciores exemplo sensibili ducantur, per quod patrem, uerbum, & spiritum aliqualiter à remotis uideant, pro intellectu præcedentium & sequentiũ est considerandũ, quomodo magister qui uitra facit operatur. Vitrificatura enim est opus intelligentiæ. Carentes intellectu, eam artem non capiunt. Applicat autem cannam ferream, & ei adhærere facit aptam materiam, & insufflat in ipsam, et efficit uas uitreum prout uoluerit. In eo flatu est considerandum, quomodo intra materiam operatur, & formet eam. Opus enim illud, similitudinem habet operis naturæ. Ars enim ab extrinseco operatur. Natura enim intrinsece, ut quisq; scit & uidet. In eo igitur flatu, considero duo. unum est extrinsecum eius, & est sensibile: ut est uentus, seu aer, qui expiratur per artificem. in intrinseco illius considero intellectum, quia artifex ad finem faciendi uas uitreum, operatur. Intelligit enim id quod facit. Hic intellectus non intelligeret nec se, nec id quod operatur, nisi de se generaret conceptum uasis quod efficit. & hunc conceptum intellectualem, uerbum dicimus. Loquitur enim intellectus suam intentionem, & conceptum quem intra se uidet, & sensui uisibilem facit. hoc uerbum generatur ab intellectu, se in ipso explicante: sicut sermo generatur à conceptu se explicante. & quia sermo sine flatu non explicatur, potest sermo flatus appellari humani conceptus, & conceptus pariformiter dici potest flatus intellectus. Ab intellectu igitur, & eius uerbo, procedit intellectualis motus, qui complet operationem. Vtique ista sic esse intellectualiter, quisque conspicere potest. In efflatione igitur uitrificatoris, uideo intellectualem scilicet intellectum eius uerbum, & utriusque spiritum seu motum, quæ si ibi non essent, nunquàm ipsa efflatio formam uasis introduceret. Neq; tamen intel-

Ruhella.

Vitrarij mirranda ars.

Operationũ intellectualiũ ratio.

lectus, uerbum eius, & utriusq; spiritus, propterea recedunt à uitrificatore, quia in efflatione uidentur. Conformiter fiunt omnes operationes intellectuales, licet non corporali efflatione, sed intellectu, uerbo eius & motu seu spiritu utriusq;: in sensibilibus per sensibilia in sensibili materia, mediante medio & organo siue instrumento sensibili. A creatore uerò omnia mediante uerbo, diuino motu seu spiritu in esse procedunt. Sicut enim ipse est absolutus ab omni contractione, ita absolute sine medio extrinseco creat intellectualem naturam, & cuncta ut uult. Sed est considerandum, quomodo Deus instruxit Eliam tertio Regum decimonono, quod ipse non esset in forti spiritu seu uento subuertente montes, nec in commotione eum sequente, nec in igne commotionem subsequente, sed in sibilo auræ tenuis, ignem subsequente. Dominum igitur in subtili sibilo tenuis aeris esse, ipsum spiritum esse omni spiritu quantumcunque tenuissimo subtiliorem ostendit. Non est autem Deus spiritus in sibilo tenui, aliter quàm spiritualiter sine loci occupatione, sicut intellectus in sermone. Neque spiritus ille, qui Deus, est alicuius alterius spiritus aut accidens, sicut accidit substantiæ: sed est spiritus,

Deus spiritus, quomodo intelligatur.



seu motus substantialis, omnem substantiam & cuncta creans. In quo est omnium scientia, siue ars: & intellectus, scientiæ & artis pater: prout infrà de hoc suo loco latius dicetur. Substantiam igitur spiritum esse, & Deo similiorem, qui spiritus est, patet. Et quidem philosophus attendens, quomodo granum post euaporationem spiritus, in qua, natura perdit fœcunditatem, seminatum fructum nequit producere: dicebat, substantiam spiritum esse. Hæc sic dicta sint, ut rudiores Alchoran subditi, eleuent mentem ad spiritualia, considerando spiritum imitari Deum per omnem substantiam. Quodque substantialia, quæ solo intellectu conspici possunt, utique accidentalibus sensibilibus sint longe præferenda. Quum accidentis non sit esse, sed adesse. Ac quod in scholis diuinis studere debemus, nequaquam comparantes generationem in diuinis & intellectualibus generationi sensibili nec gaudia uitæ diuinæ, ad quam aspiramus, gaudijs uitæ mundanæ: cũ improportionaliter intellectualia excedant sensibilia. Vt sic de Alchoran recedant ad Euangelium Christi, tutum, intellectuale, & diuinum.

# CRIBRATIONIS ALCHORAN, DOMINI NICOLAI DE CVSA Cardinalis, Liber Secundus.

## DE THEOLOGIA MYSTICA, secundum quam Deus est ineffabilis. Cap. I.

Trinitati an contradicat Alchoran.

NVNC accedamus ad elucidationem trinitatis, quam in diuinitate colimus, & ostendamus Alchoran, pia interpretatione non contradicere trinitati, modo quo nos de ipsa loquimur, qui Euangelio inhæremus. Dicit fortassis aliquis Arabs, Quamuis negari nequeant hæc quæ de laude Euangelij dicta sunt, per nos, qui Alchoran uti Dei uerbum colimus: tamen cum sana fides sit unius, solius & singularis Dei omnium creatoris, sine omni participe, sine socijs, sine pluralitate, sine filio seu filijs & æqualitate quacunq;, & CHRISTIANI dicant pluralitatem Dei patris creatoris, & Dei filij eius, & Dei spiritus sancti utriusq;, non contradicere euangelio: ideò Alchoran Musselmanni præferunt Euangelio. Et Califæ in Baldach, ubi studium eius sectæ est, inhibent Euangelium & philosophiam publice legi. Experti enim sunt, ante prohibitionem, eos qui Euangelio operam dederunt, CHRISTIANOS factos, & quendam Caiifam CHRISTIANVM crucem in secreto pectoris continue portasse, ac philosophos Alchoran deridere. Ideò 11. capite Alchoran, dicitur: CHRISTVS IESVS Mariæ filius, Deiq; nuncius, suusq; spiritus, & uerbum Mariæ cœlitus missum existit. In Deum itaque illiquè suo legato credentes, ne dicatis Deos tres esse, quum non sit nisi unus Deus, qui filio caret: eique omnipotenti, uniuersa cœli, terræq; subiecta sunt. CHRISTVS quidem ipse minime negare poterit, sicut nec angeli deo propinqui quin dei subsit imperio. Ad hoc respondemus: Euangelium omnem deorum pluralitatem non solum damnare, sed impossibilem affirmare. Deum enim principium, et unde omnia oriuntur, nemo dubitat.

Musselmanni, Califæ.

Deorum pluralitatem damnari etiam Euangelio.

Plura-

Pluralitas quomodo esset principium, cum ante pluralitatem sit unitas seu singularitas, quæ necessariò est æterna, cum sit purum principium? quod ideò æternum esse necesse est, quia principium, & non principiatum. Illud autem principium potest considerari sine respectu ad principiata, ut non plus sit principium quàm non principium. ea consideratione, est penitus infinitum & interminum, incomprehensibile, & ineffabile. Tunc certe cum excedat omnem sensum, & omnem intellectum, & omne nomen, et omne nominabile, nec dicitur unus, nec trinus, nec bonus, nec sapiēs, nec pater, nec filius, nec spiritussanctus, & ità de omnibus quæ dici aut cogitari possunt, ut Dionysius Ariopagita hoc astruit, quoniam omnia talia nomina excellit et antecedit in infinitum. Sic manet absconditus ab oculis omnium sapientum, & nulli creaturæ, sed sibi tantum cognitus. Et hoc tantum de ipso cognoscimus, quod ipse est ipsa infinitas, excedens omnem creatum intellectum infinite. Eo modo, cum de ipso nihil propriè dici & affirmari possit, quod non excedat: in silentio tantum admiramur & contemplamur, & colimus. De illo interminо & infinito Deo loquitur Alchoran 29. Cap. dicens: Sicq; terminum scilicet mundi huius, seu diem iudicij nullatenus mendacem expectans, illum solum Deum consideret, cuius nullus est terminus, præter quē non est alius Deus. Et in Capite 64. Omnis quidem res mundana terminabitur, sola uero Dei maximi largißimiq; facies est interminabilis. An negat hoc aliquis? uniuersis creaturis cœlorum & terræ noua contingunt.

Dionysius Areopagita.

## DE THEOLOGIA AFFIRmatiua, secundum quam Deus est trinus & unus.

### Cap. II.

ALio modo aduertimus mundum istum uisibilem, cum aliter esse posset quàm nūc est, non esse à seipso: nam fuisset antequàm esset. & cum aliter posset esse, puta aut maior aut minor, uel alio modo: cum magnitudo sua sit terminata & finita, cui non repugnat quod maior sit aut minor, utique ab aliquo principio seniori ipso id est quod est, quod ipsum sic fecit, & non aliter. Illud autem principium cum non necessitaretur ab alio, quia principium ante quod non est aliud principium, liberum fuit & est creare & nō creare, quemadmodum intellectualis natura libera in suis operationibus. Sicut autem intellectus quando operatur, necessariò in mente seu in comprehensione habet id quod operatur, aliter nesciret quid operaretur, & non esset intellectus: sic habet etiam necessariò in scientia seu arte, id quod operatur. Si enim arte operandi careret, quomodo operaretur? habet denuò necessariò id quod operatur in uoluntate, cum nolens nihil faciat nobilis intellectus. Experimur in nobis qui intellectualiter operamur, illa sic esse necessaria. Quomodo enim pictor per intellectum pingeret, nisi in mente haberet quod pingeret? Et quomodo posset pingere id quod in mente habet, si scientia pingēdi careret? Et quo modo perficeret, quando nollet? Vnde uidemus uoluntatem non esse artem, nec mentem, nec artem mentem. Non enim eius quod uolo, semper artem habeo: nec eius quod in mente habeo, scientiam seu artem habeo. Et licet scientiam pingendi habeam, tamen Mahumet depingere nequeo, cum ipsum mente non teneā. Vnde si mens, scientia, & uoluntas sint eiusdem intellectualis substantiæ & naturæ, ac etiam ex mente generetur ars & scientia (carens enim mente caret arte, & carens mente & arte, caret libera uoluntate & electione) procedit igitur libera uoluntas à mente & scientia seu arte, & hoc primo notabis. Consequenter aduerte, quomodo id quod est in mente operantis intellectus, est etiam in arte & in uoluntate: & non est aliud in mente, aliud in arte, & aliud in uoluntate: aliter non esset una perfecta operatio. Id uero quod in mente, est mens (ibi enim comprehensum & comprehensio, seu mentionatum & mens, idem sunt) sic id quod in scientia est, scientia est. Scitum enim, ibi scientia est, atque id quod in uoluntate est, uoluntas est. Ibi enim uolitum, uoluntas est. Patet igitur non aliud esse mentem, & aliud scientiam, & aliud uoluntatem, sed idem essentialiter, licet non conuertibiliter. sic scilicet, quod mens licet non sit scientia seu uoluntas, non tamen est aliud mens quàm ars & uoluntas. Exigit igitur nobilitas intellectualis naturæ, quæ libera est, mentem non esse scientiam de se genitam. Quia cum sit ab ipsa mente genita, non est mens seu pater generans. Sic exigit mentem & scientiam à mente genitam non esse uoluntatem ab ipsa & arte procedentem. Procedens enim, non est illa à quibus procedit. Hæc ideò, ut libere & perfecte posset intellectuales producere operationes. Hæc agricola seminator grani, bene capit. Oportet enim ipsum in sua comprehensione habere semen grani, & in sua scientia artem seminandi granum, & in uoluntate uoluntatem granum seminandi. Seminare enim, est opus intellectus, et hæc sic se habent.

Mundi creati principium.

Intellectus operatio qualis.

Voluntas libera à mente & scientia procedit.

Mens. Scientia. Voluntas.

## QVOMODO EX OPERAtione intellectualis naturæ, uidemus diuinam. Cap. III.

AT quoniam intellectualis natura hoc, & hanc nobilitatem non habet nisi à creatore suo (nam operatur in similitudine creatoris sui) sicut creando ueras res producit, ita intellectus imago eius, operando producit similitudines uerarum rerum. Creare enim, est essentia re: & intelligere, est assimilare. Quare creator omnium cum intelligat id quod creat, & sciat seu artem habeat, & uelit: tunc unus creator omnium ad hoc quod nobilissimus & perfectissimus atque liberrimus sit, creator ueraciter trinus est. Cuius similitudo, in nostro intellectu uno in essentia, & trino in operatione, præmittitur. Diuinam igitur mentem, in qua omnia quæ creari possunt, æternaliter cõsistunt, Christiani patrem & creatorem appellant. Artem uero eius omnipotentiæ, seu sapientiam, siue scientiam, eius filium uocant, per quem omnia facit. Voluntatem uero sine qua nihil esse potest, cum à patre & filio scilicet mente & arte procedat, spiritum Sanctum confitentur, qui omnia ad effectum producit. Sunt autem indiuisa trinitatis illius opera, quia est una omnium operatio & creatio. In creatione igitur ex similitudine operationis intellectualis unius creatoris uidemus trinitatem, ob quam trinitatem Moyses Deum creatorem pluraliter in principio Genesis per Elohim, & uerbum (Faciamus hominem) expressit. licet alibi diceret, Ego Deus zelotes. Sic & in Alchoran ait Deus: Nos, homines ex humore fragili creauimus. Et alibi: Cœlum quidem, & omnia cœlestia prouelle nostro creauimus. Licet alibi dicat: Dic meæ genti, ego sum Deus misericors. Et quemadmodum Moyses & Machumet per expressionem pluralitatis in creatione seu operatione Dei noluerunt plures deos fateri, sic Christiani propter trinitatem recedere nolunt ab unitate Dei creatoris.

Creare. Intelligere.

Pater, creator

Filius

Spiritus sanctus

Elohim.

## QVOMODO DE FOECVNditate intellectualis, ad fœcunditatem diuinæ naturæ eleuemur. Cap. IIII.

ET ut per sensibilia in fœcunditatem intellectus, & de illa in diuinam te eleues fœcunditatem: attende, dum uides tot pulchras & uarias structuras ciuitatum, templorum, castrorum, & ædificiorum, tot uarios pannos, tot picturas & ornatus, tot linguas, tot scientias & artes, atque libros, tot dulcissimas harmonias, tot delectabiles dictiones, tot ordinatas politias, & alia innumera esse opus simplicis atque trini intellectus, inuisibilis & nullo sensu perceptibilis, à quo hæc omnia exiuerunt, & non exiuissent, nisi in eo intellectualiter multo altiori gradu præexisterent: & mirabilem ualde uides intellectum. tunc ascende ab intellectu ad creatorem ipsius, & omnium, ut uideas eius diuinam fœcunditatem, quomodo intelligentiæ, cœli, stellæ, sol, luna, elementa, & omnia quæ sunt, uiuunt, & intelligunt, sunt opus simplicissimi atque fœcundissimi creatoris: & quod creatio, est ostensio eorum quæ semper et æternaliter in mente ipsius fuerunt ipse, & in arte seu sapientia semper & æternaliter fuerũt idem ipse, & in bene placito uoluntatis suæ æternaliter fuerunt idem ipse deus benedictus. qui diuitias gloriæ suæ ex mera bonitate sua ostendit, sicut diues intellectus ad ostensionem gloriæ suæ se in operibus suis ostendit & communicat. & ea quæ intra se habet intellectualiter, quanto præcisius potest, sensibiliter nititur explicare, ut sic iuxta naturam boni se diffundat, & participabilem faciat. & uidebis deum simplicissimum, ineffabiliter diuitem & pulchrum, atque plenum omni fœlicitate uitæ gloriosæ. de cuius diuitijs, ipse tot lucidas intelligentias formis plenas, tot splendidas stellas, tot uiua animalia, tot dulcissimos odores, & sapores, atque pulcherrimos flores, & cætera innumerabilia produxit & ostendit.

Dei creatoris simplicitas.

## MANDVCTIO EX IIS quæ in mundo sunt, ad quæ uideatur Deus trinus. Cap. V.

ET quia Mahumet in eo quod deum credit creatorem omnium, etiam de illo asserit necessario quæ de eius trinitate Christiani confitentur: ideò ut ad diuinam fœcunditatem partum, & amorem, omnis Arabs posit quantum sufficit fidei, pertingere: iterum dicimus, mundum istũ sine fœcunditate, prole, & amore non posse perseuerare & subsistere, certissimum esse. Nã his sublatis, mundum deficere oportet, & fœcunditate, partu, & amore unus est mundus: unius igitur mundi sunt fœcunditas, partus, & amor. Nec fœcunditas est alius mundus, & partus alius, & amor alius: sed sunt unus & idem mundus. & sic hæc sunt unius mundi, ut nihil mundi sit sine illis. Participatur enim fœcunditas mundi, & partus, & amor, in angelis angelice, in hominibus humanè, in brutis brutaliter, in uegetatiuis uegetaliter, in mineris mineraliter, in cœlis cœlice, in sole solariter, in luna lunariter, in stellis stellariter, in entibus entice, in elementis elementariter, in uiuis uitaliter, in intellectualibus intellectualiter, & ita de singulis suo modo. Et unde habet mundus illa ut sit necessariò ita trinus, sicut unus, nisi à creatore? Si igitur sine hac trinitate mundus naturam non haberet, nec naturalem perfectionem, nec benedictionem à Deo posideret, quæ in unitate essentiæ sic triniter lucet, quomodo dice

Mundum sine fœcunditate, prole, & amore non subsistere.

Mundus unus & trinus.

dicemus creatorem, ista perfectione naturali ea rere, quam omnibus tribuit, ut sint meliori modo quo esse possunt? Sicut igitur creatum est, unitrinum: ita & creator, cum creatum à se nihil sit, & omne id quod est in hoc subsistat, quod est imago & similitudo creatoris. Trinitas igitur quæ in creatura uidetur, est à trinitate increata tanquàm imago ab exemplari, & causatum à causa. Est igitur unitrinus Deus, qui creauit unitrinũ mundum ad sui imaginem & similitudinem. In diuina igitur natura, est fœcunditas, proles, et amor. Fœcunditas, Deus est, qui & origo & pater: proles autem ipsius fœcunditatis, filius: amor, nexus utriusq;.

Deus unitrinum, quemadmodum & mundus ab eo creatus.

## MANVDVCTIO DE INTELlectuali Trinitate ad diuinam. Cap. VI.

ET ut in creatura magis deo simili, imaginem illius uideamus ad naturam intellectualem inspiciamus. In ipsa enim natura intellectuali speculatiua, quanta sit fœcunditas, proles, & amor, ostendunt nobis libri innumerabiles contemplatiuorum. Quot theoremata circa ueritatem generauit intellectualis fœcunditas? quot delectationes processerunt ab illis, et suauitates spirituales: quæ fecerunt illos pro nihilo habere gaudia huius mundi. Sic de intellectu practico dicendum, ut suprà tetigimus. In illa enim natura intellectuali est fœcunditas, quæ de se generat uerbum, seu conceptum intellectualem: & ab ipsis procedit amplexus, seu uoluntas.

Naturæ fœcunditas, proles, amor.

Quando enim mens, uerbum, seu noticiam generat, statim procedit amplexus, seu uoluntas. sicut enim id quod non scitur, non amatur: ita non potest non procedere à mente & noticia uoluntas. Scientia enim est de numero bonorum honorabilium: bonum autem est quod appetitur. omnia enim bonum appetunt. Ita patet, quo exemplo duci poterimus ad diuinam trinitatem. Deus enim non potest dici ignorans seipsum: si autem se intelligit, de se cõceptum seu uerbum suijpsius generat. Nec est idem, generans uerbum & genitum, seu concipiens & conceptum. Nec aliud in essentia diuina, cum Deus suijpsius conceptum talem generet, quod non possit esse perfectior. Erit igitur æqualis æqualitate substantiali, quæ est perfectior accidentali: quare nequaquàm alterius naturæ seu essentiæ. sic nec amor ab ipsis procedens, potest dici ea à quibus procedit: nec potest dici aliud, cum sit perfectissimus ante omnem alteritatem: quare consubstantialis illis, à quibus procedit. & hoc intenditur.

Voluntas a mente & noticia.

## MANVDVCTIO EIVSdem per amorem. Cap. VII.



ADhuc ut ratione utentes, uideant nos qui trinitatem credimus, rationabiliter moueri, alio exemplo ad idem procedamus. Nemo est qui non uideat, amorem omnino necessarium ad hoc quod mundus subsistat: quoniam eo sublato, penitus nihil subsistere potest. In naturis intellectualibus & uitalibus amorem reperiri, sicut & in omni quod subsistit, suo modo certum est. Priuabimusne deũ amore, qui est creator & dator omnis amoris? Si igitur Deum dicimus amorem habere, utiq; id est quod habet. Deus igitur, essentialis charitas, seu amor est. Quoniam autem amor unit, amor perfectissimus qui maior esse nequit, neq; minor, cum sit substantialis, maxime unit. Video igitur in essentia ipsius amoris unientis, unitatem. quomodo enim esset unus uniens amor, sine unitate? Video etiam æqualitatem in ipso. Nam amor gignit sui ipsius æqualitatem, scilicet amorẽ. uti dicitur: Si uis amari, ama. Vnitas igitur generat æqualitatem. Video deinde procedere ex unitate amoris et eius æqualitate, utriusq; cõnexionem, scilicet amorẽ connectentem unitatem amoris generantis, & æqualitatem amoris geniti. Amor igitur est connexio patris, & eius filij, à quibus procedit. Certum est autem, unitatem, esse ante omnem multitudinem: quare æterna est. Aequalitatem ante omnem pluralitatem, quia plura eo ipso quod plura sunt inæqualia. Cadit igitur ab æqualitate inæqualitas: est igitur æqualitas æterna. Sic & nexus æternus, quia ante pluralitatem. Plura enim necessariò sunt ab inuicem diuisa. Diuisio uero cadit à connexione. ante igitur omnem diuisionem est connexio procedens ab unitate & æqualitate eius. Sic patet unitatem, æqualitatem, & connexionem, ante omnem multitudinem inæqualitatem & diuisionem, æterna esse. & cum non possint esse tria æterna, cum ante omnem multitudinem sit unitas, quam multitudo præsupponit, sicut inæqualitas præsupponit æqualitatem, & diuisio præsupponit connexionem: ideò unitas, æqualitas, & connexio non sunt tria æterna, sed una æternitas. sic non sunt tria: quia si essent tria, essent tria æterna. Non est igitur aliud unitas, aliud æqualitas, aliud utiusq; nexus. quia tunc essent tria: & tria æterna. nec tamen propterea unitas, est æqualitas, aut connexio, cum æqualitas sit genita ab unitate. genitum autem, non est generans: nec nexus, est unitas, aut æqualitas quia ab ipsis procedit. procedens autem, non est illa à quibus procedit. Patet igitur, quomodo in essentia diuini amoris, unitas amoris, æqualitas amoris, & nexus amoris, non sunt tres amores: quia unus amor, non est aliud ab alio, li

Amor ad mẽdi subsistentiã necessarius.

Vnitas. Aequalitas.

Connexio.

Amoris diuinitas, æqualitas, nexus, idem.

alio, licet unitas amoris generantis, non sit æqualitas amoris geniti, aut nexus amoris utriusq; ab ipsis procedens.

## DECLARATIO SANCTÆ Trinitatis. Cap. VIII.

NVnc patet, quod qui non attingunt, non aliud non esse idem, & non idem non esse aliud, non possunt capere unitatem, æqualitatem, & nexum esse idem in essentia, & non inter se idem. ideò trinitatem in deitate non capiunt, nisi in tribus dijs. CHRISTVS autem nos docuit, Deum patrem uiuificare, & filium eius uiuificare, & etiam spiritum procedentem ab utroq; uiuificare: ut in Euangelio eius per Ioannem apostolum descripto legitur. Non sunt tamen propterea nec tres uiuificatores, nec tres dij uiuificantes: licet pater non sit filius, nec spiritus sanctus ab illo & filio procedens. Palàm est, illos qui hæc non capiunt, non habere conceptum perfectionem de Deo perfectißimo: sed sibi fingere Deum quendam nequaquàm ultima felicitate felicem, innaturalem, sterilem & infœcundum, carentem dulcedine paternalis & filialis atque utriusque amoris & gaudij, atq; perfectione fœcunditatis. non attendentes Deum per Esaiam dixisse: Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus. Si ego, qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero? Dicit Dominus Deus tuus. Neq; possunt Arabes hunc Esaiam prophetam respuere, cum in Alchoran nullus prophetarũ respuitur, sed omnes acceptantur.

Dei perfectio.

## AENIGMA, LICET REMOtum, benedictæ Trinitatis. Cap. IX.

OPortet in istis ad ænigma recurrere quousq; habeamus intellectum exercitatum. Vidi aquam magnam inter rotundas ripas sine alterius aquæ influxu & effluxu semper eiusdem quantitatis, habentem in circuitu fœcundas arbores, segetes, & prata: & rustici propè habitantes non sufficiebant laudare aquam qua nullam putabant dari meliorem. Admirabar quomodo non diminueretur & exiccaretur, cum non uiderem riuulum in ipsam fluentem, & cur non putresceret, quia stagnalis apparuit. Accessi propius, & subtiliori consideratione diu habita, comperi in medio fontem apparere. & hoc, ex flumine, qui effluit de centro uidebatur, sic esse iudicaui, & dixi: Hæc forte est ratio, cur hæc aqua nunquam minuitur, quamuis arboribus et seminibus atq; herbis præstet, unde uegetentur: quia uiuus fons non sinit ipsam imminui, & quamuis sit stagnalis inter ripas, tamen continue innouat seipsam, quia procedit ex fonte & fluuio fontis. Non igitur putresc



it, nec corrumpitur, quia non antiquatur sed semper ex fœcunditate fontali innouatur. Vnde uidi ipsam aquam, esse fontem, fluuium & stagnum, & hoc æqualiter: quia non magis fuit fons, quàm fluuius, & stagnum. & in stagno fluuium & fontem, nec tamen fons fuit fluuius uel stagnum, nec fluuius fons uel stagnum, nec stagnum fons uel fluuius. Nec hæc uidi, nisi intellectualiter considerans fontem de se generare fluuium. Ideò fons & fluuius, differunt ut generans & genitum, siue ut pater & filius. Nec stagnum, potest esse fluuius, uel fons, à quibus procedit. & dixi: fons, unitas: fluuius, æqualitas: nexus utriusq;, stagnum. Concluſi igitur: quoniam si ad æternitatem dimisso ænigmate ascendero, ipsam ueriori modo comperio trinam & unam, quàm hanc uisibilem aquam. & facilius, superius dicta, de generatione & processione æterna, indubia fide credidi. Dixi etiam in Alchoran scribi: ex aqua omnia uiuentia esse. Igitur si aqua ista dat uitam uegetatiuam omnibus circumstantibus arboribus et seminibus & herbis, sine sui diminutione: quanto magis creator aquæ huius, omnibus creaturis dat omnia sine sui diminutione? aquam in aqua uidi fontem, fluuium, & stagnum: transsumo ad absolutam essentiam, de qua omnia quæ sunt id quod sunt, recipiunt, tam illa quæ sunt quàm quæ sunt & uiuunt, & quæ sunt, uiuunt & intelligunt.

Aqua eadem fons fluuius, et stagnum.

Æternitas trina & una.

## ITERVM EX TRIBVS PERsonis manuductio. Cap. X.

ADhuc attende. Non ita dicimus esse plures humanitates, sicut plures homines: sic non est idem humanitas, & homo, sed idem est deitas & Deus, propter simplicißimam essentiam diuinam. Vnde sicut non sunt plures deitates, ita nec plures dij. & non sunt nisi tres personæ in humanitate, scilicet ego, tu, ille. Vnde ueraciter dico, Ego sum homo, tu es homo, ille est homo. & sunt tres illæ personæ eiusdem humanitatis. Vnde igitur haberent hoc illæ personæ, nisi creator Deus esset similiter trinus in personis, et unus in essentia? Potest igitur Deus ueraciter dicere: Ego sum Deus, tu es Deus, ille est Deus eiusdem deitatis, & non sunt tres personæ, tres dij: quia non sunt tres deitates, sed sunt unus Deus, quia una deitas, quæ Deus. Certum est etiam, tres personas in unitate, non esse unitatem seu singularitatem: & tres personas in numero, non esse nisi numerum & pluralitatẽ. nos autem dicimus tres esse diuinas personas in unitate, non in numero: & tres humanas personas in numero dicimus, ideò plures homines.

Deus & deitas idem.

Deitas una, ut Deus unus.

Necesse

## NECESSE EST ARABES FATERI Trinitatem. Cap. XI.

QVod autem Arabes oporteat hanc Trinitatem in diuinis fateri, patet. Nam nisi fatean tur, cum credant Alchoran esse librum ueritatis, conuincuntur Deo dare participem. Scribitur enim in Alchoran, quomodo Deus dixit Mahumet: Tibi quidem, qui legem & librum ignorabas, nostrum spiritum mittētes lucem præbuimus. Et alibi: Cum hoc tibi diuinitus missō, spiritus benedictus penitus iustus cor tuum penetrauit, ut eum eo castiges Arabice. Iterum alibi de Christo dicit: Iesus Mariæ filius, Deiq; nuncius, suusq; spiritus & uerbum Mariæ cœlitus missum existit. Iterum alibi: Ipse namque Deus, & suus spiritus benedictus, hunc Alchoran librum ueracißimum composuerunt. Consimilia in multis alijs locis Alchoran habet. Vnde cum spiritus Dei benedictus non poßit dici creatura, & missus spiritus non sit à seipso missus, ideo nisi dicas ipsum esse tertiam personam in diuinis, & à patre & filio missam (quia dicit in plurali mittentes) necesse erit quod ponas plures deos, scilicet mittentes & missum. Iterum uerbum dei cœlitus missum, est Iesus Mariæ filius. & non potest uerbum dei esse creatura, quia uerbo domini omnia sunt creata. Verbum igitur dei, deus est. Si igitur est deus, & nō est secunda persona quæ filius dicitur, scilicet uerbum patris, erit necesse, quod ponas plures deos, & uerbum dei particeps deo. Vide quando uis hoc negare, quod uerbum dei nō sit filius dei eiusdem naturæ cum patre, ne uidearis deo dare participem, tunc tu das deo participem. Et hoc etiam probatur ex illa autoritate: Deus & spiritus eius librum compo suerunt. Si deus & spiritus non sunt duo dij, sequitur quod spiritus sit persona in diuinis. Oportet igitur Arabes de necessitate fateri trinitatem: aliàs sunt increduli, dantes deo participem. Adhuc sic: Euangeliū fatemini librum lucidißimum & ueracißimum, in illo continetur unum esse deum patrem & filium & spiritum sanctum, nihil igitur in contrarium allegari potest per uos, quando hoc uobis ex Euangelio ostenditur, cum nō sit minoris autoritatis Euangelium quàm Alchoran, ut Alchoran tradit. Quod autem in Euangelio reperiatur, certum est. Legitur enim in ipso, Christum dixisse: Vnus est bonus deus. Item: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Item: Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater. Alibi: Spiritum ueritatis, qui à patre procedit. Et iterum Christus mandat: Baptizantes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ex quibus & alijs Euangelij locis clare colligitur,

Trinitatis assertio etiamin Alchorano.

Euangelij auctoritas, Alchorani testimonio.



unum esse Deum patrem, & filium, & spiritum sanctum. Et hæc de sancta trinitate dicta sunt.

## CHRISTVM VERACITER fuisse mortuum & crucifixum. Cap. XII.

REstant non paruæ discordantiæ Alchoran ab Euangelio elucidandæ. Scribitur enim in Alchoran, Cap. XI. Christum non fuisse mortuum, sed alium quendā Christo similem Iudæos suspendisse, sed Christum nullatenus interfecisse, quia deus incomprehensibilis & sapiens eum ad se transmigrare fecit. in quem uiri legum ueraciter ante mortem credent, & eorum seculo futuro testis astabit ille. Hæc ibi. Sed Euangelium & cunctæ scripturæ alborum seu discipulorum atque historiæ temporum, concorditer affirmant, non solum Christum mortuum, sed etiam secundum scripturas prophetarum de Meßia taliter, ut prædictum, reperitur mortuum esse. Et quia secundum libri sequaces, Alchoran non debet intelligi quasi sibi contradicat: & cum Euangeliū & prophetas approbet, ideo intellectus quærendus, quid in his prædictis intelligi uelit. Et primo eliciamus conformia Euangelio, in quo scribitur demum Christum unum pastorem, & uniuersum hunc mundum, unum eius ouile futurum. Conformiter asserit Alchoran, omnes uiros legum tam ueteris testamenti quàm noui, atque legis Arabum, in ipsum ante diem iudicij ueraciter credituros. Totum autem studium Alchoran, est persuadere, in solum Deum credendum. Et quia hic asserit, quod omnes uiri legum ueraciter in Christum credent: utique Christum à diuinitate non separat, nec alienum facit, sed diuinæ naturæ ipsum esse tacite affirmat. Sic aiebat Christus in Euangelio: Qui in eum crederent, in deum patrem crederent qui eum misit. Secundo asserit Euangelium & Alchoran, extremi iudicij eundem iudicem & testem. Hunc autem iudicem Euangelium dicit Christum esse. Hoc & Alchoran hic tacite approbat, cum dicat Christum testem illorum sibi fidelium in futuro seculo. Per consequens fatetur Christum etiam, et iudicem, sicut & Euangelium. Non erit autem iudex secundum Alchoran, nisi Deus creator. Erit igitur CHRISTVS homo, quia iudex etiam deus. Dicit autem Alchoran Cap. 48. Tu Deus omnium conditor, cum prophetis interfectis accedens, omnia cum ueritate iudicabis. Attende, si deus iudicabit cum interfectis prophetis, & Christus est super omnes, qui non deerit in iudicio: etiam secundum Alchoran (ut patet ex præmißis) erit & ipse de interfectis prophetis primus, & supremus, et ipsa ueritas, et demum uerbum uerax, per quod omnia iudicabuntur secun

Christum nō esse mortuum affirmat Alchoran.

Alcorani scopus.

Christus iudex & testis in extremo iudicio futurus.

dam allegatum locum Alchoran. Vnde recte ait Euangelium: Deum patrem omne iudicium dedisse filio suo, quia & filius hominis est. Per formam enim humanam iudicat homines sibi similes filios Dei esse, sicut ipse est, & ita erunt filij immortalis uitæ, et dissimiles, filios æternæ mortis existere. Vnde patet secundum piam interpretationem Alchoran, hæc secreta non nisi sapientibus uoluisse reuelare. Ideò ait, illum nihil secretorum subticere, & solis sapientibus facilem esse Alchoran, alijs autem difficilem. Non erant enim rudes Arabes, quos ait Alchoran omnium incredulorum pessimos, aperte de secretis in illo principio informandi. Quod si Machumet ipsis simpliciter Euangelium prædicasset, & non dedisset propriam legem, acceßissent ad legem Christianam, quam penè sexcentis annis refutarunt. Prædicauit igitur ipsis, quomodo essent Ismaelitæ, & ab Abraham ortum habuissent: quodq; tam Iudæi quàm Christiani illum uirum ut prophetam laudarent, & eius fidem approbarent, per quam à deo maxima esset hic & in alio seculo assecutus. et cum hoc facerent gentiles, qui sequendo Abraham eiectis idolis, aliquam aut Moysi aut CHRISTI legem fouerent: à fortiori ipsi, qui ex Abraham nati essent, facere deberent. Quodq; deus ipsum Machumet in suum nuncium ad eos elegisset, & præciperet eis, Abrahæ fidem & legem acceptare, uiri scilicet optimi et fidelis, nec Iudæi, nec Christiani, quos anteceßisset. qui eiectis idolis, se ad uniuersorũ creatorem conuertit, ipsumq; adorauit, eiq; obediuit. similiter & posteri eius Isaac, Iacob, et duodecim tribus Israel. Hoc modo persuasit multipliciter idolorum culturam abijci, quam prius ob Euangeliũ nunquam abijcere curarunt, maxime quia Euangelica perfectio eis grauis uisa est, & talis, quod eorum parentes eam acceptare timebant, edocti (ut et Alchoran continet) eos qui Christianitatem acceptant, & non seruant mandata, plus omnibus deum offendere, & grauißime in inferno cruciari. Quare Machumet ipsis secreta Euangelij occultabat, credens quod sapientibus in futurum pateſcere possent, sicut etiam sanctum Euangelium multis mansit in principio obscurum & incognitum, & succeßiue est magis & magis apertum. et nisi hoc expediuisset, CHRISTVS uulgò non fuisset parabolice locutus.

Alcoran, solis sapientibus facilis.

Arabes.

Machumeti prædicatio qualis.

Abraham.

Euangelica perfectio grauior uisa Arabibus.

## QVOD CRVCIFIXIO sit Christi exaltatio & glorificatio. Cap. XIII.

NVnc aduertamus, ut mysterium eliciamus mortis Christi: quomodo intelligendum sit, Christum non fuisse in cruce mortuum. Primo



certum est ipsum concordare cum Euangelio, quod Christus uiuat. Si igitur uiuit, & expectatur ut redeat in mundum, ad conuertendos omnes uiros legum, utique ex hoc constat, Christianos qui eius Euangelium acceperunt, non accepturos aliud Euangelium ab ipso, cum illud sit perfectum etiam secundum Alchoran. Alij igitur si libros sequuntur Euangelij cõtrarios, aut discordantes, utique necesse erit illos proijcere, & Euangelium amplecti. Non sunt igitur illi in uia recta, sed tunc primum erunt. Absurdum est igitur ualde, Arabes persequi Euangelij obseruatores: ex eo capite. quia eorum Alchoran, secundum ipsorum intellectum non concordat. Faciunt enim contra Alchoran, in eo quod persequuntur credentes, & in ipsis Euangelium, in Alchoran approbatum. Dicunt fortè: Christiani in eo non sunt Christiani, sed blasphemi, quod credunt Christũ dei uerbũ, per perfidißimos Iudæos in cruce suspensum. Respõdent Christiani: Alchoran post mortem Christi quasi sexcentis annis compositus, approbat Euangelium tempore mortis Christi scriptum, & prophetas qui ante mortem CHRISTI prophetarunt, Christum tunc uenturum quando uenit, ita facturum sicut fecit, ita moriturũ sicut mortuus est. Et attendendum, quomodo Gabriel angelus Danieli reuelauit, post 62. hebdomadas Christum occidẽ debere, ut legitur Danielis 9. Cap. quemadmodũ & factum fuit. Ille enim Gabriel angelus hæc reuelauit prophetæ, quem ponit Mahumet, sibi Alchoran intimasse. Quomodo igitur hoc stabit, quod Gabriel iußu dei mortem Christi prophetæ prædixerit, & † eidem lapso tempore illo prius per ipsum prædicto, dicat, ipsum nõ fuisse mortuum, deum & se mendaces facienss? Adhuc considera, quomodo Christus ante mortem sic se in cruce moriturum suis discipulis prædixit. Ita concorditer dicunt historiæ illius temporis: & sic tenuerũt omnes tam Christiani, quàm Iudæi & gentiles, ante Mahumet quasi sexcentis annis. Vnde debet argumentum sumi, quod si Alchoran hoc negat, utiq; Euangelio est potius standum, cum nullam rationem aßignet. Dicũt autem quidam compositori Alchoran uisum fuisse, hoc esse blasphemũ, & de tanto propheta credi non debere, quasi non dicat ad eius honorem. Sed si hoc sic putauit, utiq; mysteria crucis Christi ignorauit. Crucifixio enim Christi, est ipsius Christi exaltatio, et glorificatio, Christianorum iustificatio & uita, & omnium hominum resurrectio. Multi fuerunt reges & principes, qui Christianos deridebant & persequebantur, eò quod crucifixum colerent, uti Egeas in Achaia Andream primum Christi discipulum: cui apo-

Euangelium ab Alcorano approbatum.

Christi mors Danieli prædicta.

idem

stolus

Mysteriũ crucis Christi.

stolus respondebat, hanc derisionem euenire ob ignorãtiam mysteriorum mortis CHRISTI in cruce, quæ per gentiles capi non poterant. Et Paulus apostolus, dum de cruce CHRISTI prædicaret, licet Iudæis esset scandalum, & sapientes mundi Græci hoc stultitiam reputarent: tamen non tacuit, quousq; redemptionis mysteria Christianis aperiret. Certum est igitur, quod Alchoran illis Arabibus, si sine mysteriorum apertione CHRISTVM crucifixũ aperte asseruisset, CHRISTVM in eorũ mẽtibus nõ magnificasset. Voluit igitur secundum piam interpretationem, occultare ipsis uilem mortem, & quod adhuc uiueret & uenturus esset, affirmare. Quoniam eius resurrectionem à morte, per potestatem quam habuit animam suam ponendi & iterum assumendi (ut in Euangelio fatetur) non potuisset persuadere, nisi ipsum non solum hominem, sed & deum ostendisset: quod unitati dei, quàm prædicabat, aduersari putabat. Nec conueniebat fidei suæ asserere, ipsum iam à morte resurrexisse, ut statim dicetur. Ideò sic fortè locutus est. Dicit tamen hæc taliter, quod sapientes elicere possunt, Euangelium uerißimum esse ut putabat.

## QVOMODO DEVS ANImam Christi ad se reduxit, ipsum transmigrare fecit & assumpsit. Cap. XIIII.

ALchoran recitat, quod cum increduli fraudulenter cum CHRISTO agerent, scilicet studentes ipsum per mortem extinguere, delusi sunt. Quem creator taliter affatus est: Ego tuam ad me reducens animam, & exaltans, ab incredulis te liberaui. Post hoc alibi dicit, quomodo deus ipsum CHRISTVM ad se transmigrare fecit. Iterum alibi dicit, CHRISTVM per deum ad se assumptũ. Hæc omnia ordinate Christiani sic esse affirmant. Nam Euangelio teste, dum clamaret uoce magna in cruce ad patrem, ut quid eum dereliquisset, et subiungeret, quod in manus suas commendaret spiritũ suum, quem sic clamando emisit: tunc hoc uerificatum est, quod deus animam eius ad se reduxit. Idem enim est anima & spiritus. Sed per resurrectionem, uerificata est trãsmigratio. Iuit enim per mortem ad uitam immortalẽ. Sic eum deus ad ipsum, qui solũ habitat immortalitatẽ, transmigrare fecit: & hanc transmigrationem Christiani pascha nominant. De quo etiam Alchoran meminit. Vltimò in ascensione Christi ad patrem assumptio uerificata existit. Negat autem Mahumet, Iudæos eum peremisse: sed dicit, aliũ illi similem ipsos suspendisse, nullam faciens unquàm de cruce mentionem. Aduerte Mahumet

Christus Alchorant testimonio ad deũ receptus.

Pascha.



sic forte argumentari uelle: CHRISTVS uiuit, ergo per Iudæos non est peremptus. Si enim peremptus fuisset, quomodo uiueret, nisi resurrexisset? Resurrectio autem mortuorum nondũ ad uenit, sed uentura est dies in qua omnes resurgent & redibunt. Ante illum diem omnia quæ uitam habent, siue angeli, siue homines, siue alia animalia, extingui necesse est: ut omnium resurrectio & reditio fiat. Christus igitur qui uiuit, quod certũ est, nunquàm fuit peremptus. morietur tamen tandem, & in die resurrectionis resurget. Hæc est Mahumet persuasio, quæ in Alchoran licet sparsim, continetur. Tamen Cap. 48. dicit: Primo quidem buccinæ sonitu morti succumbũt omnia, nisi quæ dei dextera protexerit. Secundo sonante, reuiuiscunt. Et hæc nota propter sequentia. Et aduerte, quod Mahumet tenet solum deum resuscitatorem mortuorũ, & quod resuscitati & resuscitandi non debent censeri resurrexisse à mortuis. Ideò oportet illos denuò mori ante diem resurrectionis. Deinde considera, inter diem mortis & diem resurrectionis secundum ipsum nullum sensibile tempus currere. Ita quod Abel filius Adæ primus mortuus, quãdo resurget, non iudicabit se diutius fuisse mortuum, quàm ille qui statim ante diem resurrectionis morietur. Dicit enim Cap. 55. in fine: Die namq; iudicij, qua patebit singulis mandatũ nostrum, accedẽt singuli quasi non morati, nisi per diei horam unam. Sic dicit etiam Cap. 29. & in alijs locis sæpißime. Ob hoc de illo medio tempore post mortem, & ante resurrectionem non facit æstimationẽ, licet dicat, illos qui propter deum mori uidentur, non mori. Sic etiam in Alchoran scribitur: Obsequio dei peremptos nemo mortuos existimet, sed illos potißimum uiuos et sanos. & alibi: Obsequio diuino, deiq; dilectione mortem subeũtibus, diuina pietas gaudia præbens, superuenit. Et iterum: In uijs dei morientes, nequaquàm mortui dicendi sunt. Illi nanq; de bono dei dilectioneq; gaudentes, apud deum uiuunt: expectantes post se relictos, nihilq; timẽtes. Vnde licet dicat, omis anima mortem gustabit, tamen cum Euangelium dicat, non debere timeri eos qui cum corpus occiderint, non habeãt quid amplius faciant, quia animam occidere nõ possunt, sed eum qui etiam ultra hoc potest animam mittere in gehennã. Ideò secutus est Euangelium & libros sapientiæ, quomodo iusti, licet oculis insipientium uideantur mortui, sunt tamen uiui & in pace. Et nihilominus animas talium demum mortem gustaturas affirmat, ut resurgant in generali resurrectione, quam appellat diem ueritatis. Dicit enim sic in Alchoran: Die ueritatis, qua resurgent animæ & angeli,

Christum a Iudæis crucifixum quomodo neget Alchoran.

Internallũ inter diem mortis & resurrectionis.

Dies ueritatis

Et in doctrinis ad Abdalla: In die illo mandabit deus angelo mortis, ut omnem creaturã ſpiritũ habentẽ interimat, tam angelos omnes, q̃ diabolos omnes, quàm homines, aues, piſces, beluas et pecora. Sic enim ait in Alchoran: omnia mortua præter deũ. Et ſubiungit: Quomodo Adriel angelus mortis, demũ ſeipſũ interimet. Poſt ſequitur reſurrectio, ſic dicẽs: Tunc Raphael accepta tuba, cuius longitudo quingentorũ annorum, ſtans in Hieruſalem, inſufflabit tubam, & efflabit omnes animas interim ſibi ſeruatas, quæ euolabunt ad corpora ſua. Secundum hanc opinionem certum eſt, CHRISTVM non eſſe peremptum à Iudæis, quo ad animam. propter deum enim, ipſum interfeciſſent: & tales non debent cenſeri mortui. Vnde id quod Iudæi Chriſtum ſuſpenderunt, falſum eſt omnino. Sed id quod ſequitur in Alchoran, Profitentes etiam ſe ſuæ cædis auctores, cordibus ſuis non minimam ambiguitatẽ inde gerunt, ſed eum nullatenus interfecerunt: eſt bene conſiderandum. Videtur enim, quod ex his uerbis non negetur, quin Iudæi cædis Chriſti auctores eſſe poſſint: licet ipſum non interfecerint. Non negatur igitur, Chriſtum crucifixũ in toto, Alchoran: quam crucifixionem non Iudæi, ſed Pilatus facere poterat, modo quo dicit Euangelium.

## DE RESVRRECTIONE IESV Chriſti. Cap. XV.

Chriſti reſurrectio aſſerta in Alchoran.

QVod autem CHRISTVS expers malorum, mortuus, & ſua uirtute iterum uiuus acceſſit, ex Capite uiceſimo octauo, medio ſcilicet, Alchorã uidetur manifeſte haberi. ubi Chriſtus poſt multa ſic ſcribitur locutus: Deus me uirum nõ difficilem, ſed malorum expertem creauit: & ſuper me eſt diuina ſalus in die meæ natiuitatis & mortis, à qua uiuus iterum accedam. hoc eſt de Chriſto Mariæ filio uerbum uerax, in quo tamen plurimi diſſentiunt. Ecce dicit de die mortis, & non de die generalis reſurrectionis, ſicut dicit alibi de Ioanne Zachariæ. Vbi dicit, quod diuina ſalus ſuper ipſum Ioannem die nati uitatis, mortis & reſurrectionis. Et ideo intelligo, CHRISTVM anteillum diem mortuũ, & iterum uiuum acceſſiſſe, modo quo Euangelium hoc recitat. Vnde non eſt uerum, CHRISTVM & omne uiuum mori ſonante buccina, aut per Adrielem mortis angelum, ut in doctrinis Machumet legitur. Ideo pro correctione illius aſſertionis Capite quadrageſimoſecundo adijcitur: Omnia morti ſuccumbere, niſi quæ dextera dei protexerit, etſi aliquis ſit illa protectione dignus, utique CHRISTVS erit, quo nullus dignior. imò ipſe eſt illa dei manus dextera, ſeu potentia: per quam deus fecit, & facit, atq; faciet omnia. Facit ad hoc id quod legitur in Chronica Machumet & ipſi ſucceſſorum regum, Mariam matrem IESV poſt ipſum quinque annis ſuperſtitem fuiſſe, & quinquaginta quatuor annos uixiſſe. Sed dicite nobis magiſtri legis Arabum: Si propter deum interempti non ſunt mortui, quia apud deum uiuunt: utique anima illorũ à corpore ſeparata uiuet. debetne anima illorum poſt hoc die occiſionis omnium uiuentium mortis & ſi dicitis quod ſic: Nónne ille dei amator, in uia dei ambulans, qui ea die interficitur per angelum mortis, etiam non moritur in anima, ſicut ſi dudum ante fuiſſet interfectus? Si ſic: Non erit igitur ille ſecundũ animã dei generalis reſurrectionis mortuus, quare nec prius interempti propter deum. Non enim erunt peioris conditionis. Anima igitur omnium talium nunquàm morietur, neque reſurget: licet homo totus ex anima & corpore, qui mortuus fuit, reſurget. Et quia non eſt conueniens, dicere animã peccatoris mortuam, & extinctam, à deo reſuſcitari ad finem, ut ardeat æternaliter in gehenna: ideo CHRISTI doctrina, animam non poſſe occidi, utique uerißima eſt. Oportet ergo, quod id Alchoran, Omnia mortua præter Deum, intelligatur in comparatione ad Deum: qui ſolus habitat immortalitatem. A quo omne uiuens in tantum uiuit, inquantum ipſe deus illi tribuit. Sed deus tribuit animæ intellectiuæ ut libere uiuat, & iudicetur ſi errorem ueritati præfert. Non deficiet igitur, cum ſit ſubiectum diuini iudicij. Animalia uero ratione carentia cum non poßint iudicari, & ad iudicium ipſa reſurgere non ſit neceſſe, in uanum reſurgerent. Et quomodo eadem animalia reſuſcitarentur, anima priore non redeunte in corpus, quæ penitus per mortem fuit extincta, & in nihilum redacta? Sic anima intellectiua cum creetur ex nulla præiacenti materia, ſi ipſa per mortem in nihilum redigeretur, quomodo eadem reſurgeret? Ita nec angeli, nec dæmones reſurrectione opus habent: cum ſint intellectualis naturæ, & iam iudicati. Neque opus eſt ut cuncta non iudicanda ad deum, à quo ſunt, redeant: cum apud ipſum nihil tranſeat in obliuionem, ſeu præteritum. Oportet igitur Arabes intelligere talia Euangelio diſſona, modo quo Chriſtiani Euangelio inhærentes. Ideò non ſine optima cauſa Alchoran Euangelium ſæpe lucidißimum aſſerens, rectam uiam eſſe dicebat. Non eſt igitur aſſerendum, CHRISTVM iterum moriturum, & demum cum alijs reſurrecturum, ſed uerè à mortuis reſurrexiſſe.

Adriel.

Anima immortalis.

Euangelium eſſe lucidiſſimum, uiam rectam, & aſſertu Alchoran

## MYSTERIVM NATIVITATIS & mortis Christi. Cap. XVI.

Omnia a deo ad gloriæ suæ declarationẽ creata.

AT ut causam mortis CHRISTI in cruce uideamus, præmittendum, Deum omnia in ostensione gloriæ suæ creasse. Nam cum rex incognitus in gloria sua non possit censeri magis rex quàm non rex, & careat honore & beneficentia, ideò ut uideatur uirtus & gloria sua, ac per hoc magnus cognoscatur, honoretur, & glorificetur, omne suum studium applicat & conuertit. Non autem ostendit gloriam, nisi intelligentibus. Sic Deus creaturas intellectuales, capaces iudicij gloriæ & ueritatis creauit, ut cognoscatur. & propter illas, cũcta inferiora, quoniam propter semetipsum omnia operatus est, ut in cap. XCIIII. Alchoran dicitur, ipsum esse rerum principiũ & finem. Homo autem inter illas intellectuales infimum locum tenens, intellectum habet in potentia, indigens alio actu, qui ipsum de potentia in actum ducat. Positus est igitur in paradiso, dotatus innocentia: ut innocens sub obedientia dei uiuens, demum gratia dei ad uisionem gloriæ dei sui transferretur, & ea frueretur. Sed quia homo liber suasu diaboli elegit potius per scientiam ascendere, quàm per innocentiam et obedientiam: recusauit deo obedire, ut secundum promissa diaboli esset per se sciens bonum et malum. De paradiso perdita innocentia ei ectus existit: & qui prius, si stetisset, semper uiuere potuisset, factus est mortalis & ignorans, & propter hoc non fuit possibile, ullo unquam tempore ex omni studio suo ipsum ad immortalitatem & uisionem gloriæ dei pertingere, quæ ab omni mortali uideri nequit. Nec erat remedium, nisi ille qui ipsum ad hoc creauit, etiam denuò gratiose reformaret. Ad hanc igitur reformationem aptandam, probatus est homo, an lege naturæ, quæ ipsi concreata est, proficere posset. cui postea lex scripta superaddita, hominem erexit ad speranda promissa dei: primo in sensibilibus, deinde in intellectualibus. Et inter omnes prophetas, omniũ saluator Messias à deo mittendus, prænunciatus est aliquando uenturus, qui uirtutem dei habens, complete ipsum dei populum reformaret et saluaret: hic tandem diu expectatus, de cœlo summus legatus et dei filius, in forma hominis humilis & pauper et pauperis filius uirginis Mariæ, in hunc mundum ueniens, Iesus Christus nominatus, cum diuina potestate apparuit, se opere hanc potestatem & dei uirtutem palàm doctrina cœlesti & miraculis diuinis habere ostendens, ut uiderent in ipso deum patrem qui ipsum misit operari: & uerba quæ loquebatur, ueracis Dei esse. Cui Ioannes Zachariæ, testimonium certissimum dedit: & illa quæ apud patrem suum cœlestem uidit, enarrauit, & qui eius uerba receperunt, cõpererunt ipsum esse dei uerbum ueracissimũ. Dedit igitur ipse dei filius dilectus, omnibus qui crediderunt eum dei filium, potestatem filios dei fieri. Nam in hoc fuit omnis diligentia eius, ut crederetur filius & uerbũ dei. tunc enim, firma fide cuncta quæ annunciaret reciperentur, & promissis eius de regno futuro cœli, resurrectione à morte, et æterna uita indubia fides adhiberetur, & eius præcepta seruarentur. Quis enim peccaret, quando ex uerbo dei indubitato sciret, peccatum inferre mortem perpetuã? & quis non obediret usq; ad mortem, quando non hæsitaret in uerbo dei, sibi pro temporali morte uitam perpetuam à deo optimo remuneratore tribuendam? Quomodo enim homo dubitare poterit in promissis, qui certissima fide ea dei promissa esse credit? Intrauit igitur Iesus in hunc mundum, sine quacumq; carnis concupiscentia & uoluntate uiri, morti nequaquàm obnoxius, quæ ob actuale peccatum primorum parentum & originale eorum, eorundem filiorum ex carnis cõcupiscentia genitorũ, cunctos quos permisit deus inuasit. Erat igitur innocẽs Iesus, liber à morte: qui nec in peccatis natus est, nec ullum unquàm peccatum fecit. Reuelauit ea de patre cœlesti & eius regno et gloria, quæ sibi soli nota erant, & nulli alteri: cum nemo patrem unquàm uidisset in hoc sensibili mundo, ubi non uideri potest, & se uiam, uitam, & ueritatẽ propalauit. Scripturas aperuit, quoniam de ipso erant: & quod ipse medicus,, contra omnes infirmitates corporis et animæ, etiam contra mortem esset, facto & doctrina patefecit. Quodq; ipse rex & Messias esset: licet regnum suum de hoc mundo non esset, atque hunc mundum, & hanc sensibilem uitam pro nihilo habendam, comparatione futuri seculi & uitæ, uerbo & facto manifestauit. Et post multa signa & miracula, ut ostenderet hanc uitam propter ueritatem & regnum immortalis uitæ contemnendam, & deo usque ad mortem etiam crucis turpissimam obediendũ: ipse qui esse potuit immortalis, si uoluisset, mortuus est. Sic deum patrem suum, qui ita uoluit, clarificando: & morte sua innocentissima omnibus hominibus ipsum per fidem recipiẽtibus & induentibus, æternam secum uitam promerendo. Meruit enim cõsummata mors innocẽtissimi unigeniti filij dei, quam in humana natura passus est, redemptionẽ omnium captiuorum per satanã, mortis auctorem. in qua Christi morte, quisq; fidelis eidẽ incorporatus, mortuus est, et uitã meruit. In morte igitur crucifixi Messiæ commortui omnes fideles, meruerunt uitam sibi perpetuam in CHRISTO retribui. Resur-

Hominis lapsus & restitutio.

Christi incarnatio.

Christus per se morti non obnoxius.

Christi mors.

Resurrectio.

rexit autem die tertia propria uirtute, qui habuit potestatem ponendi animam in morte, & iterum sumendi eam in resurrectione. Vnde eius resurrectio est, per quam omnes homines resurgunt, qui cum eo eiusdem sunt humanæ naturæ, quæ in ipso est uitæ immortali unita. Resurrexit autem tertia die, ut facto probaret resurrectionem mortuorũ credendam, quam docuit die iudicij expectandam. Ipse est igitur, in cuius morte morimur, & in cuius resurrectione uiuificamur: & per quem accessum habemus ad Deum patrem creatorem, ad uidendum ipsum in gloria sua, & cum eo ipsum CHRISTVM IESVM eius filium semper benedictum. Ex his perquàm breuiter tactis, constat mortem Christi iu cruce ignominiosam, maxima habere mysteria, & fuisse tam fidelibus necessariam, quàm CHRISTO gloriosam, qui mortuus est, ut clarificaret patrem: & ostenderet, quantus ille est cui Messias in suo corpore, & turpissima & dolorosissima morte usq; ad omnium terribilium terribilissimum ostendit obediendum: & quanta est illius dei pietas & remuneratio fidelium, qui omnibus Christiformibus ob filij sui mortem eis communicatam, cum eodem suo dilectissimo filio regnum uitæ retribuit possidendum. Hæc mors CHRISTI crucifixi, IESVM clarificauit esse diuinæ bonitatis filium. Quoniam non fuisset adeò pius, misericors, & uoluntarius ad obediendum usq; ad mortem inclusiue, nisi perfectissimus fuisset & deiformis, sic reuelans patrem per testimonium in sanguine suo, deum esse supra omnia amandum, & sic ei seruiendum, & eius præcepta implenda, & uitam futuram magnificandã usque ad huius miseræ uitæ contemptum. Ostendit etiam promissa patris sui, et quæ de seipso prædixit impleta: & ueracem esse patrem, seq; eius ueritatem: omnemq; scientiam & scripturarum mysteria, atq; quantum sit pater de cœlis ab omnibus diligendus, patefecit. Hæc sciunt filij lucis, qui Christum sequuntur: & filij tenebrarum, huius mundi amatores, spiritu Christi carentes, ignorant.

Christus mortẽ suã uel maxime Dei filius declaratus.

## DE FRVCTV MORTIS Christi. Cap. XVII.

Diceret aliquis zelosus Arabs: Si mors Christi clarificat patrem omnium creatorem, utique potens & laudabilis est, & de hac re iocundum esset plenius informari. Zelo illius uiri, conabimur pro nostra paruitate aliqua adhuc aperire: ut quisque sic esse non hæsitet. Nam cum non sit dubium, peccata diuidere inter deum & hominem, ut ait propheta, dicens: Peccata uestra diuiserunt inter uos & deum uestrum. & hinc Dauid propheta imitator dei ait: Iniquos

Peccata diuidere inter deum & homines.



odio habui: hoc quidem peccatum potest esse ab ortu, ut sic in peccatis conceptus à matre existat ex immunditia et uoluptate carnis, ut idem propheta se conceptum asserit. Et quoniam omnes sic ex Adam à matre ex uoluntate uiri concepti sunt, & nemo mundus illa munditia quæ est deo grata, Iob dicente: Nunquid iustificari potest homo comparatus deo, aut apparere mundus natus de muliere? Nascimur enim filij iræ cum spiritu concupiscentiæ carnis, qui non est de regno intellectuali cœlorum dei nostri incorporei, & experimur ex pronitate ad malum, quam ab adolescentia habemus, nos non moueri spiritu dei bono, & hoc in nobis dei dono experimur. Deus enim sic hominem composuit, ut malo uiso expauescat: ut ait Cap. 79. Alchoran. Quapropter nullus est ex Adam uia cõcupiscentiæ natus, qui non sit à deo, uel uitio originis, uel peccati actualis separatus: solo Christo excepto. Qui; attestãte etiam Alchoran, à matre uirgine Maria, quæ nunquàm mala operata est, sine uirili semine seu carnis uoluptate, mundissime natus exiliit. Et non est natus filius iræ & odij aut abominationis, sed mundissimus: quare deo inter omnes qui fuerunt & erunt homines, dilectissimus. Hic utique nullum unquàm fecit peccatum actuale. Ipse enim est de quo scriptum est: Qui peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et ita à deo nunquàm diuisus, seu separatus. Hunc diuina sapientia, in sui unionem assumpsit. Nam sicut sapientia maliuolã animam & corpus subditum peccatis abominatur, sic dilegit sanctam animam, & corpus ab omni peccato mundissimum, et sibi perpetuo fœdere desponsat. Ipse est igitur primogenitus similiter, & unigenitus filius regis uirtutum, qui est rex gloriæ. Nam si (Moyse teste) Deus dixit, filius meus primogenitus est Israel: negari non potest Christum in Israel, omnium primum qui Messias, atque ipsum primogenitũ dei in orbem terrarum missum, qui & simul est unigenitus dei filius, ut ipse Christus ait: Qui non credit in me, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Si igitur hunc suum dilectissimũ primogenitum & unigenitum filium deus dedit pro salute mundi, utiq; maxime mundũ dilexit. Quod autem hoc fecit, attestatur Euangeliũ quod dicit: Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitũ daret. Nónne empti sumus precio magno? puta preciosissimo sanguine unigeniti filij eius, ut simus dei, qui fuimus sub principe tenebrarum. Ait enim Alchoran, quod Adam à deo præceptum minime operatus, ius mortale subiuit. Vnde totum genus humanum ob peccatum primi parentis spoliatum innocentia, quæ sola in regno cœlorum

Christi natiuitas.

Christus primogenitus patriter et unigenitus dei filius.

locum

locum habet, subditum principi huius mundi æternaliter damnatum, ad priuationem uisionis gloriæ dei, quæ mors est intellectualis naturæ, soluit debitum in morte unigeniti filij Dei, qui pro omnibus ipsum ut Meßiam & regem intellectualis uitæ recipientibus, mortuus est. Sic omnes in eius morte mortui satisfecerunt, & liberati sunt à seruitute principis mortis. Mors enim unigeniti, qui plus omnibus diligebatur à deo, preciosißima: abunde ideò satisfecit, quia fuit mors præcidentis dolorẽ mortis, ut ait propheta, quẽ omnes moriẽtes ignorant. Quare dicit idem: Vere languores nostros ipse portauit. Et dum ad fidelem, fidei patrem Abraham respicimus, quantũ ipse meruit, quia filium suum unigenitum Isaac ut deo placeret, in mortem tradere uoluit, statim uidemus quid meruit Meßias, seipsum in mortem tradens, ut Deo placeret, in redẽptione generis humani. Vide ineffabilẽ laudem dei patris, in eo quod filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Nonne meruit habere innumerabilẽ multitudinẽ filiorum & hæredum regni sui cœlestis, quemadmodum Abraham? Et quid meruit Iesus realiter turpißima & doloroßißima morte mortuus, quæ omnes dolores morientiũ excedit? Certe quia uitam dedit, resurrectionem, à mortuis meruit pro se et fratribus suis patri acquisitis: inter quos ipse est ut primogenitus, in multis fratribus principatũ tenens. Nec est regnum intellectualiũ cœlorum æstimandum, ut est regnum huius mundi: quod dum plures habẽt, quilibet minus habet, sed dum idem sine defectu ab innumeris potest uideri & intelligi, ipsum regnum intellectuale ab innumeris intellectibus potest à quolibet in solidũ poßideri. Intellectualis est uita resurgentiũ, ut sciant & delectentur se uiuere. Quæ esset remuneratio fidelis pro deo morientis, si maneret in morte, aut si nesciret se uiuere? potius homo optat nõ esse, quàm sine omni intellectu esse. Quare non resurgit homo ad uitam intellectualem, nisi in sapientia, quæ est sapida scientia, ut se sapiat & sciat uiuere. Sapientia autem quæ participatur in omnibus intellectũ habentibus, in Meßia magisteriũ habet. Participatione igitur illius magisterij, uiuit omnis in Christo resurgẽs, quia ipse est resurrectio & uita, quæ appetitur. Iam uidet quisq; zelosus, quantum opus reformationis humanæ naturæ excedit opus creationis, & quàm sapienter omnia sunt ordinata. Sapientia autem quæ omnia sapiẽtißime disposuit, tam circa mortem quàm resurrectionem Christi, licet nunquàm Christum dereliquerit, non tamen mortua est, Christo secundum humanitatem per separationem animæ & corporis mortuo, nec est alia sa-

Christi mors pro nobis, eiusque meritũ

Regnum cœlorum ut æsti mandum.

Sapientia.



pientia quæ assumpsit Iesum hominem, quàm illa sapientia patris dei creatoris per quam cuncta creauit, quam Alchoran, animam dei nominare uidetur, cum dicat animas hominũ participare tantum de anima dei, quantum ipsa sapientia relucet. Sed anima Christi plenitudini sapientiæ dei est unita. Ob hoc ait Alchorã, deum proprie animam suam Christo dedisse: et ipsum illam ab utero matris habuisse, certis miraculis exemplificat. Loquebatur enim, ut ait, matri suæ in puncto natiuitatis, ipsam confortando. Respondit tunc pro ipsa, illa die cum consanguineis malum de matre suspicantibus. Loquebatur quando uoluit infantibus, sicut senibus: & luto formato, ut homo aut auis fieret. Et ita factum, Machumet in doctrina sua & in Alchoran asserit. Sic locutus est cæco nato, ut uideret: leprosis, & alijs infirmis, ut sani essent: mortuis, ut uiuerent. Hæc & plura ex Euangelio & Alchoran elici possunt: qui liber eum etiam sapientem asserit, dans ei idem nomen quod deo, quem incomprehensibilem & sapientem sæpißime affirmat. Si igitur fatetur Christum absolute sapientem, sicut & deum patrem, non erit alia sapientia patris creatoris, et alia Christi. Sed pater creator per suam sapientiam, quæ Christus est, omnia operatur. Hæc est sapientia immarcesibilis, uitam dans omni intellectuali naturæ, quæ sine sapiẽtia mortua est. Ideò ad illius apprehensionem, finis tendit creationis intellectualis naturæ: quam homo, nisi mediatore Christo, in quo humana omnibus hominibus cõmunis natura, sapientiæ supremæ indissolubiliter unita est, attingere potest in sua propria natura humana, Christo & sibi communi. Quare Christus est magister, habens doctrinam & uerbum uitæ intellectus nostri, reuelator omnium quæ in thesauro Dei continentur, ostensor patris, fontis sapientiæ & gloriæ eius. quæ ostensio, est receptio sapientiæ in se intellectualiter, uiuificans æternaliter ipsum, & faciẽs ipsum similem Christo filio dei, qui est in gloria dei patris. Et hoc est esse fœlicem, et regnare perpetue in cœlestibus summo gaudio beatitudinis, & hæc sunt promissa Christi, omnibus ipsum recipientibus firmißima.

Anima dei.

Fabulæ ex Apocryphis.

Patris et Christi eadem sapientia.

Christi præstantia.

## DE PARADISO.
### Cap. XVIII.

DIceret Arabs aliquis: Remota sunt & multum distantia illa, quæ de paradiso in Alchoran leguntur, & ea quæ Euangelium promittit. Alchoran enim desideriorũ omnium complementum credulis & legem seruantibus promittit, describitq; illa desideria quæ communiter appetuntur per uoluptuosos: sed Euangeliũ solum promittit intellectualẽ fœlicitatẽ, quæ est

in uisione intellectuali, & scientia, sapientia, & cognitione. Respondemus, semper nobis apparuisse, tantum inter paradisum Machumet & Christi interesse, quantum inter sensibilia & intellectualia: aut inter uisibilia, quæ sunt temporalia, & inuisibilia, quæ sunt æterna. Sic & de Alchoran & Euangelio pariformiter. Sunt tamen qui allegant pro excusatione compositoris Alchoran, quomodo ipse rudes Arabes trahere uolebat, ut in unum creatorem crederent, qui dedit eis uiuere in hoc sæculo temporali, quod ille etiam eis esset daturus in sæculo futuro perpetuo uitam sine defectu, multo ista uita meliorem. Quodq; ad hunc finem, ut in Alchoran legitur, plures similitudines introduxit, quas tamen non exposuit, sed sapientibus illas notas reliquit. & nisi exẽpla sumpsisset ab hac uita sensibili prædicendo futuræ uitæ iocunditatem, neque intellexissent, neque moti fuissent propter promissa eis incognita. Ait enim Capite LI. Credentes et benefacientes pulcherrima loca paradisi possessuri, omne suum uelle perficient. Hocq; lucrum est maximum. Huiusmodi pollicitum, illis summam lætitiam denunciat. Vnde uidetur unam conclusionem uelle prædicare, scilicet quod deus est remunerator fidelium sibi seruientium, secundum spem & desideria seruientis: pro seruitute temporali temporalia assequetur, pro perpetuis perpetua, pro uoluptuosis uoluptuosa, pro intellectualibus seruiens intellectualia habebit. Sic enim dicit Capite VI. Deus omnium uota dinoscens, omniumq; dies, mundana quærentibus temporale, cœlestia petentibus atque cœlestibus summũ bonum tribuit. Et Cap. I. lib. dicit: Studioso bonorum huius seculi dabimus illa, sed nullam in alio portionem habebit. Ideò ubi in primo capite dicit bonos paradisum introire, ubi dulcissimas aquas, pomaq; multimoda, fructus uarios, & decentissimas ac mundissimas mulieres omneq; bonum in æternum possidebũt: aduertendum ad id quod dicit, omneq; bonum in æternum possidebunt: utiq; illud non est aliud quàm deus. tamen sensibilium promissiones sæpissime repetit. & demum in Cap. 64. dicit. Omnes itaque sapientes timeant deum, dantem omnibus credentibus sapientiam, suiq; noticiam. Et Cap. 107. dicit, Paradisum apud Deum sortientur. Et sæpe ponit similia, scilicet quod æterna uita, æternum gaudium, & beatitudo, sit remuneratio. Dicit etiam in doctrinis, quod nulla futuri seculi tradi possit similitudo. Ideò non uidetur finaliter, quod possit Euangelio contradicere. quod paradisum intellectualium & sapientum, uisionem dei & eius sapientiæ seu CHRISTI asserit. Ideò Alchoran alibi, eos qui in inferno sunt, priuatos ait discretione et sapientia. Etiam alibi, enumeratis omnibus quæ in hoc mũdo uidentur, & quæ sæpe promittit paradisum intrantibus: addit, quod bona futuri seculi his omnibus sunt meliora, quoniam istud seculum in comparatione ad illud futurum nihil sit. Vnde si cut per similitudinem cruciatus ignis sensibilis pœnam eorum qui damnati sunt describit, ita per aquam & fontes uitam saluatorum. Non tamen complete intellectualem fœlicitatem describit, secundum Auicennam in metaphysica sua. Nam licet esset de lege Arabum, affirmat Machumet corporalem fœlicitatem describere, & quod intellectualis, illa multo excellentior, per sapientes melius describatur. Sed Alchoran licet minus extense, perfectam fœlicitatem sapientum ponat in noticia dei & sapientiæ, quæ est filius dei secundum præmissa: quemadmodum & Euangelium ex Christi perfectissima doctrina. Præterit enim iste mundus cum concupiscentijs suis. illa uerò quæ futuri et perpetui mũdi sunt, habent se ad ista huius mundi sicut perpetuum ad corruptibile. Vnde noticia seu uisio Dei patris & sapientiæ eius, pascit immortaliter intellectum, quia sapientia est immarcessibilis, ut liber Sapientiæ docet.

Inter Machumeti paradisum & Christum quanta distãtia: item inter Euangelium & Alchoran.

Alchorani scopus.

Futuri seculi nullam tradi similitudinẽ posse.

Auicennę de Machumotte stimonium.

## INVECTIO CONTRA ALchoran. Cap. XIX.

ADuerti dum legerem Alchoran, quomodo sæpissime fit mentio de die tremendi iudicij, paradiso, & inferno, & semper uarie & per similitudines. Cum aliter id quod nunquàm in cõceptum hominis intrauit, describi non possit: nisi coniecturaliter ad sensibilia, quæ intelligibilium imagines existunt. & quia ita uidi per uarias similitudines regnum cœlorum signari in Euangelio & ueteri testamento, intra me admirebam, posse illa, pia sequacium libri interpretatione, excusari. Verum postquàm legi ibidem, castitatem in uirgine Maria, & in Ioanne Zachariæ, & generaliter in omnibus laudari, et quod concubitus in templis prohibetur, & lotio post ipsum præcipitur ante orationẽ ob eius fœditatem, quodq; mundicies Deo grata sit, ac quod deum uident boni, & cum ipso sunt in paradiso, & quod deus ipsos maxime amet, & eis id quod maximum est retribuet, ac quod ipsum maximũ, simpliciter non sit nisi gaudium sempiternũ & incorporeum: stupebam de eo quod sæpe de puellis, & earum papillis, & bestiali cõcubitu in paradiso totiens replicauit, dicens cap. 88. illam esse optimam dei remunerationem credentium: & uerecũdabar illa turpia legere, intra me dicens: Si Machumet adscribit deo hunc librum plenũ turpitudine, aut si ipse scribit et deo auctoritatẽ tribuit

Sensibilia intelligibilium imagines.

Alchoran turpitudine plenus.

tribuit, miror quomodo ſapientes & caſti uirtuteq; præditi, Arabes, Mauri, Agypij, Perſæ, Afri, & Turci, qui illius legis eſſe dicuntur, Machumet pro propheta habeant, cuius uitam nemo ſequi poteſt, qui ad regnum cœlorum anhelat, ubi non nubent, & ſimiles angelis ſunt, ut Chriſtus docuit. Nam tam turpia ita turpiter nemo loquitur, niſi plenus omni tali turpitudine. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et hoc uerum eſſe, patet ex Capite XLII. ubi dicit deum uoluptates etiam illicitas alijs, iuxta prohibitionem quæ ponitur VII. Capite Alchoran in fine, & uoluntarias quaſcunque, ei permiſiſſe. & quod iuramentum licitum factum per ipſum, ne adulteraretur cũ Maria Chriſtiana Iacobina, præcepiſſet deleri. De quo loquitur cap. LXXV. in principio, contra illa quæ alibi de damnatione adulterorum & periurorum dicit. Periurij cum adulterio.

Ipſe enim in Capite LXXVII. periuros, qui ob ſui ſaluationem iurarunt, eſſe damnatos affirmat. Quomodo igitur non ueretur deum blaſphemare, cui aſcribit periurium præcepiſſe, ut adulterium continuaretur per ipſum? Probant & hoc plura quæ circa mulieres permiſit. Vt illud Capite III. Mulieres uobis ſubiectas penitus, pro modo ueſtro ubicunque uolueritis parate. Et Capite VIII. Dot permittit uxores, quot quiuerit quiſque ſubiugare, ſeu caſtigare. Et Capite IX. ſic dicit: Liber hic uobis cœlitus miſſus, licitum atque tenendum hoc uobis ſtatuit, ut pecunijs ueſtris caſtas mulieres eis præbendo ducatis. Itaque taliter ueſtris factis, quod deinceps placuerit, ruboris atq; timoris expertes agite. Etſi reperiatur Dauid exceſſiſſe in numero uxorum, aut alios poſtea ſanctos, hoc non excuſat Machumet, qui uia legis indulſit, quaſi deo ſic uolente, quod prius apud omnes prophetas & legislatores fuit inauditum. et eſt blaſphemia, deo hoc imponere quod perfecte legi aduerſatur. Et conſideraui, quomodo legi in Alchoran Capite LXXVI. ſic præcepiſſe deum Machumet: Vt te ueracem comprobes, non dic te niſi nunciũ tantum eſſe. Idem in Cap. LXXVII. in principio per iuramentum deus affirmat, nuncium ſcilicet ad Arabes idololatras. Et Capite



XXVII. Tuæ quidem linguæ nullam facultatem indulſimus, niſi ut deum timentibus, nunciũ gaudio plenum & caſtigamen incredulis nunciet. Et Capite XXXII. Dicito, mihi nihil iunctum eſt niſi ſolum deum adorare, nec illi participem æſtimare? cui me cõmendo, & ad ipſum redibo. Si hæc uera ſunt, cur non ſeruauit? cur alijs ſibi non iniunctum iniunxit? Cur Capite LXXVII. ſe doctorem gentium nominauit, qui ſecundum præmiſſa nuncius ad Arabes idololatras fuit. Etſi de his ſibi non commiſsis intromittere nullatenus præſumpſit, dic Machumet, cur loqueris contra Euangelium & uetus teſtamentum, & nouam legem & librum docere tentaſti, quaſi hæc tibi cõmiſſa fuerint? Quando fateris tuæ linguæ nõ eſſe facultatem conceſſam, niſi ut nunties deum timentibus nuncium gaudio plenum, & caſtigamen incredulis: in his facile tibi & cuique creditur. Hoc enim quiſq; dicere & nunciare poteſt, cum ſit uerum. & à deo uero, omne eſt uerum. à deo te poteſtatem hæc dicendi habere, tibi & omnibus dicentibus facile credi poteſt. In alijs uerò quomodo loqui præſumis, cum tibi non ſit à deo nec iunctum, nec indultum? Et ſi dicis, cur tibi credam, quando deo non obedis? Vtiq; excuſabilis es: niſi uarietatem immutabili deo, ut ſoles, tribuas, ut ſic blaſphemando euadas. omnipotens tamen deus inter omnia illa ſpurca & uana, & ſapientibus etiam Arabum abominabilia, talia etiam inſeri uoluit: in quibus euangelicus ſplendor ſic lateret occultatus, quod ſapientibus diligenti ſtudio quæſitus ſeipſum manifeſtaret. Tanta etenim eſt lux euangelica, quod ſine ipſa nihil apparere poteſt uerum & clarum. Sed omne dictum & ſcriptum illa luce carẽs, quæ dicit: Ego ſum lux mundi, illuminãs omnem hominem uenientẽ in hunc mundum, ut qui ſequitur me non ambulet in tenebris: eſt obſcurum, inordinatum, tenebroſum, mortiferum, & intellectuali naturæ abominabile, licet beſtialitati & animalitati quæ eſt de hoc ſenſibili mundo ſapida uideatur. Machumet tantum nuncius.

Euangelij lux

# CRIBRATIONIS ALCHORAN, DOMINI NICOLAI DE CVSA Cardinalis, Liber Tertius.

## QVOD ALCHORAN FIDE unius Dei salua omnibus blanditur, Christum tamen præferendo. CAP. I.

OPORTET ut qui Alchorã legit, aduertat, quo modo salua fide quæ est, non est deus nisi deus, nulli intendit contradicere. Ideo ita uariat ea, ubi dissensioneseſſe sciuit, ut quisque aliquid grati reperiat, cuiuscunque hæresis aut sectæ fuerit. puta sæpe dicit, quod inter mortem & resurrectionem cuiusque, uix hora interſit, ne de statu animarum ante iudicium opus sit dubitare. Tamen etiam interserit aliquas in amœno loco fontibus referto, medio tempore locari, ut de CHRISTO & uirgine Maria Capite XXXII. scribit. & iustis ob deum interemptis, quos uiuere in deo asserit. Sic etiam dicit, aliquas usq; in diem iudicij igne cruciari, eodem Capite XXXII. licet nullas dicit in paradiso uel inferno ante sententiam iudicis in die finali reperiri. Hæc ita ambigue scribit, quod contrarias doctrinas hæreticorum & recte sentientium de animabus defunctorum ante iudicium fouere uideatur: sic nititur in omnibus facere opinionibus. Nam de regno cœlorum non dicit quicquam, sed de paradiso sæpissime loquitur, ac si de paradiso terrestri intenderet. & quod ad locum unde eiectus fuit Adam, homo post diem iudicij fidelis & meritus restituetur, ibi perpetuo mansurus. Tamen ne Christianorum paradisum, scilicet regnum cœlorum negligere uideatur, duas ponit in certo loco paradisos, & gradus in ea plures. & in paradiso aliquando illa reperiri affirmat, quæ Christiani credunt in regno cœlorum haberi, scilicet uitam æternam. Sic dicit Capite XXV. Res mundana cito, diuina nunquam peribit. secundum optimum modum suorum operum quemque deus remunerabit, uitam tribuens æternam, siue uir fuerit, siue mulier. Ecce æterna uita est diuina, quæ in regno Dei cœli habetur, & per Christianos expectatur. Sic etiam dicit Cap. XVIII. Tandem omnes obseruatores diuinorum præceptorum, plenum gaudium atque perpetuum sortientur. Hoc autem nõ potest esse, nisi apud deũ qui habitat in cœlis. Dicit etiam capite XXVI. bonos assequi paradisum, ubi de diuina substantia eis tribuetur, ita facit de cunctis. Vnde allegat deum eorum capite XXV. sibi sic dixisse: Hunc librum non alia de causa tibi commisi, nisi ut hominibus suas cõtrarietates exponas. Iterum in eodem cap. loquitur: Te misimus, ut ipsius Abrahæ regem sequaris, nusquã digrediens, ne sis incredulus. Sabbati quidem custodiã nõ iniunximus, quia inerat contrarietas atq; dissensio, quas deus futurus iudex discutiet. Et alibi illum alijs præfert, qui credit prophetis, et inter eos non discutit. ut cap. IIII. circa finem. et cap. XI. sic dicens: Deo suisq; legatis inobedientibus, & inter eos discutere uolentibus, seq; parti, non toti, sicq; rectã uiam assequi putando credere cõfidentibus, uelut ipsius ueritatis incredulis, malũ atq; contemptũ ingeremus: credentibus autem prædictis, nec inter eos discutientibus, mercedẽ innumeram pius ueniæ largitor Deus tribuet. Ecce quomodo in cõtrarietate et discordia cuilibet legato dei dicit credendũ. ita quod nullius opinio particulariter sit sumenda, imò discussio ad deũ in iudicio remittẽda. Hoc modo sæpissimè loquitur, dubia legũ & prophetarũ adillũ diẽ ueritatis esse remittenda. Sed quia dicit succesiue et pedetentim Alchorã uenisse, ut cap. XXVI. ait, Ideo est considerandũ ante hoc cap. XI. scilicet cap. III. discussionem inter prophetas factam, et Christus ibi legitur omnibus suprapositus, quare in dubijs Christo standũ: qui dicebat se nõ uenisse soluere legẽ, sed adimplere: ac quod omnia quæ scripta erant in lege et prophetis, de eo fuerunt. Vnde cum Christus sit finis et conclusio legis & prophetarũ omniũ, qui prophetarũt aut prophetabunt, quando eius determinationi statur, omnium prophetarum discussioni statur.

Alchoran ad omniũ hæreses et sectas accõmodatum.

Cur subinde de Paradiso loquatur Alchoran, de regno uero cœlorum nihil.

Christo credendũ in dubijs.

## QVOD MACHVMET IGNORAUIT quid agendum et sentiendum, et nil firmiter assertum reliquit. Cap. II.

QVod ipse aũt Machumet nõ sit primus, fatetur cap. LV. dicẽs: Ego nõ sum primus nuncius, nec scio quid mihi seu uobis gerendũ sit. diuina mãdata tamẽ explanabo: quæ licet ibi sint, hocq; testificẽt, plures filiorũ Israel credentes illis, uos minime creditis. Ecce qualis est Machumet propheta, ignorans quid sibi gerendum, & alijs: nisi ea quæ prius præcepta fuerunt, allegans pro se Iudæos in testes, scilicet ipsum diuina priora præcepta testamenti explanare. Dicit etiam, eos qui præcepta Moysi sequuntur, assequi beatitudinem. Aliquando autem omnes Iudæos damnat: quia resurrectionẽ non credũt, CHRISTVM non accipiunt. Sic Christianos, CHRISTVM sequentes, saluos dicit. Alibi uerò tam Iudæos quàm Christianos, quia utriq;

Machumet qualis propheta.

utrique deo filium tribuunt, incredulos ait. Licet de Iudæis hoc nõ sit uerum, quod deo filium tribuant. Omnes autẽ incredulos sæpißime damnatos affirmat. Sic Cap. XLIX. dicit: Firmatum est dei uerbum super incredulos, quoniam perpetuum ignem inibunt. Sed Cap. LI. dicit: Incredulos forsan deus omnes confundet, forsan multis ueniam dabit. Sæpißime etiam dicit, omnes animas redire ad corpora in resurrectione. In Cap. XVIII. dicit sic: Morientibus, mortis hora, cæteris hora sopitionis deus animas extrahit: quibusdam reddens eis ad horam scitam, quibusdam nunquàm: omnia pro suo uelle faciens, quod mirandum est sapientibus. Alibi, angelos dicit, animas è corporibus extrahere. Sic resurrectionem generalem, quam penè in omni Capite repetit, in dubio dimittit, quando ait: quibusdam animas extractas nunquàm reddere. Ob hoc nihil certi apud ipsum manet, nisi quod unus est deus creator uniuersi. Ideo solum fidem unius dei sæpißime asserit, de necessitate salutis. Et demum etiam de hoc dubitans, resoluit omnẽ necessitatẽ ad hæc uerba: Non est deus nisi deus, & Mahumet est nuncius eius. Et addunt sui, magnus. Deum nemo dicit paruum, quia magnitudinis eius non est finis. Nec quisquam dicit hoc falsum, scilicet quod deus sit deus. Etiam idololatra plures deos colens, hoc uerum fatetur, deum scilicet esse deum, quia per se notum. Nullus igitur incredulus nec fuit, nec erit. Sed quod addit, & Mahumet est nuncius eius: si intelligitur quod sit nuncius ueritatis, scilicet illius propositionis per se notæ, nõ est magnũ. Semper enim uerũ fuit de eo et quocunq; alio, uerũ nunciũ esse, qui hoc nũciaret. Aliter aũt hoc credere, scilicet quod Mahumet sit nũcius dei, nõ potest esse necessitatis. Nã fuit tẽpus in quo hoc fuit uerißimũ, scilicet non est deus nisi deus: et falsum fuit, quod Mahumet fuit nuncius eius, quia nondum natus erat. Si igitur tunc per fidem illam, Non est deus nisi deus, saluabantur hoc credentes: ita necessariò omnes omni tempore, hoc tantum credẽtes. nec tempore eius erat necessarium, quod omnes saluandi crederent Machumet nunciũ dei, cum ipse fateatur, se nuncium ad Arabes et suam nationem missum. Neq; Arabes tenebantur ei credere quod esset nuncius dei ad eos, quando non uenit cum miraculis & uirtutibus talibus, quæ in ipso dei uerbum esse testificarentur. Sed cum sine potestatate miraculorum compareret, & communem peccatorum uitam ageret, fuissetq; idololatra, ut alij Venerem colens: non mirum si ei opposuerunt, quomodo per aliquem deorum offensus, ut se uindicaret, se nuncium dei finxisset, ut Capite XX. Alchoran. Alibi Capite

Alchoran facpe sibi contraria dicere.

De deo solum certa Alchorani assertio.

Machumet quomodo dei nuncius.

Machumeti nulla miracula.



XXX. opponebant ei, quomodo ipse homo eis similis esset, cum arte magica eos acceßisset. Cuius uolumen, uel fictitium esset. Et talia multa per ipsum allegantes, quæ non potuit aliter soluere, nisi quod Capite XXIX. dixit: Inquiunt, si diuinis cum uirtutibus aduenisset, nonne testimonium de prioribus libris attulimus? Ecce adducit in testimonium priores libros, scilicet euangelium & testamentum. Dicit enim Cap. XVII. Quod mentio de eo fiat, & nominetur in testamento & Euangelio. Et Cap. LXX. dicit Christum prædixisse: Nuncium post me uenturum Machumet nomine denuncio, quem mendaciter magnũ dicent. Ecce omne testimonium, quod Mahumet sit nuncius dei. Sed cum penitus sit falsum, constat nihil uerum manere, nisi hoc solum, non est deus nisi deus.

## CVR DICVNTVR SALVATI credentes Alchoran, & quod gladius est magister.

### Cap. III.

POstquam Mahumet uidit se deficere in ueritate, & mendacia quæ ex Testamento et Euangelio allegabat, rudi ignoranti populo non posse diu occultari, Christianis & Iudæis hoc uerum negantibus: cum nec in ambobus, nec in altero librorum allegatorum mentio fiat aut nominetur Machumet: ad arma se transtulit, & populo dixit: Iußit Deus gentes me gladio expugnare, donec testificentur, quod non est Deus nisi Deus, & quod ego sum nuncius eius. Quod si hoc fecerint, confestim saluabunt sanguinem & pecuniam suam. Terrore igitur percußi multi mandato paruerunt, & salui facti sunt à sanguinis effusione, & rapina, & nominabantur saluati seu Musselmanni. Et attende, quomodo sæpe se solum natiuum Arabum nuncium, qui prius prophetam non habuerunt, asserit. Deinde generaliter dicit in Capite prophetarum, Deum dicere: Non misimus te nisi ad uniuersitatem gentium: in hoc, ut in alijs, contradictionem Deo suo tribuens. Et demum postquàm multi accesserunt, dimisso quod esset nuncius dei, fecit præconisari, Quicunq; dixerit, non est deus nisi deus, intrabit paradisum. Et ut Arabes seruare dicuntur, tunc intentio Machumet erat, confeßionem faciens paradisum intrare, etiam si fornicatus, latrocinatus, & alia peccata feciſſet, quia fides saluaret. Deposuit igitur mandato dei sui Capite LXXII. de titulo legationis nomen dei. Sic enim ibi scribitur: Vt uerax comproberis, non te nisi nuncium tantum dicas. Sic Machumet, qui se dei nunciũ nominauit, reprehensus à deo suo, se solum nuncium dicere debet. Et quia non est illi uisum quod conueniret intentioni

Saluati, qui ea Musselmanni

ni præconisare, non est deus nisi deus, et Machumet nuncius: ideo dimisit totum de nuncio. Sic ad eos uenientes, per eleuationem unius digiti professionem unius dei faciunt, quod dicunt sufficere. Est igitur ultima resolutio probationis omnium quæ in Alchoran leguntur, gladius. Sic enim in Cap. prophetarum, in Alchoran scribitur de Machumet: Dixisti somnia, & blasphemias concinnasti, uel forte poetizas. Venias saltem cum miraculo uno, quemadmodum nuncij priores. Respondit: Destruximus, inquit deus, ciuitates ante eos quæ non crediderũt. Nec etiam uos miraculis crederetis, nisi per gladium. Mo re suo deum iussisse dicens, uiolentiam hominibus inferri. Faciens deum, quem sæpissime scribit coactionem et uiolentiam talem sibi inhibuisse, mutabilem, uarium, & mendacẽ. De quo post hoc subiungetur.

Gladius ultima omniũ Alchorani probationum resolutio.

## QVOD DEVS ALCHORAN, uideatur deus absolutus: & deus alius, de quo loquitur, rebus sit immersus. Cap IIII.

NVnc inquiramus quis sit deus Alchoran. Nã ait sic deus Mahumet cap. XXIIII. Nos item hominẽ de terra et luto (diabolo prius ex igne pestifero creato) plasmauimus: cum me plasmaturum hominem de luto, & eidem animæ meæ portionem insufflaturum, angelis intimaui. Et Cap. XXVI. Perquirentibus cuius sit anima, dic, dei, qui tibi non nisi paucam inde sapientiam tribuit. Et XXX. cap. ubi de Ioanne Zachariæ loquitur, dicit deus, quod animam suam uentri matris insufflauit, & illam filiumq; suum manifestum miraculum fecit. Cap. XXXI. ait: Deus hominem de luto plasmauit, posterosque suos ex humore fragili, eidemq; de suo spiritu insufflans. Et Cap. XLVII. Deus dixit angelis, se facturum hominem de luto. Illi itaque quàm optime composito, de nostro spiritu insufflauimm, eidemq; iusso nostro præter Beelzebub recedentem & incredulum omnes angeli se humiliabant. Qui quæsitus cur in deum insurgeret, nolens se humiliare, respondit: Ego quidem igneus, illo luto melior sum. Et Cap. XXVI. dicit deus: Credentibus, hocq; promerentibus, cum eorum facta mihi grata, paradisum tribuã, his & illis de diuina substantia, quæ minime parua est, largiturus. Ex his patet, quomodo deus qui in Alchoran loquitur, nominat alium deum. Dicit enim: Dic quod sit dei, nõ nostri, uel mei. Si igitur deus qui loquitur in Alchoran, est deus deorum, & deus de quo loquitur est alius deus, cuius dicit esse animam, & qui animam suam distribuit hominibus, & diuidit suam diuinã substantiam sibi gratis, & suum spiritum insufflat

Deus Alchorani alius a deo rebus immerso.



in uentres prægnantium, utique deus Alchoran est absolutus et imparticipabilis. Et deus de quo ille deus loquitur, est immersus rebus & diuisibilis: igitur & corporalis. Et ita cum omnis anima mortem gustabit, ut dicitur in Alcoran Cap. XXXVIII. Et anima sit ipsius quæ est, & omnium, ipse mortalis est. Sic angeli & dæmones corporeæ & igneæ naturæ erunt. Et si deus habet animam, & homines, igitur & angeli: ut fatetur Cap. XLV. Et ita anima angelorum est anima dei, ipsis communicata: & deus ille, erit naturæ creaturarum: & omnes creaturæ rationales, erunt naturæ illius dei, cum in ipsis natura illa dei sit contracta: & ita erit forma cuiusq; & pars compositi, dans esse cuilibet. & non est ille deus creator qui ex nihilo creat, sed ex seipso omnia format: ita est hyle, seu materia. Sicut enim ex sua anima animas, et suo spiritu spiritus: ita ex suo corpore corpora, & suo esse omnia quæ sunt, et ex suis alis alas angelorũ, uni duas, alteri quatuor, ut quodam loco Alchoran de illis alis dicit. Verum si dicis animam esse dei summi & creatoris unici, & quod deus ille in Alchoran loquens, dicens quod anima sit dei, loquatur de se deo, scilicet unico omnium creatore, tunc anima eius erit etiam deus, cum nihil sit dei nisi deus. Igitur omnis creatura formæ intellectiuæ, erit deus et creatura: deus secundũ spirẽtum seu formã, et creatura secundũ corpus in unitate hypostatica. Et cum Christus habeat animam dei non secundũ portionem aliquã, nec appropriatè, sed proprie: utique ipse erit proprie deus & creatura: hoc est, plenus & perfectus deus, sicut plenus et perfectus homo. Non sic aliæ creaturæ rationales, quoniã in illis anima dei est partialiter, imperfecte, et improprie. Ideo nõ dicuntur proprie deus & creatura, sed improprie sic dici possent, solus uerò Christus proprie. Hoc quidem necesse est fateri, qui Alchorã acceptat. Vnde patet, quod Christus est perfectio absoluta intellectualiũ creaturarũ, de cuius plenitudine omnes participãt. In Christo igitur capite, omnis creaturæ est perfectio, quæ nec potest esse maior nec minor. Quia est omne id quod esse potest. In alijs autem creaturis, est perfectio, quæ potest esse maior & minor. Est enim Christus, ut ualor auri in auro puro: et aliæ creaturæ intellectuales, ut ualor auri in alijs metallis, quorum unum plus habet de ualore auri, & aliud minus.

Alchorani deus instar materiæ.

In Christo omnis creaturæ perfectio.

## QVOD DEVS ALCHORAN uideatur minor omnibus rebus, & seruus Mahumet, atq; eius cõceptus. Cap. V.

SEd quomodo hoc stabit, quando deus Alchoran iurat per dominum orientis & occidentis

Deum Alcorani iurare etiam per utiles creaturas.

tis? Per hoc enim apparet, quod Deus qui loquitur in Alchoran, recognoscat, alium deum superiorem se, & dominum orientis & occidentis se maiorem. Non erit igitur deus supremus & absolutus. Imò iurat per calamum, ficum, culicem, & multa similia quæ sunt creaturæ. Deus enim testamenti & Euangelij non reperitur sic iurasse, sed solum per semetipsum, cum maiorem non habeat: nec mutauit modum iurandi, cum sit deus constans absque mutatione. Iste autem Deus Alchoran, cum per utiles iuret creaturas, & nunc per illas, postea per alias, inconstans & uarians, erit minor omni creatura. Fit enim confirmatio dicti per ueraciorem & maiorem, per quem iuratur, & qui in testem adducitur, ut dicto fides detur. Item adhuc si aduertitur ad Cap. xlij. Deus Alchoran seruus est Machumet. Ipse enim & angeli pro Machumet orant. Loquitur deus, quæcunq; ipse Machumet loqui uerecundatur. Mediator est inter mulieres Machumet et ipsum, seruiendo ardori immundißimæ concupiscentiæ eius, dispensando ob hoc contra iuramentum licitum, & leges atq; promissa, ut suæ uoluntati complaceret: assumens in se uerecundiam & culpam atq; peccata, ut Machumet ipse nec famam nec reputationem perdat. Ecce quomodo Mahumet fecit dum seruum suum: & hoc undiq; constat. Nam cum Cap. XLVIII. de se Machumet dicat: Dei mandatum est, quod ipsum invocem corde puro, legem missam imitando credentium primus existam. Aliter graue malum subibo. Deum itaque, legemque suam constanter imitor. Et LV. Cap. de se dicit: Ego uero credentium & deuotorum primus. Quomodo ista compatiuntur se cum eo quod tu dicis, te non seruare nec legem nec licitum iuramentum, quia Deus inhibuit tibi ne seruares, quando immundum cor tuum uoluptatem carnis legi & sacramento prætulit, tu introducis deum tibi sic mandasse? quomodo es tu credentium & deuotorũ primus, qui alibi Moysen primũ affirmas? fuisti ab initio peccator, et peccare nõ cessasti, et mortuus es in domo unius mulieris tuæ, post innumeras sanguinis effusiones, prædas, stupra, et pauperũ oppressiones. Si deus tibi iniunxit, ut uirũ iustum Abrahã sequaris, si es ultimus prophetarũ ut asseris, quomodo es primus credentiũ & deuotorũ? Non est igitur deus Alchoran ille deus magnus, cui omnis rationalis creatura credere debet, quia omnium creator, sed est Deus tuus, qui per te loquitur ea quæ tu concipis. Omne igitur quod in Alchoran reperitur deum dixisse, si est uerum aut falsum, non nisi conceptui Mahumet ascribi debet. Et quia multa scripsit aut scribi fecit, quæ à Sergio & Baheira atq; suis socijs Iudæis audiuit, &

Alcorani deus seruus Machumet.

Machumet de seipso loqui diffidentia.

Alcorani ora cula nihil aliud quam conceptus Mahumet.



non intellexit, sicut forte nec illi qui ei retulerũt, ideò ipse non omnia intellexit, & soli deo ascribit intelligentiam Alchoran. Qui ut cap. lxxxij. legitur, illi iniunxit, ut iugiter et deuote etiam de nocte Alchoran legeret: quod tamen contradicit illi dicto, quod legendi scribendiq; sit inscius, alibi in Alchoran posito.

## QVOD MACHVMET TEMÉre contra Dei præcepta CHRISTVM in CHRISTIANIS persequitur.

### Cap. VI.

ADhuc dicito: Postquàm deus toties tibi dixit, uim nequaquàm propter leges, inferas, in Cap. IIII. & Cap. XV. Ab incredulis quidem, nil mali seu contumeliarum illis inferens, licet illi per iram & inscitiam de Deo male loquantur (cuique namque gentium sua sibi placita, formosaq; uideri fecimus) recede: ad Deum autem cum redierint, opera sua Deo pandente cognoscent. Et Capite decimonono dicitur: quod non sunt gentes cogendæ ad fidem. Quia nisi deo uolente nemo credere poterit, qui malos & & indiscretos in sua sordicie dimittit. Ibi de hoc plura. Et Capite quinquagesimonono: Nullam illis castigando uim inferas, sed tantum illis Alchoran explana. Et in alijs pluribus locis. Quomodo, inquam, contra Deum tuum qui tibi hæc suasit, præsumis dicere, deum præcepisse ut increbulos capias, interficias, & spolies, cogas credere, aut tributum soluere? Deo magnam facis iniuriam & contumeliam, apud quem coacta seruitia, uitia sunt. Ideò uult seruitores ex sua libera electione, sibi fideles & credulos. Tu dicis Capite decimonono, deum tibi dixisse: Contradicentibus dicito, ut sibi sua sint negocia, tibi tua. Non dicit, quod uiolentiam eis inferas. Alibi ais, tales contradictiones Iudæorum. Christianorum, & aliorum in die ultima diffiniri. Alibi introducis Deum, te laudantem de pietate et mansuetudine. Quomodo te alium facto manifestas, & dei testimonium falsificas? quid est hoc quod deum tuum toties sibijpsi facis aduersari, quoties tu sententiam mutasti? In Cap. XXV. ais: Post fidem habitam, incredulus ui coactioneq; factus, fidem legemq; corde suo retinens, non damnabitur, sed hæc sponte faciens. Scis enim, Christianos fidem unius Dei habere sine participe seu alio Deo, & ideò secundum te creduli sunt. Ideò & si coacti tibi uideantur consentire, corde tamen Christiani manent, & tecum non damnabuntur. Cur CHRISTO in CHRISTIANIS intantum aduersaris, quod eos persequeris, quos non negas in sua lege saluari? Fuerunt Christiani ante te, & CHRISTVS possedit in suis fidelibus huius mundi magnam partem, constantißi-

Ad fidem nemo cogendus, etiam iuxta præceptũ Alcorani.

Martyrum constantia, & eorundem per Christum confirmatio.

ma obedientia usq; ad mortem infinitorum Dei martyrum. Cur persequuntur tui sequaces Christum, ut auferant acquisitum populum? Confortamur autem per euangelium, cui post tot approbationes iniuriaris. Vbi ait Christus: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos. Ecce hæc est consolatio nostra, in omni tribulatione & angustia nostra. Quoniam de morte transferimur ad uitam æternam.

## QVOD MAHVMET CREdit, dei præsentiam necessitare ad omnia quæ aguntur.
### Cap. VII.

ADhuc dic Machumet, Cur Christianos persequeris? Si ais, propter peccatum: Respondeo, si tu credis coactione quem uolentari posse ut fiat bonus, cur tunc nono Capite dicis, Deum criminalia peccata nequaquàm condonare, sed minora? Et Capite duodecimo habetur: Homines prauos ad uiam rectam Deus minime diriget. Et cur ais decimonono Capite, Deum dixisse: Dei uerax est uerbum, quod incredulos nunquàm conuertendos affirmat. Et Cap. quadragesimonono: A Deo deductus in errorem nunquàm dirigetur. Et Cap. LXVI. Nullum animabus uestris nocumentum in terra perpetrabitis, nisi quod ante uestri creationem in libro prænotatum fuit à Deo cuncta complectente. Nonne ista clare ostendunt, non posse malos per te in uiam rectam dirigi, cum nec deus illos dirigat? Dicis tamen sæpe contrarium istis, ut in omnibus facis. Qui enim sunt tui sequaces, intelligunt te uelle, quod omnia quæ homo facit, ideò facit, quia sic Deus faciendum prænotauit, non solum quod Deus omnia futura præuiderit, sed quod præuisio necessitet. Quod est penitus erroneum, & tollere omnes leges & iudicia, præmia & pœnas. Sed quia Deus in æternitate omnia uidet simul, quæ sunt in tempore successiua, tunc simul uidet natiuitatem & mortem, & omnem hominis intermedium cursum. Et hæc uisio non necessitat. Sicut cum te uideo cadere, non cadis, ideò quia te uideo cadentem, sed quia tu cadis, te uideo cadentem. Videt igitur Deus omnia, & quæcunque agit homo, in æternitate sciens cuncta, iudicium iustum faciens secundum opera bona & mala, quæ homo in tempore facit, & apud ipsum æternaliter præsentia sunt. Adhuc dicito: Quid uis ut faciat credulus, quem ad Alchoran remittis, cum nemo (ut dicis) ipsum intelligat nisi solus deus, & sapientes diuinam scientiam habentes? Et huius contrarium etiam asseris, scilicet Alchoran, clarum & facilem. Quis ista capiet? Et ita omnia inuoluis per contradictiones & uarietates, quod argumentum illud quod pro Alchoran facis Cap. IX. concludit. Ais enim: Nisi dei esset, contrarietates multas contineret. Ideò cum sibijpsi toties contradicat, utiq; ex Deo esse non potest.

Incredulos non conuerti a Deo iuxta Alchoran.

Alcorani difficultas & contradictiones.

## QVOD FINIS OPERIS MAhumet fuit sui exaltatio.
### Cap. VIII.

SEd uisus es mihi ô Machumet, prætextu religionis, dominandi potentatum quæsijsse: omnia enim in gladium resoluis, & gladio saltem ad tributum peruenire. Persuasisti quemlibet in sua lege saluari posse, ac quod Deus fidelium constantiam diligat, uariantes uerò nequaquàm. Deinde accipis gladium, quasi illos uelis ad ueritatem compellere, quos animasti constantes manere. Sed das optionem ipsis, ut uel uarient, uel tributum soluant. Quis non intelligit finem tuæ religionis, zelum & ritum tuæ legis tantum ad hoc tendere, ut domineris? Tributo enim, quis deo & tibi satisfacit. Non erat alia intentio tua, quàm quod Deo & religione medijs magnus esses. Nunquàm credidisti ea uera, quæ fingis Dei præcepta: quia non seruasti ea. Nonne Deum facis asserere in Alchoran, Christianos tuos meliores amicos quàm Iudæos? Et alibi persecutionem, quam quidam in Christianos exercuerunt, detestaris: dicens, quomodo Deus confortauit eos. Capite XXXIX. In principio à gentibus in terra propinqua pessimáque Christiani superati, post nouem annos earum uictores per deum, cuius sunt prima postremáque mandata, facti sunt. Ex illis non uidetur, te aliquibus inimicitijs seu legis tuæ ratione Christianos illos persequi, sed solo dominandi appetitu uim ipsis intulisti, & tuis successoribus tale exemplum reliquisti, utique pessimum ualde. Eundem enim dominandi animum habentes, ubique Christianos persequuntur. Sed CHRISTIANI dei dono, demum suos uictores superabunt.

Machumetis scopus in Alcoran.

Christianos Iudæis præferri in Alcorã.

## QVOD MAHVMET NVNC scribat CHRISTVM Deum & hominem tantum, sic nunc singularem Deum, nunc pluralem.
### Cap. IX.

Miraculorum diuinitas.

DE Christo etiam sæpe Alchoran talia dicit, quæ ipsum diuinæ naturæ consortem concludunt. Nam fundamentum ponit, miracula diuina esse: Christum autem miracula super omnes fecisse approbat. Et non solum illa quæ in Euangelio continentur affirmat, sed etiam quæ in alijs libris (qui quoniam occulti sunt ob auctoris innoticiam, Apocryphi nominantur) allegat, ut est de creatione auium uiuarum ex luto, & pleraq; alia, quæ Christum diuinæ naturæ fuisse concludunt. Habere enim generalem omnium miraculorum potestatem diuinum est. Sic enim Iesus se Meßiam probauit, quando Ioannes Zachariæ ex uinculis duos ad ipsum misit, interrogando: Tu es qui uenturus es, scilicet Meßias? an alium expectamus? Respondit Iesus: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis et uidistis. Cæci uident, claudi ambulãt, leprosi mũdantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Ecce quomodo Iesus respondit, per opera, seipsum esse illum Meßiam expectatum, quem Ioannes his auditis non hæsitaret Dei filium esse, cui spiritussanctus in Iordane testimonium perhibuit. Sic etiam Alchoran ipsum ad consortium diuinæ naturæ nititur eleuare, quando dicit, omnibus prophetis quantumcunque Deo familiaribus et proximis, Christum supraponi. Vtiq; qui etiam altißimis prophetis supraponitur, inter illum & diuinam naturam nihil mediat, cum nullus eo proximior Deo dari poßit. Dicit etiam Alchoran, deũ bonos homines inhabitare, et Christum maxime bonum, seu optimũ omniũ asserit. Ipsum igitur deus maxime inhabitat, ita quod perfectißime cum omni plenitudine, adeò quod natura humana est diuinæ naturæ ipsum inhabitantis summo gradu unionis unita, quam hypostaticam siue personalem uocamus: uti in homine corpus unitur animæ, seu animalis natura unitur intellectuali naturæ. Quapropter inter naturam humanam & diuinam, ipse Christus est mediator, & talis, quod sicut inter ipsum & homines nihil mediare potest propter identitatem naturæ humanæ ipsius & omnium hominum, ita etiam inter ipsum & deum nihil mediare potest, propter identitatem naturæ diuinæ dei & ipsius. Et quãuis Alchoran talia de Christo dicat, per quæ sapientes ista facile elicere possunt: tamen alibi uariat, & illa de Christo dicit, quæ uidentur in Christo consortium diuinæ naturæ negare. Quando ait, Mariam uirginem eius ueram matrem, & ipsum cum matre usum fuisse humanis cibis & comestilibus: cum tamen alibi ponat, quod deus nihil comedat, et dicat etiam, quod deus sit Christi dominus & superior, qui eum & matrem poß-

Apocryphi libri.

Christi miracula.

Alcorani de Christo testimonia.



set si uellet annihilare, sicut alias creaturas: & quod non sit nec deus nec filius dei, nec concurrens aut particeps. Et talia dicit, quæ prioribus dissona uidentur: quæ tamen si sibijpsis non contradicunt, necesse est ut intelligantur modo quo præmisimus, scilicet Christum non esse alium deum, licet eiusdem diuinæ naturæ cum omnium creatore. Sic et de unitate Dei sæpißime repetit, unum solum deum creatorem esse: & tamen pluries in opere creationis, & alijs in Alchoran loquitur diuinitas pluraliter, scilicet, Nos creauimus hominem. Quæ tamen singularitas & pluralitas si sibi etiam non contradicunt, intelligere oportet ut prædiximus, scilicet quod trinitas seu pluralitas quæ exprimitur per Nos creauimus, non sit in numero seu in plurali numero affirmanda, sed in singulari quæ est unitas. Pluralitas enim, etiam apud Grammaticos non est pluralis numeri, quia singularis unitas. Ita etiam apud theologum, pluralitas est in unitate simplicißimæ diuinæ naturæ. Et ideò non est nisi ipsa singularis & una deitas, quæ Deus: quemadmodum breuiter in præcedentibus tetigimus. Et hoc uidetur dici in Alchoran XXXII. Cap. in fine. Inhibet enim ibi inuocationẽ alterius dei, dicens: Quia apud Deum solum, totus est illius numerus.

Christus eiusdem naturæ cum Deo, non Deus.

## QVOD MACHVMET CONtinue uariat, ut in exemplis.

### Cap. X.

DIcit in Cap. septem dormientium, quo modo quisq; in secretis & occultis dicere potest quid sibi uidebitur, quasi in hoc non sit reprehensibilis. Ideò in recitatione opinionum diuersarum, etiam contrariarum, modo unam, postea aliam amplecti uidetur. Omnia autem reputat occulta, in quibus prophetæ & eorum libri eis (ut asseritur) dati non concordant: præceptis à deo datis cuilibet separatim exceptis. Nam illa obseruari debere per eos quibus facta sunt, fatetur. In eo autem in quo concordant omnes prophetæ secundum ipsum, à propheta Abraham incipiendo usq; ad ipsum, est fides unius dei creatoris, iudicis in die resurrectionis, quam resoluit in uerba ista: Non est deus, nisi deus. Sine qua fide, ut asserit, nemo saluatur. Quod si quis simpliciter sic crediderit, & legem sibi datam per prophetam seruauerit, paradisum poßidebit. Si non crediderit, nisi deus ueniæ largitor indulserit, condemnabitur æternaliter: si uero crediderit, et præcepta legis non seruauerit, impœnitẽsque fuerit, condemnabitur. pœnitens uero ante mortis articulum, à datore ueniæ misericordiam consequetur. Hæc esse uidetur intentio, ut suprà dictum est. Videtur tamen uarie loqui de transeun-

Occultorum esse libera iudicia.

Machumetica fidei summa.

Transeuntes de lege una in aliam.

tibus de una lege in aliam. Dicitur enim sic in primo cap. Sciendum autem generaliter, quoniã omnis recte uiuens, Iudæus seu Christianus seu lege sua relicta in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitãter diuinum amorẽ consequetur. & infrà: Omnis uero peccator, culpæ culpam accumulans, igne perenniter comburetur. Dicit omnis, generaliter etiam sua lege relicta in aliam tendens. Cap. uerò III. dicit: A tua lege desides, absq; intermißione tuæ genti bellũ inferent, usquequò eam ad suam legem si poßibile sit conuertãt. tuam autem propter aliam mutãs, & in ea manens, hic & in alio seculo reus igne indeficiẽte peribit. Ecce contra hoc quod primo generaliter dixit, nũc excipit homines suæ legis, scilicet quod illi in alia lege nõ saluentur. Et contra illud IIII. cap. sic dicit: Vim nequaquã propter legem inferas, cum recta prauaq; uia patefactæ sint. Non credẽs in idola, sed in creatorem: mandatis dei sapientis & audientis & omnibus eum adorantibus propitij, é tenebris ad lucem perducitur. Incredulus autem contrario, distrahitur igne perpetuo cruciãdus. Hoc dictum cum primo concordat, sine exceptione generaliter loquens. Sic V. cap. dicit: Credentes quidem in deum, peccatorumq; suorum ueniam postulantes, & ab ignis feruore liberationem, abstinentes & ueraces, orationibus insistentes, & eleemosynarij, deo teste & angelis atq; scientibus, qui unum solum deum incomprehensibilem & sapientẽ creatorẽ esse fatentur, coram quo nulla lex probabitur, nisi tantum hominum sese totos suaq; negotia deo uouẽtiũ, paradisi gaudio perfruentur. Ecce quomodo generaliter loquitur, sicut in primo cap. Similiter dicit XII. cap. Omnes qui in deum crediderint, & iudicij diem expectantes benefecerint, nihil timeant. Capite XXXVII. aliter dicit: Scilicet tu librum, uidelicet Alchoran, ex insperato tibi missum habens, ab illius mandatis nequaquam ulterius digrediaris: ne sis incredulus, aut incredulorum adiutor. Et cap. XLI. Quis deterior, quàm post nostrorum præceptorũ perceptionẽ delinquens uel recedens? Iam per Moysen librum filijs Israel tradidimus, quem sequentes penitus indubitanter deo coniungentur. Ecce introducit deum illa dixisse: quasi quisq; legẽ dei quam recepit tenere debeat: alioqui malus reputabitur. Et quia Christiani plus alijs legem secundum ipsum uariant, eos legem uariantes, sæpe ignominioße appellat Secundum igitur hoc dictum, non solum de lege eius existens, sed nec Iudæus nec Christianus, sine transgreßione & peccato legem semel acceptam mutare potest. Ait enim alibi, deum fideles & constantes in sua lege plus alijs diligere.

Christiani legem uariãtes, iuxta Alcorã



Iterum dicit ca. XLVIII. Omnis quidem deũ timens, & credens ac faciens in hoc mundo, diuinam misericordiã assequitur. Et apertius ca. LI. sic dicit: Præcepta quoq; legum & mores, sicut Noë & tibi ac Abrahæ & Moysi ac Christo patefecimus, nunc doccmus. illis ergo adhærete, sicut lex præcipit, nec illis controuersantes, nec ab illis discedẽtes. Ecce aperte fatetur, non uelle præceptis legum & morum præteritis prophetis patefactis contradicere, sed illa docere: & ideò illis præcipit adhærere, & nequaquã ab illis (ut lex præcipit) discedere. Alibi ait, Christianos & Iudæos incredulos, & omnes tales damnatos. Quis potest ex his aliquid solidi elicere?

## CONTRA ID QVOD LEX Alchoran sit lex Abrahæ. Cap. XI

SEd dicito Mahumet, credulitas est neceßitatis? tibi autem ais à Deo reuelatum, ut legem Abrahæ sequaris, non declinãdo ad dextram uel ad sinistram, ne reperiaris incredulus. Quomodo præsumis dicere, legẽ quã Alchoran continet Dei esse, cum nulli ostendas Abraham talem legem dediße? Nónne si tibi deus reuelauit legem Abrahæ sequendam? si lex Moysi data, & lex Christo data, sunt in diuinis libris testamenti & euãgelij, ut asseris necessario à lege Abrahæ nec ad dexterã nec ad sinistram declinant. Quomodo igitur præsumis dicere, tuam legem eminere præalijs? Non sunt duæ leges testamenti & euangelij, sed una diuina lex, quam Christus non soluit, sed compleuit, ostendendo spiritum intelligentiæ legis, qui sub litera continetur, & non cognoscebatur. neq; uetus, neq; nouum testamentum deuiat à lege Abrahæ, sed explicat ea quæ Abrahæ præcepta erant: scilicet quod coram domino ambularet, ut esset perfectus. Hoc præceptum Moyses explicat, quomodo coram domino esset ambulandum, Christus uerò explicat quomodo ambulans coram domino iuxta explicationem legis Mosaicæ, peruenire poßit ad perfectionẽ Abrahæ præceptam. Nihil igitur de lege Abrahæ restat explicandum. Quomodo igitur lex tua quæ Arabum dicitur, dici potest lex Abrahæ, quando ab euangelio declinat? Vtiq; non debes præsumere, deum tibi maiorem peritiam dediße quàm CHRISTO, quem & tibi & cunctis prophetis præfers. Oportet igitur ut fatearis, non esse nisi unam legem & Abrahæ & Moysi & CHRISTI: quæ seruãtibus summam remunerationem æternæ uitæ promittit. Neq; possunt esse plura perfectißima, cum quodlibet posset esse perfectius. Sola igitur una est perfectißima uia seu lex, ad unum perfectißimum finem

Testamenti & euangelij lex una.

finẽ perducẽs: quæ alia esse non potest, quàm illa per quã Christus qui omnium perfectißimus, iuit & docuit eundũ. Quid facit te adeò uariantem & uacillantem in omnibus, nisi ignorantia Christi? Dicis IESVM Mariæ uirginis filium esse Christum, & in hoc non erras: sed quid Christus sit, penitus ignoras. Si uerò scires firmißima fide CHRISTVM uerum filium Dei patris & Mariæ matris: tu uideres uitam æternam, quæ est summa & desideratißima fœlicitas, non esse per hominem attingibilẽ, nisi in ipso. Et deus in te maneret, & tu in deo: & non fluctuares in opinionibus eorũ qui Christum ignorãt. Vtinã tu literas sciuisses, & studuisses saltẽ illius discipuli Christi dilectißimi Ioannis euangelistæ paruam Canonicã epistolam: uacasses utiq; à labore Alchoran, & acquisiuisses illi luci ueritatis. Cur uoluit deus, ut illi in albis uestiti CHRISTVM sequẽtes, toties in Alchorã summis laudib. extollerẽtur (de quorũ numero fuit ille euãgelista Ioannes CHRISTO dilectißimus, et permanẽs uirgo) nisi ut uos illius libri Alchoran cultores, & illorũ uitã et doctrinã perquirẽtes imitaremini. Quærite igitur lucem in allegata epistola, ut ad CHRISTVM, qui lux uera est omnem hominem illuminantem pertingatis: & inuenietis thesaurum sapientiæ & intelligentiæ omnium scripturarum.

Machumet literarum imperitus.

D. Ioãnis epistola canonica

## QVOD ALCHORAN MALE dicat, Abraham fuisse idololatram, et uera historia ponitur. Cap. XII.

QVod autem euangelium perfectißime nobis legem Abrahæ tradiderit, nunc ostẽdere conabimur. Et primo, Euangelium & euangelij obseruatores non detrahunt laudi Abrahæ, quemadmodum Alchoran, & eius sequaces, qui aiunt Abraham primo idololatram, & post conuersionem suam Tharæ suum genitorem de idololatria reprehendisse. De quo multa Alchoran narrat. Hoc autem Abrahæ in ignominiam cedit, ut in doctrina Mahumet legitur: quomodo ipse ob idololatriam illam, indignum se fatetur intercessorem apud Deum. Hoc Machumet non habuit ex textu ueteris testamẽti, sed ex quadã glosa, quam quidam Iudæus pro euasione obiectionis quæ fit de annis Tharæ & Abrahæ cogitauit, quã Christiani non acceptant, neq; Iudæus Iosephus historiographus maximus. Vnde nequaquam est credendum, Abraham de ciuitate Vr Chaldæorum eductum, idololatram fuisse, aut eius patrem, aut auum Nachor, uel Heber (à quo ipse et Iudæi Hebræi dicti sunt) aut Noë, siue aliquem alium prædecessorem eius. Ad mandatum dei Abraham subito egressus est, de terra & cognatione sua in

Abraham nõ fuisse idololatram.

Iosephus historiographus.

Hebræi



terram Chanaan, & deus ob hanc obedientiam dixit: Faciam te in gentem magnã, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriśq; benedictus: benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur uniuersæ cognationes terræ. Et iterũ: Omnem terram quam conspicis, dabo tibi & semini tuo usq; in sempiternũ, faciamq; semen tuum ut puluerem. si potest quis hominum numerare puluerem terræ, semen etiam tuum numerare poterit. Et iterum: Noli timere, ego protector tuus sum, merces tua magna nimis. Et iterũ: Non erit uernaculus tuus hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredẽ. Suspice cœlum & numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iusticiã. Et iterũ: Ego deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus, ponãq; fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te uehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in terram, dixitq; ei deus: Ego sum, & pactum meum tecum, eriśq; pater multarũ gentiũ, nec ultra uocaberis Abram, sed Abraham: quia patrem multarũ gentium constitui te. Faciamq; te crescere uehementißime & ponam in gentibus, regesq; ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te & inter semẽ tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno: ut sim deus tuus, & seminis tui post te. Sarrai uxorẽ tuam non uocabis Sarrai, sed Sarra. & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo dicens: Putatne centenario nascetur filius. & Sarra nonagenaria pariet? dixitq; ad dominum: Vtinam Ismaël uiuat coram te, quem ex Agar ancilla habui, Sarra hoc desiderante & deprecante. Et ait dominus ad Abraham: Sarra uxor tua pariet tibi filium, & uocabis nomen suum Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismaël quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum ualde. XII. duces generabit, faciamq; illum in gentem magnam. pactum uerò meum statuam ad Isaac. Postea ut deus mandauit, circumcidit se Abraham & Ismaëlem XIII. annorũ, & omnes uiros domus suæ. Deinde apparuit ei dominus in ualle Mambræ, sedenti ad ostium tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cui cum aperuisset oculos, apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum, quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorũ de ostio tabernaculi, & adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiã in oculis tuis, non transeas seruum tuũ, sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes

Vera de Abrahamo historia ex sacris literis, non Iudæorum fabulis

Abram, Abraham

Sarrai, Sarra.

Ismael

uestri,& requiescite sub arbore: ponamq; buccellam panis,& confortetur cor uestrum,postea transibitis. Qui dixerunt,fac ut locutus es. Sarra concepit,& peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei deus:uocauitq; Abraham nomen filij sui, quem genuerat ei Sarra, Isaac:& circumcidit eum die octauo,sicut præceperat ei Deus,cum centum esset annorum.Cúmque uidisset Sarra filium Agar Aegyptiæ,ludentem cum filio suo Isaac,dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius,non enim crit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et dixit Deus ad Abraham:Omnia quæ dixerit tibi Sarra,audi uocem eius:quoniam in Isaac uocabitur tibi semen.Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Deinde tentauit DEVS Abraham, dicens: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & uade in terram uisionis,& offeres eum ibi in holocaustum,super unum montium quem monstrauero tibi. Tulit Abraham ligna holocausti, et imposuit super Isaac filiũ, ipseq; portabat in suis manibus ignem et gladiũ. dixit Isaac:Vbi est uictima?dixit Abraham:Deus prouidebit de uictima,fili mi. Cumq; colligasset Isaac filiũ suum & posuisset in altare super struem lignorum,extenditq; manum,& arripuit gladium,ut immolaret filium suum,& ecce angelus domini de cœlo clamauit,dicens: Abraham Abraham, ne extendas manum tuam super puerum,neq; facias ei quicquàm.Nunc cognoui quod timeas dominũ, & non peperceris filio tuo unigenito propter me. Abraham uidens arietem inter uepres cornibus hærentem,ipsum obtulit pro filio.Per memetipsum iuraui,dicit Dominus,quia fecisti rem hanc,& non pepercisti filio tuo unigenito, propter me,benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli,& arenam quæ est in littore maris.Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Moritur Sarra. Abraham aliam capit uxorem,ex qua habuit filios.Deditq; Abraham cuncta quæ possidebat,Isaac. filijs autem concubinarũ, largitus est munera:& separauit eos ab Isaac filio suo, et deficiens,centum LXXV. annorũ mortuus est. Dixitq; Deus Isaac: Ero tecum, & benedicam tibi. Tibi enim & semini tuo dabo uniuersas regiones has,complens iuramentum quod sponpondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum,sicut stellas cœli,daboq; posteris tuis uniuersas regiones has, & benedicam in semine tuo omnes gentes terræ,eo quod obedierit Abraham uoci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea,& cerimonias legesq; seruauerit. Ecce quæ

Abrahæ mors.



de Abraham,uera leguntur.

## DE PROMISSIONE FACTA Abrahæ fideli. Cap. XIII.

ABraham uero pater multarum gentium,quia pater fidei:Credidit enim Deo,& reputatũ est ei ad iusticiam.Ideò omnes deo credentes, modo quo Abraham,iustificantur per fidem.Et quia Isaac filium Deus illi dedit propter fidem,qui aliter secundũ naturæ cursum ab Abraham. 99. annorum,ex Sarra nonagenaria, & insuper sterili,cui muliebria deficiebant,generari non potuit:scimus, per fidem nos desideria consequi æternæ uitæ, supra mortalem nostram naturam. Optamus siquidem filios habere,ut in ipsis noster mortalis defectus instauretur,et in ipsis uiuamus. Per fidem uero uidemus Abrahæ desiderium iustificatum. Meruit igitur consequi desiderium suum ab eo,cui credidit nihil impossibile. Per fidem consecutus est uitam in filio sibi à deo dato, et consequenter in posteris usq; in sempiternum. Dicit enim Deus: Terram hanc semini tuo dabo usq; in sempiternum. Viuit igitur in sempiterno semine suo Abraham. Et quomodo uiuit? Non secundum carnem, modo quo in Ismaele filio suo pater Abraham uixit, qui fuit filius secundum carnem: Non secundum repromissionem, sed secundum spiritum, modo quo uiuit spiritus credentis in promissis DEI. Pactum igitur Abrahæ cum DEO,quod esse debet sempiternum,continuatur per Isaac,non per Ismahelem:scilicet in semine dei, non in semine carnis. Hinc omnes fideles, in Isaac uocati sunt semen Abrahæ.Filij igitur Abrahæ,sunt credentes deo in tantum, quod fide iustificentur. Ideò aiebat propheta:Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis:quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Quare ex Sarra libera,licet sterili,Isaac promissus:ostendit omnes gentiles fideles in patre Abraham benedictos, filios promissionis esse. Sic itaq; dũ deus Abrahæ promitteret semen eius uehementissime augendũ,in quo omnes gentes benedicerẽtur,& omnes trib.terræ,utiq; de Christo locutus est pactũ dei et Abrahæ, scilicet quia unus ipse creator esset DEVS eorum. Seruatum est per omnes filios Abrahæ prophetas, qui circa illius pacti obseruantiam summè uigilarunt. Et deinde ueniendum erat ad omnium prophetarum maximum, ubi semen illud uehementissime creuit, in quo esset plenitudo promissæ benedictionis. Et hic est CHRISTVS, in quo Abraham & omnes fideles æternaliter uiuunt. Ideò dum uirgo Maria fœcundata CHRISTO exultaret in spiritu,& anima eius deum magnificaret, aiebat:Suscepit Israel puerum suum,recordatus miseri-

Fidei uis.

Abrahæ et quomodo sempiterna.

Abrahæ emẽ benedictum, Christus.

misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula. Ex cuius cantico scimus CHRISTVM puerum esse Israel, uirum uidentem deum, secundum promissionem factam Abrahæ & semini eius. Et Zacharias propheta, pater Ioannis baptistæ, de Iesu dicebat: Ipsum esse cornu salutis, erectum in domo Dauid, scilicet Messiam saluatorem. Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt, et secundum iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. CHRISTVS igitur, filius Abrahæ, est illud promissum semen, filius scilicet immortalis, in quo omnes fideles uiuunt æternaliter, cum omnes tribus terræ fideles in patre Abraham sint benedictæ, & ipse uiuat in filio suo Iesu, semine benedicto, uiuunt sic omnes benedicti in patre & in filio benedicto. Quapropter CHRISTVS dicebat ad Iudæos, quomodo sciret eos esse filios Abrahæ, scilicet secundum carnem. Sed quia hoc non sufficiebat ad ueram filiationẽ spiritus, ideò dicebat: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Instruens illos, eos ueros esse Abrahæ filios, qui eius opera faciunt, qui scilicet sunt creduli, & deo obedientes. Dicit etiam, quod Abraham exultauit ut uideret diem suum: & quod uidit, & gauisus est. Vidit igitur ante se CHRISTVM, & illum sibi promitti, & ex sua progenie, & hunc aduentus diem dum uideret, gauisus est, & in hac uisione certificatus est, omnia sibi promissa compleri, nec hæc promissa sibi facta fuisse propter legem aut circuncisionem solum, sed propter fidem. Hæc mysteria à sæculis abscondita, nobis per CHRISTVM & discipulos eius manifestata sunt.

Christus, uerus Israel.

Abrahæ filij qui.

## QVOD PACTVM DEI ET Abrahæ excludit Ismaelitas, & in CHRISTO mediatore concluditur.

### Cap. XIIII.

NVnc attendite uos Arabes, quomodo uos ex Ismaele secundum carnem geniti, non estis in fœdere & pacto Abrahæ cum deo, sicut filij promissionis ex Isaac, & nullam habetis partem hæreditatis Abrahæ, quia ex ancilla Agar geniti, et aduersarij spiritus, sicut caro semper est contra spiritum. Et non potestis esse benedicti in semine Abrahæ, nisi sitis filij Abrahæ in spiritu per fidem, & tunc assequi poteritis repromissionem benedictionis in CHRISTO, qui est finis & complementum promissionis. Intelligite igitur fidem spiritu capi, et terminari in CHRISTO uiuo, uita immortali & sempiterna, cum sic sit filius hominis, quod & filius dei, qui solus est immortalis. Legitur autem in primo Capite, Alchoran, Abraham sic orasse: O deus, nostræ prolis filium mediatorem prophetam excita, cæteris gerenda, uirtutesq; tuas scripto notificantem, eisq; benedicentem, cum tu sis doctor excelsus, omnia sciens & audiens. Ecce quomodo de CHRISTO mediatore inter deum & hominem Abraham loquens, sic orat. Nec potest de alio intelligi, cum loquatur de propheta filio prolis, eius scilicet Isaac, quem Deus nominat unigenitum eius. Et hic mediator est inter deum & hominem, quia ipse solus est inter quem et deum nullus mediat, cum sit altissimus propheta Christus, qui solus est deum patrem notificans, quia filius eius, & fideles in semetipso ut maximus sacerdos benedicens. Videte Arabes quomodo sequimini Abraham, qui hanc fidem non tenetis? quomodo coram deo ambulatis ut perfecti sitis, ut quando non estis filij repromissionis in Christo Iesu? quærite, et non reperietis deum unquàm legatum, aut doctorem, prophetam, uel nuncium misisse, qui non fuerit de obseruantibus pacta & fœdera quæ Deus pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. De eorum enim genealogia omnes fuerunt, quibus deus spiritum prophetiæ dedit: non de genealogia Ismaelis, cum quo deus pacta non iniit, sed ipsum excludens, Isaac elegit. Licet ei ob Abraham benediceret, & eius semen multiplicaret, & XII principes ex ipso nati sint. Ita quod in benedictionibus tam huius seculi, quàm futuri perpetui, sempiternam benedictionem est assecutus. Nec uos moueat, in Cap. XI Alchoran, Ismaelem inter prophetas post Abraham ante Isaac poni, et in Cap. XXVIII. nuncium & prophetam appellari. Nam huius dicti non habet testimonium scripturæ, nec testamenti, nec euangelij. Sed de eo legitur, angelum Agar de eo grauidæ prædixisse, ipsum ferum hominem, qui tentoria sua contra fratres figeret, futurum. Posuit autem Machumet hæc in Alchoran, ut se, qui erat Ismaelita, de genere prophetæ probando, facilius prophetam & nunciũ esse Arabibus persuaderet. Sed deficiẽs in hoc, qualis sit habendus ostendit. Dicit autem in cap. XLVI. Abraham ad Isaac dixisse: O fili, mihi quidem per uisionem nũciatum est, quod te decollarem. Quid tibi inde placeat, dicito. Qui respondit: Nunciatum tibi perpetra, me nanq; fortiter passurũ omnia, reperies. Si sic est ut ibi scribitur, utiq; Isaac deo et patri suo usq; ad mortẽ obediẽs, meruit ille esse in quo deus uocauit semẽ benedictionis omnium fidelium. Nam utiq; maxima fuit Abrahæ fides, qui cum credidisset deo semen suum in Isaac uehementissime multiplicandũ, adhuc dum iuberetur illum filiũ in holocaustum deo offerre, non replicuit hoc fore contra dei promissa. Quia nõ dubitauit de illis, etiam si in holocaustum offerre

Christus finis & complemẽtũ promissionũ Abrahæ factæ.



Christus solus mediator inter deum et homines.

Prophetarum omnium genus ex Abraham.

Ismaelem falso præponi Isaac, in Alcoran.

Abrahæ fides maxima.

tur. Sed sperabat, deum potius promissa adimpleturum, si eidem in occisione filij obediret: sciens, apud ipsum nihil difficile, uel impossibile, qui mortuos facillime resuscitat.

## QVOD NON NISI CHRISTIANUS TRINITATEM IN UNITATE ADORANS, ABRAHÆ FILIUS ESSE POSSIT. CAP. XV.

Isaac Christi typus.

PErfectissima igitur Abrahæ fides, cuius Isaac uerus fuit successor & hæres, typum seminis illius perfectissimi Messiæ gerens, obedientis deo patri suo usq; ad mortem, etiam turpissimam. Sed

Cur aries pro Isaac oblatus.

quid amplius notandum? Certe quod aries pro Isaac oblatus est. Aries ille qui repertus est per Abraham, quem pro filio obtulit, oblationem & uictimam significauit Christi, qui uerè oblatus & mortuus est, ut Isaac fidelis & omnis fidelium generatio uiuat. Isaac igitur significauit Christum, ob pronitatem obedientiæ usq; ad mortem quæ ineesse debet omnibus uerè fidelibus. Sed aries significat Christum, ut est holocaustum, morte sua omnes dei filios per consummatam fidem saluans, & à morte perpetua liberans. In doctrinis Machumet dicitur, arietem sine commixtione, sicut Christum, natum. Abraham autem, si recte capis ô Arabs, non fuit (ut Alcoran quodam loco dicit) ante Christum, & ideò ipsum Christianum negat, sed ante ipsum fuit Christus Dei filius,

Christus ante Abraham.

Deo patri suo coæternus. Ita enim legitur, Christum in euangelio dixisse: Antequàm fieret Abraham, ego sum. Vidit igitur prophetico spiritu, ipsum Messiam mediatorem et saluatorem aliquando in mundum uenturum, sine quo nec quenquàm ad Deum patrem accessum habiturum credidit. Ideò Abraham Christianus fuit, sperando medio Christi se immortalem uitam indubie assecuturũ.

Abrahã Christianus.

Hæc est sola & perfecta fides Abrahæ, quæ & esse debet omnium qui sanam fidem habere uolunt, & per ipsam fœliciter saluari expectant. Vidit Abraham tres in ualle Mambræ, & pronus in terra adorauit, dicens: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, nõ transeas seruum tuum. Vnum dominũ, in trinis personis adorauit. Vti-

Christianorũ adoratio.

que hæc est Christianorum adoratio, quam nisi uos Arabes faciatis, non estis Abrahæ successores. Quomodo putatis uos Abrahæ uiri iusti uestigia insequi, qui Abrahæ filios persequimini? Vnus est Abrahæ filius, uniuersorum hæres, Iesus Christus Mariæ uirginis, filiæ Abrahæ filius. Hic, cuius typum Isaac gessit, uerus hæres uniuersorum. Quia idem & dei filius, est Christus, deus uerus, qui est merces magna nimis Abrahæ. Deus dedit Abrahæ filium Isaac, quia credidit



deum in promissis ueracem: sed propter obedientiam quam in filio offerendo ostendit, dedit ei filium Christum, uniuersorum regem & dominum. Vos uero, o Arabes, non creditis Abraham talem mercedem pro sua iusticia & obedientia assecutum. Minus igitur de Abraham creditis, quàm Christiani, ueri Abrahæ filij. Non eritis igitur cohæredes Christi filij Abrahæ, qui fideles Abrahæ filij esse recusatis.

Christiani ueri Abrahæ filij.

## QVOD ARABES LEGEM ABRAHÆ PENITUS IGNORENT, & eius sint persecutores. CAP. XVI.

ESt ne hoc satis quod circumcidimini, quasi in hoc legem ipsius impleatis? Circuncisio non arguit uos Abrahæ filios, qui credidit DEO, & reputatum est ei ad iusticiam, sed fides Abrahæ iustificat. Iustus erat Abraham nondum circumcisus. Sed deus qui elegit Abraham, Isaac, & Iacob, & eorum posteros in populum suum peculiarem, pactum firmari uoluit, quod ipse esset deus eorum, in obedientia circuncisionis, ita quod fœdus tale cum quolibet in illa sanguinis effusione ad obediendum deo facta, amplius negari non posset: quod q; à cultu accepti dei recedens, præuaricationis suæ testimonium in corpore suo circunferret. Christiani uero in CHRISTO circumcisi, cum sint corpus CHRISTI mysticum per fidem & baptisma facti, iam circumcisi in CHRISTO, nomine suo se fideles dei omnibus manifestant. Si circumcisio, signũ est uoluptatum carnis absciso-

Circumcisione non fieri Abrahæ filios: curque illa a Deo instituta.

nis, utiq; legem uestram illas abundantius indulgentem, non esse Abrahæ ostendit. Mandatur circumcisio, & octauo die natiuitatis fieri, modo quo Isaac fuit circumcisus: uos autem non mandatum dei exequentes, in XIII. anno (quia tunc Ismael fuit circumcisus) eam, ut fitis Ismaelitæ, facitis. Scitis Abraham, ut fratrem suum liberaret, iuste arma sumpsisse, & tamen de spolijs & rapinis et aliorũ bonis noluisse ditari. Vos autem in iniustis aggressionibus, rapinis quæritis impinguari, & ex lege uestra uobis licere asseritis, quæ tamen à lege Abrahæ in nullo debet declinare. Blasphematis deum Abraham in Abraham, quando hæc legi Abrahæ conformia mentimini. Lex uestra dat deo quintam partem spoliorum, cuius sunt uniuersa. Quid ridiculosius? Dicitis: Hæc fiunt contra incredulos. Nonne hoc est occultum secundum uestram legem, quis melius ambulet, licet quisq; se putet rectius ambulare? Deus enim ut Alchoran dicit, dedit cuilibet gẽti qua sua sunt ei placita. Ideò hoc occultũ,

Ismaelitarum circumcisio non 8. die, sed 13. anno fieri solita.

Spoliorum quinta pars Deo data

spectat

ſpectat ad iudicem occultorum extremi iudicij. Oſtendite ubi hoc Abraham aut fecerit, aut fieri præceperit. Et quia non reperietis, male dicitis uos Abrahæ legem ſequi. Quoties dicit liber ueſter, Si deus uellet, omnes eiuſdem legis & ritus eſſent. ſed ſic, uti uidemus, permittit. Cur uos præſumitis de mũdo aliter diſponere quàm deus? niſi quia deo ad corrupta ueſtra deſideria plus omnibus blaſphemando abutimini? Dicitis fortaſsis, Nos decimamus ſicut Abraham. Nõnne Abraham, Melchiſedec ſacerdoti dedit decimas? Quid figurabat rex Salem, ſacerdos ſummi dei, aliud quàm Meſsiam? hoc Dauid propheta de ipſo dicit Deum dixiſſe, Pſalmo CIX. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec. Ieſu Chriſto ſic illum pſalmum in euangelio exponente. Si datis decimas Chriſto æterno ſacerdoti, decimas Abraham ſequimini. Si non datis ei, etiam ſi detis, non eſtis ſequaces Abrahæ. Vos autem perſequimini Chriſtum, et ipſum ſpoliatis & opprimitis in ſuis membris, ideò iniuriam facitis Abrahæ, cuius gloriamini ſucceſſores. Vtinam intelligeretis, myſteria huius panis & uini, oblationis æterni ſacerdotij & cœleſtis menſæ, æternaliter paſcere. De qua in Alchoran tunc perfecte uideretis, quod ſicut ſubſtãtia panis & uini, quæ non eſt uiua, opere naturæ depuratur & aſſumitur per ſubſtantiam humanam in ſui unionem uiuam, quoniam ſubſtantia nutrimenti tranſit in unionem ſubſtantiæ alĩti: ſic ſubſtantia uiua hominis depuratur opere uerbi dei, & demum aſſumitur in eius unione, ut uiuat uita altiori quàm prius, ſcilicet diuina & æterna. Et in hoc uidetur, quomodo uerbum dei Chriſtus, & eius corpus myſticum, uiuunt una uita per unionem antedictam, immortali & perpetua. Sed hæc myſteria occultiſsima, per uos capi non poſſunt, qui non creditis perſonalem unionem humanæ naturæ & diuinæ in Chriſto.

Melchiſedec decimæ ab Abraham datæ.

Iſmaelitæ Abrahæ ſucceſſores.

Neque fructum ſuprà dictum guſtare unquàm poteritis, qui eſtis in creduli, & ſine ſpe.

## SVASIO, QVOD SOLTANVS mandet Mariam uirginem theotocon credi, & lumen Euangelij amplecti. Cap. XVII.

NVnc poſt hoc, O tu Solthane Babyloniæ princeps gentis magnæ, conſidera cur tibi aſcribis cuſtodiam legis Arabum commiſſam. Fuiſti aliquando Chriſtianus, & abnegaſti (ut aptus eſſes ad principatum) fidem Chriſtianam. non fateris te Chriſtum abnegaſſe, ſed minus credere de eo quàm prius. Credebas enim eum filium Dei uerum, modo ſecundum legem Arabum non credis. Non abnegaſti fidem unitatis dei, quam habuiſti, et tenes modò. Credebas Mariam matrem Ieſu Chriſti eſſe theotocon genitricem ſcilicet Dei: modo dicis, uirginem Mariam eſſe matrem Chriſti, ſed non dei. Credebas Chriſtum in Hieruſalem per Pontium Pilatum crucifixum pro noſtra ſalute, uiſitaſti locum ſepulturæ in Hieruſalem, uidiſti ſigna quæ acciderant mortis hora, ſcilicet ſciſſuram petræ ex terræ motu, modò negas eum mortuum, & aſtruis eum adhuc uiuum. Vidiſti deuote & ſæpe locum natiuitatis circa præſepe in Bethleem: modò negas hoc uerum, dicens, ſub palma quadam in loco ſolitario Chriſtum natum. Mira res eſt. factus es Solthanus, non ut imminuas laudes & exaltationem Chriſti, & matris eius Mariæ uirginis. Loca illa quæ ad laudem cõſtructa ſunt in perpetuam memoriam crucifixionis & natiuitatis Ieſu, quæ perhibent teſtimonium continuũ mille annorum & plurium (ne detrahas laudi) eſſe finis, & te per illa conuinci non erubeſcis. Credidiſti aliquando Gabrielem miſſum à Deo ad uirginem Mariam in Nazareth, & ei annunciaſſe quomodo ipſa paritura eſſet Ieſum filium dei, modò credis Amram patrem Mariæ, & per conſequens ipſam non eſſe illam de qua euangelium dicit, quæ ſecuta eſt illam primam Mariã plus quàm mille annis. Et ſi dicis Alchorã in hoc erraſſe, conſequens eſt quod Gabriel euangelicus ſit uerus, & Gabriel Alchoranicus ſit mendax. Conſidera ſi Mahumet per Iudæos ſibi aſsiſtentes deceptus fuit, qui illi perſuadebant, Mariam matrem Chriſti ſororem Aaron fuiſſe, in multis eum decipere potuiſſe, tanquàm penitus ignarum hiſtoriarum temporum. Expetit à te uirgo glorioſiſsima Maria, ut reſtituas ei honorem à deo datum, & in tertia ſynodo ſub Theodoſio, atq; quarta ſub Martiano imperatoribus declaratum. Reſpice in illos glorioſos imperatores, Theodoſium, Martianum, Conſtantinum, et cæteros, qui gloriam uirgini & matri Chriſti ſummo ſtudio augere procurarunt. Si princeps es, aduerte hæc eſſe honoris tui, ut ſimiliter facias, cum ad idipſum obligeris ex euangelio prius per te profeſſo, & nunc in acceptatione Alchoran de nouo firmato, & appprobato. Diceres fortaſsis: Abſit abſit, quod ego debitum honorem Mariæ Virgini dare recuſem. Neque enim ſic intelligo ALCHORAN. Ideò blaſphemantes ipſam, mando mortis ſupplicio tradi. Sed deeſt intelligentia circa modum generationis IESV CHRISTI de uirgine. Reſpondeo: Modus incarnationis uer-

Amram.

Machumet. per Iudæos deceptus.

Incarnationis uerbi modus, supra captum humanum.

bi excedit humanum intellectum. sed cum Euangelium dicat, uerbum caro factum, hoc utiq; à te credi oportet, si Euangelio credis. Et istud sufficit, si credis matrem Christi, qui Christus est uerbum dei in uirgine incarnatum, modo quo deus hoc operatus est. Si itaq; præceperis in omni imperio tuo omnes credere euangelio, modo tali quo Aegyptij, Afri, Romani, Asianiq; crediderunt, & glorificauerunt uirginem Mariam tempore Mahumet, & antè & pòst omnes Christiani, aut maior eorum pars, iustum erit mandatum tuum, Deo & Christo & uirgini intemeratæ fore acceptum, & infinitarum animarum tribues salutem & quietem, tibiq; laudem immortalem & uitam perpetuam. Euenire debet tempus (ut suprà dictum est ex Alchoran) quo non erit nisi fides Christi. Incipe tu accedere, & sequentur te omnes orbis et sectæ illius principes. Tunc dicetur: Ecce deus permisit fieri mala, ut euenirent bona. Fides Euangelij ubiq; ab idololatris orientalibus spreta fuit. uenit lex Arabum, quasi nolens consentire in ipsam, & ad cultum eos unius dei, approbato tamen occulte euangelio, conduxit: Nunc placuit deo, quod approbatum euangelium, coopertum multis ineptijs in Alchoran (quemadmodum approbatur sæpe in eodem libro) in lucem ueniat. Ita ducentur de lege Arabum ad euangelium prius fortißime resistentes, ad gloriam magni dei, regis regum, creatoris uniuersi.

Futurum tempus quo nulla sit fides nisi in Christum.

## AD CALIPHAM DE BALdach, Quod Iudæi de Abraham apposuerunt in Alchoran.

### Cap. XVIII.

PRimum à tua prudentia, qui præes legi Alchoran, deposco, utrum credis deum esse auctorem Alchoran, an non? Si non, cur mandas tantam diligentiam libro illi in studio Baldach adhiberi, qui de seipso perhibet falsum testimonium, cum dicat se à deo compositum, quod tu non credis? Si uero credis librum illum dei uerba continere, quomodo potest liber dicere, quod per Gabrielem deus ipsum Machumet intimauit, per hæc uerba: Gabrielis hunc librum tuo cordi per creatorem intimantis? Quomodo possunt hæc uerba deo loquenti adaptari, qui est creator? Tu nosti per discursum libri talia sæpißime reperiri quæ per se ostendunt, non esse uerba dei qui loquitur. Esto igitur, quod istis & alijs obiectionibus non obstantibus, tu omnino credas deum libri illius collectorem. Credere igitur te oportet omnia esse uerißima, quæ in ipso continentur. Dicito igitur, quando legitur Cap. XVI. Ego quidem, cui deus uiam rectam atq; directam, illam scilicet Abrahæ non increduli patescit, & immi-

An Deus Alcorani autor credendus.



sit. Quid per Ego, intelligis? si dicis, Machumet, utiq; non sunt illa uerba dei, nec eis credendum. De se igitur Machumet testimonium perhibens, nihil probat: & illa uerba cum in Alchoran sint scripta, dei esse prædixisti, quæ simul stare nequeunt. Adhuc nonne Cap. VI. ponitur: Tu uerò cæteris intima, deum ueraciter iniunxisse, quod Abrahæ sectã imitentur, qui nec incredulus nec idololatra. Si hæc deus ei præcepit, & pòst hoc Cap. XVI. eidem primo immisit & patefecit uiam Abrahæ (Alchoran enim succeßiue descendit, & pedetentim, ut Cap. XXVI.) quomodo hæc simul stabunt, & quomodo compatiuntur se illa, quæ in VI. cap. dicit, Abrahã nec incredulum nec idololatram fuisse, & in doctrinis idem affirmat. Dicito, cum Mahumet XL. annorum, de idololatria conuersus sit per Sergium monachum Christianum & Nestorianum, cuius etiam habitum religiosum acceptasse dicitur, & in ea fide mortuus asseritur: quomodo est hoc uerum, quod Abrahæ legem tenuerit? Vbi legisti in Alchoran præceptum de circuncisione, aut Mahumet circuncisum: utiq; non in octauo die natiuitatis suæ, ut Isaac & filijs Abrahæ fuit præceptum, nec in XIII. anno, ut Ismæl (tunc enim idololatra fuit) nec postea legitur circuncisus. Sed quia Christianus, licet Nestorianus, utiq; baptizatus fuit. Nestoriani enim Euangelium amplectuntur, & baptizantur. Neq; est uerisimile, Machumet ista in Alchoran scripsisse. Nam ut patet ex Alchoran, euangelij laudes ponuntur in XII. Cap. & ante capita illa quæ legem Abrahæ immissam Mahumet dicunt. Similiter & laudes Christi cap. IIII. quæ credi possunt à Mahumet positæ, cum esset Christianus, ut præfertur. Certum est autem ipsum, Christum omnibus prophetis præferre, & legem euangelicam omnibus alijs legibus, ideò quod derelicto Christo & Euangelio ad Abraham fuerit per deum remissus, nequaquàm est consonum rationi nec uerisimile, cum Christiani in obseruantia euangelij non dubitent omnem perfectionem fidei & legis Abrahæ contineri. Ista igitur de lege & uia ipsius Abrahæ. Verisimiliter Iudæi post mortem eius apposuerunt ad Alchoran, quoniam in eorum manibus erat collectio Machumet, ut præmittitur. Nunc uides Califa, uos, per astutos, per uersos, dei blasphemos Iudæos esse seductos, qui Alchoran nunquàm in uita Mahumet publicatum (neq; eius unquàm continentia plene cuiquam reperitur communicata) post mortem Machumet, antequàm Iudæi illi qui Machumet ad hæserant, & collectionem præceptorum eius in sua potestate habuerant, ipsam Hali (cui Machumet tradi mandauit) assignarent, illa inseruerunt

Alcoran pedetentim collectus.

Machumet idololatra a Sergio monacho conuersus.

Nestoriani.

Alcoran a Iudæis compositus

do

de Abraham, cuius se Iudæi filios iactant, atq; alia multa quæ in Alchoran remanserunt. Hæc cum optime scias, sume uirilem animum in dei timore, & ueritatem mendacio præferas.

## OSTENSIO, SINE CHRISTO non posse quenquam felicitari. Cap. XIX.

SEcundo considera, quomodo Christo Iesu & eius euangelio absq; omni hæsitatione, etiã secundum Machumet subijci debeas, si ad æternam uitã peruenire speras: quoniam sine Christo hoc omni homini impoßibile est. Et ad hoc ostendendũ, præmitto etiam secundũ Alchoran, hominem mortalem nullo modo posse quocunq; studio aut exercitio uirtutis immortalem fieri. Mortalis enim natura si seipsam efficere posset immortalem, faceret & seipsam deum, qui solus per naturam est immortalis, etiã secundum Alchoran. Non potest igitur aliquis homo talia studiosa facere opera, propter quæ merito & de iure fiat immortalis. Et cum immortalitatem omnes desideremus, nemo erit felix ultima felicitate, nisi ipsam assequatur. Nec sufficeret illã sine merito habere. Qui etenim nõ assequitur regnum immortalitatis ut hæres & dominus per iusticiã, nondum est felix. Non enim uassallus, qui de gratia id habet quod habet, felix est, quia seruus: sed dominus, & hæres. Quomodo igitur erit poßibile, quod homo ad regnum cœlorum & immortalitatis perueniat, ut sit rex & dominus & hæres regni illius, si mortalis immortalitatẽ sic mereri non potest, quod ei debeatur? Sicut enim sensibilis uita cuiuscunq; bruti animalis nullo nũquàm exercitio ad hoc ascendere poterit, quod fiat intellectualis et intelligens, licet unũ animal brutũ plus uideatur per doctrinam hominis ad conformitatem intelligentiæ ascendere, quàm aliud: nunquàm tamẽ erit poßibile, bestiam fieri intelligentem. Sed si aliquod reperiretur animal speciei bestialis capax doctrinæ, taliter quod exercitio continuato apprehenderet intelligentiam eorũ quæ homo intelligit, & hoc opere ostenderet, nequaquàm uerũ esset illud animal fuisse puram bestiã, sed habuiße intellectum, cui animalitas illa brutalis speciei fuisset ut suæ hypostasi unita: ideò id quod in radice illa quam hypostasim dico habuit naturaliter, potuit etiam in assumpta specie brutali congruo mereri exercitio. Et quemadmodũ hæc de bruto & intelligentia uera sunt, sic de homine & diuinitate, quæ & immortalitas nominatur, dici oportet. Nullus enim homo, quantumcunque uideatur immortalitati seu Deo similior quàm alius, nunquàm tamen per quodcunque exercitium studiosum licet sanctior continue fieret, ad diuinitatem seu immortalitatem perueniret. Et si quis peruenisse creditur, necesse fuit quod illius hominis radix seu hypostasis fuerit diuina, ut in assumpta humanitate exercitio uirtutis apto immortalitatem mereri posset, quam habuit in radice seu in hypostasi. Vos autem secundum Alchoran, nõ dubitatis hominem fide & operibus mereri posse, quod per sententiam dei iudicis æterna uita in die extremi iudicij ei adiudicetur. De Christo igitur minime hoc uerum dubitatis, quod eo nemo dignior. Oportet igitur fateri, quoniam Christus homo mortalis meruit immortalitatem in humana natura, quod illa humana natura in ipso radicata, & (ut sic dicam) hypostatizata fuit in diuina, ut præferetur: & in nullo alio homine natura humana ita eleuata fuit ut eius hypostasis esset diuina. Ipse enim solus altißimus. Nullus igitur homo alius immortalitatem mereri potuit, neque potest, naturæ suæ humanæ: solus autem Christus potuit. Meruit igitur immortalitatem, omnibus eiusdem naturæ humanæ sibi conformibus. Ideò intelligimus per angelicam Gabrielis annunciationem Mariæ uirgini factam, in euangelio scriptam, ipsum Iesum à deo nominatum, quia saluator est, saluum faciens populum suum: & Meßiam siue Christum regem esse, de cuius regno sunt omnes qui æternam & immortalem uitam assequentur.

Sine Christo seruari, nulli poßibile.

Cœlum nullius hominis merito parari posse.



Immortalitas homini per solum Christum parta.

## OSTENSIO, CHRISTVM MERUISSE Christianis immortalitatem. Cap. XX.

INtellige Calipha, quod Christus meruit hoc regnum immortalitatis in humana natura assumpta de uirgine, quia in radice seu hypostasi fuit immortalis per naturam. Vnde sicut ipse secundum hypostasim diuinam fuit naturaliter immortalis, ita in assumpta humana natura meruit, ut esset immortalis. Natura igitur humana in ipso non est facta immortalis solum ex gratia unionis eius cum diuina hypostasi, sed etiam ex exercitio uirtutis. Meruit enim depoßita mortalitate per mortem, quam ob obedientiam dei passus est, fieri amplius immortalis. Meßias igitur, seu CHRISTVS rex, præ consortibus unctus, natura & merito rex est æternæ seu immortalis uitæ. Hoc quidem regnum suum est, qui est rex uirtutum & gloriæ, et in ipsum ipsius regnum, omnes creduli & fideles per ipsum, ut sint conregnantes, uocati sunt: & qui audiunt uocem eius, & sequuntur ipsum, poßident immortalitatem. Iam clare conspicis, CHRISTVM esse mediatorem dei & hominum, & nullum hominem fide & operibus, nisi per ipsum, mereri uitam æternam. Ipse est hæres regni DEI immortalis, quod solus DEVS inhabitat, ad quod

Christi meritum.

Christus Dei & hominum mediator.

quod omnes homines aspirant. Hæres quidem omni dicendi modo, secundum naturam, & constitutionẽ. Et quia secundum naturam est hæres, tunc dicitur uerus filius Dei: filius enim hæres est naturalis. Et secundum constitutionem hæres est, & dicitur filius hominis, unctus præ consortibus suis. Duplex est autem constitutio: una, qua simpliciter dependet ab electione constituentis: alia, quæ non solum ab electione constituentis dependet, sed ex merito constituti. ac si rex habens filium & sortem aduersarium, faceret proclamare, quod illum militem in hæredem constitueret qui aduersarium uinceret, & naturalis filius seruilem militarem induens formam uictor fieret, ille omni modo hæres esset, natura & constitutione. Ita Christus, hæres uniuersorum natura & constitutione existit. Induit enim hominis seruilem formam, & principem huius mundi uicit, dei aduersarium, de cuius manu liberauit humanam captiuam naturam, ad dei imaginem & contemplationem eius creatam. Vides Christum perfectißimum dei hæredem, natura & merito filium dei & filium hominis, & omnes homines Christiformes, per ipsum dei hæredes & filios, & ipsius Christi cohæredes. Hæreditas autem est regnum uitæ æternæ, in quo uidetur deus pater in gloria sua, & Christus uictor in gloria dei patris. Neq; alius potest esse uerus Alchoran intellectus, uti tuipse pura mente conspicis. Hæc si recte aduertis, uides in Christo non esse nisi unam diuinam hypostasim, in qua radicatur humana natura. Hypostasis uerò diuinæ et immortalis naturæ, humanam in se colligit naturam, ob quam hypostasim Christus est una diuina persona, licet sit diuinæ pariter & humanæ naturæ. Et de ipso dicuntur communicatione idiomatum quæ diuinæ naturæ pariter & humanæ tribuimus. De quo poteris, si uelis, à multis doctis Christianis sufficienter informari.

Constitutio duplex.

Christiani omnes Christi cohæredes per ipsum.

## DECLARATIO SIMILITVDInis Adæ & Christi.

### Cap. XXI.

ET quia circa modum quo humana natura diuinæ hypostasi uniatur, plerique non recte imaginati sunt, quoniam illud quod omnem intellectum exuperat, imaginatio non attingit, ideò pauca circa hoc, ne erres sequendo aut Nestorium aut Euticen, aut alium aliquem non sanè intelligentem, scire debes, quod sicut V. Cap. Alchoran scribitur, Iesum, Adæ quodammodo similitudinem gerere, ad bonum intellectum. Hoc sic uerum concipe. Adam à deo creatus ut præesset animalibus, rex & Meßias animalium fuit. In eo enim altior hypostasis, quàm in brutis, scilicet naturæ intellectualis fuit, in se brutalem animalitatem colligens & uniens. Ob quam etiam hypostasim naturæ intellectualis, una fuit personæ licet intellectualis pariter et brutalis naturæ. Et quoniam omne perfectionis ordine, natura est prius, deus omnia antecedit non tempore, cum non sit in tempore, sed natura, quia perfectior. Ita Deus, antiquior intelligentia. Intelligentia, antiquior sensibilitate seu brutalitate. Sensibilitas antiquior uegetabilitate. Dico antiquior, non tempore, sed ordine & dignitate atque perfectione. Eo dicendi modo intellectualis natura in Adã antiquior sensibili, in se uniuit sensibilem naturam. Et factus est rex omnium uita sensibili uiuentium, quia ipsam sensibilem uitam in unionẽ antiquioris intellectualis uitæ assumpsit, & mouit corpus uiuens uita sensibili, ad actus uitæ intellectualis. Sic Christus quodammodo in similitudine tali concipi potest, esse Meßias & rex omnium uiuentium uita intellectuali. Quia diuina uita antiquior intellectuali, in se uniuit uitam intellectualem hominis, et mouit illam humanam intellectualem naturam ad operationes diuinas. Dicitur autem, quodammodo esse similem Christum Adæ, nõ totaliter. Nam uita intellectiua in Adam, non solum in se uniuit uitam sensibilem, sed quia inter ipsam intellectiuam & sensibilem quædam potuit esse proportio, cum quælibet sit finita & creata, hinc uita intellectiua in unione prædicta facta est forma, formans sibi unitam sensibilem uitam. Diuina autem uita in Christo, licet in se hypostatice uniret uitam intellectiuam humanam, non tamen formaliter: cum inter diuinam uitam, cuius magnitudinis non est finis, & intellectiuam finitam non posit cadere proportio, quæ est necessaria inter formam & id quod formatur. Cum tamen hypostasis sit infinitæ uirtutis, naturam in se attractam nunquàm deserit, sicut uirtus magnetis in suam hypostasim ferrum attractum nunquàm deserit, & per medium attracti ferri aliud ferrum attrahit: & hoc faceret in infinitum, si uirtus esset infinita. Non tamen fit uirtus illa magnetis forma ferri, neq; transit in ferrum. Neq; componitur cum ferro, ut fiat unum tertium ex ipsis compositum, sed remanentibus naturis inconfusis, ita ferrum hypostasi uirtutis magnetis adhæret, quod ipsam non deserit, siue sursum, siue deorsum, siue lateraliter moueatur. His ænigmatibus quamuis remotis, CHRISTVM aliquantulum apprehende. Adhuc sicut Adam terrenus in se complicuit omnem hominem qui uenturus erat in hoc regnum et hunc mundum sensibilem, ita quod complicite omnes homines in ipso erant, & ab ipso receperunt ut huius mundi homines esse possent, ita in Christo, secundo scilicet Adam cœlesti, complicite sunt omnes

Christi et Adæ similitudo.

Christus quatenus Adæ similis.

Christus secundus Adam.

omnes prædestinati ad uitam immortalē alterius mundi & regni cœlorū, à quo necessariò omnia recipiunt, ut illius incorruptibilis cœlestis regni ciues & domestici esse possint. Quæ clarissime et apertissime sic esse reperies, si deus dignabitur tibi oculos aperire, ut legas & intelligas sacratissimum euangelium. Quod tibi cōcedat deus pius & misericors, semper benedictus: Amen.

## BARTHOLOMAEVS PICENVS DE MONTEARDVO, Ferdinando Regi Aragoniæ & utriusq; Siciliæ S. P. D.

QVm Demetrius Cydonius, uir utriusq; linguæ peritissimus è Latino in Græcum, opus Richardi fratris ordinis Prædicatorū transtulisset, non ab re mihi uisum est Serenissime atq; catholice rex, illud rursus è græco in latinum conuertere. Non quod apud Latinos huiusmodi opus extare non existimē, sed cum uidissem Demetrium Cydonium opusculum illud è Latino in Græcum elegantiori stilo transtulisse, idcirco pro uiribus conatus sum libellum illum iterum ea dicendi elegantia quoquo modo in nostram linguā transferre, & eum in nitidiorem cultū, candidioremq; stylum pro uiribus redigere, & tibi serenissime atq; catholice rex, illum dedicare debere. Qui solus inter Christianorum reges hac nostra tempestate Mahumetanam sectam maximis cladibus afflixisti. Nam non minimam laudem tibi comparasti, cum Beticam prouinciam, quæ per octingentos annos Mahumetanam fidem coluerat, in Christianorum potestatem redegisti, & nunc uniuersam Aphricam capere intendas: quam facile assequi poteris, cum gentes illæ hoc tempore imbelles sint, quoniam cum Christianis diu pugnare non consueuere. Difficilius enim tibi fuit Beticam prouinciā expugnare, quàm totam Aphricam in potestatem tuam asserere. Erāt enim in Betica milites illi strenuissimi, cum Hispano milite bellari semper assueti. At hi contā homines ignaui, uentri & ocio dediti, cum Christiano nomine iamdiu præliari desueti. Nec sunt in bello exercitati, quales olim duce Hannibale Hispaniam & Italiam occuparūt. Nec eam copiam armorum habent, quam Hispanus miles, in bello strenuissimus & exercitatissimus, habere dicitur. Nec sibi magnæ desunt opes, quibus militum animi spe prædæ maximæ accenduntur. Omnia tibi prospere succedent, si reliquias incepti belli prosequaris. Nec est quod uereare, bellū in Hispania tibi ab aliquibus moueri, præsertim hoc tēpore, nouo tibi ob affinitatem cum Christianissimo Francorum rege fœdere iuncto. Prosequere igitur inchoatum bellum, & omnes uires tuas in Aphricā transfer, quam facile deo duce subiugabis, & ea quidem subacta, & in Christianorū potestatem redacta, facile deinde Hierosolymam recuperabis, quæ tam ampla, tam fertilis, tam sancta terra Sultano Babylonis hoc tempore paret. Qui autem nunc eam patriam tutantur, serui sunt uenales, ex diuersis prouincijs empti, & hi quidem ad summā uiginti millium non ascendunt. Qui cum coacti essent à Christiana religione discedere, Mahumetanā nunc sectam sequuntur. Reliqui uero Sarraceni qui eis subijciuntur, quàm molles sint & effœminati, ex hoc coniectare possumus, quod his nunquā licet arma tractare, nec equum ascēdere, nec uirile quicquam facere, sed uel agriculturam, uel mercaturā, uel alia huiusmodi uilia exercent. Quod cum ita sit, nemini dubium est, quin facillime ex ea expeditione uictoriam cum maximo triumpho sis reportaturus, & ciuitatem sanctam Hierosolymā, in qua Saluator noster dominus Iesus Christus euangelium prædicauit, & nouum testamentum nobis constituit, ab immanissima Mahumetanorum superstitione liberabis. Quæ quàm uana sit, quàm friuola, quàm nullius momēti, in præsentiarum nihil attinet dicere: quoniam eam tunc primum intelliges, cum hanc Richardi fratris Confutationem diligenter lectitaueris. Vale.

Nicol. à Cusa Ricoldum nominat. Memmius illius et Volaterranus

## RICHARDI EX ORDINE FRATRVM, QVI APVD LATINOS PRAEDICATORES APpellantur, Confutatio legis latæ Saracenis à maledicto Mahumeto, translata ex Romana lingua in Græcam, per Demetrium Cydonium: deinde per Bartholomæum Picenum de Montearduo rursus è Græco in Latinum conuersa.

Psal. 118

QVot sunt dies serui tui? Quando facies mihi de persequentibus me iudicium? Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non sicut lex tua Domine. Omnia mandata tua ueritas: iniustè persecuti sunt me. Hæc uerba militantis sunt Ecclesiæ, flentis & gementis, diuersis se grauatam esse miserijs: quibus liberari diuino confisa est auxilio. Sed et si innumerabiles passa est ecclesia passiones & tristicias, omnes tamen uniuersaliter has in tres referendum est. Primum quidem manifeste sustiTres perfectiones Ecclesiæ.

nuit rabiē perſecutionis, illatam ei ab impijs ty-
I. Per tyrannos. rannis. Hoc autem maxime ſic accidit, à quo paſ-
ſus eſt Chriſtus, uſq; ad tempora Conſtantini, in
annis uidelicet trecentis & decem: quando Ro-
mani, qui monarchiam tenebant, & aliorum in-
finitus catalogus, ubiq; in uniuerſo orbe terra-
rū innumerabiles ſanctos dei martyres intereme
runt: Pro quo tempore compatiens Dauid eccle
Pſal. 26 ſiæ, dicit: Quot ſunt dies ſerui tui? Quando fa-
ctes mihi de perſequentibus me iudicium? Sed ad
deum ſanctorum ſanguis cum clamaret, & mira-
II. Per hæreti cos. culis ipſi ſplenderent, repente facta eſt mutatio
dexteræ altiſſimi: & qui prius Chriſtianorū per
ſecutores erāt, eccleſias ædificauerūt, ducesq; bel
li contra impios facti ſunt. Sed ſtatim ſecunda
perſecutio hæreticorū inſurrexit. Repente enim
apparuit cruentus draco fremens ex ſquama, &
ſibilans diuerſas hæreſes, Arrij uidelicet, & Sa-
bellij Macedonijq; & aliorum hæreticorū. Pro-
Pſal. 118. pter quod maxime tempus dixit Dauid: Narra-
uerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ſic lex
tua domine. Sed data eſt & appoſita tunc lux do
ctrinæ eccleſiæ, cum multi magiſtri tunc appare
rent, & diuinam ſcripturam aperirent: Hilarius
hic fuit, Auguſtinus, Hieronymus, et Gregorius.
inſurrexerit q; et multitudo ſanctorū patrum, qui
in eremis perfectæ & ſinceriſſimæ uitæ erant:
adeò, ut & per eos draconis os debili & uulgari
lino ligatum ſit: & ſic diuinarum ſcripturarum
III. Per falſos fratres. efficacia os loquentium iniqua obturatum eſt.
Sed ſtatim poſthæc inualuit eccleſiis tertia corru
ptio, ex falſis fratribus uidelicet periculum. Vn-
A temporibus Gregorij magni ultima perſecutio Mahumeti & Papæ. de & poſt Gregorij tēpora ſtatim tribulatio per
corruptos homines intellectum roborauit, in hy-
pocriſi mendacium loquentium, & tot mendacia
& figmenta renata ſunt uitæ, doctrinæ & iuſti-
tiæ: ut multi eſſent, qui deſcenderent, & adiuua-
rent iniquos & tyrannos (in tantam enim hi fa-
tuitatem et prauitatem prolapſi ſunt) è conuerſo
perfectiſſimos homines oblactarent, eisq; detrahe
rent. Hæc contra eccleſiam corruptio uſq; ad ſe
nium & ſenectutē permanebit: ut nequaquā ſpes
aliqua relicta ſit, niſi diuini auxilij, & pro uerita
te inſtantiæ. Vnde & pro tēporibus his dicit Da
Fides & patiētia ſanctorum uincet. uid: Omnia mandata tua ueritas: iniuſte perſecuti
Apoc. ſunt me, adiuua me. Quaſi dicens: Etſi proſtra-
ta eſt ad tempus ueritas, oportet tamen hanc ue-
lociſſime exurgere, & efficaciter cognoſci, maxi



mè diuino cooperante auxilio. In hoc igitur ter-
tio conditionis ſtatu, poſt tempora uidelicet bea-
ti Gregorij, in temporibus Heraclij, inſurrexit
ueritati & dei eccleſiæ homo quidam diabolicus,
primogenitus ſatanæ, in libidinem procliuis, &
ex fraude machinamentis deditus, nomine Ma-
hometus. Qui conſilio & auxilio illius qui men Machumet.
dax & mendacij pater eſt, iniquam & mendacij
plenam tanquam ex diuino ore prolatam legem
compoſuit: quam quidem legem Alcoranum no-
minarit, uidelicet diuinorum mandatorum colle- Alcoranum.
ctionem. Hic Mahometus ſupra omnes qui fue
runt, uel futuri ſunt, Eccleſiam DEI perſecu-
tus eſt. Non enim uno ſolum modo Eccleſiam
per cuſſit, ſed tribus generaliſſimis: nunc quidem
ſæua tyrannide, nunc autem per deceptionem in
legibus, nunc uero per hypocriſim ſimpliciores
ſubuertens: ut iam magnam partem orbis terra-
rum deceptioni ſuæ ſubiecerit, ex Dei permiſ-
ſione, qui eſt terribilis in conſilijs ſupra filios
hominum. Ego igitur in ordine Prædicato-
rum minimus, tantam calamitatem deceptis com
patiens, conſideraui uias meas, & pedes meos
in teſtimonia DEI conuerti. Vnde cum tranſi-
uiſſem multa maria, & loca deſerta, & inclytam
Saracenorum urbem Babylona deprehendens,
ubi maxima & uniuerſalia ſtudia apud eos exi Babylō Aeg. quæ Baldach
ſtunt: illicque literas & Arabicam linguam ſi-
militer diſcens, diligentiſſimēque, & continue
cum magiſtris apud eos diſputans, magis ma-
gisque deprehendi prædictæ legis peruerſionem.
Etiam hanc in Latinam linguam transferre in- Richardus Alcoranū cōperat Latinū facere.
cipiens, tot inueni fabulas, ſimul & mendacia,
& blaſphemias, & continuam per omnia fabu-
lationem, ut iuſtitia plenus eſſem. Decreuique
idcirco ſcribere quaſdam epiſtolas de tantis blaſ-
phemijs, ad triumphantem Eccleſiam: conque-
ſtusque ſum tanquam illa in amaritudine animæ. Finis huius ſcripti, ſanc pius.
Nunc autem eſt mihi intentio, ſumma ueritate
confidenti, capita & principalia mendacia ini-
quæ legis huius oſtendere, & alijs fratribus
cauſam exhibere, propter quam facilius ad
DEVM reuocare poſſent huius impie-
tatis hæreticos. Vt autem hoc cum
ordine fiat, in determinata capita
oportere cognoui totum tra
ctatum diui-
dere.

OPERIS

## OPERIS DIGESTIO IN CAPITA XVII.

Primum caput continet principales huius legis errores.

Secundum, quis modus cum eis seruandus est.

Tertium, quod lex hæc non est lex Dei, propterea quod neque uetus, neque nouum testamentum hanc testantur: & quod necesse est Sarracenis, parére dictis ueteris testamenti & euangelij.

Quartum, quod neque in stylo, neque in modo cum alijs conuenit.

Quintum, quod non conuenit secundum sententias cum aliquo altero.

Sextum, quod in multis sibij psi contradicit.

Septimum, quod nullo miraculo confirmatur.

Octauum, quod non est secundum rationem.

Nonum, quod manifesta continet mendacia.

Decimum, quod uiolenta.

Vndecimum, quod inordinata.

Duodecimum, quod iniqua.

Tertiumdecimum, de Alcorani institutione, & quis fuit huius legis opifex & inuentor.

Quartumdecimum, de fictione improbatissimæ uisionis.

Quintumdecimũ, de quibusdam sex quæ sitis in Alcorano communibus, & de Christi ad Mahometum excellentia.

Sextumdecimum, de euangelij ad Alcoranum excellentia.

Decimum septimum, de Saracenorum responsione ad prædicta.

## DE PRINCIPALIBVS HVius legis erroribus.

### Caput I.

PRimum igitur decet scire principales errores, quos Saracenorũ lex ponit, secundũ quos maxime diuinæ legi aduersatur. Notandũ igitur quod omne antiquorum cœnũ quod diabolus in alijs sparsim disseminauit, in Mahometũ cõprehensim euanuit. Hic enim cũ Sabellio negat omnino trinitatẽ: Dualitatẽ autẽ quandã ponit in diuinis, quæ nihil honestũ & diuinis simile in se ipsa potest demonstrare cum totius alteritatis principium sit. Supponit, enim diuinam essentiam, & huius animam. Vnde in Alchorano inducit deum pluraliter loquentem: ut uideatur ipsa anima dei, & ipse Christus alterius præter esse deũ essentiæ, & minoris Deo, & ei subditæ: conueniens in his

Hac ratione utitur & Cluniacensis Abbas.



cũ Arrio & Eunomio, supponit Christũ excellsam esse creaturã, omnes tamen alias creaturas excedentẽ. Hæc autẽ opinio ex Platonicis mota esse uidetur: qui supponunt summum Deum patrem omnium & creatorem, ex quo quandam mentem dicebant primum defluxisse, in qua quidem sunt omnes rationes entium, & omnibus excelsior est: quem & paternam mentem appellabant, post hunc esse mundi animam dicebant: deinceps autem reliquæ sunt creaturæ. Quæ igitur de filio Dei in scripturis dicuntur, hæc ad illam mentem illi referebant: maxime autem, quod & diuina scriptura filiũ Dei sapientiã et dei uerbum appellat. Cum qua opinione & ea quæ est Auicennæ conuenit, qui supra primum cœlum primã intelligentiam supponit, quæ primũ cœlũ mouet, ultra quam in summo Deum firmari dicit. Sic igitur Arriani existimauerunt de filio dei, quod esset creatura, quæ omnes alias creaturas excedit: quo mediante omnia Deus creauit. Vnde & Mahometus supponit Christum sanctißimum & hominem uirtute præditum supra omnes alios. Palàm autem quid in eo dicit esse supra hominẽ. appellat enim eum uerbũ dei, & spiritũ dei, & animã dei: Deum autem secundum ueritatem dici, omnino ridiculum putat. Et ad demonstrationem huius, duobus maxime utitur: uno quidem, quod nunquam ipse Christus de seipso hoc asseruit, uel dixit: altero autem, quia ipse contrarium dixisse uidetur. Vnde dicit Mahometus, quod Christiani dicunt Christum esse Deum, etenim Iudæis ipse Christus dixit: Adorate Deum meum, & deum uestrum, dominum meum, et dominũ uestrũ. Hæc aut longius exposui, ut omnes cognoscant, quod illud quod in principio in mũdo per Arrium seductor diabolus non potuit perficere, hoc post hæc marcescente quidem in ecclesia zelo, malicia autem crescente per Mahumetum adimpleuit, & tandem per antichristi nequitiam roborabit. Qui persuadebit mundo, quod neque uerus deus, neque Dei filius est Christus, & neque homo bonus. Principalis igitur intentio Mahometi, est, persuadere, Christum neque deum, neque filium esse dei, sed sanctum quendam & sapientem hominem, & prophetam maximum, absq; patre ex uirgine genitũ. In quibus cum Carpocrate hæretico conuenit. Item affirmat, impoßibile esse deum habere filium, propterea quod uxorem non habet. Cum eodem rursus hæretico etiam in hoc conuenit. Additque, quod si deus haberet filium, in periculo iam omnis res esset, tanquam futurum schisma esset inter eos ex necessitate. In quibus cum Iudæis & Cer-

Opinio Platonicorum de Deo.

1. Corin. 1. Ioan. 1. Opinio Auicennæ de Deo.

Opinio Arrianorum.

Ioh. 20.

Antichristi dogma de Christo.

Scopus doctrinæ Mahumeticæ.

donio hæretico conuenit. Subiungitque, neque à Iudæis Christum fuisse interemptum, neque crucifixum, sed alium quendam illi similem. In quibus cum Manichæis, † conuenit. Additque, & deum ad seipsum accersisse, & rursus eum in fine mundi appariturum, & interempturum Antichristum. Post hæc autem faciet DEVS CHRISTVM mori. Qui autem passionem CHRISTI negat, negat omnia ecclesiæ mysteria, quæ à diuina passione efficaciam habent. In quibus cum Donatistis hæreticis conuenit.

& Iacobitis &c.

Diaboli seruandi secundum Machumetem.

Dicit autem & dæmones posse saluari. per Alchoranum & quod multi eorum cum hoc audiuissent, facti sunt Saraceni, sequens in his aliquo modo † Origenem, qui dicit saluandos fore dæmones. Dicitque & ad DEVM ascendisse, quando pro eo Gabrielem misit DEVS, & manum huic DEVM imposuisse, & tantum DEO tangente rigiditatis sensum cœpisse in corpore, ut & is usq; ad medullam spinæ dorsi pertransiret. In quibus manifestum est, quod cum Anthropomorphitis communicat, qui corporalem DEVM assuerant. Dicitque & spiritumsanctum creaturam esse, cum Macedonio conueniens. In quibus autem dicit angelos dæmones factos esse, cum noluissent mandante DEO Adam adorare, neminem in hoc imitari uidetur. Nugatur autem, & ultimam hominis beatitudinem, in intemperantia & delicijs dicens esse, & uestibus sumptuosis, & hortis irriguis, conueniens in his cum Cerintho hæretico, & quibusdam antiquis infidelibus. Et circumcisionem oportere tenere dicit, commendans, quæ hæretici Ebionis sunt. Concedit & multitudinem uxorum in nuptijs, pellicúmque & ancillarum, et quotquot quis in bello capiens posset educare, & aliorum uxores indifferenter capere, hæreticos Nicolaitas in his sequens.

Non Originem, sed perfidos hæreticos, abutentes nomina sanctissimi uiri.

Videtur uiolentius uerba Machumetis exposita, zelo quidē pro fide Christiana, sed non secundum scientiam.

Omnes autem dicit oportere interimi, qui huic legi non obtemperant, nisi tributa soluant. Videtúrque concedere Sodomitica in uiris & mulieribus, in Capitulo de Vacca, & si horum successores hic honestioribus expositionibus cooperiant. Huius autem omnis intentio est, resecare, quicquid erat arduum in credendo, & difficile in operando. Concedere autem omne ad quod procliui erant, quæ præsentibus capiuntur, & maxime aliorum Arabes, gulam uidelicet, rapinam, & intemperantiam. De uirtutibus autem, sicut humilitate, patientia, pace, continentia, aut in proximum charitate, uel de extremo fine nihil, ut ita dicam, precio dignum dixit. Vt autem aliquod de his mendacium non



facile argueretur per uetus uel nouum Testamentum, uel & per ea quæ philosophantes scripserunt, in quibus & ipsi de uirtute et uitio & extremo fine tractauerunt, nihil quicquam fide dignum esse iussit, quod legi ab eo latæ contrarium esset. Interimque mandauit, qui contrarium aliquod huic dicere auderent, grauiori pœna plecti. Ipse autem Psalterium & alios prophetas ualde laudauit, & multa de eo dicit: CHRISTVM uaticinatum esse in Euangelio, filijs Israel, cum dixit: Nuncio uobis Apostolum DEI, qui uenturus est post me, & nomen eius Machometus. Affirmátque nomen hoc ab æterno scriptum esse in throno DEI, in superiori parte, ad dexteram. Ad hæc autem credendum nullum miraculum ostendit, sed nudans ensem dixit, Non in uirtute miraculorum, sed armorum, à Deo se missum esse. Hi sunt principales errores, quos continet Alchoranum, quod est lex Saracenorum. Quæ autem in illo mendacia continentur, ferè infinita sunt, de quibus in nono capitulo tractabimus.

Item de iustificatione hominis per Christi fiduciam, &c.

## QVOMODO OPORTET cum his uersari. Cap. II.

SEcundo autē oportet scire, quod ualde curiosi sunt audire aliquid nostræ fidei, & maxime de diuina trinitate & incarnatione, non tamen uolunt his credere, neque possunt hæc intelligere. Et quia superant rationem, & humanum excedunt intellectum, illa nec credere uolunt, nec intelligere possunt. Dicitur enim in Esaia: Si non credideritis, non intelligetis. Et quoniam contraria sunt Alchorano, quod ipsi constantißime supponunt esse uerbum DEI, & ideo illa non suscipiunt, sed eadem derident. Dicitur enim in Prouerbijs: Vir insipiens non suscipit uerba sapientiæ, nisi dicas ei quæ sibi placent. Vnde non oportet his statim à principio diuina proponere, neque ante porcos margaritas spargere: sed conandum in primis unam legem eis ostendere. Non enim oportet uirtutes inserere, nisi prius passiones radicitus euellantur. Oporteque & in omnibus breuem uiam eligere. Facilius autem est illorum fidem falsam ostendere, quàm nostram ueram demonstrare. Fides enim cum eorum sit, quæ non aspicimus, donum est DEI. Vnde nostra quidem fides ualde secundum mandata uera existens, non uidetur esse corporalibus. Illorum autem

Atequi catechesis apostolorum hæc primo tradit etiã pueris.

Esa. 6

Prius refellenda Machumeti peruersa dogmata, quam Christiana eis proponantur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem ſolum apparens, non à rebus, talis appareat. Sed & ſi nobis non inſint demonſtrationes, oſtendentes quæ ſunt trinitatis, & alia quæ ad fidē pertinent (neque enim tunc fides mercede digna eſſet) habemus tamen Euangelicam auctoritatem, quam etiam Alcoranum teſtatur: item et miracula, cum illi nec auctoritates nec miracula habeāt. Etſi enim Alchoranum de DEO dicit, Ne dicatis tres Deos: & reddit rationem, ſtatim dicens, quod ſit unus. Sed nōs non huius contrarium dicimus: ſed ſimul hæc affirmamus, in quibus dicit unum eſſe DEVM, quem dicimus non ſolum unum eſſe, ſed etiam ſimpliciſſimum. Neque ei conſortem quendam damus, & ſimul participem, ſicut ipſi, animam mundi, uel uerbum, uel ſpiritum, uel diuinum quendam intellectum tanquam ſeruum ex dictis nobis ſuperius. Non oportet autē humano intellectui adæquare diuinam maieſtatē, et exiſtimare illā nō eſſe, propterea quod hi nō poſſunt intelligere perſonarū diſcretionem, abſque quo & eſſentiam diſcernant. Sed neque ſic fortes rationes habēt ad hoc, quas non poſſimus ſoluere. Hoc igitur ſufficit ad defenſionem fidei. Illud autem oportet potius † eos petere: quid uult Alchoranum apud eos, quando totiens inducit DEVM de ſeipſo pluraliter loquentem, cum ſimplex ſit & unus? Hoc autem eos petendum, ut cogantur numerum in perſonis confiteri. De myſterio autem incarnationis, quod ipſi quidem negant omnino, nos autem credimus, ſequentes Euangelica dicta, oportet quærere ab eis, unde ſciant, quod impoßibile eſt DEVM incarnatum fuiſſe. Vel enim quod non potuit, & hoc eſt falſum. Omnipotens enim cum ſit, omnia poteſt, in quibus non eſt contradictio. Vel quod neſciuit hoc facere. & ſic quod & prius. Vel quod noluit: Et quis eius conſultor fuit? Vel autem potuit quidem, ſicut ſolem minorem quàm nunc eſt facere, & maiorem, tamen non fecit. Et tunc petendum, eos demonſtrationem huius dare, quod non fecerit. Hoc autem eis demonſtrare eſt impoßibile, quod neque incarnatus eſt uidelicet. De diuinitate autem CHRISTI utitur quidem demonſtratione Mahometus, quod neque CHRISTVS ſeipſum dixit eſſe DEVM. Sed & ſi ante reſurrectionem non dixit de ſeipſo hoc palàm, ſufficienter tamen hoc aperuit dicens: Ego principium, qui & loquor uobis. Et Petrum commendauit, quod palàm hoc dixit, dicens: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, & reliqua.

pro, ab eis interrogare.

Inquiſitio ſuper myſterio incarnationis

Etiā ante Caipham nō neguit. Idque fecit ex mandato patris, Pſ. 2. prædicans præceptum. &c. Ioh. 8.

Matth. 16.



Ipſe autem manifeſte hoc noluit dicere, propterea quod occultè uenit, ut & prudentia & humilitate, & non ui uinceret eum, qui hominem uicit aſtutia. Propter hanc igitur rationem, ante reſurrectionem non dixit CHRISTVS palàm de ſeipſo, DEVS ſum, ſecundum quam rationem neque piſcator prædicit piſcibus reuelanter, ſub cibo eſſe eſcam, ſub eſca eſſe hamum. Poſt reſurrectionem autem manifeſte hoc oſtendit, dicens, Dans ſpiritum ſanctum & poteſtatem dimittendi peccata: Accipite ſpiritum ſanctum, & quorumcunque dimiſeritis peccata, dimittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta ſunt, & reliqua. Et Thomas quoque palàm confeſſus eſt hoc, dicens: Dominus meus, & DEVS meus. Dato autem, hoc nequaquam à CHRISTO dictum eſſe, propterea quod humilia quidem uerba profert, præclara autem opera oſtendit: ſufficit diſcipulos eius hoc palàm dicere, qui hoc dicentes, ſimilia CHRISTO ſigna fecerunt. Sed quoniam Saraceni negant, miracula, & uerba Apoſtolorum, propterea quod contraria ſunt Alchorano, inſiſtendum confutationi tam perfidæ legis, quòd non eſt lex DEI, & quod Saraceni debent ſuſcipere Euangelica teſtimonia, ſimiliter & quæ ſunt Veteris teſtamenti.

Ioh. 20.

Hoc autem per ipſum Alchoranum poßibile eſt demonſtrari, ut Ogolih ſuiipſius enſe interimatur.

Ità uocant Goliath, quē Dauid occidit ſuo gladio

## QVOD LEX HAEC NON eſt lex DEI, propterea quod neque Vetus, neque Nouum teſtamentum hanc teſtantur: & quod Saracenis neceſſe eſt parere dictis Veteris Teſtamenti & Euangelij.

### Caput III.

TErtio oportet ſcire, quod Alchoranum non eſt lex DEI. neque enim Vetus teſtamentum, neque Euangelium hanc teſtantur: quæ utraque Alchoranum teſtatur, quod uere ſunt leges DEI. Solus autem Machometus conſtituit ſeipſum, & de ſe ipſo teſtimonium perhibet. Lex enim DEI tanquam cathena quædam eſt continua ab eodem artifice fabricata, & quilibet, anulorum alteri cohæret, & quilibet Prophetarum de alio prophetizat: & meminit huius, et omnes prophetizauerunt de Chriſto. Si igitur & Saracenorum lex, lex eſſet Dei,

Scriptura dei, ceu cathena inter ſe cohæret.

& in hanc legem uocatio, non peruersio, sed conuersio esset, ut ipsi dicunt: quomodo sic latuisset alios prophetas, ut nullus aliquid de eo ipso diceret? Nos enim nihil inuenimus Moysen, uel aliũ quendam prophetarum, uel ipsum CHRISTVM, dicentes aliquid de Mahometo, uel de lege secundum eum, nisi quando † dixit, Nos cauere à falsis prophetis. Dixit autem & CHRISTVS, usque ad Ioannem legem esse & prophetas, ut mundus cognoscat nullum posthac prophetam uenturum, qui de aliquo qui uenturus sit, sit uaticinaturus, ad quem oportet omnes sperare. Mahometus autem uniuersalem seipsum dixit esse prophetam. Nos autem ignoramus, si & propheta omnino est. Scimus tamen, quod nunquam talis quidam seductor fuit in mundo in sic breui tempore, qui tot homines & populos sequaces sibi fecerit. Ad hoc autem respondent Saraceni, dicentes Moysen & alios prophetas, uaticinatos fuisse de Mahometo: CHRISTVS autem tanto clarius de eo uaticinatus est, ut & nomen eius diceret. Vnde dixit filijs Israel: Nuncio uobis Apostolum DEI, qui ueniet post me, & nomen eius Mahometus. Sed Iudæi corruperunt, Moysi legem & prophetas, Christiani autem Euangelium, ut nihil ueritatis in lege & euangelijs remaneret, nisi quantum est in Alcorano. Ostendam autem hoc esse inconueniens et primum per Alchoranum. Dicitur enim in capitulo de Iona: Si de quib. uobis reuelauimus dubitatis, quærite ab his, qui priusquam uos librum legerunt. Qui autem ante Saracenos librum legerunt, CHRISTIANI sunt & Iudæi, qui Pentateuchum susceperunt & Euangelium: ut ipse Mahometus exponit. Is igitur dicit Saracenis, quærere à Christianis & Iudæis de rebus ambiguis. Quomodo autem rursus remisit hos Mahometus ad falsa Testimonia, si quidem uerus fuit propheta, ut dicunt? Non igitur tempore Mahometi Christianorum & Iudæorum libri corrupti erant. Sed neque possibile est hoc dicere, quod post hæc passi sunt corruptionem. Dicitur enim in capitulo Elagar, quod significat lapis: Non (dicit ex persona DEI) monitiones DEI fecimus descendere: & nos easdem seruabimus. Monitiones autem dicuntur apud eos Euangelium & lex Moysi. Deus igitur testimonium scripturæ sui ipsius seruauit inter fideles, & ante Mahometum, & post hæc seruabit. Item in capitulo Elmaida. quod significat mensam, dicitur, quod iudex Empazœne dixit Mahometo, quando Iudæi iustitiam & iudicium

iussit Matth. 7. & 8.

In Lat. transl. cap. 20.

Libri facti nõ corrupti.

Lat. Cap. 12.



ab eo quærebant, Si uenient ad te, iudica inter eos iuste. DEVS enim amat eos qui faciunt iusticiam. Et quomodo hi quærunt iusticiam à te, cum apud eos sit uetus Testamentum, in quo est iusticia DEI? Item talem corruptionem & mutationem scripturarum impossibile est uniuersalem esse & publicam. sic enim scire potuissent & aliæ gentes. Sed neque particularis occulta. sic enim relicti esse potuissent quidam libri integri & absque corruptione: se in omni lingua & prouincia lex & Euangelium similiter scripta inueniuntur. Item quatuor Euangelia, neque eodem tempore, neque in eodem loco, neque in eodem idiomate edita sunt, & ab eodem auctore: sed Matthæus quidem hebraice in Iudæa, Ioannes autem græce in Asia, similiter autem Lucas in Achaia, Marcus uero latine in Italia scripsere. Horum autem in latinum interpretatio facta est per Hieronymum & alios ante tempora Mahometi, & remanserunt exemplaria in omnibus linguis. Non igitur possibile est per quasdam corruptiones sic inutiles libros fuisse, ut ignorarentur. Item nihil est in fide sic necessarium & maxime arduum, sicut incarnatio uerbi: id est, hominem illum esse Deum. De hoc difficillimum fuit mundum persuasisse. Quare & Romani & alij impij in trecentis cõtinue annis, & uniuersaliter persecuti sunt Christianos, & recusauerunt suscipere Euangelium & fidem, propterea quod dicebant hominem illum esse DEVM. Non quod nullos iam prius & uiros & mulieres Deos & deas esse susceperint, sed quod CHRISTVS non concedentibus Romanis DEVS esse dicebatur. Quod & illi prohibebant, ut nullus DEVS diceretur, absque sententijs senatus: & propterea, quod DEVS hic consortem non suscipiebat. Si enim hunc suscepissent, coacti essent alios deos relinquere: quod & ipsum contrarium erat moribus prouinciarum & legum Romanorum. Quomodo igitur Christiani in eorum ipsorum damno, & pernicie fidei & irritatione Romanorum principum, contra eos cœpissent Euangelijs adhere rem impersuasibilem? Omnes enim sciebant hanc legem sanctissimam & rationabilissimam esse, quippe quæ omnem rationem non excedat: huius dico iam dicti, scilicet hominem illum esse DEVM. Si igitur aliquid eorum quæ sunt in Euangelio oportebat CHRISTIANOS mutare, mutauissent iam à principio, & abstulissent si quid fuisset impersuasibile, & addidissent iam persuasibilia magis quàm econuerso. Item quomodo CHRISTIANI cum Iudæis

Vide Euseb. historiam.

Verbi incarnatio præcipua Euangelij pars.

Vide Tertull. in Apolog. de Tiber.

Euangelium per Christianos non fuisse corruptum.

dæis conuenire potuissent, qui antiquo odio separabantur, corrumpentes scripturas, & maxime addentes illud in quo nequaquam conueniunt? Neque enim Iudæi dicunt Christum, uel Deum esse, uel hominem bonum. unde quantum ad hoc, Christiani magis conueniunt cum Saracenis, qui dicunt CHRISTVM ad minus sanctißimũ hominem esse. Item ante aduentum Mahometi, Christiani, & maxime in oriente, diuisi erant in diuersas sectas: Nestorianorum uidelicet, & Iacobitarum. Nestoriani autem cum Saracenis maxime conueniunt: quare & Mahometus proprie eos uenerari iubet. Quomodo igitur Iacobitæ cũ Nestorianis cõuenire potuissent ad Euangelij corruptionem, qui tanto odio inter se diuisi erant, ut & se mutuo interimerent? Sed tamen ipse inueni & legi Euangelium apud utrumque, idem quod est apud nos. Item cuius gratia excepissent Christiani nomen Mahometi ab Euangelijs, cum is tantum laudet CHRISTVM, & illius matrem & Euangelium? Quare dicit in Alcorano, quod in Euangelio CHRISTI est recitudo & perfectio. Sed non illinc magis abstulerunt nomen diaboli, & Pilati, qui CHRISTVM flagellauit: minimé q; & nomen Iudæ, qui hunc tradidit. Item quo modo rationabile, Christianos addidisse in Euangelio, Christum & crucifixum esse, & mortuum: cum honorabilius hominibus uideatur, nequaquam crucifixum esse: & omnino inconueniens hoc, & DEVM esse: sicut in Euangelio dicitur. Quam autem consequentiam habere possunt duo hæc tantum inter se diuersa, in proprijs dogmatibus supposuisse: sicut uidelicet, eundem & uerum esse Deum, & uere mortuum? Item supposito, in omnibus libris Christianos hoc addidisse: quis enim omnibus hominibus persuaderet: & in illorum cordibus id infigeret? & tamen uniuersus mundus persuasus est, intantum quod hoc susceperunt principes, tyranni, & philosophi ab indoctis & pauperibus hominibus. Quare & Calyphas apud Babylona Christianus mortuus est, et inuenta est crux in collo eius, ut testaretur, quod ipse Saracenorum princeps Christianus mortuus est. Vnde & ostenditur, quod hic Calyphas proprie sepultus est, seorsum à loco in quo mos erat alios sepelire. Et hoc sepulchrum ipse uidi apud Babylona. Congruit igitur omnibus modis, & testimonio Alcorani, & fortibus demonstrationibus, & manifestis signis, Euangelium incorruptum & incommutatum esse. Quoniam igitur Mahometus Euangelium supra alias scripturas laudat, & post illud uetus Testamentum, cogi

Christianis cũ Saracenis conuenire magis, quam cum Iudæis.

Calyphus Saracenorũ princeps Christianus mortuus.



possent cõuenienter utique Saraceni suscipere dicta in Euangelijs & ueteri Testamento. Item in Alcorano in capitulo Elmaida, quod interpretatur mensa, dicitur, quod libri societas nihil est, nisi adimpleant Euangelium & legem. Societatem autem libri dicit Saracenos. Vnde dicit, nisi adimpleant Euangelium & legem: similiter autem, & quod tibi reuelatum est, id est Alcoranum: quod solis (ut ipsi dicunt) reuelatum est Saracenis. Necesse igitur & his habere Euangelium & legem, sicut & Alcoranum, & adhuc seruare. Quia autem Saraceni societas libri dicuntur, secũdum Mahometi intentionem, in multis Alcorani ostenditur locis. Dicitur enim in capitulo Elnasa. quod interpretatur mulieres, circa finem, quod Saraceni non uacillent in lege sua. Vnde scribitur: O societas libri nolite uacillare in lege uestra, & ne dicatis de Deo præter ueritatem. Hæc quæ sunt in illo capitulo, ostendunt societatem libri dici Saracenos. Ostenditur autem palàm & in capitulo Tulem, circa finem libri. Si autem contendentes, uolunt dicere, euangelium et ueterẽ legem omnino corruptam esse, ostendant ipsi integram & immutatã, & suscipiemus: maxime autem ostendant unicum typum in omnib. linguis, sicut nos eis adduximus. Manifestũ igitur quod Alchoranum non est lex Dei, propterea quod neque uetus lex, neque euangelium (quæ diuinæ leges sunt, ut & Mahometus confitetur) hanc testantur, sed potius aduersantur.

Societas libri pro Saracenis

Alcoranũ nõ esse legem dei.

## QVOD ALCORANVM NON est lex Dei, quoniam non habet stilum et modum cum alijs conuenientem. Cap. IIII.

QVarto oportet scire, quod Alcoranum nõ est lex Dei, propterea quod non habet stylum, nec modum diuinæ legi similem. Est igitur stylo rhythmicum uel metricum, & assentatione plenum in sermonib. et fabulosum. Quod autem stylo rhythmicum sit, per totum librum manifestum est legentib. Exemplum autem huius non possum apponere, propterea quod nõ potest saluari rhythmus uel uersus uere et secundum omnia, cum in latinum transfertur. Saraceni autem & Arabes in hoc maxime gloriantur, quod locutio quæ est apud eos, legis celsitudinem habet et rhythmum, & in hoc maxime ostenditur librum à Deo compositum fuisse, & Mahometo secundum locutionẽ reuelatũ esse. Mahometus idiota existens, ignorabat talem sententiam et locutionem. Cuius contrarium apparet. Videmus enim in diuina scriptura DEVM loquentem cum Moyse, & cum alijs prophetis, & nunquam rhythmis, uel uersibus his loquentem. Moysi autem legem &

Alcoranũ mẽtrice scriptũ.

Mahometus idiota.

Euangelium, dicit Mahometus à DEO esse, DEVM libros Moysi & CHRISTO dedisse. Sed hi non sunt metrici uel rhythmici. Et nullus aliorum prophetarum qui diuinam uocem audierunt, dixit DEVM metrice locutum esse, quod & sapientes & philosophi homines dedignantur. Vnde & intulerunt quidam hoc Mahometo, sicut dicitur in Capitulo Elempif, quod interpretatur Prophetæ, dicentes ei: Potius quidem igitur somnias, potius quidem igitur tripudias, & alia quæcunque talia huic improperabant, considerantes quod non solum hæc locutio non est à Deo, sed neque omnino prophetica. Vlterius autem lex hæc plena est assentatione in uerbis, & magis quàm quis posset credere, uel dicere. Aliquando enim per totum capitulum subtexit precio dignum quidem nihil, solum autem quod DEVS est magnus & excelsus & sapiens & bonus, & quod eius sunt omnia quæ sunt in cœlo, & quæ sunt in terra, & quæ sunt in medio, & quod iuste iudicat. Et secundum quodlibet uerbum duplicat: dicens: Laudetur ipse. Et hoc omnino absque necessitate aliqua duplicat centies & plus, & post hæc dicit: Non est DEVS præter DEVM, & credite in DEVM, & in Apostolum eius. Seipsum Apostolum DEI nominans. Et dicit hæc omnia absque medio, ex ipso ore DEI dicta esse, & quod nesciebat hæc dicere Mahometus, sed hic est mos in DEO, eum de seipso tanquam de altero dicere, quod DEVS est magnus & excelsus, & alia huiusmodi: quæ duplicare desuetum est. Notandum & hoc, quod etiam turpissimis & maxime carnalibus nominibus lex hæc utitur, sicut his, scilicet coitus & luxuriæ, sicut mos est his qui humi depressi sunt. De locutione iam & sententia, firmum, & manifestum est omnibus legentibus, quod sit fabulosa. Sed & si per totum talis est, in quibusdam tamen pauca quædam quæ precio digniora uidentur apponam. Dicitur enim in Capitulo Emele, quod interpretatur musca, quod Salomon magnum Angelorum congregauit exercitum, & hominum, & irrationalium animalium. Recedentes autem inuenerunt, quasi fluuium quendam muscarum, & tunc iam dixit muscæ, O musca, uos introite in habitationes uestras, ne corrumpat uos Salomon, & exercitus huius. Et musca subrisit. Et paulo post omnes aues in exercitu inuentæ sunt, musca autem absens. Et dixit Salomon: Quid est quod non uideo muscam? puniam eam, & amputabo caput eius: uel reddet mihi

Lex Saracenorũ plena assentatione.

Alchorani obscœnitas.

Fabula de Musca.



rationem propter quam abest, & longe est. Et dixit: Didici quod uos ignoratis, & ueni ad uos ex Sabæa cum ueris nuncijs. inueni enim mulierem imperantem illis, & coegi eam & populum eius colere solem absque DEO. & reliqua. Item in Capitulo Caramar, quod interpretatur luna, dicitur: Appropinquauit hora, & luna contrita est. Quod interpretantes horum magistri, dicunt Mahometum cum socijs eius stetisse. Videntes autem lunam appropinquantem coniunctioni, dixerunt ad eum: Ostende nobis prodigium quoddam. Et tunc ille duobus digitis eius annuit lunæ, id est pollice & medio. Quo facto, in duas partes luna diuisa, est & altera quidem pars cecidit in montem Elices, qui imminet ab una parte Mechæ: reliqua autem pars ad alterum montem, qui appellatur Rubus, ad aliam partem urbis positum. Sic autem luna diuisa intrauit in tunicam Mahometi, & ipse rursus hanc instaurauit.

Fabula de luna.

Item in capitulo Sæui, dicit uermem significasse mortem Salomonis dæmonibus. Vbi dicit expositio, quod Salomon innixus suijpsius baculo, tanto dolore repente correptus est, ut statim expirauerit, diuino autem miraculo non cecidit. Dæmones autem qui ei seruiebant, uidentes eum stare, credebant ipsum dormire. Et natus est quidem uermis è terra, & corrosit baculum cui innixus erat. Quo enim contrito, cecidit Salomon. Et tunc currentes dæmones, cognouerunt eum esse mortuum: & ex eo cœperunt hominibus iuxtà posse nocere. Item in capitulo Narrationum, ipse Mahometus reddit causam, propter quam uinum prohibitum est. Dicit enim, DEVM ad terram duos Angelos misisse, ut bene imperarent, & iuste iudicarent. Erant autem hi Angeli, Aroth & Maroth. Veniens autem quædam mulier iusticiam habens, ad prandium hos uocauit, & apposuit eis uinum: quod ne biberent, eis DEVS mandauit. Inebriati autem, de coitu eam requisiuerunt. Quæ consensit, & pacta est super his tamen, quod alter quidem horum eam in cœlum ascendere faciat, alter uero descendere. Quæ & in cœlum ascendit. DEVS autem uidens hanc, & iustitiam quam habebat audiens, fecit eam Luciferum, ut esset hæc in cœlo inter astra ita pulchra, sicut & in terra fuit inter mulieres. Data autem peccantibus angelis electione, ubi uelint puniri, tunc uidelicet uel in futuro. Eligentibus eis, in præsenti potius puniri, pendere fecit hos per pedes catena ferrea Babylonis puteo, usque in diem iudicij.

De uerme & morte Salomonis figmentum.

Vini Saracenis interdictæ causa.

cij. Hæc & his similia in prædicta lege continentur, propter quæ quilibet sapiens potest utique rem cognoscere, & quod nullo modo lex est diuina. neque enim solitus est Deus per tales fabulas cum hominibus loqui.

Conclusio.

## QVOD ALCHORANVM non est lex DEI, quoniam non conuenit secundum sententiam cum aliquo altero.

### Cap. V.

MAnifestum & hinc est, non esse legem DEI Alchoranum, propterea quod neque cum lege DEI conuenit, neque cum philosophis, qui de uirtutibus & de extremo fine qui est in hominibus tractant. Supposuerunt enim philosophi ipsam humanam fœlicitatem in intellectuali parte animæ esse, & intellectum summam in homine potentiam existentem, extremi esse intelligibilis, & fœlicitatem uirtutis præmium esse, & uirtutem circa magna esse & difficilia, & alia huiusmodi, & si non perfectè talia intelligere poterant. CHRISTVS autem hæc ipsa in Euangelio ostendit, dicens angustam esse uiam quæ ducit in uitam æternam, & paucos esse qui per eam ueniunt: latam autem esse uiam, quæ ducit in perditionem, & reliqua. In hoc autem cum Aristotelis sententia conuenit, qui dicit difficile esse secundum uirtutem operari, sicut attingere centrum in circulo, quod pauci faciunt. CHRISTVS autem & hominis fœlicitatem in DEI speculatione ponit, dicens: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum DEVM. Hæc autem ipsa notissima sunt ex Veteri Testamento. Abrahæ enim factæ sunt promissiones, cui DEVS proprie promisit eum ipsum dare in terra promissionis, & seminis benedictionem. & Moyses autem, cui tot mirabiles gratias DEVS præbuit qui & DEVM in supposito ædificio speculis digne seipsum considerans non hoc sufficere ei, constanter petijt uidere uultum DEI & gloriam eius. Machometus autem de uirtutibus quasi nihil tractauit, sed de bellis & rapina latam uiam sibijpsi conuenienter elegit, & suijpsius sequacibus, filijs perditionis & mortis. Vnde nihil ad salutem eis prodest dicere: Non est DEVS præter DEVM, & Mahometus est Apostolus DEI. De ultimo autem fine cum nullo conuenit: præterquam cum antiquis quibusdam, qui uitam irrationalium uixere, & non

Fœlicitas hominis secundum philosophos.

Matth. 7.

Exod. 33.



discretionem faciunt inter intellectum & sensum. Vnde & fœlicitatem in sensualibus quibusdam supponunt, in cibis uidelicet, & in intemperantia, & in hortis & uestibus sumptuosis. de quibus post in sexto capitulo speculabimur. Et non possibile est hæc secundum similitudinem quandam dici ab eis, sicut & in Euangelio mensæ et cibi & talium est mentio in uita æterna. Ostenduntur autem hæc ex Euangelio secundum similitudinem dici, quoniam multa etiam aperte illic dicuntur de æterna beatitudine. Sed in Alchorano nihil omnino de uera beatitudine dicitur manifeste, sed sicut conueniens est homini qui nihil de hac deprehendit, solum autem secundum literam talem pingit fœlicitatem, qualem conueniens est hominem carnalem & intemperantem appetere. Sed & si nihil de uera fœlicitate uel considerauit, uel promisit hominibus, quædam tamen uera & insignia de ultimo fine Saracenorum demonstrauit, quasi diuino spiritu afflatus. Dicit enim Saracenis ipse Mahometus: uos post me in septuagintatres partes diuidemini, quarum una saluabitur, reliqua uero omnis igne destruetur. Hæc sententia sic ualet apud eos, ut nullus neque sapiens, neque insipiens uilipendat. Alia autem similis de eo est sententia in Alchorano, in capitulo Martij. quod interpretatur Maria, quæ dicit, omnes in infernum Saracenos ituros. Hanc sententiam uerissimam esse credo: & si ab ore secundum excessum mendacij ante allata est. Et in hoc falsus propheta cum prima ueritate conuenit, quæ dicit: Lata est uia, quæ ducit in perditionem, & multi sunt qui ingrediuntur per eam. Manifeste igitur ex prædictis conuenit, Saracenorum legem latam esse, & multos esse Saracenorum qui per eam ingrediuntur, & in infernum transeunt. Et hoc non ex ore solum ueritatis manifestum, sed ex ore prophetæ qui apud eos est. Item Alchoranum non conuenit cum lege Moysi in mandatis, & in quibus nos auertit. Lex enim DEI prohibet cædem, rapinam, concupiscentiam omnem: Alchoranum autem uel iubet fieri, uel permittit. Item neque in iudicijs conuenit. Moysi enim lex & Euangelium dicit, nullum debere uno testãte condemnari, sed in ore trium uel duorum testium stat omne uerbum. Contraria autem horum inueniuntur in capitulo Elmir, quod interpretatur lux, ubi prohibetur ne cõpellant eas castitatẽ dimittere, cum consentientib. autẽ secure similiter dormire dicit. Hoc autem ipsum manifestum est in capitulo Elminim, ubi permittit cũ proprijs uxoribus

Parabolæ Euangelij & Alcorani longe diuersæ.

Vaticinium Mahometi de Saracenis.

Matth. 7.

Cum Moysi lege non conuenire Alcoranum.

uxoribus, et cum quibus quis in bello capere posset miseri. Manifestum igitur, Alcorani legem non esse legem Dei, neque à deo esse, nisi forte per permissionem, sicut & alia. Differt enim ab illa & secundum intentionem Dei: qui salutem hominum desiderat.

## QVOD ALCORANVM NON est lex Dei, quoniam in multis sibipsi contradicit. Cap. VI.

SExto oportet speculari, quod Alchorani lex non solum à diuina lege elongatur, sed neque cum seipsa conuenit. Et hoc, quoniam mala est, et ipse Mahometus ostendit. Dicit enim in capitulo Elnesa, quod interpretatur mulieres: Nisi à deo esset hoc Alcoranum, multæ in eo contrarietates & contradictiones inuenirentur. etenim ipse in multis locis dicit, quod Deus non deducit errantem: & tamen ipse in multis locis docet orare, ut deducantur à tenebris in lucem, & ex rectitudine in rectitudinem. Item dicit de seipso, quod factus est orphanus in errore, idolatra enim erat. Sed tamen ipse dicit, quod talem eum prophetam fecit deus, quoniam quando deus eum accersiuit, ascendit ad Deum usque ad septimum cœlum, & impetrauit ueniam ab angelo quodam, qui milies mundo maior erat, quem inuenit suijpsius peccata deplorantem. Item dicit, eum prophetam esse uniuersalem: sed tamen dicit Alcoranum arabicis literis à Deo datum esse, neque ullam aliam linguam eum scire præter Arabicam.

Contradicere sibi Alcoranũ in multis.

Alcoranum Arabice scriptum.

Item dicit in capitulo Inpacara, quod interpretatur iuuenca, quod Iudæi & CHRISTIANI & Sabæi saluabuntur. Et in capitulo Abrahã, dicit post hæc, quod nullus saluabitur, præter eos qui sunt in lege Saracenorum. Et ipse mandat his, ne disputent asperis uerbis cum hominibus alterius sectæ, sed suauibus. Non enim ad hominem pertinet deducere, sed ad DEVM solum. Et unusquisque pro scipso solo, non pro alio rationem reddet. Post hæc autem ipse in plurimis locis mandat interimi omnes, & spoliari, qui non credunt, quousque credant, uel tributa soluant. Item ipse dicit in capitulo * Comem: Quod eorum qui suscipiunt alterum DEVM, præter DEVM, horum tu non sis custos uel curator, sed sibi soli hoc seruauit DEVS. Hæc autem est precio digna contradictio, hinc quidem, totiens mandare interimi infideles: illinc autem, rursus mandare, neminem tanti sceleris esse punitorem, sed soli DEO pro his punitionem seruari. Item ipse in capitulo Elteminim, in fine, seipsum iactat, quod non est ex his, qui compellunt credere. Sed quomodo hoc uerum est? quum ipse mandet interimi & spoliari eos, qui non credunt. Quæ enim maior compulsio, quàm cædes? Item in Capitulo Bouis, concedit quod est præter naturam, misceri masculis & mulieribus. Dicit enim Saracenis, ne maculent seipsos cum infidelibus antequam credant. Et de mulieribus dicit: Mulieres uestræ, terra est uestra: arate eas, sicut uultis. Sed tamen in eodem Capitulo antè dixit, quod Sodomitæ, tempore LOTH, abominabile peccatum commiserunt, & nationibus quæ prius fuerant, desuetum. Item ipse dicit de ABRAHAM, ISAAC, & IACOB, & filijs eius, quod erant Saraceni. Sed tamen ipse dicit, quod est ei à DEO reuelatum, eum esse uidelicet in fidem hanc primum Saracenum. Quomodo igitur erant illi Saraceni, si omnium Saracenorum MAHOMETVS primus fuit? Item non necesse, esse quosdam SARACENOS, antequam lex lata esset Saracenorum: Saracenorum autem lex est ALCHORANVM, quod iam est, & datum est post Moysi legem & Euangelium, sicut in ipso Alchorano continetur, immò modicum, plus est quàm septingenti anni, quod fuit MAHOMETVS. Incœpit enim anno à natiuitate DOMINI nostri quingentesimo nonagesimo octauo: Noe autem & ABRAHAM & Isaac & IACOB, ante Euangelium & Moysen fuerunt. Si autem dicit Saracenos esse hos, propterea, quod præsciebant quæ erant legis: Etenim omnia esse potuissent, quæcunquæ præsciuerant, quum Prophetæ essent. Si autem dicunt, quod placebat eis Alchoranum: & hoc impossibile. In multis enim quæ ab Alchorano sancita sunt, contraria illi faciebant. Item ipse dicit prohibere auguria. Et tamen ipse dicit post hæc in Capitulo Elaphar: Auguremini, si aliter non potestis, in scissura digiti: & qui hoc non facit, anathema sit. Item ipse dicit, Seipsum missum esse Arabitis, propterea, quod hi non habent Apostolum quendam à DEO. Dicit autem & Alchoranum, in sola lingua Arabica datum esse, dicitque & se ipsum nescire aliam linguam præter Arabicam. Vnde quum adhæsisset Mahometo, quidam Iacobita Mapyra, & Salo-

Nefanda libido.

Mahometum Saracenorum primus credens.

Mahometis tempora.

Auguria.

Mahumet Arabs tantum idiota.

Mahumet Arabs tantũ idololatra.

nus Persa, & Abdala ex Perside, & ipse Selam Iudæus, & quidam alij dicerent, quod instruebant eum, & ipse accidit in faciem suam, & contractæ sunt manus eius & pedes, & socij cooperuerunt eum uestibus suis. Et tandem ad se rediens, dixit: Deus misit me ad corripiendum uos de sermone quem dixistis, quod tales me doceant. Legitque eis unam sententiam, quæ est in fine lectionis Elnael, quod interpretatur palma, quæ sic dicit: Scimus quod ipsi dicent, quod instruunt eum cum loquuntur sic ei in lingua Persica, hæc autem arabica facilis est. Et ex hoc dicit, Quomodo poßibile est illos me docere, quorum alter quidem Persa est, alter uero Hebræus? Qui dixerunt ei, poßibile esse eorum ipsorum lingua tecum loqui, & exponere tibi: te autem tuijpsius lingua omnia construere. Non inuenit ad hoc responsionem. Sed si non poterat instrui ab Hebræo & Persa, qui propinqui sunt:

Gentes 70. linguis diuisæ.

quomodo ipse poterat remotiores ab eius lingua docere? Ipse tamen post hæc dicit, seipsum missum esse ad uniuersitatem gentium. Vnde in Capitulo Prophetarum ait, dicere ei Deum: Nos misimus te ad uniuersitatem gentium. Sed quomodo uenire potuit ad omnes gentes, quæ diuisæ erant in septuaginta linguas, qui ignorabat aperire suijpsius uerbum in alia lingua, præterquàm Arabica? Manifestum igitur, contrarietatem & mendacium manifestum esse, eundem solis Arabibus missum esse, & omnibus gentibus. Non igitur lex Dei est, in qua tot contrarietates est inuenire.

## QVOD LEX SARACENORUM nullo miraculo confirmatur. Caput VII.

SEptimo est considerandum, quod neque Alchoranum est lex Dei, quæ miraculis confirmetur, neque Mahometus est apostolus Dei, nullum enim miraculum hoc testatur. Quando enim deus misit Moysen ad Pharaonem, magna prodigia ostendit: similiter autem & Helias & Helisæus, & alij prophetæ magna & inaudita miracula fecerunt: & maxime qui nouum quoddam in uitam inferebant. CHRISTVS autem proprie in miraculis & signis maximis uenit: sicut & ipse Mahometus in Alchorano dicit. Si autem dicant Saraceni, multa & magna miracula fecisse Mahometum, sicut reintegrare Lunam diuisam, & fontem aquæ ex eius digitis defluxisse: fabula est hoc, & contrarium eidem Alchorano. Prohibet enim Ma-

Prophetæ miraculis declarati.



hometus de eo aliquid tale credere, præterquam quæ scripta sunt in Alchorano. De omnibus prophetis dicit: Multi multa mentiti sunt: quod ne de me existiment quidam, id solum de me uerum credatur, quod Alchorani auctoritate fulcitur. Ille enim cum miracula non fecisset, & hoc ostendere uolens, inducit Deum loquentem, & dicentem: Dixit Dominus ad me, Propter hoc miracula te facere non permitto, ne tibi propter miracula eueniat quod et alijs prophetis accidit. Suo ipsius igitur testimonio conuincitur, nullum signum fecisse. Ipse enim Mahometus continue in Alchorano dicit, quod cum homines ei dicerent: Ostende aliquod signum, sicut Moyses uenit cum signis, & alij scilicet, & Christus, & alij prophetæ fecerunt. Respondit, quod Moyses & prophetæ missi sunt à Deo: & maxime Christus, qui in maximis prodigijs uenit, & mundus non credidit his, sed dixit hos ueneficos & incantatores esse. Propter hoc DEVS non permisit mihi facere miracula, non enim credidissent. Sed ueni in potentia armorum. Hoc autem manifestißime ostenditur quod falsum sit. Quo modo enim non credidissent huic facienti miracula, qui absque miraculis crediderunt solum mandanti interimere & rapere, & plurimas mulieres corrumpere, & dentem pro dente, & oculum pro oculo effodere. Procliui enim sunt ad talia qui in mundo uersantur: quare uix à multis iudicibus & tortoribus & punitionibus coërceri possunt. In potentia autem armorum, quod pro miraculo inducit, manifestum est mendacium. Non enim semper uictor fuit, sicut Moyses, & Iesus Naue, & Helias: quos angelus Domini semper protexit, & uincentes fecit. Mahometus autem aliquando uincebat, aliquando uincebatur: sicut & alij tyranni. Dentes enim eius contriti sunt in bello, & facies collisa. Ex quo manifestum, quod non est miraculum quod ab eis pro signo asseritur, magnam uidelicet mundi partem ei repente adhæsiße. Talem enim constituit legem, & talia dedit mandata, ad quæ homines sine legibus procliui sunt: ut in superioribus manifestum est. Mandauit enim mihi dominus, dixit, ense gentes expugnare, quousque confiteantur, quod non est Deus præter DEVM, & quod ego sum apostolus Dei. Quod qui confeßi sunt, eorum argentum eo conseruauerunt, & sanguinem. Hinc & Saraceni, saluati dicuntur. Qui enim Mahometi mandata suscipiebant, seruabantur, & ab eo, & ab eis qui sub illo erant: neque interimebant eos, neque spoliabant. Vnde & Saraceni, non uocantur Saraceni, sed Mesalamini: quod interpretatur, Saluati. Et derident Christianos, qui

De Machumeto solum credenda quæ in Alcorano cõtinetur.

Machumet uenisse cũ potentia armorũ pro miraculis

Mahometus non semper uictor.

Saraceni. qui & Saluati.

Mesalamini

qui dicunt seipsos saluatos: multis autẽ talem salutem à Mahometo suscipientibus propter prædictam causam. Iussit post hæc prædicari, quod quicunque dixerit, non est Deus præter Deum, intrabit in paradisum: etsi mœchus sit, uel latro. Venit autem ad eum quidam qui Euordi dicebatur: quærens ab eo, si hoc est uerum? Respondit autem: Etiam. Et addit ad prædicta: Si bibat etiã uinum, uel & interficiat. Et addit, Etiam si torserit † abidode nares. Ad confirmandum autem hæc omnia, nullum signum ostendit, sed nudauit ensem. Item clarius continetur, in Capitulo prophetarum. Legitur enim sic illic: Dixi de Mahometo, id est insomnia audiuisti, blasphemias composuisti, uel forte cantas. Veni ad nos ad minus in uno miraculo, quo modo & qui prius missi sunt. Respondit: Subuertimus (dixit Deus) urbes coram non credentibus, & post hæc qui fuerunt ante uos, non crediderunt. Sed neq; uos creditis, nisi per ensem. Asserebat tamen, quod à Deo ad eum missus est Gabriel, ducens ad eum quoddam animal, maius quidem asino, minus autem mulo, nomen autem animali erat Elmaparac. Loquebatur autem animal, ambulabátque in hora uiam quinq; milium annorum, & hæc faciebat in nocte. Et quasdam alias fabulas, de quibus in decimo capitulo post hæc dicetur. Christiana autem fides quæ ardua præcipit, in miraculis manifestis & utilibus tota fundata est, quæ non solum fecit Christus, sed etiam apostoli post eum, præterea & magistri qui euangelium & scripturas apostolorum exposuerunt, & usq; ad præsentia tempora durant miracula, dæmoniorum quæ expellantur, debilium qui curantur, & mortuorũ qui resurgunt. Hæc autem miracula Christiani fecerunt & faciunt, dicentes Christum crucifixum & uerum & solum Deum esse. Quæ si dicant Saraceni non credere, tanquam hæc non facta sint, ostendam eis maius miraculum. Manifestum enim, quod ante Christum totus ferè mundus idolis honorem tribuebat, maxime aũt Romani, qui mundi monarchiam tenebant, sed hi Christianorum fidem susceperunt, & non solum crediderũt uerum Deum esse Christum crucifixum, sed & respuerunt omnes alios deos, qui tanto tempore responsa eis per idola dederunt. graue autem nihil imposuerũt, cũ Christiana fides sic desueta & ardua mundo imposuisset, sicut cõtemnere mundũ contemnere seipsũ, amare inimicos, orare pro persequẽtib. benefacere malefacientib. aliena nõ rapere, propria donare. Hæc omnia mũdus suscepit, ritum pristinũ abijciens. Vel igitur sufficientibus miraculis persuasus est, uel absq; miraculis. Maius autem est miraculum, & absq; miraculis per homines idiotas & simplices potuisse hoc fieri. Et hoc fecerunt Christiani, non alios interimentes, sed ab alijs illatam mortem patienter sustinentes. Manifestum igitur omnibus modis Christianorum fidem in miraculis stupendis fundatam esse: Mahometi autem nullo miraculo. Talis enim est, qualis neque miraculis indigeat. maxime autem ad Saracenos, homines carnales & mundanos: prudentiores autem horum & literarum peritiam habentes, & uirtutem uiri sibi uendicantes, nullam huic fidem adhibent.

Al, abidonda

Fabula de Elmaparac.

Christianæ fidei miracula.

Præcepta Christiana.



## QVOD LEX MAHOMETI irrationalis est. Cap. VIII.

Octauo considerandum est, quod & absq; omni miraculo possibile esset Mahometi legem à mundo esse susceptam, & confirmatam tanquam legem dei, si solum rationabile cum seipsa haberet, & propter seipsam, & propter opera, & propter finem. Primum quidem igitur manifestũ, quod irrationabilis est propter legislatorem. Irrationabile igitur omnino sic sanctam legem ut ipsi asserunt, uidelicet quod Alchoranum uerbum Dei sit, datam esse à sic iniquo uiro, rapace, mœcho, homicida, & peccatis alijs subdito quæ omnia manifesta sunt his qui illius uitam sciunt. Sed Saraceni ad hæc respondent, quod & Dauid in adulterium simul & cædem incidit, Moyses autem homicida fuit: sic & de Mahometo possibile dicere. Verum prophetã esse dei, & si aliquando sub peccato fuit: uterque quidem talum legitimus DEI propheta fuit. Sed hoc nullam habet uim. Dauid enim & Moyses pœnitentia eorum ipsorum peccatum correxerunt, & hoc est inuenire. Dauid enim annunciauit suijpsius peccatum, grauiterq; seipsum cruciauit, quare & ueniam meruit. Vnde postquam dixit, Peccaui: dixit ei Natham ab ore Dei, Dominus dimisit tibi peccatum tuum. De Mahometo autem minime dictum est, quod uel suijpsius peccatum annunciauerit, uel pœnituerit: potius quidem igitur addidit blasphemiam, iniqua lego id affirmans Sicut enim omnibus Saracenis notum est, Mahometus forte cuiusdam Mariæ amore tenebatur, quæ Iacobitis appellabatur, quam ei donauit Machobæus Iacobitarum rex. Duæ autem ex uxoribus Mahometi, quarum altera quidem dicebatur Aiese, filia Empiecer, aliarum nobilissima: altera autem Aasa, filia Omar; mouebantur zelotypia in Mariam. Quæ quodam die ad eum uenientes, inuenerunt ipsum simul dormientem cum Maria, & dixerunt: Sic oportet facere prophetam? Qui uerecundatus, iurauit nunquã posthac se cogniturum Mariam. Sicq; placatæ sunt ad iusiurandum. Pauco autem post tempore elapso, non potuit seipsum continere. Quare & legem tulit tanquam ex ore Dei,

Mahometi lex irrationabilis quatuor modis.

2. Reg. 12.

Mahometi in Mariam Iacobitin amor.

Dei, qui ei reuelauit, et sententiam intulit in Alcorano in capitulo Elmetearem, quod interpretatur uocatio, uel anathema. ubi dicit: O prophe ta, quid prohibes quod tibi concessit deus? Grati ficari quæris tuis uxoribus. iam tibi legem tulit deus, ut liceret tibi soluere tua iuramenta. Sic pe ierans, cognouit rursus eam, dicens soluisse ius iurandum ei deum, testãtibus super hoc Michae le & Gabriele. Et dixit ei una ex uxoribus eius: O Mahomete, ualde studuit deus in tua concupi scentia. Voluit autem propter hoc dicere: Forte deus tibi æmulans, ut iniquo tecum communi caret opere. Et addidit: Nunquid deus ipse tibi hoc facere mandauit, quoniam tu hoc per os testaris? forte deus gratificari tibi quærit, & appropinquare tibi. Ipse autem duabus uxoribus totum legit quod sequitur in capitulo Vetationis, & dixit tanquam ex persona dei: Pœniteat uos coram deo, quoniam declinauerũt corda uestra. de accusatione dicens, qua eum accusauerũt de incestu. Sequiturq; deinceps: Si forte deus uos repudiauerit, dabo pro uobis ei meliores uobis Saracenas, fideles, diuites, pœnitentes & orantes, agiles, & uirgines. Quod audientes, dixerunt: Pœnitet. Similiter autem fecit, quando accepit uxorem Zeith alumni sui. Dixit autem super hoc sententiam in capitulo Elazeb, quod deus dixit: Tu æmularis in animo tuo, quod deus propalat, & times homines, sed iustum est magis timere deũ. Tumq; enim respuit eam Zeith, dixitq; ei: Ne ducas hanc in uxorem apostole dei. Et respondit Mahometus, Væ tibi, Deus mihi hanc dedit. Qui post hæc de seipso hoc diuulgauit dicens, quod Deus hanc prophetæ dedit. Ecce per maius, minus peccatum occultauit. Et enim ipse Mahometus dicit: Nullum maius peccatum est, quàm deo mendacium iniungere. Item nullum est sic inter prophetas peccatum intolerabile, sicut in intemperantia & immundicia simul esse, cum spiritus sanctus non tangat prophetica corda in actionibus uenereis, ut dicit Hieronymus. & philosophus quoq; dicit, quod in talibus actionibus impossibile est hominẽ speculari. Est igitur omnino irrationabile, sic salutaris legis (ut ipsi dicunt) ministrum & prophetam carnalissimum & immundum hominem esse, in quo ipse de seipso gloriatur: tantam dicens in agendo uim & affluentiã intemperantiæ, quãtam in quadraginta hominibus. & si deus priuauit hunc filiorũ sobole: unam enim solam habuisse filiam dicitur. Irrationabilis igitur lex hæc propter legislatorem, tum quia sceleratus & carnalis, tum quia inscius & incertus. sicut & de seipso testatur in Alchorano: nescire se quid erit ei uel Sarracenis, ignorare utrum ipse

Periuriũ oblibidinem.

Libido a prophetico spiritu aliena.

Mahometo uniea tantum filia.



uel ipsi in uia salutis sint, uel non. Sed neq; per seipsam lex hæc est secundum rationem, tanquã habens nomina turpissima, & in quibus uelari iustum est, & maxime carnalibus conuenientia passionibus. In plurimis enim locis turpissimo hoc uerbo utitur, coeo: quod nulla alia lex facit. quo uerbo uix poetæ ipsi Comici utuntur, quibus materia poematum est carnalis et turpis, & si hi raro. sicut Aratus impudenter dixit, Non timui coiens. Hoc autem & ipse palam dicit, Non est homo in mundo qui possit Alcoranum intelligere. Et quomodo mandauit Deus hoc seruari, si non dedit & intelligi? Oportet autem scire, quod in Euangelio nihil est, quod non possimus etiam intelligere, fidei lumine adiuti. Sed neque propter doctrinam quæ in eo continetur, est secundum rationem. Dicit enim in multis locis, deum mandauisse angelis, adorare Adam: & eos quidem qui nollent, fieri dæmones: adorantes autem, manere angelos. Et quomodo deus mandasset idololatriam, & angelis honorẽ tribuisset, qui soli deo debebatur? Item & ratione doctrinæ irrationabilis est, ex dictis ipsorum. In illa enim lege maxime necessariũ (ut ipsi dicunt) hoc est, ut dicatur ubique, quod non est deus præter deum, & Mahometus est apostolus dei. additq;, Et quod deus est magnus. Sed quæ annunciatio est ista? Nullus enim qui ratione utitur, dicere posset deum esse paruum. Item propositio quæ dicit, Non est deus præter deum: uera est per seipsam, & à nullo ei contradicitur, siue unus sit deus, siue plures. Et in omnibus uerissima est talis duplicatio. non est enim angelus nisi angelus, & non est homo nisi homo, & non est asinus nisi asinus. bos enim & canis non est asinus. Quæ autem dicit, Mahometus est apostolus dei: ualde est ambigua. Quæ igitur ratio connexionis harum duarum propositionum, uniusquidem per seipsam notæ, alterius autem per seipsam ignotæ? Quæ uirtus uel quæ utilitas, ut quicunque hoc confiteatur, de necessitate saluetur? Item Mahometus in prædicta lege dicit, quod omnes homines unum erant, & unius sectæ, & unius religionis, Deus autem diuersos eos fecit, qui misit diuersos prophetas. Hoc autem neque quousq; appareat, uerum esse potest. Maxime enim unus deus, qui maxime unitatem et hominũ salutem amat. Non enim diuisisset homines in diuersas sectas & errores & perditiones. Sed hoc inuidia damonis factum est, & nequitia hominum. permissione tamen dei, qui permittit eos qui nolunt credere ueritati, in diuersos errores incidere. Item Mahometus in præ dicta lege iubet tanquam ex ore dei, interimi infideles, id est eos qui non sunt Saraceni. Item dicit

I I

Obscœnitas Alchorani.

Idololatria.

Ridicula propositionum connexio.

Sectarum diuersitas.

de eis, quod nõ possunt recta cogitare, cum à deo non deducuntur: Deus autem eos non deducit. Sed inconueniens interimi, propterea quod non possunt: quos autem possunt, non conueniens est cogere, propterea quod non placet deo seruitus coacta. Interimi autem nisi credant, uel aliquo modo simul impelli ad credendum, & ipse qui hæc mandat Mahometus, inconueniens iudicat et irrationabile. Dicit enim in capitulo Ionæ: Si uoluisset deus, omnes iam credidissent qui sunt in terra. & tu cogis homines ut credant? Et nullus potest esse fidelis, nisi hoc ei concessum sit à deo. Hoc autem latius explicabimus in sequentibus, in nono capitulo. Irrationabilis est autem lex hæc & propter hæc de quibus tractat. Facit enim capitulum proprium de formica, & aliud de aranea, & aliud de fumo, cuius autem gratia deus talia mandauit de formica et de fumo? Item dicit, quod nunquam deus parcere posset, ostendenti terga inimicis, & reliqua. Quod aũt peccatum, fugere hominem in bello, uidentẽ seipsum in periculo? Sed uoluit uel bellicosos ipsos, uel audaces Mahometus facere. Item lex quæ iubet de lauatione, irrationabilis est omnino. Mandat enim quando orare uelint, lauare manus & uultum & podicem & pudibunda, & palmas pedis, & brachia usq; ad cubitum. Si autem non inueniãt aquam, intingi manus in puluere: & post hæc terentes manus puluere illitas per faciem, puluere illinire sufficienter eorum ipsorum uultum. Sed & si lauare rationabile: rationabilius iam esset lauare cor, secundum Hieremiam dicentem: Laua cor tuum à nequitia. Puluerem autem apponere uultui, quam potest habere rationem? Magis quidem igitur quantum lauare est rationabile, tantum puluere illiniri inconueniens est & irrationabile. Maxime autem irrationabilis hæc lex uidetur, quæ est de repudio. Potest enim Saracenus eijcere suijpsius uxorem, & rursus ei conciliari totiens quotiens huic placuerit uel displicuerit. sic tamen ut post tertiam repudiationem non possit eam suspicere: nisi quis alter eam carnaliter cognouerit, non existentem in menstruis. Si autem hanc cognouerit non sufficienter extenso testiculo, necesse ulterius hanc cognoscere sufficienter extenso membro. Vnde quando uolunt cõciliari cum suijpsius uxoribus, dant precium cæco cuidam, uel alteri uili personæ, quæ cum tali uxore simul futura est. Et post hæc testabitur publice, & dicet uelle hanc repudiare. Quo facto, primus potest eam sibi conciliare. Aliquando autem tantum placent eis secundi, ut dicant non posse eas ab illis separari. & tunc primus amittens precium & uxorem, decedit à suijpsius spe. Quorum lex non tantum hominibus, quantum animalibus ratione priuatis conueniens est. Sed neq; deo, qui omnia similiter cum ratione gubernat, conuenit. Maxime autem hæc lex irrationabilis est secundũ finem, & præmia quæ promittit. dicit enim per totum Alchoranum. Beatitudo Saracenorum est, irriguos hortos possidere, mulieres & pellices iuuenes, uerecundas & pulchras, purpureis uestibus indutas, scyphos autem aureos et argenteos per mensas discurrentes, & cibaria suauissima habere. Hæc maxime numerat in capitulo Elragmã, quod interpretatur miserator. In libro autem de doctrina Mahometi, qui liber apud eos est magnæ auctoritatis, exponit ordinẽ cibariorũ. Et dicit primum quidem esse ferculũ eorum quæ illic sunt apponẽda, epar alimpeput piscis, cibariorum ualde suaue, & post hæc ex successione arborum fructus. Et descendens in eodem capitulo, interrogantibus eum quibusdam, si & luxurientur, respondit: Non esset beatitudo, si quædã illic non adesset uoluptas. Potius quidem igitur frustra essent omnia, cum non sequeretur uoluptas secundũ luxuriam. In hoc autem est omnis Alchorani intentio, & totius Saracenorum secta, beatitudinem maxime in luxuria & uentre constituere. Et hæc non secundum similitudinẽ quandam uel exemplum dicit, sicut et sacra scriptura meminit cibariorũ et mensæ in beata uita. De uera autem beatitudine, sicut de speculatione dei, uel de perfectione secundũ animam, nullam omnino mentionem facit Mahometus, propterea quod neq; hanc cõcupiscit, neq; apprehendit. Sola enim quæ concupiscit, hæc iam & promittit. In hoc enim aperte ostendit seipsum contrarium Christo, & omnibus prophetis & philosophis, et omnibus qui ratione utuntur, qui omnes communiter conueniunt, ultimam hominis beatitudinem esse in dei cognitione. sicut in Euangelio secundum Ioannem: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum. Et Aristoteles dicit, quod uita secundum intellectum optima est. Igitur circa uentrem et uenerea pessima est, etenim fit impedimento bonitati intellectus. Sed quoniam Saraceni, neque dicta diuinæ scripturæ suscipiunt, neq; philosophorum, propter rationes in primo capitulo prædictas: redeundũ iam est ad quandam rationem, quam & ipsi irrationales existentes, non possunt omnino negare. Sit igitur ratio auctoritas, sine qua nulla ualet auctoritas. & ostendendum, quod neque in uentris, neque in intemperantiæ operibus fœlicitas hominis est, et quod hæc non erunt illic. Constat enim quod cibos ad hoc sumimus, ut corruptio, quæ posset accidere ex consumptione naturalis humidi, euitetur, & fiat augmentum. Hæc au-

tem

Ad fidem nemo cogendus

III.

Absurda in Alchorano pleraque

Lotionis superstitio.

Repudii lex absurdissima.

IIII.

Beatitudo Saracenorum in quibus sita.

Alchorani scopus præcipuus qui.

Vera hominis beatitudo in cognitione dei. Ioan. 17

Edendi causa

tem duo non erunt illic: omnes enim in commensurata quantitate resurgent, & posthac non poterunt mori, uel alio quodam modo deficere. sicut & ipse Mahometus in sua doctrina dicit: Deus interimet mortem, & post hæc resurgent immortales & integri. Assumptio igitur cibariorum nequaquam est necessaria. Similiter autem neq; rerum uenerearum usus, quoniam neq; nunc est necessarius, nisi ut seruetur secundũ speciem quod non potest seruari in individuo. Item homines qui resurgent, uel semper uiuent, et semper nutrientur. Et si semper nutrientur, consequens his, quod augebuntur corpora, uel erunt & illic egestiones & aliæ fœditates, ut tantum resoluatur quantum conuertitur in cibum, quorum utrunq; est inconueniens. Ad hoc autem respondet Mahometus in libro suiipsius doctrinæ, dicens: quod non erit illic egestio sordium, sed purgatio per sudorem. Et adducit exemplũ pueri in utero matris existentis, qui nutritur (ut dicit) et non egerit. Sed neq; exemplum huius, neque ratio, si quis diligenter respiciat solutionem, est sufficiens. Sunt enim quædam de perfectione imperfecti, quæ in re perfecta essent magnæ imperfectiones. Item si usus rerum Venerearum est illic, nisi frustra esset, sequeretur & generationẽ fore sicut etiam nunc. Multi igitur nascentur post resurrectionem, qui ante resurrectionem nõ fuerunt. Frustra igitur in tantum mortuorum resurrectio elongatur, ut omnes simul qui eandem naturam habent, uitam capiant. Item si beati tudo in luxuriando, & multas mulieres habendo est, qui post resurrectionem nascentur, nõ poterunt esse beati nisi mulieres multas capiant. Non poterunt autem capere neq; fœlices, neque infœlices: igitur remanent, quousq; plures aliæ nascantur. Et sic oportebit plures quidem nasci mulieres, paucos autem uiros, & sic in breui tempore erit imperium mulierũ. Item si post resurrectionem erit hominũ generatio, qui gignentur, uel rursus corrumpentur, uel erunt incorruptibiles et immortales. Nisi corrumpentur, multa sequentur inconuenientia: tum quia erit multiplicatio in infinitũ, tum quia quorum erit similis generatio, nõ erit similis generationis terminus. Homines enim per generationẽ quæ est ex spermate, nunc quidem corruptibilem uitam habẽt, tunc autem incorruptam habebunt. Et præter hæc: Omne genitum corruptibile esse, necesse est, propterea quod generatio & corruptio sunt contraria, & circa idem. Si autem qui tunc gignentur homines corruptibiles erunt & morientur, si rursus non resurgent, sequitur illorum animas semper manere separatas à corporibus quod est inconueniens, cum sint eiusdem speciei

Rei uenereæ usus.

Resurrectionem cõsequẽtia absurda, ex Mahometi doctrina.



cum animabus eorum qui resurgent. Si autem et illi resurgent, oportebit & illorum resurrectionem alios rursus expectare, ut simul omnibus qui eandem naturam participãt, donum resurrectionis conferatur. Item ipse Mahometus unum solũ ponit diem resurrectionis, id est in fine mundi, in die iudicij: de resurrectione autem illorũ, uel de natiuitate, nullam omnino mentionem facit. Item nulla ratio esse uidetur, quare oporteat quosdam expectare ad simul resurgendũ, si non oportebit omnes expectare. Si autem quis dicat, quod in his qui resurgent, erit quidem usus cibariorum & rerum uenerearum, sed neq; propter conseruationem uel augmentum corporis, neq; propter humanæ speciei augmentũ uel permansionem, solum autem propter uoluptatem, quæ talibus actionibus accidit, ut nulla uoluptas hominibus absit in extrema mercedis retributione, sicut palàm Mahometus in libro de doctrina suæ dicit. Manifestũ igitur, quod hoc multis modis inconuenienter dicitur. Primum quidem, quod resurgentium uita erit melius ordinata quàm hæc quæ præsens est. In hac autem uita impossibile & inordinatũ quoddam esse uidetur, si quis propter uoluptatem utatur cibarijs uel rebus uenereis, sed non propter necessitatem reseruãdi corpus, uel procreandi filios. Et hoc rationabiliter. uoluptates enim in prædictis actionibus non possunt esse actionũ fines. Sed econuerso potius quidem natura ad hoc uoluptates ordinauit in his actionibus, ut non propter laborem animalia ab his necessarijs naturæ operibus elongarentur: quod accidere posset, nisi animalia uoluptates prouocarent. Est igitur ordo inconueniens & præposterus, si propter solas uoluptates actiones hæ perficiantur. Nequaquã igitur in his qui resurgent, quorum uita bene ordinatissima supponitur, talium est usus, & multo minus in talibus futura erit fœlicitas. aliter enim quid prohibet & reliqua animalia irrationalia fœlicia esse in prædictis actionibus, quæ nobiscũ communicant? Item si in his actionibus extrema hominis fœlicitas est, sicut Mahometus palàm dicere uidetur, cuius gratia nunc oportet ab his cõtineri, & non potius die ac nocte comedere & luxuriari, ut & hic fœlices esse possimus? Sed apud omnes homines, et apud Saracenos ipsos honorabilius uidetur, cõtinere ab his. Habent autem et quosdam uiros speculatiuos & cõtinentes, quos maxime laudant. Sed quoniam satuũ est, ualde rationabiliter loqui cum homine prudẽtia omnino priuato, liceat simul insanire et dicere: Si in talibus actionibus extrema hominis fœlicitas est, quid faciet igitur anima separata ante resurrectionem, quæ neque comedere, neque luxuriari

Voluptates in quem usum à natura institutæ.

Continentia ipsis etiam Saracenis laudabilis.

potest? Sed neque angeli poterunt esse fœlices, cum tales uoluptates non gustent. Item si in habendo quidem multas mulieres, innumerabiles autem pellices et iuniores extrema hominum fœlicitas est, quomodo possent mulieres fœlices esse, nisi haberent plures uiros? Sed rursus, quomodo possibile est uirum esse beatum, cuius uxor multos alios habeat uiros? Necesse igitur, uel mulierem beatam esse, & uirum infœlicem: uel uirum quidem fœlicem, mulieres autem & iuniores eius infœlices. Quomodo autem possibibile est, esse beatum aliquem, cuius omnis domus quam amat misera et infœlix est? Rationabilius igitur est, & uiros & mulieres miseras esse & infœlices. Hic tanquam in transgressione dicta sufficiant, ad demonstrandum irrationabilem esse legem secundum finem et præmium quod promittit. Irrationabilis est & secundum alia multa quæ in hoc continentur, sicut id quod frequenter inducitur, quod deus iurat per fidelē urbem, & per ficetum & oliuetū: quod palàm apparet in Capitulo Eltim, quod interpretatur ficus. Homines per maiores suos iurant, sicut per deum, uel per sanctos: Deus autem non habens maiorē per quem iurare posset, consueuit per seipsum iurare, ut ipse ad Abraham iurauit, sicut fertur in primo Geneseos. Per ficetum autem uel oliuetum iurare, uanum est & irrationale omnino. Item ipse prohibet uinū, propter ebrietatis euasionem, sicut in pluribus locis dicit. Sed cum uinum per seipsum malum non sit, sufficit solam ebrietatē cauere. Sed uidetur omnes Saracenos suspectos habere, quod nullus eorum ponit uel mediocriter, uel cum sobrietate uino uti, unde eius dehortatio ex necessitate cogit uel malum esse uinum simpliciter, uel Saracenos uniuersaliter incontinentes esse.

Iuramentiorū dei in Alchorano absurditas.

Quare uinū prohibeat.

## QVOD LEX SARACENORUM manifesta contineat mendacia. Cap. IX.

NOno oportet considerare, quod lex hæc nō est lex dei, quoniam manifesta continet mendacia. Deus enim summa & prima est ueritas, à quo dici aliquod mendacium, est impossibile. In Alchorano in cap. Ionæ dicit: Quis in ueritatē ducit? & respondens dicit, Deus dirigit ueritatem, & qui dirigit ueritatem est ueritas, & conuenit eum imitari. Et post hæc uere non cōgruit diuinæ legi, dici aliquid sine deo, sed mendaciū & figmentum absque deo dicitur. Sicut enim inquit Augustinus: Si in Euangelio unum solum mendacium inueniretur, totum Euangelium secundum eandem rationem suspectum esset & falsum. Alchoranū autem, multa quidem uera continet, quæ in Euangelio & lege Moysi & prophetis continentur: sed ipse Mahometus totex proprijs manifesta inserit mendacia, ut totum ferè suspectum & falsum debeat existimari, opus illius qui mendax est & pater eius. Reducuntur autem quæ in eo mendacia continentur, ad decem genera principalia. Dicit enim mēdacia de seipso, de Christianis, de Iudæis, de Apostolis, de patriarchis, de dæmonibus, de angelis, de uirgine Maria, de Christo, de deo. Et de seipso quidem dicit, quod est finis & sigillum, & silentiū omnium prophetarum. Et iubet interimi, quicunque post eum se prophetam esse asseruerit. Sed non sic contracta est manus domini, ut non posset post illum dare et alteri spiritum prophetiæ. Et quod non solum Christiani & Iudæi dicunt apud eos esse prophetas, qui post illum spiritum prophetiæ habuerunt, sed & ipsi susceperunt apud Babylona prophetam quendam, qui Solem appellabatur, quod interpretatur scala, quem Tartari interemerunt, & cum eo non paucam multitudinem Saracenorum. Item de seipso dicit, seipsum extollens tanquam ex persona dei. Quod si omnes homines congregarentur, et omnes spiritus uel angeli, non possent facere tale Alchoranum sicut est hoc. Vel igitur sic hoc intellige, quod non poterunt illi facere absque auxilio dei: & quid mirum si non poterūt hoc, quod & ipse non sine deo se fecisse dicit? Vel hoc intellige, quod neque potuissent illi facere, etiam si à deo adiuti essent. Sed hoc manifesta blasphemia est. De Christianis autem dicit, quod dant deo socium: quod manifestum est mendacium. Dicunt enim Christiani totius mundi, quod deus est maxime unus & simplicissimus. Post hæc dicit in capitulo Telteumpe, quod interpretatur pœnitentia, quod Christiani deificant episcopos suos, & pontifices, & monachos: quod falsum est. Hoc autem dixit Mahometus, tanquam homo ignarus Christianæ linguæ. Christiani enim Chaldæi & omnes orientales, uocant episcopos & monachos, colentes eos, Rampan, quod interpretatur magister, uel maior meus. In Arabica autem lingua, rampa est nomē dei, quod interpretatur dominus, absolute, quod & de solo intelligitur deo. Sicut & apud nos quando dicimus, Dominus tecum. Falso igitur dicit Mahometus, quod deos Christiani hos uocant. Item idem dicit de Christianis, quod deificant Mariam. Inducit autem in capitulo Elmeide, quod interpretatur mensa, quod Christus excusset se de eo apud deum, quod non dixit mundo, matrem eius esse deam. Et uere: neque Christiani hoc dicunt, Mariam uidelicet esse deum uel deam, sed dicunt, quod fuit purissima mulier. Etenim Euangelium non deam eam nominat, uel nunciam, sed

Decem genera mendaciorum in Alchorano.

1. de seipso.

Solē prophetā.

2. de Christianis.

Rampā

Maria Christianis nō pro dea.

Io. 2. & 19

ſed mulierem. Item inducit in eodem capitulo, dicens de Chriſtianis & Iudæis, quod non ſunt hi filij dei, uel amici dei. Quod oſtendit ex eo, quod affliguntur pro peccatis, ſicut ipſe dicit. Hæc autem demonſtratio falſa eſt omnino.
Heb.12 Multæ enim tribulationes iuſtorum. Et ſicut ad Hebræos dicit Apoſtolus: Flagellat omnem filium quem ſuſcipit. Aliter tamen iuſti, & aliter impij flagellantur à deo. Etenim ipſis Saracenis multa flagella Tartari intulerunt, & ſi legem
3.De Iudæis. non habeant. De Iudæis dicit Mahometus in capitulo Teulteumpe, quod interpretatur pœnitentia, quod deificant Eleazar, & dicunt quod ipſe eſt filius dei. Hoc autem manifeſte eſt mendacium. Iudæi enim nullum hominem deum faciunt, neq; filiũ dei dicunt eſſe. Item in capitulo Elnaſa, quod interpretatur mulieres, dicit quod ipſi Iudæi dicunt interemiſſe Chriſtum Ieſum filium Mariæ apoſtolũ Dei. Hoc autem manifeſte eſt mendacium. non enim Ieſum, Chriſtum dicunt eſſe Iudæi, neq; apoſtolum fuiſſe dei, ſed hominem iniquũ. & dicunt ipſi, propter blaſphemiam eum interemiſſe.
4.De apoſtolis. De apoſtolis autem dicit in capitulo Abraham, quem dicunt patrem fuiſſe Moyſi, quod illi teſtati ſunt & dixerunt Chriſto, quod eſſent Saraceni, imitatoresq; & apoſtoli Mahometi. Et hoc autem eſt mendaciũ. Chriſtus enim & apoſtoli ante Mahometum fuerunt ſexcentis annis. Mahometus enim in temporibus Heraclij apparuit, qui incœpit imperare anno ſexcẽteſimo decimo ab incarnatione domini. Vnde uix ſeptingẽti anni ſunt, ex quo fuit
Machumet ſexcentis annis poſterior apoſtolis. Mahometus. Sunt autem mille ducenti, & plus, ex quo natus eſt Chriſtus & apoſtoli. Et quomodo apoſtoli potuerunt Saraceni eſſe, & imitatores Mahometi, cui ex perſona dei mandatum eſt (ſicut ipſe dicit in Alchorano, in capitulo Elcaminar) quod ſit ipſe primus Saracenus? Primus igitur Saraceniſmus à Mahometo incœpit. Apoſtoli igitur neq; Saraceni eſſe potuerunt, neq; illius imitatores quem ſexcentis annis præceſſerunt. Vel ſi Saraceni erant illi, impoßibile eſt
5.De patriarchis. eum fuiſſe primum Saracenum. De patriarchis idem aſſerit. Dicit enim in pluribus locis Alchorani, quod Abraham & Iſaac & Iacob et filij illorum Saraceni erant. Idem autem dicit & de Noe, quod fuit Saracenus. Et quod propterea diluuium uenit ſuper terram, quia ipſe prædicabat hominibus, quod fierent Saraceni, et ipſi renuerunt. Hoc autem omnino eſt mendaNoe. cium. Quomodo enim potuit Noe eſſe Saracenus, qui præceßit Mahometum duobus milibus quingentis annis. Item & ipſe Mahometus dicit, ſeipſum fuiſſe primum Saracenum in mundo. Impoßibile autem eſt, dicere Noe & Abraham eſſe Saracenos, quod ipſi Saracenos genuiſſent. hæc enim expoſitio contraria eſt Alchorano, ubi dicitur: Abraham nõ fuiſſe Chriſtianum, neque Iudæum, ſed purum Saracenum. Neceſſe igitur, ſicut ex Abraham nati ſunt Saraceni, ſic ex eo & Noe, Iudæi & Chriſtiani nati ſunt. Et dicunt etiam Saraceni, quod deus promiſit Mahometo, ut nullus introeat in paradiſum ante eum. Et poſt hæc aſſumpſit eum deus, & duxit in paradiſum. Et uidit illic uiros & mulieres multas, & dixit: Quid eſt domine? Dominus autem dixit ad eum: Ne mireris, & hi enim imitatores tui ſunt. Imitatores autem eſſe Mahometi impoßibile, niſi per Alchoranum: ſed hoc non fuit reuelatum ante tempora Mahometi, ſicut in pluribus eius locis continetur, et maxime in principio. Huius autem figmenti mendacium quicunque intellectum habet, poteſt bene conſiderare, & propter hoc in talibus uerſari non oportet.

6.De dæmonibus. De dæmonibus autem ſpeciale quoddam capitulum in Alchorano eſt, ubi palàm dicitur, quod dæmonum multitudo multa audientes Alchoranum, gauiſi ſunt, & teſtati ſunt, quod per ipſum poterant ſaluari. Dixerunt autem & ſeipſos Saracenos, et ſaluati ſunt. Hoc autẽ quantum mendacium continet, non eſt neceſſarium
7.De angelis argumentatione quadam demonſtrari. De angelis autem dicit, quod omnes adorauerunt Adam, præter diabolum. Item dicit ipſe, quod quando ad deum uenit cum Gabriele, uidit in cœlo angelum unum qui milies maior erat mundo, & flebat ſuiipſius peccata. Et ipſe ueniam ſuis precibus ſibi impetrauit. Et multa alia falſiſſima dicit, de quibus latius narrabimus in fine præſentis operis, cum dicemus uiſionem maximæ fictionis, quam ſeipſum uidiſſe aſſerit. Item palàm dicere uidetur de angelis, quod ſunt corporei. Dicit enim in cap. Sad, in pluribus locis, quod angeli ex igne creati ſunt, homines autem ex terra. Dicit enim in alijs locis, quod ſunt magni ſpacio, ſicut in ſequentibus dicetur.
8.De uirgine Maria. De uirgine autem Maria dicit palàm in cap. Abrahã, quod ipſa fuit filia Abraham, Abraham autem pater fuit Moyſi et Aaron. In capit. autem Mariem, quod interpretatur Maria, palàm dicitur, quod Maria mater Chriſti ſoror fuit Aaron. Et quod Moyſes & Aaron habuerũt quandam ſororem quæ Maria appellabatur, & quod hi tres erant filij Abraham, quod manifeſtũ eſt in ſexto Paralipomenon. Sed inter hanc Mariam & beatam uirginem Mariam matrem Ieſu Chriſti filij dei, mille quingenti anni interceſſere. Et prima quidem Maria in eremo mortua eſt, quãdo Moyſes duxit per eremũ filios Iſrael ad terrã promißionis. Tunc aũt neq; Romæ ædificata erat, ſed poſt

hæc fundata fuit in temporibus Ezechiæ regis Iudæ, qui fuit post septingentos & plures annos. Iesus autem Christus post Ezechiam regem natus est ex uirgine Maria, genitus in temporibus Octauiani imperatoris post septingentos & plures annos ab Ezechia, quo tempore tam Romani mundi monarchiã tenebant, et miserunt reges in Iudæam. Vnde & Iudæi testiati sunt, se non habere regem, nisi Cæsarem. Et nota quod sicut dicit Augustinus, Roma fundata est in temporibus Achaz, uel secundũ quosdã alios, Ezechiæ. Et tunc habitabat populus Israel in terra promißionis, quod fuit septuaginta quinq; annis: quorũ uiginti septem peruenerũt quidem ad Iesum Naue. Tempore autem Iudicũ, anni trecenti uigintinouem, ex quo incœperunt esse reges illic trecentis sexaginta duobus annis. A quo autem urbis fundamenta iacta sunt usq; ad natiuitatem Christi, septingenti quinquagintaduo anni interfuere, sicut dicit diaconus Paulus in Romanis historijs. Permisit igitur spiritussanctus, Mahometum sic manifestum mendaciũ capere, ut quilibet homo facile deceptionem animaduer teret. De Christo dicit idem, quod ille neq; est deus, neq; filius dei: & quod ipse Christus de seipso hoc non dixit, sed quod apud deum se humiliter excusauit, nunquam mundo hoc dixit. Hoc autem manifeste est mendaciũ. Scriptum enim est in Euangelio Ioannis, quod ipse dixit seipsum filium esse dei. & tunc Iudæi uoluerunt eum qua si lapidare propter blasphemiã Dixit autem & seipsum æqualem esse deo, & principium, quod solt deo maxime est proprium. dixitq;: Si uerbis meis non uultis credere credatis operibus. Antè autem demonstratum est in tertio capitulo, quod impoßibile est quod Saraceni dicunt, corruptum esse Euangelium, & quod Euangelium quod est apud nos, & uetus testamentum, debent suscipere. Sed & ipse Mahometus in capitulo Elacaph, quærit demonstrari ei auctoritatem libri qui scriptus est ante Alchoranum. Post hæc dicit de Christo: quod ipse neq; crucifixus est, neque mortuus, sed deus in fine mundi faciet hunc mori: & alia infinita mendacia, quorum contraria in Euangelijs et alijs scripturis continentur, quæ longum esset enarrare. De deo autem simpliciter asserit, quod nullo modo poßibile est eum habere filium, quoniam uxorem non habet. & hoc cõtinuè repetit, dicens pro alia quadam forti argumentatione. Hæc autem argumentatio similis est, sicut si quis dicat, deum nõ esse substantiam, quoniam non habet accidens: uel non uiuere, quoniam non comedit, uel respirat. Fatua est talis phantasia, & hominis carentis intellectu et ratione. Christiani enim non tanquam ex mulie-

Ioh. 9

9. de Ci. dei.

9. de Christo

Christus Dei filius, Deus, principiũ etc.

10 De Deo.



re dant filium deo, sed sicut exigne caliditatem, ex sole autem splendorem, & uerbum ab eo qui loquitur. quæ omnia uere dicuntur gigni, & si non ex multere. filius enim dei splendor est, & uerbum sempiterni patris, coæternum & consubstantiale, & in eadem æqualitate. Sicut autem caliditas et splendor non separantur ab igne, ignis tamen aliquando à splendore nobiscum sine caliditate communicatur, sicut in luce lampadis: aliquando autem caliditas absque splendore est, sicut in accenso ferro. Sic & filius dei potuit incarnari, et absque quo incarnatus esset pater uel spiritussanctus, et si indiuisibilia sunt opera trinitatis. Sic rursus filius dei & uerbum dei patris, potuit in sensibili libro scribi, ut ab hominibus legeretur, & sensibiliter opera eius uiderentur, & esse carni unitus. Et liber quidem scriptus, potuit interrumpi, uerbum autem domini manet in æternũ. Sicut & regis mandatũ, qui mittit uerbum eius in libro ad terram quæ sub eo est: ipsum autem uerbum nunquam comburi potest, liber autem comburi potest. Dicunt igitur Christiani, Christum, cum sit uerbum dei, filium esse dei. Hoc idem & Mahometus de eo dixit, & si neq; sciebat, neque intelligebat. Dicit enim in Alchorano in capitulo Elnesa, quod interpretatur mulieres, quod Christus Iesus filius Mariæ, uerbum est dei, & spiritus est Dei. Quare igitur non dixit Mahometus, quod impoßibile est deum habere uerbum uel spiritũ, quoniam uxorem non habet? Quærendum igitur à Saracenis, ut quærant ipsi à Mahometo, quando dicit Christum uerbum esse Dei, & spiritum ex Deo, utrum de spiritu uel uerbo dicit, de accidentali quod profertur, uel de essentiali, id est creato. Sic non solum uerbum & spiritus dei est à deo, sed & uerba & spiritus aliorum prophetarũ, et aliorum hominum beatorum. Et secundum hoc non magna quædã laus est hæc de Christo, quem Mahometus proprie & supra omnes homines uult constituere. Sed neq; propter talem rationem & talem spiritum pluraliter deus de seipso loquitur, sicut inducuntur in toto Alchorano. Si autem dicit de increato & essentiali uerbo dei & spiritu, sic utiq; nobiscum sentiũt tam de incarnatione, quam de mysterio trinitatis. Item dicit Mahometus de deo in capit. Elminim. Quod si deus haberet filium, in periculo iam totus mundus esset. esset enim schisma inter eos. Hæc autẽ suppositio ualde falsa est. Supponit enim, non poßibile esse deum habere filium, nisi iniquum et audacem et inobedientem. Nos autem dicimus, quod filius dei est uerbum dei, et scientia patris, per quam omnia operatur. Verbum autem comprehensum in mente, & artificis scientia, nunquam

Quomodo filius ex patre.

Heb. 1

Verbum.

Psal. 118

Mahomet Christum uerbum & spiritum esse dei fatetur, non autem filium.

Dei filius uerbum ipsius.

quam in homine separatur à concipiente intellectu. Nisi alicubi blasphemans Mahometus dicat, dissentire ad seipsum deum, & contraria dicere suipsius intellectui et cogitationi. Idem Mahometus dicit in capitulo Elezat, quod deus & angeli eius orant pro Mahometo & Saracenis. Quod quidem est angelorum, est omittendum. Deus autem quando pro eis orat? Quem orat? Angelos, uel homines, uel seipsum? Sed hoc est mendacium, orat seipsum: & maxime secundum Mahometum, qui uerbi incarnationem negat, & neque personarum discretionem ponit in diuinis. Ponit autem & alia mendacia quædam, & impossibilia, sicut in capitulo Elasiar, dicitur quasi ex persona dei: Si hoc miserimus Alcoranum super unum montem, uideres iam eum utique scissum à reuerentia & timore dei. Et sicut in capitulo Elcaminar, quod interpretatur luna, dicit, quod luna contrita est: et multa alia, quæ longum esset enarrare. Vnde potest omnibus sapientibus manifestum esse, legem illam non esse à deo, quæ tot & sic manifesta continet mendacia. Inueniuntur autem post hæc & alia quædam absona, quæ tanquam firma Saraceni affirmant, translata ex Alchorano in modum expositionis, continentur autem palàm in libro Mahometi de expositionibus: ex quibus cum multa sint, pauca hic commemorabo. Vnum est quod dicit, quod creatum fuit cœlum ex fumo, fumus autem ex exhalatione maris, mare autem ex quodam monte qui Caph appellatur, & is circumit totum orbem terrarum, & sustinet cœlum. Dicitq; solem & lunam æqualis lucis & uirtutis fuisse, & nullam discretionem esse inter noctem & diem. Aliquando autem accidit, quod dum uolaret Gabriel, ala eius lunam tetigerit, quæ et sicut nunc uidemus, obscurata est. Item dicit, & suem agrestem ex stercore elephantis natum esse, murem autem ex stercore porci, cattum autem ex fronte leonis. Hoc autem isto modo exponitur. Cum enim Noe esset in arca cum filijs & animalibus, quando ad latrinam secesserunt, inclinata est arca, & maxime quando elephas aderat. Et propterea quod ualde timuit, consuluit Noe deum. Qui dixit: Recede, & adora podicem eius ad foramen, ex quo prouenit stercus. Quo facto simul exiuit stercus, & cum eo porcus ualde magnus, cuius rostro stercora (sicut consueuit) effodiente, mus natus est, & incœpit rodere tabulas arcæ. Et tunc maxime timuerũt. Et interrogans Noe dominum, percussit leonem in fronte. Et exiuit † mustela per nares eius. Et hanc dicunt esse causam, propter quam carnes porci non licitas esse dicunt. Dicit autem rursus in eodem capitulo, quod deus in fine mundi interimet omnem creaturam, & angelos, & archangelos, et nihil relinquet uiuẽs præter deum, & Mortem: quæ est angelus quidam, qui dicitur Adriel. Tunc mandabit dominus Adrieli, ut interimat seipsum. Quo facto, clamabit Dominus uoce magna, & dicet, Vbi sunt satrapæ mundi & principes? Et post hæc resurgent omnia. Ipseq; rursus Mahometus fecit librum, in quo scripsit duodecim milia uerborum mirabilium. Mirantibus autem & quærentibus quibusdam, si omnia illa uera sunt? Respondit, Sola tria milia ueritatem habere, alia autem falsa esse. Quando igitur in prædicto libro falsum quoddam deprehenditur, dicunt Saraceni, & hoc Mahometum dixisse, non tamen omnia esse uera, & hoc ex illis esse. reliquum autem totum in suo robore permanere. Credo etiam idem facere Saracenos in Alcorano. Etsi enim multa mendacia deprehenduntur in eo, tamen propter quædam, quæ in ipso continentur, uera, sicut Dei uerbum, in precio habetur apud eos. Dictum est autem nobis superius, quod sicut dicit Augustinus: Si unum solum uerbum falsum in Euangelio inueniretur, iustum esset, quod totum Euangelium friuolum & uanum existimaretur & fabulosum. Ego autem firmiter sensi, quod Saracenorum maxime sapientes, & qui literarum peritiam habent, uerbis Alcorani nullam adhibent fidem, sed fictionem doctrinæ eius auertunt. Signum autem huius, quod cum alijs sapientibus hi publice disputare recusant, sicut ego per experientiam ipsam cognoui. Et ipsum Alcoranum in medium afferri nolunt, uehementissime enim tristantur, cum ab alijs legitur, & nequaquam uolunt in alias linguas ipsum transferri. Scimus autem, quod purum aurum neque aquam timet, neque ignem, neq; indicem. Et propter hoc Christiani ueritati Dei confidentes, quæ fortissima est, & manet in æternum, libenter de Euangelio cum alijs nationibus disputant, & gaudent cum alijs nationibus disputare, & gaudent cum ab alijs nationibus legitur, desiderantq; ipsum omnibus publicari, & in alias linguas transferri, et non literis solum, sed etiam scripturis publicis Christi passionem ostendunt, quod ab alijs genti bus ludibrium & ignominia uidetur.

Alia mendacia ex Alchorano.

Machometi liber de Alchorani expositionibus. Is est qui inscribitur, de doctrina Mahumer.

Porcus & mus e stercore.

Cattus. ita enim habet liber de Doct. Machumeti.

Mors, Adriel

Duodecim milũ uerborum mirab. liber.

Alchoranum ipsis etiam Saracenis suspectũ, ideoque publicari illud ægre sustinent.

Psal. 116

## QVOD VIOLENTA SIT lex Saracenorum. Cap. X.

DEcimo debemus considerare, quod Alcoranum non est lex Dei, uiolenta enim est. Et ut breuiter dicam, lex hæc proprie dici potest lex cædis & mortis, non solum quòd ad æternã mortem nos mittit, sed quod corporali cæde homines cogit credere his, quæ ab eo ipso dicuntur. Et in ipso Alcorano in capitulo Emparaca, quod

interpretatur uacca, dicitur, quod in lege dei nõ est compulsio, et quod iam definitum est æquum ab iniquo. Quæ enim est maior cõpulsio, quàm cædes? Lex igitur quæ per hanc homines compellit, nõ est lex dei. Ipsi autem Saraceni uocant eam denominatiue Eleasalem, quod interpretatur lex salutis dei, quæ proprie debet dici (sicut dictum est) lex cædis & mortis. Et hæc uia commoda fuit tali legi & legislatori, ut timore mortis corporalis, cõsentiant legi mortis æternæ: sicut econuerso Christiani corporalem mortem contemnentes, uitam æternam cõsequuntur. Vt uidit igitur Mahometus, potius autem alumnus eius diabolus, legem hanc à diuina lege omnino differre, & ab ea quæ in ueteri et nouo testamento, & ad seipsam dissentire, & absq; omni ratione & miraculo manifesta mendacia cõtinere, et cum existimaret multos propter hæc fore qui ei contradicerent, dedit ipsi Mahometo instrumentum proprium, id est ensem ad interimendum. et ipse dedit mandatũ in lege, ut interimerentur qui cunq; huic legi aduersarentur, et non crederẽt. Et propter hoc non in uno capitulo solum dicitur, sed per totum librum. sicut mandatum quoddam uniuersale: Interimite, interimite. Hæc uia manifeste cõtraria est Christo, qui mandat et inimicos amare, et pro persequentibus orare, et eis qui nos offendunt benefacere. Sed Mahometus Antichristi præcursor existẽs, uiã præparauit in mundo filio perditionis. Quæ uia quantũ est irrationabilis, manifestũ fuit in octauo capitulo.

Credere an quis inuitus possit.

Etenim sicut dicit Augustinus: Cæterum potest homo inuitus credere, potest etiam confiteri ore qui cogitur credere: corde autẽ credere minime cogi potest, cum ipse dominus maxime cor ab homine quærat, Iuxta illud: Fili, præbe mihi cor tuum. Deductus autem fuit Mahometo & auunculus eius dicens, Quid mihi, si hoc non feceris, fili fratris mei? Cui iam Mahometus respondit,

Prouer. 25

Violẽtia Mahometi.

Interimam te ô auuncule. Hic aũt dixit: Impossibile est esse quoddam aliud? Nihil aliud dixit. & dixit auunculus, Sequar te ad quodcunq; uolueris, lingua tantum, sed non corde, timore ensis. Omar autem filius Catempadi coactus dixit: Domine, tu scis quod solo timore mortis fio Saracenus. Et filius autem Empiascaa timore ensis factus est Saracenus. Vnde misit & literas ad Mesce, quas mulier quædam occultauit sub crinibus capitis, nunciãs his qui sunt in urbe aduentum Mahometi, ut cauerent ipsi uim doctrinæ illius.

Saracenorũ quatuor genera.

Notandum autem, quatuor esse partes eorum qui retinent errorem Mahometi. Prima, eorum qui ingressi sunt Saracenismum per ensem, ut dictum est: qui etiam nunc eorum ipsorũ errorem cognoscentes, resipiscerent utique, nisi



eum propter ensem timerent. Alia particula eorum est, quti decepti sunt à diabolo, credentes uera esse, mendacia. 2

Tertia particula est eorum, qui nolunt discedere ab errore maiorum suorũ, sed dicunt, detinere ea quæ eorum patres detinebant, à quibus maxime discedunt: qui pro idololatria, quam prius detinebant, Mahometi sectam tanquam minus malam sine dubio elegerunt. 3

Quarta pars eorum, qui propter remissionẽ uitæ, & mulierum multitudinem, & alia remissibilia, potius in his immundiciam quàm æternitatẽ futuri seculi amauerunt, & cum his concordes sunt, qui apud eos sapientiores appellantur. Et qui literarum peritiam habent, non credunt legem illorum esse ueram, uel bonam simpliciter: sed uehementia uoluptatum sedat iudiciũ rationis, prout dicit sapiens. Sicut & multi literarũ experti apud Christianos, non seruant Euangelij legem, & si credant ueram esse & bonam, potius imitantur uiam Alchorani, quamuis credãt in ueritate illum errasse. Et huius rei signum in utrisque est. transmutantur enim quidam Saraceni in Christianos, & Christiani quidam fiunt Saraceni. Christianus quidem nunquã in morte fieret Saracenus, sed in uita: Saracenus autem in morte potius fit Christianus, quàm in uita. Vterque igitur horum potius eligit Christianus mori quàm Saracenus, nisi aliquo modo prædicta ui abstrahatur. Tria sunt manifestissima signa uiolentiæ, prædictæ legis, absq; his quæ totiens antè dicta sunt: quod quidem fuit, quod totiens dicit et mandat interimere. Primum signum est, 1

Christiani ali quot Saracenorum imitatores.

Tria signa uiolentiæ legis Saracenorũ.

quod Mahometus illis dixit, intantum permanere legem eius, in quantum eis permaneat et in armis uis, & temporalis potentia. Sed sicut dicit Chrysostomus, talis est ueritatis natura, ut & cum à multis oppugnatur, fortius inualescat: & è conuerso mendacium, cum à multis adiuuatur, in seipso debilitatur. Veritas igitur non indiget auxilio ex temporali potentia, & maxime domini ueritas, quæ manet in æternum. Christianorum enim lex, persecutionis tempore trecentis annis continue durante, maxime creuit, & numero fidelium, & splendore miraculorũ. Signum autem & hoc uiolentiæ legis apud illos. Quando enim ad doctrinam conueniunt, ut legem eos Saracenorum magister doceat, et qui debet proponere uerbum, primum nudans ensem, nudum manu detinet, inquantũ docet, uel ponit ad terrorem in quodam eminenti loco. Christiani aũt docentes, non ensem, sed crucem tollunt, non uiolentiæ, sed mansuetudinis signa ostendentes, tanquã homines qui mittuntur à Christo, sicut oues in medio luporũ. Tertium aũt signũ cædis & uiolentiæ est, quod assessinij à Saracenis

Psal. 116

2

nutriun-

Assessinij. nutriuntur, homicidæ hominum futuri, quibus ex ipsa actione actiua et passiua uitam æternam promittunt, & mittunt eos per orbem terrarũ, ut principes mundi dolose interimant. Hi autem assessini, castra habent & arces circa Liltũ montem, obediuntq; Sultano Babylonis, qui est caput Saracenorũ. Hiq; legibus & ordine Saracenici sunt, & non uocantur assessini à Saracenis, sed Ismaelitæ, quasi radix et tribus Saracenorũ, & primi defensores & conseruatores legis Mahometi. Ad hoc enim præcipue instruũtur et nutriuntur, ut cædem faciant. Hoc scelus non Christiani solum, qui sanctissimam legem habent, abominantur, sed & Tartari, qui nullam legem seipsos habere dicunt, præter naturalem. Ex his igitur apparet manifeste, quod Saracenorum lex, lex est cædis & uiolentiæ. Est autem uiolentũ, cuius motus est ab extrà, qui nullum momentum huius quod mouetur remittit, ut dicit Aristoteles. Et ex hoc manifestum, quod nõ est lex dei.

Sultanus Babylonis.

Tartaris nulla lex præter naturalem.

Violentum quid.

## QVOD ALCHORANVM non est lex dei, inordinatum enim est. Cap. XI.

VNdecimo considerandum, quod Alchoranũ non est lex dei, inordinatum enim est. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt, ut dicit Apostolus. Videmus autem hoc in operibus naturæ, & in sacris scripturis. Firmissimũ enim non solum Christianis, sed etiam ipsis Saracenis, Moysi legem & prophetas & Euangelium à deo esse. Hæc aũt omnia ordinata sunt. Moyses enim ualde ordinate incipit à mundi creatione, & deinceps totum Pentatheucum percurrit secundũ ordinem temporis et historiæ. & alij autem prophetæ bene ordinate processerunt secundũ ordinem temporis, demonstrantes quando et quibus regibus, uel secundũ ordinem historiæ, uel ad minus secundũ ordinem materiæ. Et Euangeliũ bene ac ordinatissime procedit, & temporis ordine, & historiæ, & materiæ. Incipit quidem ab incarnatione & natiuitate Christi, deinceps autem de uita & doctrina & miraculis eius, & post hæc de morte & resurrectione & assumptione dicit. Alchorano aũt omnino nullus est ordo temporis. Neq; enim dicit quibus regibus, uel secundum quod tempus. Neq; historiæ ordo est. primũ enim capitulũ unde incœpit, dicitur inscriptio, uel aperitio libri, in quo indubitatò proprie incœpit ab oratione et laude dei. Et absque medio, post breuem orationem tractatum incœpit. Et est capitulum secundũ de fulua boue, quam obtulit Moyses, cuius historia est in Leuitico. Tertium autem capitulum est de de domo Abraham, qui fuit pater Moysi, in quo multa de Christo interserit, & dicit uirginem Mariam so-

Rom. 13

Testamẽti ueteris ordo,

Euangelij ordo.

Alcorani nullus ordo.



rorem fuisse Moysi et Aaron. Et deinceps sequitur quartum capitulum, de mulieribus. Similiter aũt et de alijs sic inordinate procedit, adeò quod nemo est qui possit reddere rationem ordinis historiæ & capitulorũ. Et neq; materiæ ordo est. nunquam enim unam materiam bene ordinate pertrãsit, sed deinceps ab una materia ad alteram per suppositionem omnino impertinentẽ transfertur, tanquam abstractus. Sed et neq; ordinem habet argumentationum, uel alicuius demonstrationis. Sed omnis doctrina ex suppositione procedit, et suppositiones quandam propositionem per seipsam ueram, ex illa aliam quandã concludit, quæ nihil cõmune habet ad primã. Sicut est continue quod ab eo dicitur, quod deus est excelsus & bonus, et quod Alchoranũ lex est salutis, et deus est deus, et quod nullus est alius deus præter Deum, & Mahometus est propheta uerus. Quæ aũt hæc conclusio, Mahometũ esse uerum dei seruũ, & quod deus est deus? Et in capitulo Elmaiada, quod interpretatur mensa, dicit: Constituit nobis deus domum Elaram, id est uocationis. Hæc est domus mensæ. Mensis est ieiunij Saracenismi. Et hoc est, ut sciatis, quod deus omnia nouit quæ sunt in cœlo & quæ sunt in terra, & deus scit quicquid est. Sed quis est tam demens, ut dubitet quin Deus sciat omnia? Sed posito quod dubitetur ab aliquo, quæ est hæc cõsequentia. quod mensa et ieiunũ mensis Saracenismi faciat scire, quod deus scit omnia? Et continue aũt uidetur loqui tanquã somniator, & maxime circa finem libri, ubi uidentur ei uerba deficere. Sicut in cap. Elcapherũ, quod interpretatur Hæretici, dicit de uerbo ad uerbũ: O execrabiles, non adoro quod uos adoratis, neque uos adoratis quod ego adoro: Ego nõ adoro quod uos adoratis, neq; adoratis uos, quod ego adoro. Vobis uestra lex, & mihi mea lex. Sed quilibet hæreticus potest hoc dicere, ut intercidat materiã, quæ est de inquisitione ueritatis. Et neq; reminiscor me inuenisse in toto libro unam solã argumentationem, quæ secundũ rectam suppositionẽ & conuenientẽ ordinem procedat. Nominũ aũt ordo illic grammaticè & rhythmice optimus est. ferè enim totus liber metricus & rhythmicus est. Vnde & ualde gloriantur Saraceni, in sic pulchro & ornato Arabicæ locutionis modo: et ex his argumentantur, uerũ prophetã fuisse Mahometum. Non enim sic ornate sciuisset loqui homo omnino idiota. Sed sicut superius uisum est in quarto capitulo, nõ cõsueuit deus loqui in mundo, uel cum prophetis, per uersus uel rhythmos. Sic igitur manifestum, quod lex hæc non est à deo, quæ nullũ habet ordinem nisi solũ rhythmicum & grammaticum, qui deo non congruit.

Loquitur Mahometus ut somniator.

Alchoranus metricus & rhythmicus.

QVOD

## QVOD LEX SARACENORUM non est Dei, iniqua enim est.

### Cap. XII.

DVodecimo oportet considerare, quod lex hæc non est à Deo. Deus enim est summe bonus: optimi autem est, optima facere, secundum Dionysium. Quod autem lex Alchorani iniqua est, ex ipso Alchorano manifestum est. Dicitur enim in capitulo Elcaph, & in capitulo Elgem, quod interpretatur dæmones, quod ipsum Alchoranum placet dæmonibus, & in eodem delectantur: Dæmones autem iniqui sunt & peruersi secundum uoluntatem, quibus præter iniquum aliud placet nihil: Alchoranũ igitur malum est.

Alchorani lex iniqua. Argument. 1.

2 Item, Alchoranum causa est omnium malorum, sicut cædis, rapinæ, periurij, & huiusmodi, quæ non solum permittit Alchoranum, sed etiam mandat (sicut superius manifestum fuit) & maxime cædes. Non sufficiens autem excusatio est, mandare infideles interimi, sed neque fideles. Dicit enim indubitatò, quod fidelis non debet interimere fidelẽ: ipsos autem infideles mandat interimere, nisi tributa soluant. Tributũ igitur soluere, sufficiens causa est interimendi, uel non? Quare non, inquantum infideles sunt, est tale?

3 Item, sicut in pluribus locis Alchorani dicitur, Nullum est maius malum, quàm deo mendacium iniungere. Alchoranum autem multa et alia mendacia iniungit, præter quàm quæ dicta sunt superius in nono capitulo, de mendacijs quæ in hoc continentur, quæ omnia in deum reflectit. Possumus autem & alia plura ostendere. In capitulo enim Elemphaal, quod interpretatur Lucra, dicit, quod sunt quædam Dei & apostoli lucra, & dent Deo quintam partem ex quibus lucrantur. Sed nunquid Deus est sic iniquus, ut permittat rapinam, ut illinc quintam capiat pro tempore? uel sic pauper Deus, ut non habeat unde nutriat pauperes eius, & uiduas & orphanos & peregrinos, de quibus illic loquitur, nisi permittat rapinam? Quare ut illinc lucretur, certe iam facit Mahometus Deum consortem sibi in malo, qui non potest habere consortem in bono.

Alchorani mendacia

4 Item, & si aliquando Alchoranum prohibeat rapinam & periurium, et alia quædam mala, tamen hæc prohibitio, permissio quædam potius est. Dicit enim: Ne faciatis mala, non enim placent Deo. Sin autem feceritis, ipse est misericors & miserator, & facile uobis parcet. De rapina autem nihil unquam mandauit ut restituatur, neq; talem ipsi cõsuetudinem habent, sed sufficit in fine Saracenũ dicere, Non est Deus præter Deum, & Mahometus est apostolus Dei, sicut superius manifestum fuit in quinto capitulo.

Periurium.

De periurio autem palàm dicit in capitulo Elmim, quod interpretatur mensa: Non imputabit uobis Deus fraudationem iuramenti, sed inuocationem eius. Quasi dicat: Periurium non obligat ad culpam, sed ad pœnam. Et postea subdit: Pro transgressione autem eius, sufficit decẽ pauperum educatio, uel totidem indumentum, uel unius captiui redemptio. Qui autem hæc nõ potest facere, ter ieiunabit. Ex istis equidem sequũtur omnia mala. Non enim timent rapere, uel decipere, uel peierare, nec fidem seruare: cum Christiano præcipiatur, fidem seruare oportere etiã inimicis et infidelibus. Habẽt tamẽ quoddam indubitatò genus iuramenti Saraceni, quod non de facili transgrederentur, de quo post hæc speculabimur. Mahometus autem palàm dicit in capitulo Elmetaare, quod interpretatur necatio, quod deus dispensauerat ei, ut non seruaret quod licite iurauerat, nõ amplius uidelicet ad Iacobitissam quandam accedere, quæ Maria appellabatur. et sic peieravit: cuius remissionis testes sunt, ut dicit, Michael et Gabriel. Iniqua igitur est lex illa, quam sequuntur omnia mala. Est aũt iniqua propterea, quod tot & sic magna mala et mendacia deo iniungit. Et præter prædicta, etiam alia multa iniungit mendacia, et fatua. Dicit enim, quod deus se excusat ex eo, quod miserit apostolũ Mahometũ, hominẽ, et non angelũ. et ait, quod deus dixit, quod misisset angelos, sed ipsi non potuissent mundũ cum securitate pertransire. Sed nunquid Mahometus securius per mundũ, quàm angeli, accedebat? quod si angelos intelligit bonos et pacificos homines, adhuc non est dubiũ, quod boni et pacifici homines securius mundum pertranseunt quàm mali. Inducitq; deum cõtinue loquentem, et dicentem, quod non ludi gratia creauit mundũ. Sed quis est tam demẽs, ut existimet de mũdo, quod tanquã ludens fecit mundũ? Item Mahometus Saracenus homo existens, & continuæ intemperantiæ deditus, in capitulo Elinir Elacap, inducit deum dicentem: Ne ingrediamini domum alicuius nisi inuitati & uocati, & nisi perstrepant de foris. Et addit tanquã ex persona dei, Et postquam ingressi fueritis & comederitis, exite, & ne stetis ad loquendũ cum ianitoribus, quia molestũ est prophetæ, & uerecundũ est dicere. Sed deus non uerecũdatur dicere ueritatem. Breuiter aũt, quicquid uolebat facere, uel quod fieret, id totũ deo iniũgebat, idq; mãdabat quod ita fieret. Et ex hoc subsecuta sunt omnia mala, quasi ex auctoritate legis: id est, interimere, rapere, mœchari, cum uxore Zeith incestum committere, cum Maria Iacobitissa peierare, & nõ seruare fidem in promissis. Iniqua igitur lex hæc, quæ placet quidem diabolo, & quæ ad multa mala nos inducit. Non igitur à Deo est, quẽ

Mahometi periurium.

Conclusio.

qui summe bonus, & à quo bonum solum prodit, malum autem nihil.

## DE ALCHORANI INSTITUtione, & quis fuerit legis huius opifex & inuentor. Cap. XIII.

QVoniam igitur demonstratum est, quod Alchoranum, Saracenorum uidelicet lex, non est à deo, sequitur, quærere de discipulis Mahometi, & de constitutione prædicti Alchorani. Oportet igitur scire, quod firmissime creditur à sapientibus illorum, & efficacibus rationibus ostenditur, primũ Alchorani auctorem non hominem fuisse, sed diabolum. qui propria inuidia & diuina permissione, propter peccata populi, præualuit inchoare solenniter & efficaciter perfidiam antichristi. Videns igitur diabolus fidem Christi in orientalibus partibus maxime crescere, & idololatriam deficere, superato iam Chosroe Persarum rege & Medorũ idololatra, per Christianissimum Heraclium imperatorem, qui excelsam turrim diruit, quam ipse Chosroes ædificauerat ex auro & argento & lapidibus preciosis, propter idololatriam: & quod crux Christi iam tum erat per Heraclium exaltata, & amplius exaltanda: & cum non posset diabolus amplius multitudinẽ deorũ defendere, nec omnino Moysi legem & Christi Euangeliũ negare, quia iam per totum mundũ diuulgatũ erat: excogitauit figmento legis cuiusdã, quasi mediæ inter nouum & uetus testamentũ, mundum decipere. Et ut hoc ad effectum deduceret, assumpsit hominem quendam diabolicũ, nomine Mahometum, religione idololatram, fortuna pauperem, mente superbũ, maleficijs celebrem. Et quidem libentius assumpsisset diabolus hominem bonæ famæ, si hoc ei permissum esset: sicuti & libentius tentasset hominem per aliud animal, in quo amplius ipsius maleficia celarentur, quàm per serpentem. Sed non permisit diuina sapientia, nisi ut tale animal assumeret, & per talem hominem mundũ inuaderet, ut ipse mundus facile posset cõsiderare, qualis lex illa esset, quæ per talem legislatorem data est. Superato igitur Chosroe à prædicto Heraclio, & translata sancta cruce in Hierusalem cum triumpho, sexcentesimo uicesimo anno ab incarnatione domini, decimo quinto autem imperij Heraclij, apparuit quidã Mahometus Arabs, qui primũ dies factus per quãdam uiduã, quam in uxorem duxit, & post hæc princeps latronũ factus, in tantam prorupit superbiam, ut & rex Arabum fieri uoluerit. Sed quia ipsi non susceperunt eum, quia de genere et opinione uilis erat, finxit se esse prophetam. Et cum comitiali morbo laboraret, ne firmiter quis eo detentum esse crederet, continue cadens, dicebat angelum cum eo colloqui. Dabat autem post hæc responsiones quasdam, quas (ut dixit) audiebat quasi per modum campanæ circumsonantis auribus eius. Et quia idiota erat, & illiteratus, dedit ei diabolus socios proprios, & quosdam hæreticos & Iudæos, & Christianos similiter hæreticos. Adhæsit enim ei quidam Iacobita, nomine Baira, & durauit cum Mahometo usque ad mortem. Ferturq;, quod Mahometus postea interfecit. Sed & Iudæi quidam, Phinees uidelicet, & Audia, nomine Salon, post hæc autem Audala dictus, & Selem: qui etiam facti sunt Saraceni. Et quidam Nestoriani, qui maxime cum Saracenis cõueniunt dicentes, quod deus non est natus de beata uirgine, sed homo Iesus Christus. Et tunc cõposuit Mahometus quædam in modum legis, per socios, assumens quædam quidem à ueteri, quædam autem à nouo testamẽto. Non tamen tunc populus habebat Alchoranum. Dicitur tamen in eorum historijs, quod Mahometus dicit: Descendit ad me Alchoranum in septem uiris, & quicquid est satis sufficit. Dicunt autem hos fuisse, Naphe, & Eon, Omar, Omra, Eleesar, Asir filium Cethir, & filium Amer. Diximus igitur eis, quando legerunt hoc coram Mahometo? Et omnes dixerunt, quod non, sed coram senioribus, & sic usq; ad Mahometũ. Firmum autem est, quod hi non cõuenerunt cum senioribus prioribus in litera quam nunc tenẽt. Quod probatur ex eo, quod litera primæ partis cõtraria est parti secũdæ. A tẽpore enim Mahometi nullus peritus fuit Alchorani, nisi Auda la filius Mesetud, et Zeith filius Tampeth, et Ocanan filius Ophyn, & filius Oenpe filius Tap. De Alete aũt filio Abitalem, quidam dicũt scire partẽ, quidam autem non. Quilibet autem horũ composuit Alchoranũ, aliorũ Alchorano dissimillimum. Pugnauerũt autem et inter se usq; ad mortem, non susciptentes quæ erant aliorũ. Post mortem dissentit populus in Alchorano, usq; ad tempus Mermpan filij Elezen, qui cõposuit eis hoc Alchoranum, quod nunc habent. Combussit autem et alia Alchorana. Et tunc etiam ciuitatũ præfecti septem cõtradicebant sibi in grammatica, & proprijs idiomatibus. Inuenimus autem in eorum historijs, quod repudij capitulum excedebat capitulum bouis, quod primum in ducentis triginta sententijs fuit, nunc aũt totum constitutum est in duodecim. Dicunt autem alij, quod & capitulum bouis aliquando mille sententias continebat, hodie tamen octogintaseptem. Referunt etiam & de quodam potenti, nomine Elgas, quod abstulerit ab Alchorano octogintaquinque sententias, & addidit alias totidem alterius sensus. Quomodo igitur est uerum quod dicunt de

Alchorani autor diabolus.

Mahometi cõditio.

Translatio crucis Christi in Hierusalem.

Mahometi arrogantia. Mahomet idiota.

Mahometi sectatores.

Nestoriani.

Alchorani autores.

Alchorani contrarietas.

Alchorana plura.

Alchorani mutationes.

de Alchorano, quod deus dicit, Nos descendere fecimus monitionem, & nos eam seruabimus? Narrant etiam quædam historiæ, quod Mahometus ueneno mortuus est, nec habuit populus Alchoranũ. Cum autem Empeumpecer susciperet principatum, præcepit ut quilibet colligeret quæ posset: & hoc quod est præ manibus, Alchoranum composuit, reliqua autem combußit. Sed in capitulo Elamram, de Alchorano dicitur, quod nullus præter deum cognouit huius expositionem. & qui profunditatẽ sapientiæ habent, dicunt, Credimus ei, totũ enim est à nostro deo. Et uere in hoc libro multa sunt sic dispersa, sic inordinata, sicut etiam superius manifestum est, ut nullam sententiam dicant, dementiam potius & mendacia cooperiant. Factum autem fuit, quod conuenerunt hoc esse Alchoranum, quod nunc in manibus habent, & dicunt deum Mahometo reuelauisse, & scripsisse ex ore dei Elphocaa autem, id est, magni doctores & expositores, nunquam conuenerunt in expositione eius, neque in æternum conuenient. Et sic non solum orientales ad occidentales, sed orientales inter se, & occidentales inter se, & in eisdem scholis diuersæ sunt sectæ, et tantum diuersæ, ut una condemnet aliam. Quidam enim sequuntur Mahometum, et sunt plures: quidam autem Hali, & sunt pauciores, & minus mali, & dicunt Mahometum tyrannica potentia sibijpsi usurpauisse, quod fuit Hali. Insurrexerunt autem contra utrosque quidam philosophiæ experti, & incipientes legere in libris Aristotelis, & Platonis, relinquebant omnes Saracenorum sectas, & ipsum Alchoranum. Quod intelligens ex Babylone quidam nomine Calyphas, ædificauit apud Academiam et Stanzeriam scholam, quæ charißimæ sunt, & transmutauit lectionem in Alchoranum. Et ordinauit, quod quicunque ex prouincijs uenient Babylona, ut Alchoranum discant, & habeant habitationes & expensas necessarias à publico. Et decreuit, quod Saraceni qui Alchorano uacant, nullo modo philosophiæ operam nauent. propter hoc neque bonos Saracenos esse existimant, qui philosophiæ operam dant: propterea quod huiusmodi Alchoranum uilipendunt, propter causas superius dictas in octauo & nono capitulo.

Mahometi mors.

Sectatorũ Alchorani diuersitas.

Constitutio Calyphæ.

## DE FICTIONE IMPROBATISSIMÆ UISIONIS. Cap. XIIII.

Mahometi uisio ficta.

QVartodecimo oportet speculari, quod fictã uisionem Mahometus composuit, quæ est expositio cuiusdam Alchorani. Dicit enim in capitulo filiorũ Israel: Laus ei, qui fecit transire seruum eius in una nocte ex oratorio Elaram, quod



est domus Mechæ, usque ad longißimum oratorium, quod est domus sancta Hierusalem, quam benedicimus, & reliqua. Expositio autem sententiæ huius est, quod Mahometus una dierum psallebat matutinam eius horam. quam cum perfecisset, dixit hominibus: O uos homines, considerate. Heri postquàm ego discessi à uobis, uenit ad me Gabriel post ultimam uespertinam psalmodiam, & dixit mihi: O Mahomete, mandat tibi deus ut uisites eum. Cui dixi: Et ubi uisitabo eum? Et dixit Gabriel: In loco ubi est. Et adduxit mihi iumentũ maius quidem asino, minus autem mulo, & nomen eius Elmparac. & dixit mihi: Ascende hoc, & equita usq; ad domum sanctam. Cumq; curarem ascendere, aufugit iumentum. Dixitq; ei: Sta firmiter. Mahometus enim est, qui uult te ascendere. Et respondit iumentũ: Nunquid pro eo missum sum? Respõdit Gabriel: Vtique. Et dixit iumentũ: Non permittam eum ascẽdere, nisi prius rogauerit deum pro me. Ego autem interceßi pro iumento apud Deum meũ, ascendiq; ipsum, & ambulabat me insidente tenui gressu: collocabatq; ungulã pedis in orizonte, uisus sui. Et sic ueni in domum sanctam in minori spacio, quàm quantũ oculi ictus perfici posset. Erat autem Gabriel mecum. & duxit me ad rupem in domo sancta Hierusalem, et dixit mihi Gabriel: Descende, quoniam ab hac petra ascendes in cœlum. Et descendi. Et Gabriel ad rupem iumentũ Elmparac, cum cingulo ligauit, & portauit me in humeris suis usq; ad cœlum. Cumq; uenissemus ad cœlum, pulsauit ianuam Gabriel. dictumq; fuit ei, Quis es? Respondit, Ego sum Gabriel. Dictumq; fuit rursus ei: Et quis est tecum? Respondit, Mahometus. Dixit autem ianitor: Nunquid pro eo missus fuisti? Et dixit Gabriel, Etiam. Et aperuit nobis ianuã. Et uidi gentes angelorum: & bis flectens pro eis genua, effudi orationem. Et post hæc cepit me Gabriel, & duxit me ad secundum cœlum. Erat autem spacium horum duorum cœlorum iter quingentorum annorum. Et quàm primũ pulsauit ianuã, responsio facta est ei secundũ omnia similis usq; ad septimũ cœlum. In quo septimo cœlo describit se uidisse populum angelorum. Prolixitas uniuscuiusque angeli multo milies mundo maior erat, quorum quisque habebat septuaginta milia capitum, & in quolibet capite septingenta milia ora, & in quolibet ore mille septingentas linguas, laudantes deum septingentis milibus idiomatibus. Et aspexit unum angelorum flentem. Et quæsiuit causam fletus eius. Et respondit, se peccatum esse. Ipse autem orauit pro eo. Sicq; inquit, Gabriel commendauit me alteri angelo, & ille alio, & sic deinceps, quousque steti coram deo

Fabula mire lepida, quę cũ Luciani Veris narrationibus quoq; conferri possit.

Monstra angelorum septimi cœli.

Deo, & tribunali eius. Et tetigit me Deus manu eius inter humeros, usq; adeò, ut ad medullam ſpinæ dorſi mei frigiditas manus eius pertranſiret. Et dixit mihi Deus: Impoſui tibi & plebi tuæ orationes. Cumq; deſcẽdiſſem ad quartum cœlum, conſuluit mihi Moyſes, ut reuerterer ad leuandũ populum, qui tot orationes ferre non poterat. Et primo reditu obtinui remiſſionẽ à decem uſq; ad quartam, & à quarto reditu uſq; ad ſeptimum. Et in fine tantum in minus uenit numerus orationum, ut paucæ remanerent. Cúmque diceret Moyſes: Nec hoc poterunt ferre homines. Ego præ confuſione uerecundatus, quod totiens aſcenderim, nolui plus aſcendere, ſed rediens ad Elmparac, equitaui deſcendens in domum Mechæ. Horum autem omniũ tempus minus fuit quàm decima pars noctis. Viſionis autem huius, plus eſt quod dimiſimus, quã quod narrauimus. Cumq; narraſſet Mahometus uniuerſis gentibus, mille homines à lege receſſerunt. Dicentibus autem illis ei: Aſcẽde de die in cœlũ, ut nos aſpiciamus, & uideamus obuiantes tibi angelos. non recognouit ſuijpſius mendacium, ſed dixit: Laus Deo meo. Nunquid aliud quoddã ſum ego quàm unus hominum, & apoſtolus? Sic in capitulo prophetarum, narrat de his qui quærebant ab eo fieri miracula, ſicq; dixerũt Mahometo: Audi uiſti inſomnia, blaſphemias congregaſti, uel fortè poẽticè loqueris. Veni ad nos ad minus in uno miraculo, quo modo miſſi ſunt & priores. Reſpondit: Subuertimus (dixit Deus) urbes coram non credentibus, nunquid hi credent? & quomodo expectant ab eo miracula? Et reſpondit eis: Quoniam qui præceſſerunt uos, non crediderunt miraculis, & neq; uos etiã miraculis crederetis, niſi per enſem. Audite igitur Mahometani, ſi Alcoranum uerum exiſtimatis. ipſe enim Mahometus eſt, qui affirmat nullum miraculum ſe feciſſe. Longe autem plures fuerunt quos enſis conſumpſit, quàm qui gratis eum ſecuti ſunt, ſicut ſuperius demonſtratum eſt. Hæc ſola fictio uiſionis prædictæ, debet ſufficere ad confutandum quicquid dixit & fecit Mahometus. Sicut enim ſæpenumero antè dictũ eſt, ſic permiſit eum ſpiritus ſanctus mẽtiri, ut quilibet homo facile figmentũ cognoſceret. Nũc quidẽ dicit de ſeipſo inaudita miracula, aliquando autem dicit ſe nullum miraculum feciſſe. & aliquãdo dicit, quod eſt ſolum nuncius & homo: aliquando uero, quod & plus eſt quàm angelus, & ſupra angelos. & quare inditguit aſino uel iumento à Mecca uſq; ad Hieruſalem, qui ex Hieruſalem uſq; ad ultimum cœlum aſcendit abſque aſino? Quomodo potuit tot ſplendores angelorum in cœlo ſuſtinere, qui dicebat, quod quando apparebat ſibi unus angelus,

Obiectio Saracenorum.

Solutio una Mahumeti.

Mendaciorũ Mahumeti impudentia.



ſemper in terram concidebat, & ſpumans agitabatur, & incuruabantur & contrahebantur manus & pedes eius? Et neq; in prædicta uiſione ponit ſe raptum, ſed dicit, quod aſcendit cum corpore ſimul & anima. cuius ſignũ eſt, quia dicit quod Deus manu ſua tetigit eum inter humeros, & ſenſit frigiditatem uſq; ad medullam ſpinæ dorſi. Vnde Denm & angelos ſupponit, poſitionem habere ſpacio corporali.

## DE QVIBVSDAM SEX quæſitis in Alcorano communibus, & de Chriſti ad Mahometum excellentia. Cap. XV.

CONſequenter mouẽdæ ſunt dubitationes quædam, & quæſtiones in Alcorano, de quibus cum non poſſint rationẽ reddere Saraceni, non ſolum uocabuntur ſimpliciter, ſed etiam cogentur demonſtrationibus, coacti in conuiuium ueritatis introire. Prima quæſtio eſt, Quid uult Alcoranum dicere, quando totiens inducit Deum pluraliter de ſeipſo loquentem? Dicit enim in Elimpacerã, ex perſona Dei: Diximus angelis adorare Adã, & reliqua. Et poſt hæc per totũ dicit uſq; ad finẽ libri, aliquãdo pluraliter de deo loquẽs aliquãdo autẽ ſingulariter. Firmiſſimũ enim eſt omnibus. Chriſtianis & Iudæis et Saracenis, qui ratione utuntur, unum eſſe Deum, & ſolum & ſimplicem, & non poſſe habere conſortem quendã. Quare igitur pluraliter loquitur de eo ipſo? Et non poſſunt dicere, quod deus loquitur de ſeipſo et de angelis. Dicitur enim ibi, Diximus angelis. Eſt igitur locutio hæc Dei non angelorum, ſed ad angelos. Item in capite Sad, dicitur, quod omnes adorauerunt Adam, præter diabolũ. Omnib. igitur angelis dixit Deus, Adorate Adam. Item in multis Alcorani locis inducuntur tales quædã locutiones pluraliter de deo, in talibus actionibus in quibus angeli nequaquam cum Deo communicant, ſicut in creatione mundi, & iuſtificatione impij. Dicitur enim in pluribus locis Alcorani: Nos, dicit, creauimus cœlum & terrã, & quæ ſunt in medio, & non incaſſum iudicauimus hominẽ, & nos miſimus filium Mariæ, & dedimus ei ſpiritum ſanctum & euangelium, & miracula, & talia quædam in quibus angeli nequaquam poſſunt communicare cum deo. Angeli enim creati ſunt à Deo, ſed non ſimul creant cum Deo cœlum & terram, & quæ ſunt in medio. Et non poſſunt dicere Saraceni, quod pluralis illa uox eſt Dei, & cuiuſdam alterius intellectus qui excedit creatum, per quem fecit omnia Deus. Conſtat enim, quod quicquid eſt præter deum, creatura eſt, & à Deo creatum, & nulla creatura poteſt eſſe ſimul creatrix cũ Deo. Item non poſſibile eſt dicere, quod Deus pluraliter loquitur propter diuerſas quæ in eo ſunt qualitates, ſi

Quæſtio. 1. Cur Deum in plurali de ſeipſo loquentem totiens introducat Alcoran. l. 1

cut est potentia, sapientia, iustitia, & talia quæ Arabes uocant Saphat. Hæc enim non accidẽtia sunt in deo, neq; differentiæ, sed sunt in ipsa diuina essentia. Vnde in Deo nullam compositionem nec pluralitatem faciunt, ut per illa Deus de seipso pluraliter loquatur. Quinimò nec homo, nec angelus propter eorum differentiam, potest de seipso pluraliter loqui: & si hæc in homine & angelo accidentia sunt, & quandã in his compositionem faciunt. Et uere talis locutionis modus, Deum uidelicet unum existentem, pluraliter de seipso loqui, semel à Moyse inuenitur in Genesi illatus. In formatione enim hominis, locutus est Deus, dicens: Faciamus hominẽ ad imaginem nostram. Quod dicunt Iudæi, uocem esse Dei ad angelos. Quod quidem est contrariũ diuinæ scripturæ, quæ nunquam dicit angelum secundum imaginem hominis formatum esse, sed secundum imaginem Dei. Et hoc est quod etiam addit Moyses deinceps, post illos sermones dicens: Et fecit Deus hominem secundum imaginem & similitudinem suipsius, secundũ imaginem dei fecit eum. Est igitur uox illa patris ad filium uel totius trinitatis ad seipsam. Vnus enim & simplex Deus essentia, trinus est in personis. Et hoc dicere potuisset Alcoranum simpliciter, nisi timuisset posse esse personarũ discretionem, discretione secundum essentiam, Propter hoc dicit in capitulo Elnesan: O societas libri, ne uacetis in lege uestra, & ne dicatis de Deo præter ueritatẽ, quod Christus Iesus filius est Mariæ, et Apostolus dei, et uerbum Dei, quod in ea posuit per spiritũ sanctum. Ecce hic nominat deũ, et uerbũ dei, et spiritũ sanctũ, sed timẽs, ne propter hæc diuina essentia diuidatur, uel multiplicetur uel terminetur, subiungit statim: Et ne dicatis tres Deos, quoniã Deus, Deus unus est. Ecce quantum appropinquauit ad illud quod est maxime arduum in fide, modo quodam dicens Ioannis: Pater & uerbum & spiritus, & hi tres unum sunt. Inducit igitur in Alcorano Mahometus deum pluraliter loquentẽ, ignorans causam. Manifesta igitur hinc prima quæstio, quod cõmuniter credimus cum his deum esse unum, & solum & simplicem. ipsi autem habent in Alcorano, deus habet & uerbum et spiritũ, & sic credimus uerum & unum & simplicem deum. Et proprie de se loquitur singulariter: propterea autem quod trinus est in personis, aliquando de se pluraliter loquitur. Secũda quæstio est, quod Alcoranum continue meminit spiritus sancti, & uerbi dei. Quis est ille spiritus sanctus, & quod est illud uerbum dei? De spiritu sancto quidem dicit in capitulo Elpalceram, ex persona dei: Dedimus Iesu filio Mariæ ut faceret prodigia & miracula manifesta, & perfecimus eum per spiri-

Gen. 1.

Trinitas etiã Alcorano posita, nominibus Dei, uerbi, spiritussancti.

1. Ioan. 5.

Quæstio II. de spiritu sancto.



tum sanctum: & hoc idem reperit per totum capitulum. Item dicit in capitulo Elempai de Maria, Inspirauimus in eam ex spiritu sancto. Et in pluribus alijs locis similia dicit de spiritu sancto. Et non possunt dicere Saraceni, creaturam quendam esse, sicut angelus quidam, scilicet bonus, quoniam singulariter de eo loquitur, tanquam de uno sancto. sancti autem angeli plures sunt, & omnes sunt dei. Quæ igitur causa, ut de illo singulariter diceret, nostro & sancto? Item non esset magna laus de Christo, quem Alcoranum intendit singulariter commendare, quod deus dedisset ei angelum custodem. Etenim deus facit angelos spiritus, & nostros apostolos: sicut dicit Alcoranum in capitulo Elmaice. Item angeli non sanctificant homines, sed deus immediate, & solus: tanquam solus deus potest peccata dimittere, sicut dicit in Alcorano. Prædictus igitur spiritus uerus est deus. uerus autem deus & qui de prædicto spiritu loquitur dicens: Dedimus ei spiritum sanctum, & inspirauimus ex spiritu sancto. Quoniam igitur diuina essentia una est & simplex, non potest discerni, uel diuidi: et ibi est dãs & datum. dans, qui dicit, Dedimus: & datus, qui dicitur spiritus sanctus, qui dicitur datus & inspiratus. Inter dantem autem, & qui datur, requiritur ut distinguatur personaliter solum, non essentialiter, & sic solis relationibus distinguuntur. Et hæc est sola discretio, quam Christiani in personis diuinis faciunt. Hanc eandem omnino quæstionem quam de spiritu sancto quæsiuimus, posßumus quærere etiam de uerbo dei. Dicitur enim in capitulo Abrahã: Dixerunt angeli beatæ Mariæ, O Maria, deus præposuit te supra omnes mulieres. Et post hæc dixerũt angeli: O Maria, nunciat tibi deus, uel nunciat tibi uerbum eius, & nomẽ eius Christus Iesus filius Mariæ. Et in capitulo Elnesa dicitur: Ne dicas de deo præter ueritatem, quod Christus Iesus filius Mariæ apostolus est dei, & uerbum dei, quod ipse posuit in ea per spiritum sanctum. Affirmat igitur omnino, Christum uerbum esse dei. Quæritur igitur, quod sit hoc uerbum Dei? utrum uerbum accidentale, uel potius personale & reale. Si dicit uerbum esse uocale solum, & accidentale: hoc non potest dici. loquitur enim de deo Alcoranũ & euangelium singulariter, & de uno uerbo tantum: uerbum autem Dei uocale & accidentale, quod à Deo exit, non unum, sed multa. Omnia enim bona uerba & sancta & uera, uerba Dei dici possunt. Item non esset excellens commendatio Christi, quem Alcoranum intendit singulariter commendare, si propter hoc dicatur uerbum Dei, tanquam uerba Dei, dicens, Non enim solus Christus, sed etiam alij prophetæ uerba Dei nunciauerunt

Personarum in diuinis discretio.

4.

III. Christus quomodo uerbum Dei.

runt, & tamen nullus illorũ dicitur uerbum Dei. De solo enim Christo euangelium & Alcoranũ dicit, quod sit uerbum Dei. Si autem essentialiter uerbum capiatur, manifestum quod sempiternum esset uerbum Dei, & deus uerus. Sicut enim quod procedit ex ore corruptibilis hominis, corruptibile est ex necessitate: sic uerbũ quod ex sempiterno ore procedit, per quod cœlum & terram & quæ sunt in medio (ut Alcorani uerbo utar) fecit, sempiternũ et incorruptibile esse necesse est. Quicquid autem ex Deo procedit, essentialiter est deus, & hoc modo deus est dei uerbum. Vnde cum uerbum aliquo modo differat à dicente & continente uerbum, & in dei essentia non possit esse diuisio seu distinctio essentialis, oportet quod ibi sit distinctio personalis: & quod uerbum à dicente proprijs, & solis relationibus distinguatur, sicut & de spiritu dictum est. Et hoc est uerbum, quo deus omnia quæ sunt, dixit, & facta sunt: sicut & in Alcorano dicitur. Et secundum hoc conuenit Alcoranum cum euangelio Ioannis, qui dicit: Omnia per ipsum facta sunt. Quoniam igitur ab eo qui loquitur, uerbum comprehenditur, & intellectualiter gignitur: & quod ab altero generatur, secundum similitudinẽ speciei & naturæ, dicitur filius: propter hoc, uerbum Dei dicimus filium dei. Sicut sol si generaret ex se talem splendorem qui esset sol, illum solem & splendorem diceremus filium solis. In hoc tamen est differentia, quod in creaturis, in quibus esse et essentia differunt, non possunt multiplicari subiecta, cum non multiplicatur natura. Vnde & homo alium hominem gignit: Deus autem, in quo idem est esse & essentia, ex seipso uerbum gignẽs, non alium Deum generat. Diuina enim essentia neq; dissimilis est, neq; innata est multiplicari secundum aliquem modum, propter summam perfectionem & simplicitatem. Mahometus igitur audiens Christianos dicẽtes deum habere filium, nesciuit cõsiderare, quod possibile est esse filium absq; muliere. Et propter hoc nullam aliam adduxit argumentationem, nisi quod deus non potest habere filium, quia uxorem non habet. Et non excogitauit quod diixit Dauid, quem tantum commendauit Mahometus, qui præter filium naturalem, dixit deum multos habere filios adoptiuos, dicens, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: & non ex muliere. Aliàs tamen licet Mahometũ simul cũ eo intelligere, qui dicit Mariã posse habere filiũ absq; uiro: sed quomodo non conueniẽter considerauit, quod deus & absq; muliere potuisset habere filium. Verum igitur dixit Mahometus, quando dixit Christum Iesum filium Mariæ, & uerbum dei esse: sed non intellexit. Si enim intellexisset, dixisset: Ex quo est filius Mariæ, est uerus homo: ex quo est uerbum dei, est uerus Deus. Non enim est deus compositus & imperfectus, sicut homo. cuius uerbum & comprehensio mentis, & ars & actio, non est homo. Quicquid autem est dei, est deus. Vnde & uerbum dei, deus est: & intellectus dei, deus est: & actio dei, deus est. Alcoranum autem hominem solum cepit Christum. Et propter hoc postquam dixit, quod uerbum est dei, addidit, quod Iesus sic est apud deũ, sicut Adam, quem creauit de limo terræ: & dixit ei, Esto. Et quomodo hoc cum præcedentib. conuenit? Cum enim dixerit, quod deus insuderit uerbum Mariæ, & spiritum eius, ex quo natus est Christus, & post hæc rursus opinatur, ut Adam is sit quem formauit ex terra: inconueniens igitur, uerbum dei & spiritum eius terram esse. Nisi aliquo modo Dei naturam terram supponamus, quod absit. Esset enim uerbum eius, & spiritus eius. sicut quædam statua, quæ neq; intelligit, neq; spirat. Nunc autem deus noster, qui est benedictus in sæcula, uidet & audit omnia, & habet uerbum incarnatum ex Maria uirgine, & spiritum sanctũ qui eam obumbrauit, & humanitatem uerbi adimpleuit. Si autem existimant & in Adam uerbum dei & spiritum fuisse, non effugient manifestum mendacium. Si enim uerbum Dei cum carne & terra illius unitũ esset, & spiritus repleuisset Adam, nunquam decipere potuisset illum satanas, uel fefellisset. Verbo tamen suo dixit deus Adæ, Esto, hoc eodem uerbo quo fecit omnia, quod quidem ab æterno erat apud Deum. Itaq; Christus uerus est deus, & uerbum dei. Neq; enim uerbum dei minus est quàm totus Deus. Est etiam homo uerus, ex Maria genitus: & in quantũ homo, & apostolus est dei, & propheta dei, & seruus Dei. Et quantum ad hoc, bene dicit Alcoranum in capitulo Elnesa, quod neq; Christus, neq; fideles angeli negabunt eum seruum esse Dei, id est inquantum homo est. Non inuenitur tamen in toto euangelio, quod ipse Christus dicat de seipso, quod sit seruus Dei, ne errorem inducat. Sed neq; palã dixit, Ego sum deus, neq; homo, sed ueris & manifestis operibus ostẽdit, seipsum & Deum esse uerum, & hominem uerum. Et propter hoc dixit: Si mihi non uultis credere, operibus credite. Et hæc est efficacior probatio, quàm si uerbis solis hoc dixisset. Dictũ est autem superius, quare ante passionem hoc non dixit palàm. Apostoli autẽ & euangelistæ prius & post hæc & alij prædicatores, sicut manifesta uerba & dixerũt et ostenderũt, ut totus mundus conuinceretur hoc credere, Mahometus autem, postquam benedixit CHRISTVM esse uerbum Dei, non stetit in ueritate, sed contradixit sibijpsi, dicens, ipsum Christum non esse Deum.

Argumentatio a cõtrario

Verbũ essentiale.

Ioan. 1.

Filij appellatio.

Mahometi opinio de filio Dei.

Psalm. 81.



Quicquid est Dei, idẽ est Deum esse.

In Adam non fuisse uerbum Dei, nec spiritum sanctum.

Ioan. 1

Christus, uerbum Dei, homo, apostolus, propheta, seruus.

Ioan. 10.

Tamen dixit, quod apud Deum excusauit, quod patuit superius in nono capitulo, manifeste falsum esse, tum quia dicit quod ipse Christus dixit, Adorate Deum meum & Deum uestrum, dominum meum & dominum uestrum. Hæc autem ratio nequaquam constat. Inquantum enim uerus homo fuit, uerus seruus est Dei, ut superius manifestum fuit. Contingit ergo de Mahometo, quod de alijs ipse scripsit in capitulo Ionæ, dicens, quod quidam reprobant quæ non intelligunt, & quæ non possunt exponere. Sicut & ipse reprobauit mysterium incarnationis, propterea quod ipse non intelligebat, nec poterat exponere quæ in euangelio dicebantur de Christo. Et secundum eandem rationem neque trinitatis mysterium suscepit. Non enim potuit intelligere personarum discretionem, absque discretione quæ est secundum essentiam. Et quid mirum, si homo carnalis non percipit excellentissima Dei mysteria? Hæc quidem igitur sufficiant de tertia quæstione. Quarta quæstio est, quod Mahometus continue in Alcorano laudat legem Moysi, & Iob, & Dauid. Et dicit Psalterium librum esse clarum: supra omnes autem libros commendat euangelium, in quo dicit esse salutem & deductionem. Quæritur igitur, Quare neque habent, neque legunt Saraceni libros istos, neque interpretantur? Christus enim, cum commendasset Moysen & alios prophetas, Christiani cum hos non haberent, acceperunt illos à Iudæis, & eos in diuersas linguas transferri fecerunt, habentq; illorum libros autenticos, leguntq; eos in scholis.

Ioan. 20. Ioh. 19

IIII. De libris Moysi, & euangelij.

Dicunt autem Saraceni, Iudæos quidem corrupisse libros ueteris, Christianos euangelium & libros noui Testamenti, & quod nihil ueritatis remansit in mundo, præterquàm quod est in Alcorano. Sed antè demonstratum est in tertio capitulo, quod hoc est falsum, & contrarium Alcorano. Item, Quomodo tantus propheta, qualem existimant esse Machometum, tantum commendasset corrupta exemplaria, et dixisset in his esse salutem & deductionem? Vel quomodo non prædixisset in posterum esse corrumpenda? Sed potius contrarium dixit. Quod si in ambiguo quodam de Alcorano fuerint Saraceni, quærant ab his qui ante eos libros legerunt: id est, à Christianis & Iudæis. Et hoc dicit in capitulo Ionæ. Oportebat autem potius dicere: Ne credatis his qui corruptos libros habent. Item in capitulo Abraham docet, ut Saraceni quærant auctoritatem legis Moysi, dicens: Afferte Pentatheucum si ueraces estis, & legite in eo: & reliqua.

Libri noui et ueteris Testamenti a Iudæis, & Christianis corrupti.

Causa autē quod Saraceni non legunt prædictos libros, nulla alia est, nisi quod sciunt horum sapientes, quod facile deprehenderetur mendaciū

Cur Saraceni legis & euangelij libros non legant.



Alcorani, si sanctos & ueraces libros legerent. Vnde & Alcoranum malitiose prouidit sibijpsi, & quatuor medelas suppositit, ut mendaciū eius non manifestum constitueretur. Quorum unum quidem est, mandare interimi, qui contrarium aliquid Alcorano dicerent, quod manifestum fuit superius in quarto capitulo. Secundum dicit, ne disputēt cum hominibus alterius sectæ. Tertium prohibet his credere. Dixit enim in capitulo Abraham, Ne credatis alicui, nisi his qui sequuntur nostram legem, & quod in euangelio est salus & deductio. Dicit etiam, quod Saraceni nihil sunt, nisi adimpleant legem & euangelium. Ergo debent euangelium habere. Quartum, separat se omnino ab illis, & dicit: Mihi mea lex, & uobis uestra, & reliqua. Et post hæc: Liberi estis uos, à quibus ego facio. & ego, à quibus & uos. Et hoc dicit in capitulo Ionæ. Si igitur Saraceni bene acciperent cōsilium Alcorani, proculdubio deducerentur. Habuissent enim euangelium & legem Moysi, & alias scripturas. Maxime cum ipsum Alcoranum continue commendet Moysen, Dauid, Salomonem, & alios prophetas: & frequentissime dicat, quod alterū alteri non præfert. Et hæc ad quartam quæstionem. Quinta quæstio est. Quid uult dicere Machometus in Alcorano, quod totiens dicit & repetit de se scribens, Credite in Deum & Apostolum, obedite Deo & apostolo, sequamini Deum & apostolum? Scimus enim, soli Deo deberi fidem, honorem diuini cultus, actionem obedientiæ, & sequelam uiæ. Ipse enim solus est principium, & finis omnium. Vnde nullus unquam propheta ausus est hæc dicere, & Deo seipsum in talibus associare: cui nullum unquam possibile est socium uel simul participem fieri. Dominus enim in lege Moysi Iudæis dixit: Scitis quod ego sum solus. Propter hoc autem et Helias dicit: Si dominus est ite post ipsum: si autē Baal, sequamini eū. Videtur igitur ex talibus, Mahometū non solum dare se Deo participem, sed facere seipsum illius socium, & simul consortem. Et sic dicitur in capitulo Elnesa: Non parcet Deus, si quis ei dederit participē. Solus autem Christus, neque consors, neque particeps Dei, sed Deus uerus & homo uerus, potuit dicere: Credite in Deum, & in me credite. qui tamen nunquam dixit: Credite in Deum & in me, uel obedite Deo & mihi, ne homines crederent eum Dei participem & consortem. Sexta quæstio est: Cum Alcoranum de Christo quidem multa dicit, & magnifica, ecōtrario autem pauca de Machometo, & quidem uilia, quæritur igitur, Quare Saraceni non potius sequuntur Christum, quàm Machometum, & euangelium quàm Alcoranum? Et quia contraria

Quatuor principuæ Alcorani cautelæ.

Quæstio V. de consortio Dei.

Apoc. 22.

Deut. 32. 2. Regum 18

Ioh. 14

Quæstio 6

traria iuxta se posita magis elucescũt, uideamus è regione & intrinsecus, quid Alcoranũ de utroq; narrat. Dicit enim Alcoranum, quod Christus suæ matri fuit annunciatus per angelum, & sanctificatus per spiritum sanctum, & uirtute Dei conceptus, non operatione naturæ, & ex sanctissima uirgine Maria, & supra omnes alias mulieres mundas, genitus est. De Machometo autem nihil tale dicit, sed quod orphanus, & uagus, à Deo conductus. Item dicit de Christo, quod est uerbum Dei, & secundum hoc nihil potuit ignorare: Mahometus autem fuit propheta incertus. dicit enim, se nescire, quid de se fiet, ac suis. Dicit etiam ipse: Nescio utrum ego aut uos sumus in rectitudine. Vnde & fertur dixisse de patre & matre sua: Vtinam scirem quod est opus eorũ. Item fertur, quod ipse fuit præstigiatus à Iudæis, acubus ab aliquibus mulieribus in uultum cæreum immissis, & proiectis in puteum. Affirmantque communiter, ipsum Mahometum ueneno uitam finiuisse, quod assumpsit, cum huic Iudæa quædam uenã secuisset. Item, ipse quidem Christus ab Abraham descendit, & Isaac, cui facta est promissio de benedictione, & consequenda hæreditate. Mahometus autem descendit per Ismaël, ad quem non peruenit promissio: sed de eo scriptum est, quod erit ferreus homo, & manus eius cõtra omnes, & reliqua. Item Christus nullum unquam peccatum commisit. Spiritus enim Dei & uerbum Dei non potuit peccare. Mahometus autem idololatra fuit, & homicida, lasciuus & rapax, multisq; alijs peccatis †connoxius, in quibus Deus, ut dicunt, ei pepercit. Item Christus stupenda fecit miracula, & utilia. Sicut enim dicitur in capitulo Elmaide, in fine, Christus cæcos illuminauit, leprosos mundauit, & mortuos suscitauit: Mahometus autem nullum miraculum fecit, secundum Alcoranum. Et quæ de eo dicuntur, uel inconuenientia, uel impossibilia sunt & absona, sicut lunam diuisam reintegrare: uel inutilia, sicut camelum loqui: uel omnino occulta. Multa enim dixit seipsum in occulto et nocte facere, quæ in die requisitus, ostẽdere nõ potuit. Vnde ei dixerunt: Dicis te ascendere in cœlum ad Deum nocte, ascende de die, ut uideamus nos, & credemus. Christus autem maxima et magnifica miracula faciebat de die, et in manifesto, et corã multis testibus uidẽtibus: quare manifesta sunt opera illius. Præterea Christus quidẽ magister fuit excellẽs, sicut dicitur in Alcorano, & in capitulo Elmeide, quasi ex persona dei: O Christe, cõsidera quem dedi tibi spiritũ sanctum, ut loquaris. Item, In cunabulis docui te librum & sapientiã, & legem Moysi, & euangelium. Mahometus autem doctor fuit ignarus,

Quid Alcoranum de Christo narret, quidq; de Mahometo.

Christi ad Mahometum excellentia, per collationem.

Gen. 16.

obnoxius.

Mahometi miracula.

Mahumet idiota.



& homo idiota, nesciens aliam linguã nisi suam, ignorans etiam interpretationem legis suæ. Dicit enim, solum Deum scire Alcorani expositionem. Item Christus secundum euangelium crucifixus est, & mortuus, & resurrexit uere, & ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Dei. Alcoranum autem dicit, quod non est mortuus, sed assumpsit eum Deus. Quare et secundum euangelium, & secundum Alcoranum, & in omnem euentum Christus uiuit. Mahometus autem omnino mortuus est. Sed melior est adiutor uiuus, quàm mortuus. Omitto alias secũdum quodlibet excellentias, quas de Christo euangelium posuit. Mirum igitur, quare Saraceni non sequuntur potius Christum quàm Mahometum, & euangelium potius quàm Alcoranum, cum ualde credibile sit, per meliorem legislatorem meliorem legem datam esse, & melius à Deo conseruatam, ueracem & incorruptam, sicut superius demonstratum est in tertio capitulo.

## DE EVANGELII AD ALCORANUM EXCELLENTIA. Cap. VI.

EVangelij autem ad Alcoranum excellentiam, facile ex superioribus dictis possumus cognoscere. Antè enim demonstratum est, non esse Alcoranum legem Dei, propterea quod neque uetus, neque nouum testamentum hanc testantur, & quod neq; in stilo neque in sententijs cum alijs conuenit, & quod contradicit sibijpsi, & quod nullo miraculo confirmatur, & quod est irrationabile, & quod manifesta continet mendacia, & quod uiolentum, & quòd inordinatum, & quod iniquum, & quod ambiguum. Hæc enim omnia per ipsum Alcoranum breuiter sunt antè demonstrata. Veruntamen idipsum Alcoranum legentibus, melius hæc demonstrantur. Quare nos hæc audacter dicere possumus, si nobis credere non uultis, Alcoranum legite. Horum autẽ contraria in euangelica doctrina manifeste apparẽt. Etenim Mahometus præcipue, quasi supra omnes prophetas qui sunt uel qui futuri sunt, Christũ commẽdauit et euangelij doctrinam supra omnes diuinas scripturas magnificauit. Scimus autem, quod nullum sic est tam ualidum, tamq; potens testimonium doctrinæ uel uitæ, quàm laus ab his qui conantur reprehensionem inducere. Dicit autem ipse Mahometus in Alcorano, in capitulo Elmeide: Terminauimus uiam hominum per Iesum Christum filium Mariæ, ueracissimum prophetam, & dedimus ei euangelium, in quo est deductio & lux & ueritas manifesta. Et in multis locis Alcorani præcipue cõmendat euangelium. Etenim ipsum euangeliũ in omni loco & lingua excellentissime mundo seipsum manifestat. Quare confidenter dicere

Epilogus.

Alcoranũ legendum, ut ꝯ sint absurdæ eius dogmata intelligatur.

Euangelij manifestatio cuiusmodi à deo instituta.

Euangelij manifestatio cuiusmodi a deo instituta

possem de eo Saracenis: Si uestro Mahometo uultis, uel non uultis credere de Euangelio, id ipsum Euãgeliũ legite. Et quoniam sicut dicitur in Alcorano in capitulo Elẽphal, uolẽs deus quod uerificetur ueritas per uerbum suum, & interci datur gubernatio hæreticorum, & ut ueritas ue rificetur & uanitas euanescat, prouidit & dispen sauit deus, ne mũdus per ignorantiam periret, ut lex illa, quæ generaliter omnibus & sola neces saria erat, lex ea quæ est euangelij, non in uno lo co, sed in diuersis prouincijs: neq; in uno idioma te, sed diuersis & in omnibus linguis scriberetur hebraice, græce, & latine, & post hæc fideliter trãs ferretur. In fine aũt euãgelij mãdauit discipu lis suis Christus, ut in uniuerso mundo efficaciter euãgelium prædicarent. Quod ut perficere pos sent, dedit eis gratiam linguarũ & uirtutem mi raculorum. Alcoranum autem arabice solum si bijpsi dicit à deo datum esse: & Saraceni firmiter credunt, nullum posse hoc scire qui arabicam lin guam ignoret. Sequitur autem, non omnes scire arabicam linguam, neq; posse hanc discere. Scri ptum autem est in Alcorano, sicut & antè demõ stratum est, nullum posse saluari, præter eos qui sunt in lege Saracenorum. Quare conuenienter quæri posset, si solos uelit Saracenos deus saluos fieri, & eos qui arabicam linguam sciũt Christi anorum autem lex, quæ scripta est in omnib. lin guis, dicit, quod deus uult omnes homines salnos fieri. Saraceni igitur, qui solo nomine saluati di cuntur, sicut antè dictum est, & alij omnes qui se cundũ ueritatem saluos se fieri uolũt, discãt Chri stum esse saluatorem, legantq; euangelium in qua cunq; lingua uolunt, & inuenient ferè contraria omnia quæ prædicta sunt & demonstrata ab Al corano. Inuenientq;, quod Moysi lex & prophe tæ ipsum testantur, et nullam euangelij contrarie tatem, sed potius complementũ & perfectionem omnium aliarum scripturarũ. Inuenient quoq; in euãgelio stilum non metricum uel rhythmicum, sed simplicem & cõmunem, non quidem propter simplicitatem scribẽtium, sed propter utilitatem legentium, ut ab omni simplici & idiota conue nienter intelligi posset. Modum non habet assenta torium, neq; turpia uel desueta nomina, sed com munia & honestissima. Fabulam autem omnino nullam cõtinet euangeliũ: & si quasdam aliquan do parabolas apponit, ex ipsa uerbi consequẽtia manifeste ostenditur, quod parabolice loquitur. Conuenit autem in sententijs, nõ solum cum alijs sacris scripturis, sicut dictum est, sed etiam cum philosophis, qui de uirtutibus & de extremo ho minum fine demonstratiue uel rationabiliter trac tauerunt. Addit etiam quædam excelsissima, ad quæ naturalis humana ratio non potest perueni

Mat. 16

Saraceni Saluari

Laus euangelij Christi.

Stili simplicitas

Parabolæ



re. Et nequaquam aliquid dicit, cui quis demonstratiue possit instare, quia cum demõstratio con tineat uerum, nihil potest esse ei contrarium nisi falsum. Speculãtibus autem diligenter, nulla con tradictio in euangelijs continetur. Quare non so lum unum Euangelium cum seipso conuenit, sed etiam quatuor inter se, in omnibus necessarijs cir ca fidem, simpliciter conueniunt: id est, de incar natione, doctrina, passione, resurrectione, ascen sione Christi, & spiritussancti missione: & si qua tuor euangelia in diuersis locis & diuersis lin guis, necnõ à diuersis auctoribus à principio con scripta sunt, ut antè dictum est. Quidã tamẽ sim pliciores existimauerũt, in euãgelio esse cõtrarie tatẽ, propterea qd' illud qd' in alio euãgelio cõti netur, in alio euãgelio nõ cõtinetur. Hoc aũt non est cõtradictio, sed potius dispensatio dei, quasi in spirante spiritusancto, ut quod ab uno Euãgelista prætermissum est, alter dicat: quod autem ab uno Euangelista scriptum est, nullus aliorum trium negauit, uel contrarium aliquid dixit. Sed hi qua tuor non omnia opera, uel uerba Christi conscri pserunt, sed solum quæ ad salutem sunt magis ne cessaria. Quomodo autem doctrina Christiana perfecte miraculis sit confirmata, in septimo ca pitulo manifeste antè demonstratum est: quare non oportet amplius in eisdem uersari. Nulla au tem est in mundo doctrina, uel lex, quæ sic ratio nabilis existat & perfecta sicut Euangelica, quæ omnes passiones radicitus auellit. Non solum in ordinatam actionem & exterius uerbum prohi bet, sed & inordinatum animi motum, uel intrin secum affectum, sicut concupiscentiam, iram in ordinatam, & similia, ex quibus omnia mala ex tertora sequuntur. Plantauitq;, & conseruauit omnia bona in mandato perfectissimæ dilectio nis, Dei uidelicet & proximi. Habita enim amici tia & charitate perfecta, quæ propria bona cum alijs communicare cogit, non est necessa rium iustitiam quærere, quæ nos inducit ad re stituendum aliena. Item continet Euangelium na turalissimum & proprijssimum mandatum, Quæcunque uultis ut faciant uobis homines, & uos facite similiter eis. Quo solo habito, non est necessarium aliud præceptum, respectu proxi mi. Non solum etiam ueritatem continet Euan gelium, sed, sicut credunt Christiani Doctores, si unum solum mendacium in Euangelio inue niretur, totum Euangelium meritò suspectum haberetur, sicut supertus determinatum est in no no Capitulo. Violentiam autem nullam permit tit Euangelium, quinimmo & ipsam uiolentiam & iniuriam patienter oportere ferre ait, dicens: Si quis te alapis percusserit ad dexteram genam, uerte et alterã: et si quis à te capiat palliũ, ne pro hibeas

Nulla contradictio in euangelijs

Christi opera & dicta non omnia in euangelijs scripta

Euãgelicæ legis perfectio

Mendacij & uiolentiæ expers euãgeliũ

Mat. 5

hibeas eum, sed da etiam tunicam. Docet etiam
Lucæ 6. pro illata iniuria & odio, beneficium et dilectio
nem reddere dicens: Diligite inimicos uestros,
Benefacite odio habentibus uos, & orate pro
malignantib. & his qui uos persequuntur. Non
tamen hoc aduersatur, si quidam Christianorum
Matth. 5. iniqui non seruant hæc omnia. Non enim ini-
quorum peruersio prohibet sanctißimæ legis per
fectionem & ueritatem. Bene ordinatißima au-
tem est euangelij doctrina, sicut antè demonstra-
tũ est decimo in capitulo, et tẽporis ordine, et lo
ci, et doctrinæ, et materiæ. Incipit enim ab incar
natione Christi, determinans quæ ad natiuitatem
huius sunt conuenientia. Et post natiuitatem con
uenienti tempore ostendit doctrinam & sapien-
tiam eius. Et post hæc, & potentiam et miracula
Euangelicæ doctrinæ ordo. & deinceps paßionem & mortem, ultimo au-
tem resurrectionem, & in cœlos ascensionem.
Sanè nullũ malũ potest inueniri in doctrina tan-
tæ perfectionis, etsi instabiles & indocti dicant,
blaßphemias quasdam in euangelio contineri, si-
cut de incarnatiõe Christi et paßione, item de tri
nitatis mysterio: de quib. ut antè dictum est, scri-
ptum est in Alcorano, quod ipsi reprobant quæ
non intelligunt. Certißima uero est lex Euan-
gelica, quia certißimè scitur quo tempore, quo
loco, à quibus hominibus conscripta est Euan-
Certitudo Euangelij, & facilitas. gelica doctrina. Certißimum etiam est, quod
conuenientißime & facillime intelligibilis est,
quia credenda preponũtur per reuelationẽ dei,
& non inuestiganda per rationẽ, ut simpliciores
ad eam facile accedere poßint. Item oportet scire
quod nihil est in euangelio, quod non poßibile sit
à nobis intelligi, qui fidei lumine sumus adiuti.
Et licet in se certißima, tamẽ non ab omnib. intel
ligitur, sed ab humilibus solum, & humilib. cor-
de. Superbi autẽ & carnales non possunt hanc in
telligere: quorum intellectus sic se habet ad eam,
sicut uespertilionis oculus ad solem. Sacri autem
Christianæ fidei doctores, non tanquam uesper-
tiliones in nocte uolant, sed attentis oculis tan-
quam aquilæ, ueritatis radios in seipsis contem-
plantur: alijs autem ignorantibus & rationem
quærentibus, propriæ interpretantur fidei &
ueritatis mysteria. Et non dicunt eis, sic in Al-
corano in capitulo Ionæ, & in capitulo Elcaphe
rim, quod conueniens est Saracenos dicere alijs
nationib. quæ non credunt, & contradicunt Al
corano: Mihi mea fides, & uobis uestra. Sed sunt
Sapientis proprium. parati ad responsionem cuicunquam poscenti ra
tionem de fide, & spe, quæ in eis est. Hoc autem
est propriũ sapiẽtis rationẽ et causam sui operis
reddere. Aliter enim quilibet fatuus posset legem
condere, et concludere quicquid uellet, & dicere
nihil oportet contrarium credere his quæ ab eo
posita sunt.



DE SARACENORVM RE-
sponsione ad prædicta. Cap. XVII.

AD hæc autem conantur respondere quidam
superstitiosi & contentiosi Saraceni, di-
centes: Non dicimus quod euangelium non sit
à DEO, cum Alcoranum hoc manifeste te-
stetur, neq; dicimus imperfectum esse, cum à deo
sit, sed tam ardua & perfecta continet Euange-
lium, ut non sufficiat mundus ea perficere. Quis
Euãgelij præceptorũ perfectio. enim deum ex toto corde, et proximũ sicut seip-
sum potest diligere? Quis potest pro persequenti
bus et calumniantibus orare? Quis ex toto corde
benefacere malefacientibus? Et alia quædã perfe
ctißima mandat euangeliũ. Quoniam igitur non
erat lex quæ potuisset seruari, prouidit mundo
deus per legem salutis, et leuia fecit mandata, &
dedit mundo Alcoranum, quod minime continet
difficilia hæc, sed facile est ad saluandum homi-
nes per ipsum. Vnde dicũt, Alcoranum magis es-
se commune, & ualde sufficere ad salutem mũdo.
Et propter hoc uocant Alcoranũ antonomice, le
Obiectionis Sarracenorũ confutatio. gem salutis. Dicunt igitur quod Alcoranũ suc-
cessit quasi loco euangelij, & quicquid boni erat
in euangelio, totũ est in Alcorano, & quod iam
non est opus euangelio. Sed hoc manifestũ conti-
net mendacium. Nõ enim poßibile est dicere, ad
tempus datũ esse euangeliũ, utputa usq; ad Alco
ranũ, & post hæc Alcoranum ei succeßisse ad sa-
lutem hominũ. cum Alcoranũ manifeste testetur,
quod in euangelio est deductio & salus. Præte-
rea nõ potest dici, quod postquã dedit euangeliũ,
aduertit quod mundus nõ poterit ipsum seruare,
& correxit stilũ, et tẽperauit præceptũ, ut deus
facta nostra putet ab euentu. Sciebat enim deus à
principio, & quod euangeliũ continet, et quid ho
mines ferre possunt. Præterea et ipsum Alcora-
nũ dicit, quod nihil sunt Saraceni, niſi adimpleant
euangeliũ, & legẽ Moysi, ut superius dictum est.
Christiani autẽ solũ Euangelium adimplere de-
bent. Itẽ quomodo posset euangeliũ perfectũ dici
si non posset secundũ uires ab hominib. seruari?
Itẽ, si perfectũ est euangeliũ, & salutẽ necessaria
cõtinet: quid obstat, si quædã alta cõsilia cõtinet,
quæ magnæ perfectiõis existãt? hæc tamẽ nõ dicit
necessaria esse ad salutẽ. Itẽ, quantũ quæq; lex ma
gis remißibilis est, tantũ est per se minus merce-
Dæmones saluari posse, Alcorani testamonio de digna. Si igitur Alcoranũ est remißibilius quã
euangeliũ, nõ ergo similiter est ad salutẽ efficax.
Nõ enim dedit deus legẽ minoris efficaciæ, & ad
salutem laboriosiorem. Et constat in Alcorano,
quod & per ipsum Alcoranum dæmones saluari
possunt, ut superius manifestum fuit in 7. Cap.
qui non possunt saluari per euangelium. Est igi-
tur Alcoranum magis salutare quàm Euange-
lium, ergo, et laboriosius et difficilius. Item, si Al
coranũ facilior lex est, et periculosior, maiore re

prehenſione dignum erit eam non obſeruari. Sed Saraceni eam nõ ſeruant: periculoſius igitur peccant. Quod autem eam non ſeruant, nec complent, manifeſtum eſt. Bibunt enim uinum, et inebriantur, comedũtq; illicita apud eos: non ſeruant ieiunium, neq; orationem, neq; expendunt iuxta eorum facultatem, et alia multa quæ melius ſcit qui in conuerſatione inter eos experientiam horum capit. Siue facilem hanc dicunt, ſiue difficilem, periculum non euadunt. Sed in ueritate, Mahometus conatus eſt quidem facilem legem dare, non tamen permiſſum eſt ſic calamũ tẽperare, quin difficilia multa interſeruerit. Cõtinet enim lex illa difficultatem multam ad eam intelligendam. Dicitur enim in Alcorano, quod à ſolo deo intelligitur. Hoc autem quomodo ſit irrationabile, manifeſtum fuit in octauo capitulo. Item cõtinet etiam difficultatem ad credendum. Dicit enim, uirginem Mariam peperiſſe Ieſum, et deum

Saracenos nõ ſeruare Alcorani legem.

Alcoranum difficile.



habere uerbum et ſpiritum ſanctũ, quæ neceſſaria ſunt ad noſtram fidem, & tamen miraculis confirmata. Item difficilis eſt propter opera adimplenda, ſicut circuncidi, & non bibere uinum, et cauere ebrietatem per ciceram, & alia quæ ſunt de ieiunio et oratione, et de collatione cuilibet ſecundum facultatem ſibi datam à deo, & multa alia, quæ pauci Saracenorum ſeruant. Sicut igitur fuit mundo neceſſarium, quod alleuiarentur præcepta euangelij, & daretur Alcoranum leuius: ita poſſet dici ab aliquo, quod eſſet neceſſarium ut daretur alia lex leuior. quæ poſſet ab hominibus obſeruari, et tam euangelium quàm Alchoranum delerentur. Vel ſi pauci ſaluarentur, eſſet culpa Dei, qui talem legem dedit quam homines ſeruare non poſſent. Quod ſi hoc eſt inconueniens, ſtandum eſt in primo, ſcilicet quod euangeliũ ſit lex à deo, ſanctiſſima pariter et obſeruabilis mundo, & quæ uires hominum non excedit.

# CHRISTIANAE FIDEI CONFESSIO
## FACTA SARACENIS, INCERTO AVTORE.

Siue Richardus Florentinus, quod ſtylus & aliæ quædam circumſtantiæ ſubindicãt, ſiue alius hanc fidei Chriſtianæ exomologeſin fecit: pia certe eſt, & ſpiritum apoſtolicum redolet. Exhibet autem formam profitendi catholicam & orthodoxam Chriſti religionem citra petulantiam & maledicta: rurſumq; ſine omni fuco figuratæ potius abnegationis, quàm confeſsionis. Quod ſi ardentibus uotis à patre meſsis impetraremus aliquot eiuſmodi operarios, qui peritia diuinarum ſcripturarum inſtructi, & amore diuino inflammati adirent nationes alienas à Chriſto, ut ille uir eximius Aegyptum adiit, didicitque linguam Arabicam, & doctrinam iſtius ſectæ propius inſpexit, moxinde Chriſtianam fidem expoſuit, & eorum dogmata refellit, ſeruata Chriſtiana moderatione, uideremus breui fructus copioſos in horrea domini Dei noſtri colligi.

NOs tales, &c. Chriſtianæ fidei profeſsores, à longinquis partib. uenientes, exiſtentesq; gratia Dei ſanæ mẽtis: Hodie in nomine ſanctiſsimæ trinitatis, patris et filij, et ſpirituſſanĉti, unius ſummi et omnipotentis dei, creatoris et gubernatoris uniuerſorũ, pura et ſyncera intentione, & nulla humana paſsione moti, coram tua et tuorũ terrena et trãſitoria poteſtate nos humiliter præſentamus, ad duo firmiter et conſtanter faciendũ. Primò quidem ad profitendũ nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiusq; ſynceræ et immaculatæ fidei, atq; ſancti euãgelij ueritatẽ. Secundò ad annunciandũ uobis uiã, extra quam ſalui eſſe non poteſtis. Ad primũ cogit nos diuinus honor atq; amor. Etenim in lege diuina ſcriptũ eſt: Diliges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex mente tua. Quæ quidẽ dilectio ad diuinũ pertinet honorẽ et amorẽ, qui quidẽ honor et amor in libera tandẽ, ſpontanea et uoluntaria coram hominib. confeſsione oſtenditur, et declarãtur. Vnde et Dominus Ieſus in euangelio ſuo ait: Omnis qui confitebitur me corã hominib. cõfitebor et ego eũ corã patre meo, qui eſt in cœlis: & qui erubuerit me, et meos ſermones, hũc filius hominis erubeſcet in maieſtate ſua, et patris, et ſanctorũ angelorũ. Ad ſecundũ incitat nos zelus et amor fraternus. Vnde et ſuperiori mãdato et dilectione dei immediate adiungitur præceptũ de dilectione proximi, cũ dicitur: Diliges Dominũ Deũ tuũ, etc. Subiungitur et ſtatim: Et proximũ tuũ ſicut te ipſum. Id eſt, ad eundẽ finẽ, ad eandẽ ſalutẽ et fœlicitatẽ, ad quã te ipſum diligis et dirigis, diligas et proximũ tuũ, et eandẽ ei procures ſalutẽ. Notum itaq; ſit uobis dilectiſsimi, nos eſſe homines à pluribus annis diuino cultui dedicatos, licet indignos et peccatores, plantatosq; in domo domini ad meditandũ in lege ipſius die ac nocte. In cuius diligẽti meditatiõe et perſcrutatione ueriſsime didicimus, q. fides eccleſiæ catholicæ chriſtianorũ, cuius nos ſumus profeſsores, eſt ueriſsima, nullã in ſe cõtinens falſitatẽ aut mendaciũ.

Duo aguntur in hac oratione.

Et

Excellentia et certitudo fidei Christianæ.

Et Euangelium Christi est lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iusticiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos, utpote ab ipso Deo patre per uerbum suum, per sapientiam suam, per ipsum unigenitum suum filium, per quem uniuersam ex nihilo produxit creaturã, dictata à patriarchis multis, præsignata à prophetis, prædicta uarijs ænigmatibus & figuris, multis antea sæculis apud utrumque populum Dei, scilicet qui Iudæorum dicebatur, & gentilem, præfigurata. Et tandem per ipsam diuinam sapientiam humanatam mundo tradita, & manifestata, mirabilibus signis & portentis confirmata, ab apostolis prædicata: ipsius legis latoris Iesu Christi, ipsorumq; suorum Apostolorum, innumerabilium subsequentium martyrum sanguine consecrata: sanctorum Christi confessorum & doctorum uerbis & exemplis multipliciter & mirabiliter declarata: sanctarum uiduarum & uirginum diuina potius quàm humana continentia & puritate uirgin ali decorata: ipsorum pœnitentia mirabili purgatione super niuem dealbata. In qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, uoluptates carnis cohibentur: omnia quæ in mundo sunt, contemnĩ docentur: & inuisibilia, immaterialia, spiritualia, & æterna, non qualia caro et sanguis persuadent, promittuntur. Sed ut cum Alchorano concludamus, in qua est directio & lux & ueritas manifesta. Quantum igitur ad primum, tota mentis nostræ deuotione toto cordis nostri desiderio & feruore prædicamus, & confitemur nomen domini nostri IESV Christi, quod est super omne nomen: ita ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: et omnes lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria Dei patris. Ipsam etiam quæ de ipso est fidẽ, unusquisq; nostrum sic cum

Symbolum.

ecclesia catholica summa cum deuotione profitetur: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Iesum Christum filiũ eius unicum dominum nostrum: qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine: passus sub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum: carnis resurrectionem ad uitam æternam, amen. Credimus etiam, quicquid cum his credit sancta mater Ecclesia: siue ad ministerium fidei, siue ad diuina præcepta, siue ad sacramenta quibus regenerantur ad uitam, siue ad Euangelicam quocunque modo pertineat legẽ. Quantum ad secundum annunciamus, prædicamus, & firmiter profitemur quod Dominus noster Iesus Christus uere filius Dei, uerus deus et uerus homo, est uia per quam itur ad salutem ueram, & in cœlum ascenditur, ipso in euangelio dicente: Ego sum uia, ueritas, & uita. Via uidelicet, qua dirigimur ne erremus: ueritas, qua illuminamur, ne decipiamur: uita qua uiuificamur, ne deficiamus à termino. Vnde quicunque non est in hac uia, errat: quicunque hanc non aspicit ueritatem, in tenebris est: qui hac nõ uiuificatur uita, mortuus est. Vnde et magnus quidam Euangelicæ legis eximius prædicator clamat, loquens, de nomine Iesu: Non est aliud nomen datũ sub cœlo, in quo oportet nos saluos fieri. Hæc est igitur uia, à qua si quis declinat ad dexteram uel ad sinistram, errat, nec pertinget ad terminum salutis, & fœlicitatis æternæ. Hæc est uia, quam lex nostra euangelica ostendit, & demonstrat. Et ut aliquid summarie et salubriter proferamus: Hæc lex nostra euangelica ostendit prædictã uiã in tribus. Primò, qualiter hãc uiã ui deamus et cognoscamus, et hoc per fidẽ. Secũdò, qualiter in illa uia ponamur et statuamur, et hoc per sacramẽta. Tertiò, qualiter iam in ipsa positi dirigamur ne ipsam deseramus, et terminũ salutis & fœlicitatis attingamus, et hoc per præcepta et uirtutes. Quicunq; igitur uult saluus esse, ante omnia opus est ei ut teneat catholicam fidẽ, scilicet ecclesiæ catholicæ Christianorum, prout ipsi ecclesiæ per euangeliũ traditur ad hoc ut illuminetur, et uideat, atq; cognoscat hanc uiam extra quam non est salus. Deinde ut sacramenta ecclesiæ reuerẽter suscipiat, ut ponatur in uia per quã necesse est ad salutem ambulare. Tandẽ ut possit terminum salutis et fœlicitatis secure attingere, opus est ut obseruet euangelica præcepta et diuina: et secundũ uirtutes theologicas pariter et morales suam uitam ordinet, & operetur. Oportet ergo, dilectissimi, pro uestra salute tã de deo quã de supradicta uia, quæ Christus est, et plus sentire, quàm in uestro Alcorano habeatis. in quo licet tam de Deo quàm de ipso domino nostro Iesu Christo multa uera et præclara quæ et nos confitemur, habeatis: tamen quia nõ eadẽ, ut ipsa ueritas in euãgelio manifestauit, nec sufficienter: ideo ipsa lex Alcorani nõ sufficit ad salutẽ. Tradit enim ipse Alcoranus de deo, quod unus sit, et incorporeus, immaterialis, inuisibilis, incomprehensibilis cui nec particeps nec socius est, in eius manu uita et mors: ipse super omnia potẽs, super omnia benedictus: ipse creator, gubernator & iustificator animarũ, et multa alia quæ certe et nos credimus et prædicamus. Sed in hoc quod negat deũ patrem



Pet. Actorũ 4

Euangelĩ tripliciter uiam Christum mõstat.

Ecclesiæ fides

Alcoran quatenus audiendus.

trem, non carnaliter ex fœmina cum ſpiritus ſit, ſed ex ſubſtantia ſua intellectualiter ab æterno co æternum ſibi genuiſſe filium, & produxiſſe ſpiritum ſanctum, miſerabiliter errat, & deficit à ueritate Euangelij: quod firmiter docet, unum eſſe Deum in ſubſtantia & natura, & trinum in perſonis, ſcilicet patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Nec filium aut ſpiritum ſanctum eſſe participem, aut ſocium Deo, cum utrumque non participatione aut ſocietate, ſed ſubſtantialiter et naturaliter ſit Deus, eandem cum Deo patre indiuiſam & impartitam habentes deitatis naturam. Quam incomprehenſibilem deitatis altitudinem nemo cognoſcet, niſi primò per humilitatem Euangelio crediderit. Vnde & quidam antiquorum prophetarum ait, Niſi crediderit is, non
Eſaias. intelligitis. Et dominus noſter ipſe in Euangelio loquens ad patrem ait: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Multa inſuper uera, præclara & magnifica tradit de ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto Alchoranus: ut pote, quod dominus noſter Ieſu Chriſtus eſt filius Mariæ uirginis, omnium mulierum optimæ: quod ſit dei nuncius, ſuusque ſpiritus, uerbũ cœlitus miſſum Mariæ: uir optimus, ſapiens. propheta, qui cæcum natum neque leproſum curauit, mortuos ſuſcitauit, quod cum uirtute diuina uenerit, quod librum legiferum attulerit, omnisque magiſterij peritiam, quod teſtamentum ac euangelium mandatúmque filijs Iſrael edocuerit, uetus Teſtamentum confirmauerit, & quædam prius prohibita licitis annumerauerit. Hæc utiq; & plura alia præclare dicta in Alchorano de domino noſtro Ieſu Chriſto & nos credimus, & cum omni ueneratione ſuſcipimus. Sed quia non eadem intentione qua in Euangelio dicuntur, & plurima, & maiora prædictis omittuntur, & negantur de ipſo: ideo liber Alchorani non ſolum
Quis ſit Chriſtus. non ſufficit ad ſalutem, ſed omnino eſt contra ſalutem. Prædicta igitur de Chriſto in Alchorano poſita, neceſſe eſt & aliter intelligere, & ultra ea alia maiora & altiora de Chriſto credere. Oportet enim credere, quod Chriſtus non ſolum eſt Mariæ uirginis, ſed etiam Dei unigenitus filius, conſubſtantialis & coæqualis per omnia Deo patri ab æterno, & ſine tempore ac initio, ut Dei uerbum, ut ſapientia, ut uirtus, genitus, per quem omnia facta. Qui propter nos homines, et propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine, & homo factus ſit. Quod etiam crucifixus, mortuus & ſepultus uere, & in propria perſona fuerit. Quod à mortuis tertia die reſurrexerit, aſcenderitq; in cœlum propria uirtute, ut



deus, unde uenerat, nõ ut creatura tractus, ut Alchoranus ueſter fingit. Sedeatq; nunc ad dexteram patris. Quod tandem in fine ſæculi uenturus ſit cum gloria, iudicare uiuos & morturos: cuius regni non erit finis. Oportet igitur credere, quod Chriſtus ſit uerus Deus & uerus homo, ſaluator & redemptor mundi, ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, agnúsque immaculatus, qui tollit pecca mundi: habens claues regni cœlorum, & omnem in cœlo & in terra poteſtatem. Cuius poteſtas æterna eſt, & regnum eius incorruptibile. Quod regnet in æternum, et regni eius non erit finis. Quod Chriſtus ſit ille, in quo benedicendæ erant omnes gentes, de quo promiſsio facta eſt Abrahæ in Iſaac filio liberæ, & non in Iſmahele filio ancillæ, teſte ſcriptura: Eijce ancillam et filium eius, quia in Iſaac erit tibi ſemen. Quod ipſe ſit ille Meßias, et propheta magnus de quo Moyſes & prophetæ ſcripſerunt in lege. Quem Abraham ſummo deſiderio expectauit, ut uideret: & tandem uidit, & gauiſus eſt. Qui à prophetis nominatur angelus teſtamenti, Emanuel, Salutare, Conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Hæc & multa alia tradit Euangelium de uia ſalutis, quæ Chriſtus eſt, ut eam uideamus, & cognoſcamus per fidem. Verum quia modicum proficit cognoſcere & uidere uiam ſalutis, niſi in ea homo ſit, & ponatur in ea: ideo ultra fidem, neceſſaria ſunt Euangelica ſacramenta. Inter quæ primum, & ianua aliorum eſt ſanctum baptiſma: de quo ait Do Sacramenta.
minus in Euangelio Ioannis ad Nicodemum: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et poſt reſurrectionem ſuam aſcen- Baptiſmus.
dens in cœlũ, tradens huius ſacramenti formam, inquit diſcipulis: Euntes igitur, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, et filij, et ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et iterum: Euntes in mundum uniuerſum, prædicate euangeliũ omni creaturæ: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, ſaluus erit. Eſt igitur hoc ſacramentũ, quo regeneramur ad uitam, neceſſariũ ad ſalutẽ: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua, et ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quum igitur Alcoranus prohibeat omnino hanc baptizati regenerationem, non aperit, ſed potius claudit regnum Dei, his qui eum ſequuntur. Neceſſe eſt ergo, ut qui uult ſaluus eſſe, & introire in regnum Dei, quod ultra fidem rectam & orthodoxam in nomine ſanctiſſimæ trinitatis, ſcilicet patris, & fi- Euchariſtia.
lij, & ſpiritus ſancti baptizetur: deinde cibetur cibo cœleſti, ſcilicet corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu CHRISTI, ipſo dicente in

Euan-

Euangelio: Qui non manducat meam carnem & non bibit meum sanguinem, non habet uitam æternam. alijsque iuxta exigentiam imbuatur ecclesiasticis sacramentis. Vlterius, quia frustra est, quoad salutem, fieri et esse Christianũ nomine, & operibus stare in uia, & non dirigere suos gressus in terminum: ideo ut perfectissima lex secundum Euangelium, non solum ostendit nobis uiam per fidem, ponitque non in eadem per sacramenta, sed etiam rectè & faciliter dirigit nos in terminum: rectè quidem, per præcepta & uirtutes: faciliter autem, per consilia. Nulla etenim est, aut unquam fuit lex, quæ tam radicitus extirparet uitia, tam profunde insereret uirtutes, tam ardue diuina exequeretur mandata, tam suauiter ad implendum perfectionis consilia demulceret, sicut est Euangelica lex, quæ omnem perfectionis uiam continet, & ostendit. Quæ enim lex unquam fuit, quæ tam pie, tam deuote, tam magnifice, et pure Deum colere docuerit: nomen ipsius honorare, sabbata et festiuitates sanctificare, parentes amare, proximos diligere, ad imaginem Dei homines factos non occidere: pudicitia seruata in omnibus, non solummodo non mœchari, sed nec fornicari, aut pollui quoquo modo: non furtum facere: non latrocinari, non aliàs opprimere proximum: non contra ipsum falsum testimonium dicere. & quod amplius est, non scandalizare ipsum, nec ei irasci: non concupiscere uxorem ipsius, non ancillam, non rem aliam quamcunque in sæculo. Et non solum hæc, sed etiam quod carnalibus hominibus uidetur impossibile: Diligere inimicos, benefacere odientibus, orare pro persequentibus, & calumniantibus nos. Et ut ad uirtutes ueniamus, ipsa humilitate et mansuetudine superbiam deijcit, benignitate inuidiã uincit, magnificentia & largitate auariciam superat, temperantia & sobrietate gulam mitigat, patientia iram extinguit, sollicitudine & diligentia acediam eneruat, castimonia uero & pudicitia non solum luxuriam & omnem impetum libidinis refrenat, uerum multos & plurimos ueluti ipsos cœlestes et incorporeos spiritus reddit impassibiles omnino. Quid plura? ipsa auertit uisum, ne uideat uanitatem: claudit auditum, ne inutilia & scurrilia audiat: prohibet gustum, ne illicita concupiscat: temperat odoratum, ne adinanes & mortiferas dilabatur suauitates: refrenat & retrahit tactum, ne prohibita quoquo modo tangat, aut amplectatur. Ipsa cogitationes immundas purgat, delectationes noxias fugat, consensum ad illicita omnino prohibet, linguam cohibet, sermones ordinat, mores componit, opera dirigit, omissa quæ agenda sunt restaurat, et ut uno sermone omnia complectamur, ipsa docet

Præcepta de officijs.

Virtutes.



Deum timere, & ipsum toto corde diligere, ipsi adhærere, & ab ipso nunquam in æternum separari: quod est summa fœlicitas, et immensa iocunditas, hic inchoata, utcunque possibile per speciem, quæ tandẽ in alia uita per rei euidentiã cõplebitur & perficitur ex integro. Quæ fœlicitas & iocunditas est finis et terminus uiæ, per quam lex euangelica suos sectores ducit, & dirigit, modo ut dictum est. Qui quidem finis & terminus, quod salutem & fœlicitatem dicimus, licet sicut incomprehensibilis, ita & inexplicabilis sit, dicente Esaia propheta, Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, bonum scilicet quod Deus præparauit diligentibus se: nihilominus ut nos mortales possumus, aliquid et breuiter dicemus de ipso, ut ex ipsa auiditate præmij, animi nostri non abhorreant arduitatem itineris. Etenim fœlicitas, quam lex Euangelica promittit Christianis, non consistit in possessione bonorum terrenorum, non in esu omnigenorum carnium & fructuum, non in potu uini, mellis & lactis, non in suauitate sonitus aquarum currentium, riuulorum scilicet & fontium: non in amplexu & luxu carnali, pulcherrimarum mulierum & uirginum: non in cæteris, ad quæ carnalis concupiscentia & mortalis sex instigat, cuiusmodi paradisum uobis uester promittit Alchoranus. Sed fœlicitas nostra Christianorum, quam uitam æternam dicimus, consistit substantialiter quidem & essentialiter per se, & absque quocunque creato medio in uisione ipsius diuinæ essentiæ & naturæ. Vnde Dominus noster in Euangelo ait: Hæc est uita æterna, ut cognoscat te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et quia tale uisum erit in uidente per amorem, qui transformat amantem in amatum, ad ipsam uisionem sequitur transformatio quædam & tensio, qua amans deiformis efficietur, & tenebit amatum: immò & unum erit in reliquo, dicẽte domino, Qui manet in me, et ego in eo. quia deus charitas est: et qui manet in charitate, in deo manet, et deus in eo: quia ad unionẽ summæ cõuenientis, sequitur dilectio summa. Ad illã diuinã et æternã uisionẽ, sequitur inenarrabilis dulcedo et suauitas, quã proprio nomine fruitionẽ dicimus. Et talis, qualẽ nec mens cogitare, nec lingua ualet exprimere mortalium. Quam admirans Dauid Propheta in spiritu clamabat, dicens: O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abscondisti timentibus te? Præter prædictam diuinæ uisionis beatitudinem, qua anima nostra ex integro fœlicitabitur. Habebimus & in corpore fœlicitatem suo modo. Etenim corpora beatum erunt immortalia, incorruptibilia, et omnino impassibilia, subtilia denique

Summa fœlicitas.

Finis, summũ que bonum, aut terminus.

In quo uita æterna, seu fœlicitas.

& agibilia, & plusquàm sol modò sit, splendida & refulgentia. Non comedent, neque bibent ibi corporaliter, diuinæ uisionis ineffabili satietate repleti. Similiter neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. dicente Domino nostro Iesu Christo in Euangelio: In resurrectione enim neq; nubent, neque enim ultra mori poterunt: sed sunt sicut angeli Dei in cœlo, & filij sunt Dei. Et iterum: Tunc fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorum. Et sicut de societate, ita & de conditione ipsorum, quo ad huiusmodi actus corporeos gaudebunt. Quia nullum erit ibi cibi desiderium, nulla ibi exardescet libido, nullæ reliquæ passiones, quales modo patimur corporis. Non lachrymæ, non luctus, non clamor, non denique ullus dolor, non ægritudines, non imbecillitates, non paupertatis metus. Nemo ibi lædetur, nemo irascetur, nemo inuidebit proximo. Nulla pulsabit honoris, aut potestatis ambitio. Nulla erit tunc discordia, sed cuncta consona. Nullus erit ibi diaboli metus: insidiæ dæmonum nullæ: timor gehennæ procul: tranquilla erunt omnia, & cum æterna securitate iugis splendor. Vere degenerat, qui huius uitæ amore non capitur, in qua diuitiæ & deliciæ & gaudia sic inchoantur, ut finiri non possint. Cuius qui amator esse noluerit, & præsentem, & perdet uitam temporalem, & hac æternam de qua loquitur non inueniet. atq; à morte æterna capietur. Huius æternæ uitæ, & æternæ fœlicitatis, olim magnus Paulus noster, Iesu Christi desiderio tractus, de exilio uitæ præsentis conquerens, sic clamabat: O infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Viuo ego iam, non ego, uiuit autem in me Christus. Cupio dissolui, et esse cum Christo. Abscondita enim est mortalibus illa uita: quia quàm diu sumus in mundo, peregrinamur à Domino. Sed tunc reuelabitur, et manifestabitur, cum Dominus Iesus cœperit pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, et adducere secum sanctos in uisione paternæ gloriæ, & facere secum in cœlestibus considere, suique immortalitatem largiri, ad quam sui sanguinis uiuificatione eos reparauit. O quàm gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei. O quàm dilecta tabernacula Domine uirtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Dicebat propheta, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Talis profecto est fœlicitas Christianorũ: talis spes nostra: talis sancti Euangelij finis & terminus. Non qualem caro & sanguis promittit nobis, sed qualem habent cœlestes et angelici spiritus. Pro quo obtinendo, non mirum si priores nostri patres igne charitatis accensi, uaria & innumera pertulere alacriter & gaudenter tormenta: si parentibus, si uxoribus, si liberis, si denique diuitijs, delectationibus carnis, cæterisq; huius sæculi bonis sponte renunciabant, ut ad hanc & uelocius & securius atq; liberius pertingerent. Et quia charitas Christi (quæ quantum in ea est, uult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem ueritatis peruenire) coegit nos, ut dimißis omnibus uitæ præsentis commodis, à longinquis partibus, & cum magnis laboribus usq; ad uos ueniremus, profiteremúrque, et annunciaremus quæ professi sumus, & annunciauimus. Ideò rogamus uos, & obsecramus in eo, qui nos omnes ad sui imaginem, rationales & intellectuales creauit, ut patienter his in scriptis suscipiatis, quæ annunciauimus: & ut rationales, ad imaginem & similitudinem dei creati, scripta nostra cum ratione discutiatis. Et si quid rationi consonum reperietis, illud ut rationales suscipite. Si quid uero aliter uobis uideatur esse nunciatum, ecce paratos nos offerimus, etiam quousque reddamus spiritum ad Deũ, qui fecit illum, in illius auxilio & uirtute, qui dixit, Dum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Ad ostendendum, quod omnia quæ scripsimus, sancto euangelio & rationi sunt consona. Si autem nec prædicta cum ratione discutere, nec nos ulterius audire, ordine & circumstantijs seruatis debitis, uolueritis: excusamus nos coram Deo & omnibus angelis & sanctis suis, & inuocamus in testes cœlum & terram, & omnem creaturam, quod iuxta posse circa salutem uestram fecimus, quod facere potuimus: ponentes animas nostras pro uestra salute, & charitate. iuxta Euangelium, quod dicit: Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. & pro laude Domini nostri Iesu CHRISTI, qui est DEVS benedictus in sæcula. Amen.



FINIS.

# IOANNIS CANTACVZENI CONSTANTINOPOLITANI REGIS, CONTRA SECTAM Mahometicam, Christiana et orthodoxa assertio, Græcè ante annos fermè ducentos conscripta, ac nuper Latinitate donata, per Rodolphũ Gualtherũ Tigurinũ.

## ARGVMENTVM.

ACHAEMEMIDES quidam uirilem ætatem iam ingressus, homo non ignobilis, & fortunæ splendidæ, docendi munus administrabat. Nam & ipse quum patriæ legis, & omnium quæ ad hanc pertinent, æmulus esset, Mahometem & legem illius magnæ omnino æstimationis esse persuadere uidebatur. Hic ueræ pietatis iubare excepto, quum patriam superstitionem condemnauisset, Deum uerum agnouit. Ob hoc uero omnibus bonis suis spoliatus, ad pijssimum Romanorũ regem, qui tunc Ioannes Cantacuzenus erat, confugit: quo etiam amice usus est. Cum uero Deus regem ad uitam philosophiæ Christianæ studiosiorem uocaret, ipse etiam inter regis comites assumptus, una cum eo uitæ Monasticæ inauguratus, mutato nomine Meletius dicitur. Familiari regis colloquio tum non parum adiutus est, cum hic nimirum illius informaret animũ, & in religione Christiana institueret. Cæterum hæc humani generis hostem æquo animo ferre, non erat facile. Persam itaq; quendam armat contra Meletium, cui persuadet ut literis dolosis & uersutis illum aggrediatur, & impellat ut ueritatem mendacio permutans, ad pristinam religionem reddeat. Meletius autem quamuis cupidissimus esset huiusmodi semetipsum scriptis opponere, dicendi tamen facultate destitutus, ad regem confugit, cui literas offert, & auxilium in imminenti concertatione ab illo postulat. Rex itaq; cum uiri institutũ approbauisset, certamen suscipiens, Meletio simul & ueritati linguam ceu mutuo dat. Oratio autem, cuius argumentum erat, epistolam cuius suprà meminimus reuincere, cõtra Saracenorum hæresim progreditur, defendens quidem Christianorũ dogmata, obiter uero singulas Saracenæ hæresis partes percurrens: tum quatuor sermonibus ostendit, hanc nec ueritati nec sibijpsi cõsentaneã, utpote quæ ipsa sibi multis in locis non satis conueniat. Quod autem Mosis simul, prophetarum & euangelij testimonijs Christianæ religionis mysterium demõstrat, nemini mirum uideatur, quum & ipsis Saracenis pro sacrosanctis habeantur, quæ à Mose, Prophetis, & Euangelij scriptoribus dicta sunt. Verumtamen eadem hæc contra Iudæos induci possunt, idq; non sine ratione. Saracenis enim non pauca sunt cum Iudæis communia. Eadem enim apud utrosq; monarchiæ politia, idem polygamiæ studium, eadem suillæ carnis abstinentia, idemq; circumcisionis signum. Eodem etiam iure apud utrosq; repudij libellum proprijs licet dare uxoribus: & aliquo uel horum uel illorum defuncto, coniugem illius frater ducere solet. Sed ut summatim dicam, non errauisse mihi quispiam uidebitur, si Mahometis legem confusam corruptumq; Iudaismum dixerit. Quapropter & D. Ioannes in Apocalypsi de lege & gente hac disserens, ubi quasi per ænigmata perstringit quæ utrisq; communia sunt, inquit: Dicunt se Iudæos esse, & non sunt. Adeò ut absurdi nihil fuerit, si communis & eadem cum illis concertatio sit, qui quàm plurima inter se communia obseruant. Apoc. 3.

## MVSVLMANVS SAMPSATES ISPHACHANES *Persa, Monacho Meletio.*

IN nomine Dei misericordis & cõmiserãtis. Frater dilecte, salutem & laudem & intercessionem à nobis fratribus tuis humillimis suscipito: at animi nostri beneuolentiam, qua in te affecti sumus, etiam sine scriptis deprehendes. Scire tamen te uelim, quod ego frater tuus humilis et exilis, opportuno in tempore regionem magni Amura (cuius iustitiam ut Deus augeat imprecor) delatus sum, quem & ipse nosti nimirum nihil perinde atq; laudes tuas respicere. Vitæ uero tuæ rationem & sententiam ab amicis & fratribus, quos hic habes, cognoui, qui tanto tui amore tenentur, ut nunquam nos uiderint, quin hoc à me contendant tuo nomine, ut Amuram, quo te restituat, precari uelim. Illos igitur sic affectos uidens, etiam ipse, licet mihi ignotus sis, cõdoleo, Deumq; ceu peccator oro, ut te à tenebris & perditione, in quam incidisti, conuertat. Quin etiam te obsecro, respice, plora, geme: Deus enim misericors est. Intelliges etiam te non solum hoc malo laborauisse, uerum & sancti & prophetæ alijq; uiri magni & insignes Deum fefellerunt, quibus tamen peccata ab illo remissa sunt, quemadmodum ipse ore suo sancto testatur, dicens, Paratus & promptus sum ut respiscentem suscipiam. Quin & propheta cum Deo in hæc uerba consentit: Si quis respuerit ab ijs quibus Deum fefellit, pro insonte & immuni à peccato habebitur. Quod si igitur & tu ceu homo lapsus es, noui nihil accidit, respisce tantum, & laua cor tuũ, ut Deus ille misericors te recipiat. Si enim non peccaret homo, quo nam argumento Deum misericordem esse & nobis cõdolere deprehenderes? Literæ certe, quas scripsisti, huc transmissæ, nequaquam eruditioni & honori tuo pristino respondebant. uerumtamen affectu impulsus hoc feciſti, & prophetam accusando illum,

ut nosti, calumniatus es. Nonne scripturã nosti, quæ à Deo per prophetam dicta est, Omnia propter te feci, & te propter me? Sed Deum oro, ne te mors apprehendat in perditionem. Dic tamen per Deum obtestor quid nam boni tibi uidere licuit apud Christianos? Imaginantur enim sibi specie falsa, quod Christum gloria extollant, cum in eundem sint iniurij, dicentes hunc & Deum esse, & Dei filium. Confuderunt uiam ueram, & hac neglecta ceciderunt in morbum incurabilem. Non tamen decet, ut Musulmanus orthodoxus eos deuoueat, sed ut potius oret pro illis, iuxta Dei & prophetæ sententiam. Rursus uero abs te interrogo, Quid quæso uidisti quod seductus es, & in illorum fidem consensisti? Dicunt se tres personas adorare. Patrem, Matrem & filium. Quis hoc unquam uidit? quis audiuit? qualis propheta hoc docuit, aut cui unquam sanctorum per uisionem reuelatum est, aut audiuimus, in plures partes diuisi sunt? dicuntq; alij quidem deos esse multos, alij uero pauciores, & de hoc quotidie disceptare solent, & contendere. An uel ex his eos nunquam condemnare potuisti? Væ horum impudentiæ, uæ horum stultitiæ. Deserto enim & relicto Deo conditore omnium, deos plures colunt, Christumq; cum sit sermo Dei falsò traducunt, quod dixerit se filium Dei esse. Nonne hunc Iudæi interrogauerunt dicentes, Tu ne es filius dei? & negauit, dixitq;, Vos dicitis. Verumtamen ab Adeth usq; in hoc tempus quid nam tibi scribam? quid redarguam? quid doceam? Quod scilicet unus sit Deus, creatorem cœli & terræ, quemadmodum ipse dixit, Ego sum Deus, & consortem Diuinitatis non habeo. Bene tamen hoc deprehendimus, non enim, quantum audio, rudis & indoctus es, nisi quod corporis tui te uicit cupiditas. Nosti nimirum, an mundus principio & substantia careat? & sufficiat hæc. Prudentem, uel unica seruabit oratio. Et hæc quidem per literas, illa autem absque literis nunciata sunt. Qua ratione fieri potest, ut Deus filium habeat sine muliere? Quod si Deus filium habuerit, dissidium sanè aliquod inter ipsos oriri poterit. Quomodo item possibile est, ut Deus homo fiat? Quo deniq; modo homo factus est. Insuper si Christus Deus erat, & Dei filius, cur non hominem nudo uerbo seruauit, sed quasi impotentia impeditus homo factus est, & mortuus est, ut hominem saluaret, iuxta Christianorum sententiam. Quod si Deus erat, quomodo passus est? Deus enim pati non potest. Cumq; Christiani Mosaicam legem transgrediantur, & propter hoc merito accusandi sint, ipsi tamen Musulmanos, qui potius laudem merebantur, incusant. Sed & ipsius Mahometi nomen & in ueteri testamento, & in euãgelio, etiam Christo hoc commendante, descriptum erat. Christiani uero illud eiecerunt, Imò non in his tantum, sed etiam ab æterno in dextra diuini throni parte inuenitur. Postremo Musulmanorum fidem ab ipso Abrahamo originem traxisse, certis argumentis deprehenditur.

Locus obscurus, librariorum, ut uidetur, incuria deprauatus. Videtur autem pro ἀδὼ

Adeth intelligendus, Ismaelitarum propheta, uel Huth, qui primus Ismaelitarum literas didicit.

## QVOD CHRISTVS FILIVS DEI SIT ET DEVS VERVS ET PERFECTVS, QVODQVE *Deus existens homo factus sit, iuxta Theologorum & Prophetarum testimonia.*

### APOLOGIA PRIMA.

195



*Magnus est Deus Christianorum. Meletius Monachus humilis & exilis prudentißimo & sapientißimo Sampsati Isphachani. Cum literas tuas, quas ad me misisti, accepissem, intellexi quàm multis mecũ colloqui cupias, si mutua conuersatione frui liceret. Temporis uero opportunitate hoc nõ admittente, necesse fuit scriptis hoc, quod cupiebas, exequi. Verum & ipse iam antè rescripsi, & de omnibus, quibus accusas nos, pro uirili defendi, & Apologiam abs te scriptam expectaui hactenus: sed frustra. Non multo autem transacto tempore, mea, quam tibi scripserã, Apologia ad me reuersa est sine omni indicio & responsione. Miratus sum hoc uehementer, multa & diuersa de hac re mecum considerans. Quidam uero à uobis huc peruenientes retulerunt mihi, quod cupias responsionem hanc uel apologiam huc non re-*

196

*missam esse. pœnituisse enim te facti. Præterea & hoc addiderunt, quod dicas, Quomodo poßibile est deo esse filium sine muliere? Si enim filium habet, an dißidium & factio inter ipsos est. Quomodo etiam poßibile est, ex Deo hominem fieri? item, Qua ratione cum Deus fuerit, homo factus est? Præterea, quòd si Christus Deus erat & dei filius, cur non hominem uel nudo aut solo uerbo seruauit, sed quasi impotentia impeditus, homo factus est, mortemq; subijt ut hominem saluaret? Insuper, si Deus erat, quomodo passus est? Deus enim non patitur. Denique quod nos qui Christum profitemur, transgrediamur, & soluamus legem Mosaicam, incusemus uero & damnemus uos, ut qui impiè & falso eandem obseruetis. Fieri itaque, ut nos qui accusationem merueramus, uos ipsos qui laudem meruistis, condemnemus. Item, quod & Christus de Mahomet uaticinatus sit, ipsumq; commendauerit: quodq; nomen eius*

*& in*

& in ueteri Mosis lege & in Euangelio descriptum Christiani cũ multis alijs eiecerint. Sed & hoc hi ijdem addiderunt, quod cupias Apologiã nostram copiosiorem & puriorem haberi. His itaq; cognitis, institutum tuum cõprobaui. Quicunq; enim ueritatem inquisiuerit, eandem inuenit. Musulmani enim interdicere solent, ne quidã illorum cum Christianis disputent: nimirũ in hoc quantum uidere est, ne mutuis disceptationibus exercitati, puram ueritatem agnoscant. Christiani contrà cũ animi fiducia innitentes puræ suæ fidei, & rectis, probatis ueriśq;, quæ obseruant, dogmatis, nullos omnino suorũ impediunt, sed singuli illorum cõfidenter & libere cũ omnib. quibuscunq; libuerit, disputare solent. En igitur iuxta animi tui sententiã, defensionem meam quoad potero instituam, ea scilicet edisserens, de quibus ad nos scribens dubitauisti & interrogasti. Atqui hæc tua sunt, ô bone Sampsates, uerba. Ego uero quid dicere aut loqui uelim, & unde orationis sumere initium, non uideo: ueritus, ne tibi simile quiddam, quod his qui oculis laborant, contigerit. Hi enim cum uisus sint imbecillioris, solis radios lumenq; auersantur, & in tenebris potius desidere gaudent. Ita etiam tibi ueritatis et iustitiæ uerba audienti contingit. Veritatem enim auersaberis, odioq; habebis, multo potius cupiens in uanis, his quib. nunc immersus es, tenebris desidere, sicut & illi de quibus modò diximus. Quod tamen ne fiat, deprecor. Verumtamen innata illa tibi, quam Deus concessit, iudicandi cognitione, disciplinis quoq; & institutione honesta, qua institutus es, insuper honesta & integra, quam tibi multi tribuunt, conscientia (quæ omnia te in ueritatis uiã inducere possunt) freti, nũc laborẽ suscepimus. Nec enim multorum & uariorum hæc est cognitio. Nunc autem, ut ipse uides, ad te scribo. & quasi oblitus ingenij mei, tenuitatis & inscitiæ, rusticitatisq;, qua premor, rationem Apologiæ nostræ reddere institui, & ostendere ea tibi, de quibus dubitando interrogauisti, quorum cognitionẽ ipse auribus percepi, & animo edoctus sum, dei auxilio nimirũ oculis meis apertis, meque à uana, peruersa, à patribus tradita superstitione ad sinceram & inculpatam Christi fidem & ueritatis uiam cõuerso. Hortor itaq; ut attentus audias. Nihil enim ex me dicturus sum, neq; ex his quæ à uobis non recipiuntur: sed eorum utar librorũ testimonijs, quos omnes Musulmani pro ueris & sacrosanctis scripturis à Deo datis agnoscunt & fatentur. Fac igitur, ne tibi idem contingat, quod ijs qui thesauris in terram defossis insistentes, cui nam rei insistant, & quid nam ipsis proximum sit, nõ intelligunt. Hi enim ingentes diuitias tantum non manibus habentes, propter ignorantiam harum uacuis discedunt manibus. Vel ne his similis fias, qui dulcissimæ potatu & limpidissimæ assistentes scaturigini, sitibundi tamen discedunt. Quin potius laboriosos illos & sudantes imitare, qui in hoc sunt, ut defossum illum & absconditum thesaurum effodiant, & lucro ditentur. Tunc etenim, quæ impijs et indoctis ignota sunt, Dei oracula in præsentiarum tibi reuelata, ceu in manus tradentur. Attende igitur, ut scopo & proposito diligenter considerato, & diligenti simul inuestigatione hæc nostra legas, ut diuina scientia simul & ueritate impleas. Magna est enim Christianorum fides, & magnum mysterium est Christi filij Dei incarnationis negotium.



Quomodo, inquis, possibile est Deo esse filiũ sine muliere? Quomodo item Deus homo fieri potest? Quis deniq; sanctorum hanc docuit tantam impietatem, aut quis nam prophetarum hoc per uisionem cõspexit? Et hæc quidem tu dicis: quib. nos sic respondemus. Quod deus creator sit omniũ uisibiliũ, & inuisibiliũ, didicimus etiam nos, cognoscimus, credimus et fatemur quid uero deus sit, neq; edocti sumus, neq; intelligimus, imò ne in animũ quidẽ incidit huius impietatis inquisitio. Similiter Christum & filium & uerbũ dei esse, Deumq; ipsum, didicimus, cognoscimus, credimus et confitemur: qualis uerò illius sit generatio, nos scimus, nec edocti sumus, neq; etiam in æternũ hoc inquirere uolumus, ceu impium, & à Christiana fide & religione quàm maximè alienum. Quin æquanimiter sentimus & ab angelis & ab hominibus illud omnem naturam excedens mysterium ignorari. Atque eadem nobis de incarnatione illius est sententia. Quod enim homo factus sit, & edocti sumus, & cognoscimus et credimus. Quo modo autẽ homo factus sit, ignoramus. Sed quemadmodum ignoramus illius ex Deo & patre generationem, sic etiam eam qua ex matre sua sancta Maria uirgine natus est, nobis incompertam esse fatemur. Vos uero, qui quid Deo impossibile sit, intelligitis (dicitis enim, quomodo possibile est ut Deus habeat filium?) eadem certe ratione qua hoc dicitis, quid etiam Deo possibile sit, intelligetis. Vos igitur multarum rerum scientia præditi, docete nos indoctos & rudes, quæ nam Dei natura sit, & quæ nam sit illa possibilitas simul & impossibilitas, ut nos iuxta uestram sententiam in perditione uiuentes ab interitu eripiatis. Edissere igitur nobis, quid Deus sit & Dei natura: tunc & ego, quæ nam filij & uerbi Dei sit generatio, exponam. Et licet fortasse audaculi quidam & perfrictæ frontis homines de hac re dixerint, quicquid ipsis in mentem uenerit, fatebor tamen ipse nostram in hoc nego-

tio ignorantiam. Verumtamen hæc me, quæ ipse teneor, dubitatione libera. Vos enim, qui dicere soletis, qua ratione possibile est ut Deus filius habeat absq; muliere? intelligere uidemini aut tales esse, qui intellecturi sint exactissime, quo modo Christus ex muliere natus sit sine uirili opera: et quod illo est manifestius, quomodo Adam homo factus sit sine uiro & fœmina: uerùm ut & Eua ex uiro quidem, sed absq; muliere creata sit, idq; non iuxta naturæ legem constitutam, quam post transgressionem à Domino acceperunt, uerùm diuersa quadam ab hac ratione, nobis qui Christum fatemur prorsus incognita, sed soli Deo nota. Quod si autem hoc deprehendere nulla humana ratio potest, quid quæso incassum laborantes Musulmani nos de ijsdem accusant, quæ nec ipsi intelligunt nec nouerunt, sed tantum à ueritate aberrare uidentur, quantũ cœlum à terra distat? Verũ scripturarũ ignorantia in huiusmodi errores inciderunt. Mosis enim libros & Dauidis Psalteriũ, in super & Prophetarum scripta, sed & ipsum Christi Euangeliũ, omnia inquam hæc sancta, iusta, uera & bona esse dicunt & confitentur (ut & reuera sunt) fatentur autem solis uerbis: quæ autem in his dicuntur, non intelligũt. Et quemadmodũ fieri solet, cũ auditis angelos egregie et suauissimis sonis deũ celebrare, ea quidẽ quæ dicuntur ab his amore & laudibus prosequimini, quis uero dictorũ sensus sit, nõ intelligitis. Sic in omnib. hisce libris facere soletis, ut ea quidem quæ in his scripta cõtinentur: laudibus uehatis, quid uero dicatur, ignoretis. Quamobrẽ? Quia nunquam de his solide edocti estis. Christiani uero partim in ecclesijs congregati, partim singuli domi suæ quotidie sacros libros perlegunt: et sic tandem temporis diuturnitas, assidua lectio, et diligens inuestigatio exposuit, docuitq; illos omnem ueritatem. Quum igitur ignores ea quæ Christi sunt, putas etiam, quod nemo sanctorum de illo locutus sit, & nullus prophetarum de hoc uaticinatus: eaq; à nobis, quos omni patrocinio destitutos arbitraris, audire desideras. Audi igitur quod quæris, & attente quæ dicuntur considera.

Magnus ille Moses in libro Geneseos uerbo tenus sic dixit: Dixit Dominus, Clamor Sodomarum & Gomorrhæ multiplicatus est coram me. Descendens igitur uidebo. Abraham uero stabat coram Domino. Et appropinquans Abraham dixit, Num simul iustũ perdes cum impio? Et erit iustus sicut impius? Si fuerint quinquaginta iusti in urbe, nonne remittes illi propter quinquaginta iustos? Nequaquam hoc facies, qui iudicas omnẽ terram. Dixit uero Dominus: Si inuenero quinquaginta iustos in



Sodomis, remittam omni loco isti propter hos. Et respondens Abraham dixit: Nunc incœpi loqui ad Dominũ meum, ego uero terra sum & cinis. Quid si inueniantur quadraginta quinque? Et dixit Dominus: Si inuenero quadraginta quinque, remittam ciuitati. Et hoc modo colloquens cum Domino Abraham, descendit usq; ad decẽ. Et tunc Moses subiungit: Et abijt Dominus post quam cessauit loqui cũ Abraham. Videsne unde cœperint paulatim manifestari, quæ ad Christũ pertinẽt? Oculi enim hominis iusti poterãt agnoscere deũ, licet in seruili forma existeret. Attende igitur, quod Deus pater nunquàm apparuit in prophetarum uisionibus humana specie, eo quod ipse non est homo factus: sed nunc quidẽ alia, nũc rursum alia specie apparuit. Angeli uero nonnunquã humana specie apparent. Inquirendum igitur in hac uisione fuerit, quis nam is sit qui tunc uisus est Ecce uero, Deus pater non erat: quia humana forma uisus est. Sed angelũ ne fuisse dices? Sed quàm quæso decorũ hoc erit, si Moses aut alius quispiam sanctorum angeli mentione facta ipsum appellauerit dominum uel iudicem? Quis est alius qui iudicat omnem terram, quàm Deus? Cũ igitur cõstet, quod is qui humana specie apparuit, nec Deus pater fuerit, nec angelus, propter eas causas quas modò recensuimus, elucet omnino, idq; necessariò, quod ille ipse uerbũ & filius Dei fuerit, qui & deus & homo est. Eo enim facto, quo ipsi Abraham humana specie apparuit, ostendit futurã suam incarnationem. Quod uero dominus nominatur ab ipso Abraham & Mose, et uniuersæ terræ iudex, qui miseretur cuius uoluerit, et corrigat quẽ corrigere fuerit uisum, suã in hoc diuinitatem demonstrauit. Iudicare enim, misereri, & irasci, Dei solius est: angeli uero uel hominis nequaquàm, neq; enim hoc illorum uirtutis est, & potentiæ. Cum enim dicit, Si inuenero quinquaginta uel pauciores his, urbi remittã, potentiæ suæ magnificentiam indicauit. Tu uero caueas interim, ne cũ audieris dicentem dominũ, Descendens uidebo: de deo humile quidpiam, & illius diuinitate indignum imagineris. nam propter humanæ naturæ imbecillitatem sæpenumero talia de Deo dicuntur. Præterea hoc dictum est, propter futuram illius cum hominibus † conuersationem. † συνανα-στροφὴν

Præterea cum Dominus Abrahæ quatuor totius orbis cardines ostendisset, inquit: Tibi dabo terram, & semini tuo, & multiplicans multiplicabo semen tuum sicut astra cœli, & sicut arenã iacentem in littore maris: quoniam patrem multarum gentium constitui te, & benedicentur in te omnes gentes. Hæc sunt Dei ad ipsum Abraham uerba. Nunc quis horum sensus sit, inquirendum Gen. 13. & 22

ndm est. Considera igitur ut Moses dicat, quod Deus ipsi Abraham & semini ipsius promiserit & pollicitus sit omnem terram, & quod semen ipsius sit multiplicaturus sicut astra cœli, & arenam in littore maris: & in semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Et quandoquidem Dei uerba uera sunt, nec unquam fallunt, inspiciamus agedum, quando & quo nam modo impleta sint hæc Dei oracula. Abraham enim binos habuit filios, alterum quidē ex ancilla Agar, Izmaelem scilicet: alterū ex libera uxore Sara, nempe Isaac. Nū itaq; propter Izmaelem ex ancilla genitū, ceu Abrahæ semen, dixit Dominus, quod in illo benedicendæ sint omnes gentes? Sed cum Dominus diceret ipsi Abrahæ, Eijce ancillam cum filio ipsius, nequaquam enim hæres erit ex ancilla genitus cum filio liberæ: secundū Dei præceptū Abraham Izmaelem cum Agar matre sua eiecit, domoq; sua expulit. Insuper Abraham iustus, cum ex deo audiret, Patrem multarum gentium te constituam, & tibi dabo terram, & semini tuo, & in semine tuo benedicentur omnes gentes: respondit sic dicens, Quid mihi dabis Domine, cum ipse sine liberis moriar? Vnde uides, quod priusquàm admoneretur Abraham ut Izmaelem domo eijceret, hunc nequaquàm filij loco duxit. Si enim hunc filiū uerum esse æstimauisset, nunquàm certè postulauisset filiū alterum. Eo enim quod dicit, Ego uero orbus morior: filiū postulat quē & filiū et semen suū esse æstimet. Isaac enim tū demū cū hæc antè peracta essēt, natus est. Post hæc aūt omnia uerbū domini dicēs, Eijce ancillā cū filio suo, manifeste ostendit, quod nec deus Izmaelem filiū & semen ipsius Abrahæ esse reputauerit. Et ecce, quantum apparet, Izmael iuxta Dei præceptū hæreditate paterna Abrahæ excidit. Num igitur hunc Isaacū esse dicemus? Quod quidē hic filius sit uxoris liberæ, manifestum est: & Hebræorum gentem ab hoc descendisse constat: gentium autē benedictio ad hunc minimè referri potest. Soli enim Hebræi sunt ex illius semine, ceu posteri Iacobi, & duodecim filiorū eius. Quin in fœlicitate adhuc: & flore regni sui constituti, pauci admodum & numeratu faciles reperiuntur, si cum totius orbis habitatoribus conferantur. Vix enim uel unius tantū gentis quantitatē sibi cōseruauerunt: diuino autē auxilio adiuti, infigens et terribiles habebantur. Populū enim sibi hunc peculiarē uocabat Dominus, & illos hæreditatē et peculiū suū nominabat: & illius uirtute deuicerūt simul, & aduersariorū oppidis potiti sunt, perq; dei potentiam in Aegypto Moses miracula edere cœpit, et post hūc filius Nū Iosue alijq; plures usq; ad Christi generationē. Sed post generationem illius in pernicie ruere Iudæi

Gen. 21



cœperunt, et Iacobi prophetia impleta est dicēs Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de femore illius, donec ueniant quæ reposita ei sunt, & ipse expectatio gentium. Verū & Isaiæ oraculū dicens: Exusget radix Iessæ, & qui exurget ad imperandum gentib. in illum gentes sperabunt. Nam usq; ad Christi natiuitatem Iudæi & reges & pōtifices de sua gente habuerunt: hoc autē nato, et reges & pontifices defecerunt. Interea uero tēporis nunc quidē deus illis irascebatur propter peccata ipsorum, idololatriam in primis, cuius studiosissimi erant: nūc uero eorundē miserabatur denuo: postquā uerò facinus illud magnum et horrendū patrare sunt ausi, tūc à deo deserti in irā irreconciliabilē inciderunt, et in gētes dispersi sunt. Et sanè sustinuit illos Deus ad tempus, humanum quasi mitemq; se illis exhibens, cum nimirum resipiscentiam illorum & pœnitentiam expectaret: sed incurabili morbo laborantes abscidit, quemadmodum prophetæ de ipsis uaticinati fuerant. Cū enim idolis seruirent, & Deū irritarent, ipsos quidē in captiuitatem & pœnas propter scelera illorum tradidit, nō tamē omnino dereliquit: sed in tēpus aliquod nō adeò immensum, nec infinitū, diuina in illos ira extendebatur. quo transacto, ut dictū est, & illius misericordiam & pristinam fœlicitatē recuperabāt. Verumtamen nec in tēpore captiuitatis illorū unquàm defuerunt illis prophetæ, ad cōsolationē illorū & animæ salutē à deo dati. Prædicebant enim & uenturā dei in illos iram, et tēpus iræ definitū, tum etiā dei post hoc secuturā cōmiserationem, et futurum in Hierosolymam reditum. In Aegypto enim transegerunt annos quadringētos, uerum ibi dem et multiplicati & enutriti sunt. Postquàm uero ascenderunt Hierosolymam, & tēplum extruxerunt, in captiuitatē redegit eos Babyloniorum rex Nabuchodonozor annis 70. Post hæc annis duob. & semis Antiochus ille cognomento illustris, nec ultrà longius diuina in illos ira porrecta est. Imò cū tēpore Mosis in deserto existentes uitulo sacrificarēt, et post hæc idolis offerrēt uictimas, nec tantummodo animalium sacrificia, sed proprios liberos quoq; dæmonib. immolarēt, & prophetarū cædib. cōtaminarentur, nequaquàm tamē adhuc dei iram irrecōciliabilē experti sunt. A Domini uerò paßione anni iam mille trecenti & sexaginta elapsi sunt, & tamen (ut nimirū ipsi affirmant) legē custodiunt, & ab omni idololatria abstinent: sed propter unū hoc, quod in Christū exercuerūt impiissimū facinus, deserti & totius mundi exemplū facti sunt. Quod enim hac de causa dispersi sint, ut totius mūdi ludibrio & risui exponerentur, clarißime uel ex hoc patet, quod à nullo prophetarum interea temporis

Gen. 49
Esa. 11.

Tempus, quò liber hic conscriptus est.

consolationem acceperunt, nec aliquis prophetarum inter illos locutus est post Ioannē Zachariæ filiū. Cum enim iam aduenisset is qui per prophetas prædictus erat (Christus nimirū) necesse erat prophetiā aboleri, partim quidem quod Christus, ut modò dictum est, uenisset, partim quod Iudæi hac indigni essent, & omnino deserendi, eo quod Christum contempsissent, & in eum omnia quæ facta sunt ab ipsis patrauissent: propterea inquā malis obiecti sunt incurabilibus. Non enim nudū hominem crucifixerunt, sed deum & hominem: nec tamen diuinitas passa est, sed homo. En igitur & illa, quæ ex Saræ liberæ filio, Isaac nempe, progenita est, posteritas derelicta est, & Isaaci semen, quantum Iudæos attinet, in perditione desertum. Quæ igitur ratione Deus Hebræorū gentem pro Isaaci semine erat habiturus, cum iam de illis cōstitutum esset, ut Dei iram implacabilē incideremt? Quomodo item pro Abrahæ filijs erāt reputandi, quos Dauid antè præuidens, de ipsis
Psal. 68. uaticinatus Dominū alloquitur: Obscurentur oculi ipsorum, & dorsum illorum semper incurua? id est non recedat ab illis seruitutis iugum perpetuæ. Hoc enim sibi uult, quod eos incuruandos esse à Deo præcipit. Neq; enim hæc est execrandi formula, sed prophetiæ enunciatio. Qua deni que ratione eos Isaaci semen & Abrahæ filios deus iudicaturus erat, quorum subuersionem & excidium prædixit propheta Daniel? nusquàm uero reditus illorum & reuocationis (ut in alijs solet) meminit, sed diuersum longè indicat. Postquàm enim tragico & magnifico dicendi genere euentura ipsis mala expossuisset, tandē subiungit, Vsq; in cōsummationē seculorum hæc eos
Dan. 9. detinebit seruitus. Verum in Euangelijs quoq; sic
Matth. 3. scriptū est, quod Iudæis magnifice sese erga Christum extollentib. dicendo, Patrē habemus Abraham, dixit Ioannes: Ne dicatis intra uos ipsos patrem habemus Abrahā. Dico enim uobis, posse ibi le est deo, etiā ex lapidibus hisce Abrahamo filios suscitare. Quid autem hæc sibi aliud uoluerunt quàm si dixisset, Quoniā in uobis ipsis boni nihil est, uerū in hoc solo cōfisi splendidis uerbis extollimini, quod uos Abrahæ filios dicere potestis dico uobis, quod possit Deus etiā ex lapidib. istis ipsi Abrahamo filios excitare. Quod autē ex lapidibus inanimatis possit deus homines formare, manifestum est: qui enim de nihilo creauit hominem, eundē ex inanimata materia creare potest. Verumtamen hæc nō de lapidib. sed gentib. dixit quæ corda habebant ipsis lapidibus magis excæcata: quæ postea Christū adorauerunt, in eundē crediderunt, & iuxta promissionē pro Abrahæ filijs reputati sūt. Iudæos enim nō modo hac glo
Ioan. 8. ria priuauit Christus, & à genere Abrahæ ex-



clusit, uerum etiā diaboli filios nominauit, dicēs: Vos facitis opera patris uestri, diaboli. Ille homicida est ab initio, & in ueritate non stetit, quoniā mendax est. Quos autē Christus diaboli filios nominauit, num deus Abrahæ filios & Isaaci semē iudicare potest? Quæ enim est communio diaboli cum dei seruis Abrahā, Isaac & Iacobo? Imò quod est Dei cum diabolo cōmercium?

En igitur, iuxta Iudæorum et Musulmanorū sententiā & fidē, Dei uerbum irritum falsumq; esse deprehenderetur (ab Izmaele enim gentes neq uaquàm deo accesserunt, similiter nec ab Isaaco) sed nequaquàm hoc est, minime inquam. Nullo modo enim dei uerbū intercidit: uerū in Christo, qui ex Abrahæ semine natus est secundū carnē, manifestatæ, reuelatæ & impletæ sunt omnes uisiōes, omnes pphetiæ omnesq; reuelatiōes, quæ ipsum et deū esse et hominē ostendūt, quēadmodū noster hic sermo iam demonstrauit et exposuit, et manifestius adhuc multo exponet. Insuper et omnes gentes in Christo acceperunt benedictionē per fidē, qua in illum crediderunt. Gentes enim uniuersæ prius idolorum cultui deditæ, nunc fideles & orthodoxæ sunt, exceptis paucissimis, Musulmanis scilicet, Hebræis, et alijs: qui simul omnes, nulli uidentur, cū Christianorū multitudine collati: non magis quàm si tantillum aquæ, quantū uola manus capit, cum pelago cō paretur. Verumtamen quid hoc ad ueritatē, si nonnulli hanc contēnentes, incorrigibiles et infideles permanserunt? Sol enim totum illuminat aerem, & orbem uniuersum, cæcis interim in cæcitate & tenebris permanentib. nec tamē propterea sol reprehendēdus est, sed ipsi cæci. Talis mea quoq; de Christo fertur sententia. Christi nempe Euangelium & doctrina, imò Christus ipse, infinitos soles splendore & lumine excellit. In omnē enim terrā Euangelij prædicatio diuulgata est, & credentes salutem consequuntur: qui uero nō credunt, pereunt. Non tamen hæc culpa in Christum, sed in infideles incidit, qui suam ipsorum salutem produnt. Nec tamē omnib. simpliciter & nude credentibus salus contingit, sed ijs qui per fidem opera faciunt salute digna. Reuertatur autem ad Christi testimonia & demonstrationes nostra oratio, nō tamen ut omnes recenseat. Si enim omnes, quæ de Christo sunt, reuelationes, uisiones & uaticinia discutere aggrederemur, etiam multi scribæ multum laborando, uix paruam aliquam ex his partem absoluerent: nihilominus tamen pauca ex multis proferamus ad ueritatis illustrationē.

Dixit Moses ad populum Hebræorū: Prophe Deut. 18
tam ex fratribus uestris suscitabit Dominus deus sicut me: & omnis anima quæ non audierit prophetam illum, eradicabitur. Atqui considera hic

pro-

prophetæ diligentiã. Dicendò enim, prophetam ſuſcitabit Dominus deus, oſtendit, quod homo futurus ſit de quo uaticinatur, & quod à deo ſit, nec de pſeudo prophetarũ numero. Dicendo autem, Ex fratribus tuis, oſtendit quod ex Hebræis, & non ali unde oriundus ſit: ne ſi forte quis alienigena ſe prophetam hunc eſſe diceret, & Dei ſpiritu uaticinari, ab ipſis reciperetur, ſed ut hunc ceu erronem & impoſtorem negligerent. Porrò & magnus ille Moſes prius à Deo accepit teſtimonia, partim quidem ex miraculis in Aegypto editis, et maris rubri tranſitu: partim uero ex dei in monte Synai congreſſu, & uiſione per ignem exhibita corã uniuerſis populi Iudaici caſtris. Et tũc demũ legẽ à deo acceptã promulgauit: quapropter ſuperius diximus Moſem illũ magnũ hoc de Chriſto dixiſſe, Suſcitabit Dominus deus prophetam ex fratribus ueſtris. Illud uerò, Sicut me: hac de cauſa adiecit, quod ſicuti ego uos in libertatẽ aſſerui ex acerba Pharaonis ſeruitute, luto & laterum coctione, & legẽ uobis ſalutiferam tuli: ſic etiã is à me modò prædictus propheta, ex tyrannide & poteſtate diaboli & idololatria uniuerſum mundũ liberaturus eſt, et libertatis leges laturus. His auditis Iudæi hunc olim prænunciatũ expectabant, & uidentes Ioannẽ Zachariæ filiũ ex deſerto uenientem & baptizantem populum,
Ioan. 1. cum hunc eundem eſſe quem Moſes prædixerat, exiſtimarent, interrogauerunt eũ, Tu ne es propheta ille? Quid uero idem reſpondit? Nõ ſum ego, ſed ipſe ante illum miſſus ſum. Venit autẽ poſt me, cuius ego calciamenta portare indignus ſum. Propheta certe erat Ioannes, & præclarus quidem: ſed quia Iudæi de illo propheta interrogabant, quem Moſes prædixerat uenturum, Ioannes ſe illum nõ eſſe reſpondit. Sed ecce Iudæorum ingratitudinẽ & ſtultitiam, qui priuſquàm Chriſtus uel Meßias aduenire: illum expectauerunt, illumq; inquiſiuerunt, uenientẽ uero cõtẽpſerũt.

Pſal. 97 Poſt hæc uero rurſum dicit Moſes ille magnus: Lætentur unà cũ illo cœli, et adorent illũ omnes angeli dei. Age igitur & mihi dicito, quem nam alium angeli dei adorãt præterquàm deũ ipſum? Hic igitur, quem Moſes hominem, prophetã & legiſlatorem eſſe demonſtrauit, quem itẽ ab angelis adorandũ eſſe dixit, & deus et homo eſt, filius ſcilicet et uerbũ dei, à nobis ſimul et angelis adorandus et honorandus. Et hæc quidem ex Moſe.

Pſal. 71 Dauid uero propheta ſic dixit: deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios inopum, & calumniatorem humiliabit. Commorabitur cum ſole, & ante lunam, in generatione generationum. Deſcẽdet ueluti pluuia ſuper uellus, & ueluti ſtilla ſtillans ſuper terram. Oriri faciet



in diebus ſuis iuſtitiam, & multitudinem pacis, donec auferatur luna. Et adorabunt eum omnes reges terræ. Omnes gentes ſeruient ei, & erit nomen eius benedictũ in ſecula. Ante ſolem permanet nomen eius, & benedicentur in eo omnes tribus terræ: omnes gentes beatificabunt illũ. Beatus Dominus deus Iſraelis, ſolus faciens mirabilia, & benedictum nomẽ eius in ſeculũ & in æternum. Duas hic in uniuerſum perſonas propheta inducens, deum ſcilicet, & filiũ regis, nihil aliud innuit quàm deum uel regem, et illius filium Chriſtum, qui iudicat pauperes populi, et ſaluos facit inopes, et humiliat calumniatorẽ. Neq; hic hominem quendã ſortem, et iuſtũ principem uel regem intelligas. de eodem enim dicit, quod cõmoraturus ſit cum ſole: item de eodem, quod ſit ante lunam et generationes generationum. In quem uerò hominũ hoc cõpetere poteſt, ut ante lunã in generationes generationũ eſſe dici poßit? Et ut cum ſole cõmoretur? In nullum certe aliũ, ſed reuera in ſolum ipſumq; Chriſtum prophetia quadrat. Cum enim dicit, quod iudicet pauperes populi, & ſaluet filios inopum, et calumniatores humiliet, illius oſtendit iuſtitiã, fortitudinem, et curã qua erga homines utitur. Cũ uerò dicit, quod ante ſolem permaneat nomen eius, et ante lunã in generationes generationum, illius æternitatem principio carentẽ indicat. Et eo quod dixit, Cõmorabitur cũ ſole, illius æternitatem fine carentem denotauit. Item, Deſcendet ueluti pluuia ſuper lanam, & ſicut gutta ſtillans ſuper terram. Exoriri faciet in diebus ſuis iuſtitiam, & multitudinem pacis, donec auferatur luna. Denuò (reſpondeo) quis deſcendit ut pluuia ſuper lanã, id eſt quiete, et ſine ſtrepitu, et citra propriam maieſtatem magnificentiámque ſuam, præter Chriſtum? qui deſcendit cœlitus in ſanctam uirginem, quæ conceptum eum peperit in uili præſepio, & humili caſa. Non enim uenerat iudicaturus mundum, ſed ut mundum ſaluaret. Cum uerò ueniet iudicaturus orbem, apparebit in gloria patris ſui cum omnibus angelis: quemadmodum ipſe Chriſtus in Euangelio teſtatur, Non ueni iudicaturus mundum, ſed ut mundum ſaluem. Item, Exoriri faciet in diebus ſuis iuſtitiam & multitudinem pacis, donec auferatur luna. Quis nam horum ſenſus, Producet in diebus ſuis iuſtitiam & multitudinem pacis? Non alius, quàm quod impietatis ſummam notat perniciem: quod ſcilicet homines derelicturi ſint Deum, procreatorem & factorem ſuum, qui eos nuſquam exiſtentes in hanc ſubſtantiã redegit: et adoraturi ſint diabolũ, creaturas, & opera manuũ ſuarum. Et quemadmodũ aliquis ebrietate uictus: aut in denſis profundisq; tenebris oberrans, neglecto proprio parente, qui

cõmodum & utilitatem salutemq; suã in primis & unicè desiderat, promotamq; cupit, hostem sequitur, cædis & perniciei suæ cupidũ, ligatus scilicet et uinctus ab eo manuq; pedesq;, deductus tandè in carcerè munitißimũ, et obscurũ, nõ agnoscit nec discernere potest patrè & amicũ ab inimico & hoste propter ebrietatè et crapulam, nec etiã uult: & postea licet tandè ad sensus uestigia reuertatur, illud nõ potest, in uinculis nimirum detentus. Sic homo etiã initiò errabũdus, & à recta planaq; seductus uia, incidit in manus diaboli. Et quisnam locus est hoc obscurior, et deformior? Hic uerò hominè uoluptatũ copia inebriatum, omnis sensus expertè fecit: tũc ueluti inebriati, aut inordinato & superfluo humore & insania, aut à dæmone agitati, audientes nõ audiũt, et uidentes nõ sentiũt, propter mentè scilicet & rationè. quæ ducis officio fungitur, seductam: uerũ ea quæ solida stant, tanquã mobilia imaginãtur: & quæ mouẽtur, immota cõsistere putãt: et quæ illis utilia sunt auersantur, noxia uerò amplectũtur, nec honestũ bonúmue à malo dijudicare possunt, nec ab inimico amicũ. Hoc ipsum, ut diximus, homini cõtigit. Resipuit enim deũ, et ligatus à dæmone in dẽsißimis ignorãtiæ tenebris tyranidè illius sustinuit. Dauid uerò diuina gratia repletus intellexit, in quantũ perniciei barathrũ, procellã & tempestatè homo inciderit, & quanta Deũ affẽcerit iniuria, ipsum repudiando (duplex enim hic iniuria deprehenditur. hominẽ enim iniuria affecit diabolus, quòd hũc tã procul à deo seduxerit: &, si dicere fas est, in ipsum quoque Deũ facit iniurias, illius nimirũ creaturã seducendo. Similiter & homo Deũ affẽcit iniuria, quod hoc repudiato, diaboli imperiũ secutus sit) quis deniq; ipsum à densißimis tenebris & iniquitate esset redempturus. Cum itaq; propheta dicat, Oriri faciet iustitiã, hoc innuit, quod quemadmodũ ægroti in tenebris decũbentes, ipsi quidem nõ in lucẽ prodeũt, sed lux ad illos penetrat: sic etiã homini in diabolicis tenebris decumbenti exoritur is, qui misericordiæ uiscera erat assumpturus: quo exorto & totũ orbem illuminãte, omnes tenebræ discedentes disparuerũt. Homo uerò illuminatus, ubi cognouit iam quali uinculo constrictus decũbat, et seipsum nullo modo adiuuare ualens, ad eum qui hoc potest, respicit. Hic uerò, cum nollet hominẽ ulterius diaboli tyrãnide premi, liberauit eũ, sanauitq;. Liberatus uerò, sanatusq;, nõ amplius diabolo adhæsit, uerũ hac redẽptione facta, per fidem hominis ea qua deus affectus fuerat iniuria euanuit, & huius apparuit iustitia, exorto iam rationali sole iustitiæ, Christo nimirũ. Homo itaq; fide percepta, tempestate et fluctibus carentè fidei portũ ingressus, multitudi-



nem pacis nunquã iactandæ procellis aut contur bandæ accepit. Tunc impletũ est Dauidis oraculum, dicentis, Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, et quorũ peccata obtecta sunt: Beatus uir, cui Dominus peccatũ nõ imputat. Sed quod in loco suprà citato dicit, In diebus illius: innuit hominẽ fore, qui hæc miracula edituras sit. In deo enim dies curiosius inquirere, uel mensurare, nefas est. Christus autẽ, quatenus homo est, initiũ habuit, et huius dies mensurãtur. Illud uerò, Donec auferatur luna, nullo alio sensu propheta dixit, quàm hoc, quod ueluti luna seruanda est, nec peritura, ita nec ille homo. Quoniã uerò absolutè fine carere, soli Deo propriũ est, indicauit hisce, quod hic et deus et homo sit. Illis uerò uerbis, Adorabunt eũ omnes reges terræ, et omnes gẽtes seruiẽt illi: indicauit gentiũ conuersionẽ ad Christũ, & regum adorationẽ. Ne uerò hi qui ueritatem destruere & inuertere cupiunt, hæc de rege aliquo potenti & inuicto intelligerent, ut pote Iulio, Augusto, Tiberio, uel alijs, qui & ipsi à regib. terræ et gentib. adorati sunt, & ab his celebrati, quãuis homines essent, ut & nos omnes, Dauid cũ dicit, Nomen eius esse benedictũ, etiã hoc addit, In secula. Vniuscuiusq; enim hominis laus in uita hac unà cum illa deponitur: sed post mundi huius consummationẽ nec laus ipsius permanet, nec infamia. Sola enim opera illius unà cũ ipso discedũt, quorum etiã retaliationẽ ab eo expectat qui mundum iudicaturus est, siue bona fuerint, siue minus. Illud uerò, In secula benedictũ erit nomẽ ipsius, nequaquã hominis est, sed Dei. Item, Ante solẽ permanet nomen illius. Quis rogo hominum ante solem conditum inuenitur? Nullus omnino, & nec ipse Christus, quatenus homo est, sed quatenus deus est. secundũ humanitatẽ uerò & esse cœpit, & dies habet mensuratos, et adorauerũt eum omnes gentes, & omnes reges terræ, ut Deum et hominem, & in eo omnes gentes sunt benedictæ.

Porrò hæc Dauidis prophetia, cũ Esaia et Iacobo cõuenit, qui de Christo dicũt, quod sit expectatio gentiũ: quẽadmodũ in superiorib. demonstratũ est. Tandè uerò omnia cõprehẽdẽs prophetа, et respiciẽs uerbi dei cõuersationẽ pro hominũ salute factã, et quod deus existens hominũ assumpturus esset: uidẽs deniq; illũ modo ferocẽ et immitẽ tyrãnũ diabolũ ab homine, quẽ modo antè tyrannide presserat, iam tantũ nõ illusum esse et cõculcari, uoluptate quasi abreptus, beatã illã uocẽ exclamãs profert, Benedictus dominus deus Israelis, qui solus facit mirabilia, et benedictũ nomẽ eius in æternũ & in seculũ seculi. Indiget sanè & præsens locus expositiõe aliqua, licet reuera quolibet sole et omni humana ueritate purior sit et dilucidior. quẽ enim Dauid paulò antè hominẽ nomina-

minauerat, quemq; ante solem & lunam conditam extitisse dixerat, hunc ipsum nunc pure & simpliciter Deum appellauit. Quis uero tam infelix, ut de illo dubitet & inquirat curiosius, quem Dauid deum nominauit? nec eum adoret, quem Dauid Deum esse prædicat?

Verumtamen & alibi, magnus ille Dauid sic
Psal. 110 dicit: Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Virgam potẽtiæ tuæ emittet tibi Dominus ex Sion, & dominare in medio inimicorũ tuorum. Penes te est principatus in die potentiæ tuæ, et in splẽdore sanctorũ tuorũ: ex utero auroræ genuite. En nunc aliã illius prophetiã cõsidera. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis. Quis nam est ille prophetæ et regis dominus? Num rex aliquis ex præclaris istis, & in hac terra multa potentia præditis? Minime. Quam ob rem? Propter libertatem, quam à Deo tunc temporis Iudæi habebant, à quo solo regebãtur. Principẽ uero & ductorẽ habuerunt olim quidẽ Mosem, post hunc uero filiũ Nun Iosue, deinde Iudices. Ipsi uero propria animi sui uoluntate & affectu regem à Deo petentibus, dedit ipsis regem è gente propria filium Cis, nempe Saulem, deinde Dauidem filium Iessæ. de quo & deus testatus Samueli dixerat, Inueni Dauidem filium Iessæ, uirum secundum cor meum, qui faciet iusta omnes uoluntates meas. Et Iudæi quidem urgebantur à suæ gentis regibus, illorum uero reges usq; ad Christi nati tempora liberi, nulliq; hominum aut regum terrenorum subditi fuisse inueniuntur. Et reuera sic est, quoniã nullus alius prophetarũ, utpote nec Isaias, nec Ieremias, nec Daniel, calumniari conatus hoc prophetæ oraculũ dicere potuit, quod ab aliquo rege mortali & perituro ad alium prophetæ similem dicta sint hæc uerba, Dixit dominus domino meo. Cui uero dixit deus, sede à dextris meis? Ad hominẽ nimirũ, quem Verbũ & filius illius assumpsit. Filius enim ante omnia secula principatus fuerat particeps cum deo: dixit autem hoc deus pater ad hominem, quem Verbum & filius suus assumpsit, sanctificauit, glorificauit, & temporalem cepit principatum, ex quo hunc assumpserat. Volens itaq; propheticus sermo ostendere, Deum patrem quidem, qui ab æterno existit, principio carere: hominem uero, quem Verbum & filius illius assumpsit, initium cepisse, dixit Sede, &c. Tum etiam stabilitatem & perpetuitatem, honorisq; magnificentiam ipsa sedes denotat. Et quemadmodum ignis in ferro, ferri quidem frigiditatem non recipit, ferrum autem in ignis naturam transit: rursum uero nec ferri nigredine ignis inficitur, sed ferrum huius splẽdore & claritate assumpta omnino pellucidum fit: talis etiam mea de unigenito dei filio & homine, quem assumpsit, fertur sententia. Filius siquidem Dei, quoniam Deus erat, mutationem, pollutionem, aut alternationem ne quaquam passus est, sed Deus, ut & antea, impermutabilis permansit: hominem uero quem assumpsit, eum inquam sanctificauit, glorificauit, clarificauit, & ut à dextris Dei Patris sederet dignatus est, non quod Deus, uel dextram habeat, uel sinistram sui partem (hæc enim corporalia sunt) sed quemadmodum per sedem honoris magnificentiam designauit, eodem sensu etiam de dextris dixit. Deus enim neq; stat, neq; sedet, neque dexteram habet, neq; sinistram, sed maiestate sua implet omnia. Item, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Qui nam huius inimici sunt? Idololatræ, qui Christum non adorant, & ipse diabolus. Hæc uero, Donec posuero, pater non ita dixit, quasi filius ad hoc efficiendum sit impotentior, uerum ut his uerbis ostenderet unam & eandem esse patris & filij potentiam. Quemadmodum enim in euangelijs dicit filius: Nemo uenit ad patrem nisi per me: ita pater dicit, mea potentia cadent inimici tui sub pedes tuos. Præterea, Virgam fortitudinis emittet tibi dominus ex Sion, & dominare in medio inimicorum tuorum. Quæ nam illa est à deo ex Sion emissa uirga, & ad quem missa est? Ad hominem nimirum, quem assumpsit filius & uerbum dei, missa est. Virga autẽ est ipsa crux, quæ in Sion est fixa. Vt enim uirga propter pastorẽ potentiam habet pastoralẽ, & eam quæ feræ depelluntur uirtutem, talis & mea de cruce & euangelij prædicatione fertur sentẽtia. E Sion enim egredietur lex, secundum Esaiam, & uerbum domini de Hierusalem. Omnes itaq; qui audito euangelij uerbo baptizati sunt, pastorali illa uirga pascuntur, cruce nimirum. qui uero ceruicibus induratis Euangelij prædicationi non crediderunt, nec præceptis apostolicis, crucis potentiæ etiam inuiti succubuerunt. Per crucem enim & uictus & conculcatus est diabolus: per crucem & nomen Christi, miranda & stupenda miracula sunt edita. Et quid multis opus? per crucem & euangelium totus terrarum orbis credidit, & facti sunt serui quidem Christi, filij uero Abrahæ iuxta promissionẽ per Christũ, Christo nimirũ ex ipso Abrahæ semine nato. Et tũc dominatus est in medio inimicorũ suorũ Christus. Attende quæso, quæ fuerit prophetæ diligẽtia. Nõ dixit, uince hostes tuos. Sæpius enim hostis ab aliquo uincitur, in quo tamẽ aliqua adhuc hostilis potẽtiæ portio remanet. Dixit autẽ, dominare: uel hinc docẽs inæstimabilẽ illã crucis potẽtiam & summam hostium ipsius impotentiã. Tum &

illud

illud, In medio inimicorum tuorum, infinitã crucis potentiam innuit. In medio enim totius mundi, & in medio idololatrarum Apoſtoli & horum ſucceſſores prædicauerunt, & in medio ipſorum ædificabant altaria. Et quod imprimis admiratione dignum eſt, quamuis ſumma cura & ſtudio impij eccleſias deſtruerent, flagellis, denique diris Chriſti nomẽ inuocantes punirent, crucis tamen potentia & prædicatio inſtar ſolis, imò clarius ipſo ſole eluxit. Ne uero quis hominum aut ignorantia aut malitia exiſtimaret, dicerèt ue, filio & uerbo Dei propterea miſſam eſſe à Deo uirtutis & potentiæ uirgam, quod illi per ſe impoßibile fuerit facere quodcumq; uoluerit libueritq;, ſubiungit Dauides, Penes te eſt principatus in die potentiæ tuæ, in ſplendore ſanctorum tuorum. Quapropter non eſt humanarũ uirium, ut penes aliquem ſit principatus illius, ſed Dei eſt. Omnes enim homines tantummodo extrinſecus ad ipſos delatũ imperium poßident: nam tam princeps quàm rex aliquis ſæpe priuatus ſine imperio naſcitur: & licet paternũ adminiſtret imperium, nihilominus tamẽ in hoc, quod ante non habebat, ceu paternus hæres ſuccedit, uel propria uirtute & egregijs factis regnum acquirit, uel inuiſtus in alios alterius regnum uiolenter arripit, & hoc modo etiam ille alterius regnum quo antè carebat, occupat. Sed alius ab his modus regnum acquirendi nõ eſt. Ingenitam uero ſibi & inſeparabilem à ſe poteſtatem homo non habet, præter hanc ſolã, qua in affectus proprios & liberos ex ſe genitos utitur, quam ſolã in homine uidere licet. In Deum autem hoc quod modò dictum eſt, non competit. Quapropter & Eſaias de Chriſto uaticinatus, inquit, Cuius principatus ſuper humerũ illius: id eſt, naturalis erit, & ab illo inſeparabilis. Dauid etiã in alio Pſalmo ſic dicit, regnũ tuũ regnũ ſæculorũ omniũ et dominium tuũ in omnes generationes generationũ. Quod idẽ in præſenti loco dicit, Penes te eſt principatus in die potentiæ tuæ. Sed qualis nam illa potentiæ dies? Ea nimirum, qua crux libere euulgata eſt, per quam omnes gentes cognoſcunt inenarrabilem illam tuã cõuerſationem & inedicibilem potentiam. In ſplendore ſanctorũ tuorũ. Quorum? Apoſtolorum, doctorum, martyrũ & ſanctorum, qui quidem ab inſipientib. pro mortuis & perditis habiti, in manu Dei uero ſunt, & in pace quieſcunt, iuxta Solomonis oraculũ: quique ſecundum Euangelij promißionem ſplendent magis quàm ſol. Deinde, quemadmodum in paulò antè præmiſſa prophetia, ſic etiam in hac præſenti dicitur. de homine enim, quẽ filius Dei aſſumpſit, hæc omnia locutus, et demonſtrare uoluit quod idẽ & Deus et homo ſit, hoc inducit, Penes te principatus: quod uel ſolum ad præſentem ſtatum et demonſtrationẽ ſufficeret, nihilominus tamen planius apertiusq; dicit in hunc modum, Ex utero auroræ generatio tua. Quis unquã hominum ante ſolem natus eſt? Nullus omnino. Ne quis tamen hoc calumniari uolens, de angelis ſermonem eße diceret, quaſi illi ante ſolem creatum cõditi ſint, inquit, Ex utero auroræ. Quod enim ueteri meminit, non eo ſenſu accipiendum eſt, quod Deus uterum habeat: ſed eo quo & Dauid alibi dicit, Manus tuæ fecerunt me & formauerunt me: operatricem uidelicet Dei potentiam oſtendens. &, Oculi Dei ſuper iuſtos: quo omnia prouidentem Dei uirtutem innuit, & quod iuſti opera faciant digna ut coram Deo ingrediantur. Sic etiam præſens locus intelligendus eſt. Dicendo enim, Ex utero, oſtendit unam & eandem filij cũ patre ſubſtantiã & naturã. Quemadmodum enim inanimatæ arbores eædem & ſimiles ſibiipſis generantur, ficus enim ficum & olea oleam gignit: ſimiliter & bruta animalia ſingula iuxta genus ſuum naturæ ſuæ ſimilia generant: et homo rationalis cum ſit, rationalẽ gignit hominẽ, & mortalis mortalem, & filius eiuſdem cũ patre eſt naturæ et ſubſtantiæ. Multo magis igitur hæc & ſine omni dubitatione de Deo ſentiemus, quod filius & uerbum ipſius eiuſdẽ cum patre ſit naturæ & ſubſtantiæ, quemadmodũ reuera eſt. Sed reſpice prophetiarũ diligentiã. Propheta enim inquiens, Dixit dominus, oſtendit ſe de Deo dicere, ut iam antè demonſtratũ eſt. Addens autẽ, Domino meo, et Sede à dextris meis donec ponã inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorũ: et, Virgam potentiæ emittet tibi ex Sion Dominus: et, Dominare in medio inimicorũ tuorũ: hæc omnia, inquam, hominẽ omni natura preſtantiorem & inenarrabilem deſignant. Vt uero oſtendat eundẽ et deũ eſſe et hominẽ, dicit, Penes te eſt principatus in die potentiæ tuæ, in ſplendore ſanctorũ tuorũ. Præterea ut rurſum euincat, quod deus cum ſit, naturalis etiam, & uerus ſit Dei filius & eiuſdem cum D E O patre naturæ & ſubſtantiæ, hoc ſubiungit, Ex utero auroræ genui te. Verum hic idẽ in alio loco dicit. Et tu Domine ſpes mea, altißimum poſuiſti ſuffugium tuum. Attende quæſo, quid dicatur. Eo enim quod propheta dicit, Et tu Domine ſpes mea, filium Dei innuit. Per altißimum uero, eiuſdem patrem Deum indicat. Rurſum uero his uerbis, Poſuiſti ſuffugium tuum, denotat hominẽ, quem filius dei aſſumpſit, cui opus erat ſuffugio. Purus enim ille Dei filius, ſuffugio uel aſylo non indigebat.

Quin & huius filius omni admiratione dignus Solomõ: ſic dicit, Et nunc ò Domine Deus Iſrael ratum fiat uerbũ tuũ, quod locutus es ſer- 1.Reg.8.

no tuo Dauid patri meo. Quoniã num uerè habitabit deus cũ hominib. super terrã? Et, ut Ieremias dicit, Quoniã hic est deus noster, nõ reputabitur alius corã eo. Quoniã super terrã uisus est, et cũ hominib. conuersatus est. Sic & sapiens ille Salomon dicit, Domine DEVS Israel, ratum fiat uerbum tuum, quod locutus es seruo tuo Dauid. Quid enim aliud significat, Confirmetur, quàm fiat, reueletur et exhibeatur, ut tu qui deus es, manifeste cũ hominib. cõuerseris: quod & factũ est. Filius enim Dei super terrã uisus est, et cũ hominib. habitauit. Quid igitur tibi uidetur? Sufficiunt ne hæ sanctorũ de Christo reuelationes, & prophetarũ oracula, ipsiusq; Dei testimonia ad demonstrationẽ hãc, quod Christus filius dei sit et deus uerus: scilicet quod et idẽ hic & deus & homo sit? uel nũ alijs adhuc demonstrationib. & testimonijs opus est? Quantũ profectò mihi uidetur, hæc etiã planè imperitis sufficerent. Verumtamen amplius tentabo tibi amico nostro, huius ueritatem declarare fusius, sicuti hactenus quoque factum est.

Baruch.3

Magnus ille Moses, & celebris, cũ esset iuxta montẽ Sinai, cõspicatus est rubum ardentẽ. quem cũ multis dieb. ardere conspexisset, nõ tamẽ igne consumi, animo suo meditari cepit quid nam hoc sibi uellet, quod rubus tot dieb. arderet, nec tamẽ ab igne cõsumeretur. & profectus, inquit, uidebo quod nam illud stupendũ sit prodigium. Rubo autem propior factus, uocẽ cœlitus allatam, sibique dicentẽ audiuit: Moses Moses, solue calceamenta pedũ tuorum, locus enim in quo stas, terra sancta est. Quid sanè aliud significat rubus ardẽs & nõ cõsumptus, tum etiã uox clamitans, Solue calceamenta pedũ tuorũ, nisi quod rubus ardens adumbrauit typoq; prætulit diuã Mariã uirginem, quæ filiũ & uerbũ dei secundũ carnem peperit? Quẽadmodũ enim rub. quidẽ ardebat et nõ cõsumebatur: talis etiã diua uirgo, ubi cõcepit Dei filiũ & uerbũ, igne diuinitatis nõ cõsumpta est, sed à deo custodita: quia humanarũ uirtũ illud prorsus non erat. Verba autẽ hæc, Solue calceamẽta pedũ tuorũ, hoc innuũt, quod quicunq; de diuæ uirginis mysterio et Christi incarnatione erudiri uolunt, eos nequaquàm habere oportet partem aliquã in se mortuã, quæ illos à Deo separaret, nec mentem corruptã et à cognitione ueritatis mortuam, sed uiuentem & sanam, qualis ipsius Mosis erat. Huius autẽ calceamenta ex mortui animalis tergore erant consuta: & propterea dictum est, Solue illud.

Exod.3.

Porrò & Persarum rex Nabuchodosor somnio admonitus uisionis, quã uiderat, oblitus est: & congregatis omnib. Chaldæorũ Magis incantatoribus, & Gazarenis, interrogabat eos quale



nam fuisset quod uiderat somniũ, & quæ nam illius interpretatio. Hi uerò et somnium & interpretationẽ illius ignorantes hæsitabãt. Rex autẽ ira in illos uehementi incendebatur. concessit tamen aliquot dierum terminũ, quib. inquirerent simul, & explicarent uisum à se somnium, & eiusdem interpretationem: quod si iuxta mandatum eius exequerentur, multis & splendidis muneribus honorati ditarentur à rege: sin minus, mortis supplicium subirent, quin ut et liberi, amici & cognati illorum eiusdẽ pœnæ essent consortes. Cũ uero illi hoc nõ possent, quin potius uitã suam plangerent & deplorarẽt (quomodo enim possibile erat regi & somniũ & interpretationẽ eius exponere, somnio nõ antè audito?) Daniel propheta in Babylonẽ captiuus deductus ex Hierusalem unà cũ alijs, qui tunc tẽporis secũ erant Iudæis, cum regis mandata cognouisset, conuenit Arioch Persarũ principem, quem rex ad perdendum sapientes constituerat, quod somnium ipsius deprehendere non potuissent, dixitq; ad illũ: Sapientes Babylonis ne perdas, quin potius me ad regem introducito, & uisionẽ unà cũ interpretatione eius regi edisseram. Tunc Arioch festinanter prophetam ad regẽ induxit, cui ille ait, Poteris ne mihi Daniel explicare somniũ quod dormiens uidi, & interpretationem eius? Respondit Daniel: Mysterium ô rex, de quo interrogas, hominẽs sapientes, Magi & incantatores annunciare non possunt, sed hoc solius Dei cœlestis opus est, qui mysteria reuelat. Deus notum fecit regi Nabuchodonozori, quæ nam fieri oporteat in extremis diebus. Cogitationes tuæ super lectũ tuum ascenderũt, quid futurũ esset post hæc. Tu rex uidebas, & ecce imago quædã magna, & aspectus eius excellens stabat coram facie tua, & uultus eius terribilis. Imago inquã, cuius caput erat ex auro puro: manus uero & pectus unà cũ brachijs ipsius argentea: uẽter uero et femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: et pedes partim quidem ferrei, partim uero testacei. Videbas, ô rex, donec abscissus est à mõte lapis absq; manuũ opera, & percussit imaginem super pedes eius ferreos & testaceos, & omnino comminuit eos. Tunc quoque comminuta sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & facta sunt tanquàm puluis horrei æstiui, & abstulit ea uentus uehemens, nec locus aliquis in his inuentus est. Lapis autem qui imaginem comminuit, excreuit in montem magnum, & impleuit omnem terram. Hoc est somnium, & interpretationem illius coram rege dicemus. Et postquàm propheta regna futura enumerauisset, quæ per aurum, argentum, æs, ferrum & testam adumbrabantur, sic dicit ad regem: Suscitabit Dominus cœli regnum, quod

Dani.2

quod in ſæcula non corrumpetur, & regnum ipſius alteri populo non relinquetur, quod cõminuet et uentilabit omnia regna, ipſum uero ſtabit in ſæcula. Quemadmodum uidiſti quod abſciſſus eſt à monte lapis abſq; manib. et cõminuit teſtam et ferrũ, æs, argentũ et aurũ. Deus magnus reuelauit regi, quænam oporteat fieri poſt hæc: & uerũ eſt ſomnium, fidelis etiam interpretatio eius. Tunc rex proſtratus in faciẽ, adorauit Danielem. et dixit: Reuera deus ueſter deus deorum eſt, & Dominus regũ, & reuelans arcana, quoniam potuiſti reuelare mihi arcanum hoc.

Qualẽnã eſt regnũ hominis, quod in ſæcula nõ corrũpetur? Nullũ prorſus: neq; enim hoc humanæ naturæ conceditur. Quod igitur eſt? En dicã tibi. Mons hic diua uirgo eſt, quæ filium & uerbum Dei ſecundũ carnem peperit. Lapis autem abſque manuum opera abſciſſus, Chriſtus eſt: qui quidem natus eſt ex ipſa, ſed nõ ex uiro. quod per illud intelligitur, cũ ſine manib. dicitur abſciſſus. Lapis denique qui imaginem percuſſit, aurum & reliqua comminuit, & mons ingens factus impleuit terrã: ille idẽ Chriſtus eſt, et illius regnũ permanens in ſæcula, quod diaboli uires contriuit, & idolorum cultum deſtruxit. Eſa. 7 & 9.

Propheta autem Eſaias ſic dixit: Ecce uirgo erit prægnans, & pariet filium, & uocabunt nomen eius, Nobiſcum deus. Rurſus idẽ dicit: Puer natus eſt nobis, et filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ipſius ſuper humerũ eius, et uocatur nomen eius Magni conſilij nuncius, admirabilis, cõſiliarius, deus fortis, potens, princeps pacis, pater futuri ſæculi. Inducam enim pacem ſuper principes, pacem & ſanitatem ipſorum. Magnus eſt principatus ipſius, & pacis ipſius nõ eſt terminus. Viden' ut puerum nominauerit, & magni conſilij nunciũ, unà cũ alijs modò enumeratis, quæ omnia ad hominẽ pertinent, quẽ aſſumpſit filius Dei ex uirgine. Deinde eundem uocat deũ fortem, potentem, patrem futuri ſæculi (creatorem nimirum intelligens) & quod pacis ipſius non ſit terminus, id eſt finis. De pace ergo & alijs, quæ per partes in præſenti Eſaias enumerat ſatis exacte diximus in Dauidis prophetia paulo antè expoſita, qua dixit, Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis, &c. Veruntamen non pigeat nihilominus huius prophetiæ cohærentiam inſpicere. Cũ enim propheta dicit, Ecce uirgo pariet filium, &c. denotat illum ſupernaturali modo natum ex diua uirgine hominem. Sed cum admirabilem uocat cõſiliarium, duas perſonas denotat, patrem ſcilicet, & huius filium, ſeu uerbum: et quod patris ſimul & filij unum ſit cõſilium, una uoluntas, una potentia, una & eadẽ cognitio. Deus enim conſilio nõ indiget. Illum uero eundem uirginis filium Deũ fortem uocat, potentem, patrem futuri ſæculi, cuius pax finem nõ habeat. Et quid nam aliud hæc ipſa prophetia ſignificauit, quàm quod ille idem deus & homo eiuſdem ſit conſilij & cognitionis cum Deo patre particeps?



Quin & propheta Zacharias nato ſibi filio Ioanne ſic dixit: Et tu puer propheta altiſſimi uocaberis, præibis enim ante faciem Domini, ad parandum uias eius, ad dandum ſcientiam ſalutis populo ipſius per remiſſionem peccatorũ eius, per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri. Ioannem certe Zachariæ filium magnum prophetam fuiſſe conſtat, omnium quoq; Muſulmanorum teſtimonio. Quid uero hic prophetauit? Nihil aliud quàm Chriſtum denotauit, quemadmodum ſuprà expoſuimus. Zacharias uero, quemnam altiſſimum uominat? Chriſtum ſcilicet. De illo enim hoc dixerat, Propheta altiſſimi uocaberis. Luc. 1.

Porrò Ieremiam prophetam ſic dicentem legimus: Hic eſt deus noſter, & alius iuxta hunc nõ reputabitur. Inuenit omnem uiam ſcientiæ, & dedit eam Iacob ſeruo ſuo, & Iſraeli dilecto ſuo. Poſt hæc autem ſuper terram uiſus eſt, et cum hominib. conuerſatus eſt. Hic eſt liber mandatorum Dei. En tibi oracula ſole ſplendidiora. Cum enim ſinguli prophetarum diuerſis utantur dicendi formulis, omnes tamen in unum conſentiunt, quandoquidem Deus eſt, qui hæc & ſimilia per os ipſorum locutus eſt. Veruntamen ceu ex communi quædam contemplatione uaticinati ſunt, & Eſaias & Ieremias. Eſaias quidem in hunc modum. Puer natus eſt nobis, et filius datus eſt nobis: quibus addit, deus fortis, etc. Ieremias uero ſic dicẽs Hic eſt deus noſter, non reputabitur alius iuxta hunc. Super terram uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Non enim de ſolo Chriſto uaticinati ſunt prophetæ, uerumetiã de ſacroſancta illius matre, uirgine Maria, quæ quidem nũc propter nimiam prolixitatem omittemus. Et hæc quidem de ſanctorũ reuelationib. & prophetarũ oraculis ſufficienter diximus: nunc uero quis horum omnium finis ſit, conſideremus. Bar. 3.

Quod ſanè archangelus Gabriel cœlitus miſſus ſit diuæ uirgini Mariæ conceptionem nũciaturus, et quod hæc ipſa Dei uerbum conceperit, uos ipſi affirmantes confitemini: quamuis de his minus recte ſentiatis, cum dicitis nimirum, quod uirgo hominem nudum pepererit, & nõ deum (ſecuti haud dubie Neſtorij dogma) & quod Chriſtus homo tantum fuerit, homo autem magnus, ſanctus et auguſtus, quo ſanctior ante hunc natus non ſit, neque naſciturus, ſed hunc omnium hominum eſſe ſanctiſſimum. Nos uero credimus, ſentimus et fatemur, quod ipſe Chriſtus ille idem

in

inquam filius sit dei viuentis, deus uerus, qui natus est ex Maria uirgine sine uiri cõgressu, filius inquam dei sit et deus ab æterno, qui carnem ex ipsa assumpserit, & homo factus sit, quem simul & deum et hominem esse credimus. Hæc uero de sumpsimus & didicimus à propheta Mose, Dauide, & omnibus alijs, qui post Mosen usque ad Christũ, qui ab illis prædictus fuit, aduentum flo ruerunt: imò ab ipsis etiam sanctis, qui ante Mosis tempora uisiones uiderunt: præterea ab ipso etiam Christo, & illius discipulis et doctoribus, miraculis & operibus ipso sole (ut suprà diximus) clarioribus. Quin & hæc dicemus: Postquàm uirgo (ut modò dictum est) concepisset, appropinquauit tẽpus partus ipsius, cumq; in Bethlehem deuenisset, Christum peperit, et reclinauit eum in præsepe brutorum. Tunc impletum est
Esa. 1 quod prædictum erat ab Esaia propheta dicente, Hæc dicit dominus, Bos agnouit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autẽ me non cognouit. Tempore igitur natiuitatis Christi, angelorum multitudo cœlitus delapsa est: laudantium deum & dicentium, Gloria Deo in excelsis, ac in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Pastores autem, qui tunc gregem suum pascentes in agris erant, angelorum apparitionẽ conspicati, & auditis illorũ hymnis, timore magno timuerunt: & dixit illis angelus, Ne timeatis. Ecce annuncio uobis gaudium magnũ, quod futurum est toti populo, quia natus est nobis Saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis in signum. Inuenietis infantem inuolutum fascijs, positum in præsepi. Et profecti in in regionem suam, diuulgauerunt omnia quæcunque audiuerant & uiderant de angelis. Considerato nunc quid sibi uelit ab angelis decantatus hymnus & oratio, dicens, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Non aliud certe, quàm quod Adam postquam Dei mandatum transgressus esset, defecit ab illius tutela dominus, et ob hanc causam ab illius amicitia omnis creatura excidit: si quidem et Adam posteritas, quæ diuinis legibus contraria erant facere & designare cœpit. Nam huius filius Cain fratrem germanum Abel trucidauit. Procedente uero tempore non homicidæ solummodo facti, & omni malitia petulantiaq; homines repleti sunt, quemadmodum Noe temporibus immissum diluuiũ, & uiuente Abraham Sodomarum subuersio, & cœlitus immissa conflagratio testantur, uerum etiam deo creatore & formatore suo penitus neglecto diabolum et idola adorauerunt: quamobrem omnes creaturæ defecerunt ab homine, ut quæ hunc dei hostem esse iudicarent. Et primo quidem ipsi angeli, deinde



& ipsa bruta animalia, imò & ipsa inanimata rerũ materia, quod manifesto colligi potest. Ante transgreßionem enim omnia animalia tam uolatilia quàm quadrupeda, & pisces ipsius Adami arbitrio et uoluntati parebant: post transgressionem uero non modo cœlos inhabitantes angeli ipsum ceu hostem auersati sunt, sed et ipsa animalia, quæ prius Adami arbitrio subiecta erant: postea autem non modo ab illo & hominibus ex illo natis aufugerunt, sed feræ ipsum hominem hostis & inimici loco duxerunt: & quem antea adorauerant, illius uitæ cœperunt insidiari. Sed quid opus est multis de angelis, cœlo & terra, animalibus & feris disserere, cum & ipsum hominis corpus aduersus animam illius insurrexerit? Et quemadmodũ duo infensißimi hostes una domo coniuncti pugnas mouent mutuas, è quibus qui uiribus præstantior est, uictoria potitur: sic etiam anima cum corporibus affectibus & appetitu pugnans congreditur: cum autem ipsius dei auxilio destituta sit, corpori succumbit, rerumq; ordo inuertitur, ut quæ prius domina erat corporis, & imperium exercebat, in posterum serua & uoluptatum mancipium facta sit. Christi autem generatio & filij dei incarnatio uniuit ea quæ in cœlo & in terra sunt. Angeli itaq; uidentes inenarrabilem illum dei descensum, quod scilicet is qui deus erat, propter innatam sibi bonitatem, carnem assumeret, & inimicam aduersamq; sibi in homine habitantem naturam assumptam, sibi cum diuinitate uniret, sanctificaret & exaltaret: hoc inquam uidentes angeli, stupendo hoc miraculo & omnem naturam exuperante, in admirationem & stuporem rapti, exclamauerunt ad dei laudes celebrandas, & dixerunt, Gloria in excelsis deo. Videntes etiam hominum cum angelis cõcordiam iam confirmatam, & sublatam esse diutinam illam inimicitiam, dixerunt, In terra pax, & hominibus bo
Psal. 95. 96 & 97 na uoluntas. Vnde impletum est illud Dauidis oraculum, dicens: Lætentur cœli, & exultet terra: annunciauerunt cœli iustitiam eius, & uiderunt omnes populi gloriam ipsius: adorate eum omnes angeli eius. Montes tripudient à conspectu Domini: quoniam uenit ad iudicandum terram. Iudicabit terram in iustitia, & populos in æquitate. Respice quæso prophetarum & angelorum consonantiam, carmini musico bene concordanti simile. Propheta enim dicit, Lætentur cœli: & angeli canunt, Gloria deo in excelsis. Propheta dicit, Exultet terra: canunt angeli, Ac in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Quibus etiam hoc non dißimile est, Annunciauerunt cœli iustitiam ipsius, & uiderunt omnes populi gloriam eius. Quin & Moses dixit:

Exultate cum eo cœli, adorate eum omnes angeli eius. Dauid uerò sic, Adorate eum omnes angeli eius: qui equidem adorantes dixerũt, Gloria deo in excelsis. Qua de causa autem hanc repetitionem adiectam putas, Quoniam uenit: quoniam uenit ad iudicandum terram? Non quidem alia de causa, quàm quod primum illud membrum, in quo simpliciter dicitur, Quoniam uenit, primum Saluatoris aduentum in mundum denotat, quo non in propria sua maiestate uenit, sed humili quadã specie, et contempta. Consentit enim cum uerbis domini dicẽtis: Non ueni ut iudicem mundũ, sed ut mundũ saluem. Quod uero idem repetens dicit, Quoniam uenit ad iudicandum terram, denotauit secundã Christi in mundo præsentiam. tunc enim uenit iudicaturus terram. quod idem cum domini uerbis consentit: Cum uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur corã eo omnes gentes, et separabit eos sicut segregat pastor oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos uero à sinistris. & dabit singulis iuxta opera sua: his quidem qui Euangelij legibus immorigeri scelera commiserunt, pœnam nunquam finiendam: illis uero qui uitæ munus iuxta Euangelij regulam iuste administrauerunt, uitam æternam, paradisum, & bona indefinita. En quanta sententiarum copia in paucis uerbis lateat? quæ instar aureæ catenæ inter se connexæ sunt, cuius connexio ad cœlum usq; pertingit, & anuli ex sese mutuo dependent. Talis enim mihi omnis sacra scriptura uidetur. Omnes nempe prophetæ, qui ab Abrahæ & Mosis temporibus usque ad Christum floruerunt, eadem spectant, eadem dicunt, eadẽ scribũt, omnesq; ceu uno ore de Christo eadem uaticinãtur. Et hæc quidem hactenus.

Ioan. 12

Matth. 25

Matth. 2

In ipsa uero Christi generatione, Persicæ regionis Magi diuinarum rerum peritia & reuelatione, deum & hominem præter naturæ leges natum esse cognouerunt. Magi uero non uulgares erant homines, sed dominatores & regionũ præsides. hi itaq; cum huius rei notitiam percepissent, deliberare inter se cœperunt, qua nam uia ad regem modo natum peruenire, illiq; dona possent offerre. Hæc uero illis meditantibus & dubitantibus simul, quo modo uoti sui compotes redderentur (alienigenæ enim & peregrinæ regionis incolæ cum essent, non habebant etiam uiæ ducem) coram ipsis stella apparuit, quæ præeundo uiam desideratam cœpit indicare noctes simul & dies. Stellam itaq; à Persia in Palæstinã usq; secuti, cum Hierosolymam peruenissent, stella sese occuluit. non aliud nimirum innuente domino, quàm ut itineris duce destituti, de Christo



loquerentur, & sic omnibus illius natiuitas innotesceret. Cum enim stella à magis (ut dictum est) disparuisset, interrogauerunt, Vbi est qui est natus rex Iudæorũ? uidimus enim stellam ipsius in oriente, et uenimus ut adoremus illum. His auditis, qui tunc regnabat, Herodes perturbatus est, & tota Hierosolyma cum eo. Et congregatis pontificibus et scribis populi, percontatus est eos, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudeæ: sic enim scriptum est per prophetam Micheam, Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda: ex te enim prodibit dux, qui pascet populum meum Izrael, & exitus ipsius à diebus antiquis. Vides ne nunc quomodo in prophetis descripta inueniantur, quæ ad Christum pertinẽt? Non enim ea tantum prædixerunt, quæ in ipsum Christum competebãt, uerum etiam loci, in quo erat nasciturus, meminerunt. Illud enim significat quod dicitur, Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm es minima. Tu enim, inquit, quæ modo minima eras, tenuis & contempta (talis enim erat locus iste) quoniam Christus in te nascitturus est, non amplius, ut modo tenuis es & paruula, sed celebris, illustris & à multis honorata. Quod uero sequitur, Ex te enim prodibit dux, qui pascet populum meum Israel: non propter Hebræorum populum à propheta recensetur (iam antè enim demonstratum est, quod Hebræi, eo quod indigni fuerunt, à deo reiecti & exclusi sint, & filij diaboli nominati) uerum gentes hoc loco populum dei & Izraelem nominauit, de quibus omnino propheta hoc dixit, Quoniam prodibit ex Bethlehẽ dux, qui scilicet Christus est, qui pascet populũ meum Izrael, gentes nimirum. Quis enim dux alius de Bethlehem egressus est præter Christum? & quos nam pauit præter gentes omnesq; alios in se credẽtes? Hæc aũt uerba, Et exitus eius à diebus antiquis: ipsius diuinitatem significant. In quem enim hominum tempus illud cõpetere inuenietur, quod est à diebus antiquis? In nullũ certe alium præter quàm in unum deum. Quapropter Dauid etiam uaticinatus dixit, Non dabo somnum oculis meis, donec inuenero locum domino, tabernaculum deo Iacob. Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ. Intremus in tabernacula ipsius, adoremus in loco ubi steterunt pedes eius. Obserua nũc prophetam. Reuelatũ illi erat diuinitus, filium Dei nasciturum esse è uirgine, qui cum uerus deus sit, hominem esset assumpturus, quemadmodum ex multis oraculis illius per partes hactenus comprobauimus. Et quidnam alijs opus est? De ipsa autem uirgine sic cecinit, Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuisce-

Psal. 131

Psal. 44

obliuiſcere populi tui & domus patris tui. Dauidis enim filia erat diua Maria: & quia hæc auditura erat archangeli Gabrielis uocem, dicit, Inclina aurem tuam: nimirum ad inenarrabile illud gaudiũ, cuius particeps erat futura. Et quia ab eo tempore omnia antiquitus inſtituta pro uilibus & contemptis abroganda erant & caſſanda, nouaq; Chriſti lex una cum Teſtamento per totum mundũ affulſura, inquit, Obliuiſcere populi tui & domus patris tui, et nouis illis iam futuris eſto intenta. Et hæc quidem ad uirginem referenda ſunt. Poſtquam uero, ut dictum eſt, iam agnouiſſet quod Dei filius hominem eſſet aſſumpturus, & ex filia ipſius naſciturus, rogauit ut et locum in quo naſciturus erat Chriſtus, ſibi Deus oſtenderet. Hoc autem tanto animi feruore & ſtudio inueſtigauit, ut nec cibum ſumeret, nec ſomno nec quieti indulgeret, donec ipſe quoque natalis locus ſibi à Deo reuelaretur. et tunc prophetico ſpiritu agitatus dixit, Ecce in Ephrata audiuimus eam, id eſt in Bethlehem: inuenimus eam in campis ſyluæ, unum eundẽ locum bis denotans. Tunc ſubiungit, Intremus in tabernacula ipſius, adoremus in loco ubi ſteterunt pedes eius. Hæc uerba, Intremus in tabernacula ipſius, tanquam de contemptis & nullo precio habitis dixit. Scena enim uel tabernaculũ dicitur, recenter extructum, & quod ſtatim refrangitur domiciliũ. Adoremus locum ubi ſteterunt pedes ipſius. Quid opus eſt me multa de his dicere? Quin potius teipſum de his appello. Magnum enim illum prophetam & regem, qui Dei quoque teſtimonio commẽdari dignus fuit (ſic enim de illo Deus loquitur, Inueni Dauid, &c.) quem nam adorauiſſe dicemus? An illum tantummodo qui naſciturus erat? ſed et locum in quo ſteterant pedes illius, tanquam hominem nobis omnibus tantummodo ſimilem? Quis uero tam ſtupidus, imò tam deſertus à Deo, ut hoc uel in animũ admittat? Sed quemadmodũ in ſuperioribus hunc eundem & Deum & hominem eſſe comprobauit, ita nunc quoq; in loci contemplatione illum facere uidemus, in quo cum Ioanne propheta omnino conſentit. cum quidem Dauid dicit, Adoremus locum ubi ſteterũt pedes eius: ille uero, Non ſum dignus ut portem calceamẽta illius, qui poſt me uenturus eſt. Iam nec intelligis ut tam in magnis quàm in paruis omnes prophetæ conſentiant, ipſum adorent & celebrent? nec quiſquam prophetarum eſt, qui ubi de Chriſto uaticinari et uerba facere ceperitis, ſeipſum non paruum, contemptum et nullius precij dignum eſſe confiteatur: quod etiam de Abraham legimus, qui ſeipſum terram appellauit et cinerem. Veruntamẽ non Micheas modo & Dauid de Bethlehem locuti ſunt, ſed etiam plures alij, quos uolentes, ut in alijs multis, omittimus propter nimiam ſcripturæ copiam. Sed redeundum ad Magorum, unde ſuprà digreſſi ſumus, hiſtoriam. Tunc Herodes poſtquam cognouit, quod in Bethlehem naſceretur Chriſtus (hoc enim ex prophetis pontifices et ſcribæ cognouerant) clam accerſitis Magis præcepit, Profecti illuc accuratè inquirite de puero: ubi uero illum inueneritis, renunciate & mihi, ut ego ueniam et adorem illum. Hæc autem animo dixit mendaci & ſubdolo. Cum enim regem naſciturum audiret, qui gubernaturus eſſet Iſraelem, Chriſtũ talem regem fore putauit, quales multi ſunt, cuius regnum temporale eſſet & terrenũ. Et cum in Bethlehem quidem Chriſti natales fore intelligeret, locum uero illius certum & determinatum ignoraret, inuidia motus, & infantis cædem iam ante præmeditatus, hæc ſimulatè & fictè Magis dicit, Renunciate mihi, ut & ego ueniam & adorem illum. Hi uero audito rege profecti ſunt. Et ecce ſtella, quam uiderant in oriente, præcedebat illos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum in quo erat puer. Tu uero, cum Magos dixiſſe audis, Vidimus ſtellam ipſius in oriente: nequaquam putes Chriſtum propter hoc reliquis omnibus ſimilem et nudum hominem eſſe. Qui enim circa ſtellarum motus uerſantur Aſtrologi, talia docent, quod ſinguli homines ſtellas habeant ſingulas, & peculiares, futuræ uitæ omnes ſucceſſus & euentus ſibi denunciantes: & quod imprimis quiſque regum ſtellam ſibi propriam uendicet. Hæc enim falſa eſſe, manifeſtiſsime conſtat. Sed quia noſtri inſtituti non eſt, Aſtrologorum uanitatem conuincere, omittemus hoc: nunc uero de ſtella, quæ tunc apparuit, qualis & quæ nam illa fuerit, uideamus. Quod autem una ſtellarum fuerit cœleſtium, non probabile uidetur. Primò quidem, quod omnes ſtellæ unà cum ſole et luna ex oriente mouentur in occaſum: hæc uero ex ſeptentrione in meridiem motum ſuum inclinauit. Perſarum enim regio ad orientem ſita eſt, Palæſtina autem ad meridiẽ, in qua & Bethlehem eſt. Præterea ſi ſtella erat, non certe unà cum Magis proficiſcentibus moueri, et iſſdẽ dormitantibus conſiſtere uiſa fuiſſet. Tum ſi ſtellam dixerimus fuiſſe, fulgorem illius proter radios ſolares diſparere & obſcurari oportebat. Cum uero in meridie etiam unà cum ſole ſplendorem ſuum retinuerit (nõ enim ab hoc potuit obſcurari) manifeſtũ eſt ſtellam non fuiſſe. Poſtremò, ſi ſtella fuit cœleſtis, qua nam ratione illius indicio Magi paruũ illud & uile tugurium, in quo Chriſtus erat, per immenſam illam cœleſtium orbium ab hoc altitudinem cognoſcere potuerunt? Ex prædictis igi-

tur patet, stellam non fuisse. Virtus autem quædam diuina fuit, quam itineris ducem habuerũt, quæ etiam terræ propinquior apparebat. Et quemadmodum Hebræos per desertum columna ducebat ignea: ita etiam Persarũ Magos hoc, quod ipsis sidus esse uidebatur, uiam præmõstrauit. Sed et ipsa, quæ tunc Deus Hebræorum genti exhibuit miracula & prodigia, plura multo gentibus contigerunt. Primi enim ex gentibus Christi adoratores, Magi fuerũt. Stella enim (ut modò dictum est) immota consistente supra locum in quo erat puer, Magi ingressi sunt, & inuentum Christum cum diua matre eius adorauerunt, offerentes munera, aurum, thus & myrrham. Considera nunc, quæ sit munerũ inter sese communio: quæ quidem, quod speciem externam attinet, nulla prorsus est: sed quod ad sensum, magna & arcta. Aurum enim tanquam regi obtulerunt ceu mortali, quia homo erat, myrrham: hanc in sepultura mortuorũ adhibere Hebræis in more erat. thus autem ceu Deo offerũt: Deo enim thure sacrificare statutum & solenne erat. Vnde uides quomodo Magi quoque Christum, & Deum & hominem esse confessi sint. Cæterum post Magorum adorationem missus ad eos Dei angelus præcepit, ne rursus ad Herodẽ redirent, quare per aliam uiam abierunt in regionem suam. Angelus autem ueniens, dixit ipsi Ioseph: Assume puerum & matrem eius, & abi in Ægyptum. Herodes enim quæsiturus est animam pueri. & secessit illuc. Tunc impletum est illud prophetæ uaticinium, Ex Ægypto uocaui filium meum. Herodes autem uidens sibi illusum esse à Magis, indignatus est ualde, & missis satellitibus interfecit omnes pueros in Bethlehem, quotquot erant bimuli & minores natu, & horum aliquot millia. Sed quis horum sensus? Primo quidẽ ut apparet illum qui natus erat Deum esse, quemadmodum prophetæ annunciauerunt. præterea autem & homo est uerus, non secundum imaginationem, ut nonnulli docuerunt. Secundo uero ut appareret hinc Ieremiæ prophetia, quæ dicit, Vox in Rama audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus. Rachel plorans liberos suos, & noluit consolari, propterea quod non superstint. Tertio, quod non de Christi tantum generatione prophetæ prædixerint, uerum etiam de multis locis & demonstrationibus, partim quidem propter multorum infirmitatem, ut his ducibus in ueritatem perducerentur: partim uero, ut impiorum obturarent ora, ne illis ueritatem impugnandi esset occasio. Quæcunq; enim de Christo aut dicta aut facta sunt, in aliquã hominum utilitatem cedunt. Obserua itaq;, et comperies, quod omnia quæ uel dicta uel facta sunt

Osee 11.

Ier. 31.



ab Adam usque ad hodiernum tempus, in Christo demum declarata sunt & completa, quod in alio quoquã fieri non poterat. quare et hoc completur, Ex Ægypto uocaui filiũ meum. Puer autem Christus iam ad uirilem & iustam ætatem progressus, Ioannem Zachariæ filium accessit, qui Christum ad se uenientem conspicatus dicit Iudæis, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatũ mundi. Cur autem Ioannes hunc agnum Dei esse dixerit, postea explicabimus. Quis uero alius mũdi peccatũ tollere poterit, quàm ipse Deus? Quare hunc, de quo prius dixerat, Non sum dignus ut portem calceamẽta eius: nunc Deum esse confessus est. At Christus dicit illi, Propheta, ades, baptiza me. Ioannes autem. Ego opus habeo abs te baptizari, & tu uenis ad me? En etiam hoc considera. Propheta ille magnus, qui, ut & uos ipsi fatemini, ex promissione natus est, qui à deo ad baptizandum missus erat, num à nudo homine tam seruiliter baptismũ poscere? Hoc certe nemo uere sapiens affirmauerit. Sed ab eo, quem Deum esse confessus erat, baptismum petit. Sed dicet fortasse aliquis, quod & ipse Christus à Ioanne baptismum petierit. Verum nõ simili ratione hoc facit: quare medium, quod inter utrosque est, considerandum erit. Ioannes quidem ipsum antea & Deum & hominem esse confessus erat. Cum enim dixisset se indignum, qui calceamenta illius portaret: &, Ecce qui tollit peccatum mundi: ipsumq; his uerbis Deum esse ostendisset, addit & hoc, Ego opus habeo abs te baptizari, & tu uenis ad me? Christus autem non sic, sed imperiose & cum authoritate illum cõpellat, dicens: Propheta, ades, baptiza me. Ille autem humilitatem suam, qua indignus erat, simul ostendit, et domini mandato paruit. Iordanem itaque ingreditur. Sed Christo baptizato scissi sunt cœli, & uox cœlitus audita est, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi bene complacitum est. Animaduertis ne rem terribilem, et stupore plenam? Hactenus quidem sancti loquebantur, prædixerunt prophetæ, ministrauerunt angeli: nunc uero nec angeli, nec homines, sed ipse Deus est, qui dicit, Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Ex his sanè quæ scripsimus iudicare poteris et tu, & si quis alius Musulmanorum prudens fuerit, quod inueniantur sancti homines, qui uisiones de Christo uiderint: & quod prophetæ sint, qui de illo sint uaticinati: quamuis adhuc tot ac tantis argumentis citatis & demonstratis, arbitrentur et iudicent nos qui Christum profitemur errabundos esse, se uero orthodoxos. his uero auditis, discant nos recte sentire: quamuis nos Musulmanorum intercessione opus habere iudicent, quemadmodum tu dicis,

Ioan. 1

eo quod confitemur & credimus Christum dei filium esse, & deum, quemadmodum tu in epistola ad me missa scribis. Defecerunt autem ab hoc Græci, defecerunt ab hoc Hebræi, ab eodem etiam Musulmani, propterea quod hæc non ut fide digna per fidem receperunt, sed demonstrationibus cupierunt inquirere. Minus tamen Græci, qui libris simul & prophetis carent, incusandi sunt, quàm Iudæi et Musulmani. Nonne enim ridiculum est, quod ipsos libros uenerantur: ea uero quæ in ipsis continentur, contemnunt? & cum prophetas beatos esse prædicent, eum qui ab ipsis prædictus est, auersantur? Maxime tamẽ omnium Musulmani uituperandi, qui cum unà cum alijs libris Christi Euangeliũ ceu sacrosanctum, absolutũ & diuinũ recipiant, uerbis nudis illud uenerantur, factis uero tantum ab illo dissident, quantum cœlum à terra distat: et relicta ueritatis uia, uanas & errabundas Græcorum opiniones sequuntur: & quæ intellectus ipsorum capere nequit, omnino non recipiunt. sed dum supra naturam singula inuestigantes ea apprehendere non possunt, à ueritate aberrant, & cogitationum suarum figmẽta proferunt, nempe, Quomodo possibile est ut deus habeat filium sine muliere? Et hi sunt qui perscrutantur penitius Dei generationem, & ignorant interim quot in cœlo stellæ luceant, quot aquæ mensuras contineat pelagus, quantus sit arenæ in littore maris numerus, & alia huiusmodi infinita. Et licet horum certam rationem ignorent, credunt tamen quod hæc Dei opera sint, neque de his tumultuantur. filij uero Dei generationẽ argutius scrutari tentant, hi ipsi inquam, qui nec propriam suipsius generationem nouerunt. Agedum dicant illi nobis, quomodo patris ipsorum semen in matris utero corpus factum sit, & quando anima ipsorum in corpus deuenerit, uel num aduenies cum ipso semine cõiuncta uel unita fuerit, seu minus. Vel, si unita fuit, quod nam illud sit unionis uinculũ. Vel, quod si unita cum semine nõ est, quando tandem cum corpore uniatur, unde etiam ueniat, et ubi ante aduentum, suum in corpus existat, & in quo loco commoretur. Quod si hæc cognitu impossibilia sunt, qui fit ut Dei generationẽ perscrutentur, qui propriam uitam, qua uiuunt, nõ cognoscunt, neque sciunt an in crastinum uicturi sint, inquirunt qua ratione Christus sit dei filius. Quiq; ignorãt cuius nã patris ipsi filij sint, uerum singuli matrum suarum uerbis credunt, quibus fieri potest ut decepti alio nomine appellentur pro uero & paterno: credunt tamen, & falsa pro ueris recipiunt: prophetarum autem oracula damnant, & Christi sermones contemnunt, illisq; fidem negant. Quapropter nequa-



quam illorum capaces sunt, quæ naturã omnem excedunt, quæ nec ipsi angeli possunt intelligere, nedum ut hi suo intellectu percipiãt: qui ignorant, quod Christus, quem ipsi uerbum Dei, animam Dei, & spiritum dei appellant, millies sese filium Dei dixerit: & quod à uerbo Dei mendacium dici & annunciari sit impossibile, impræmeditate & sine dubitatione credunt (quis enim tam stultus & stupidus, tantæ imò impudentiæ esset, qui uerbum Dei mendacij coarguere auderet?) Musulmani tamen, cum manifeste obloqui non possint, ipsam ueritatem calumnijs inficiũt, dicendo, quòd Christus hoc non dixerit, sed Christiani, nec quicquam boni illud argumentũ apud illos efficere potest. Nos uero Christiani dicimus, quod Christi uerba, quibus Euangeliũ continetur, agnoscamus. Musulmani autem dupliciter peccãt: partim quidem quod nõ credunt Christum esse Dei filium, partim uero quod Christianos de rebus sibi quoq; ignotis accusant. Dicunt autem, quomodo est possibile Deum habere filiũ sine muliere? & quis tam stultus & stupidus, ut tantum crimen & impietatem admitteret? Deceret uero, ut sine omni dubitatione hæc pro ipsius Christi uerbis reciperent. Cum autem inquirũt, et diligẽtius curiosiusq; rimantur, manifeste apparet, quod nec illum ueracẽ esse credunt, quem Dei uerbum esse confitentur: imò nec Abrahæ, nec Dauidi, nec prophetis fidem habent. Incredulitatem enim sequitur ignorãtia. Esaias enim dicit, Nisi crediderit is, non intelligetis. Intelligis ne quomodo fides cognitionem, incredulitas uero ignorantiam pariat? Fides autem non est rerum uisibilium. Quæ enim uidentur, fide nulla indigent: clara enim per se sunt. Fides autem earum rerum est quæ nec uidentur, nec intellectu percipiuntur. Nequaquam igitur uos hæc curiosius inuestigare oportebat, nec aduersus ueritatẽ contendere, sed sequi & parêre Abrahæ et prophetis, & imprimis Christo: nec priuatæ uoluntati & arbitrio consentientes dicere, Impossibile est Deo esse filium, ut non forte (ut tu inquis) dissidia inter utrosque existant. Errantes enim à uero & recto tramite, uana & inania loqui nunquàm desinitis. Fides certe ex auditu est. et quid quæso tam fide dignum est quàm uerbum Dei, quod uos animam Dei, & spiritum Dei appellatis? Quæ autem scriptura Euãgelio est sanctior, & fide dignior? Illud enim & ipse Mahomet sacrosanctum & absolutum esse confitetur. Opus igitur fuerit (ut & antè dictum est) curiositate omni omissa, Dei & prophetarum credere miraculis. Quoniam uero in tantam absurditatem deueniistis, en necessitate compulsi aliquid apertius ceu exemplo oculis subiecto adũbrabimus,

licet ueritas exemplis perfecte demonstrari non posit, eaq; imprimis quæ deum spectant. Impossibile enim est humanam rationem rem aliquam inuenire, quæ exacte & absolute Dei generationem referre possit. Veruntamen necessitate coacti (ut modò diximus) fatemur filium Dei sic à Deo generari, ut ratio ex mente uel intellectu, et radij ex sole generari consueuerunt. Quid igitur uobis uidetur? Num ex muliere intellectus rationem, aut sol radios gignit? uel num propterea aliquod inter hæc dißidiũ deprehenditur? Quod si igitur hæc generatio ab his (quod & uos fatemini) libera est, quomodo Dei simplicem & omni paßione carentem generationẽ tot & tantis absurditatibus subiectam esse putabimus? Cæterum omnia hæc dicere postulauit necessitas, propter incredulitatẽ & infirmitatem uestram. Diuina enim omnem humanum et angelicum intellectum exuperant. Facilius enim est cœlum et terram cum omnibus creaturis deuorare, quàm dei naturam comprehendere. Si autem illud impoßibile est, nec generationem ipsius cognoscere necesse fuerit. Nihilominus tamen et ipse Mahomet & omnes Muſulmani confitentur, quod Christus ex diua uirgine Maria citra uirilẽ operam natus sit, & quod uirgo ipsum pepererit, et uirgo post partum permanserit, semperq; uirgo esse deprehendatur. Cum igitur hæc uere confiteantur, exponãt nobis agedum huius generationis rationem. Si autem hoc impoßibile est, quid quæso aerem flagellando frustra laborant, dicendo quod impoßibile sit Deum habere filium sine muliere? Et hæc quidem dicunt, qui nec uilißima contemptißimaq; cognouerunt. Ediſſerant enim hi nobis, ubi nã culex uiscera sua habeat, uel quis uocis illius meatus sit: quale sit formicæ cerebrum, quale cor, qualis sit apum consideratio, & quæ his similia sunt. Quod si autem uilia hæc & contempta ignorant, infirmitatem suam agnoscentes conticeant, nec curioßitate sua illis fidem derogent, quæ angelorũ hominumq; intellectum excedunt: quin credant potius Abrahæ & prophetarum oraculis, qui hæc per uisiones, reuelationes & oracula cognouerunt, quod

Christus scilicet reuera filius Dei sit, & idem uerus Deus, & homo perfectus.



FILIVS ET VERBVM DEI

cum Deus esset, extremis temporibus propter hominum salutem homo factus est, crucifixus mortem subijt, sepultus resurrexit, & in cœlos est assumptus.

Non tamen diuinitas, sed homo passus est, qui idem iudicaturus est orbem uniuersum.

## APOLOGIA SECVNDA.

QVandoquidem tibi sufficiẽter per Abrahami, Isaac & Iacobi, Mosis, Dauidis & prophetarum, in primis autem, si uerum fateri uolumus, per ipsius Dei patris testimonia demonstrauimus de Christo, quod Deus sit uerè, & dei filius, agedum nunc etiam reliqua, de quibus dubitas, in medium proferentes, discutiamus & inspiciamus. Vehemẽter autem nos, qui Christi nomen agnoscimus, incusas. Tua uerò hæc sunt. Quó nã modo fieri potest, ut Deus homo fiat? item, quo modo homo factus est? Item, si Christus Deus erat, & Dei filius, cur non uel nudo uerbo seruauit hominẽ, sed tanquàm impotentia laborans hominem assumpsit et mortuus est, ut hominem saluaret, iuxta Christianorũ sententiam. Præterea si deus erat, quomodo passus est? Deus enim nõ patitur quicquam. Et tu quidem nos incusans, hæc loqueris: quibus nos sic respõdemus.

De dei quidem poßibilitate & impoßibilitate, in superioribus diximus, quæ et sufficiunt. nostram enim infirmitatem sumus cõfeßi, quod dei poßibilitatem & impoßibilitatẽ discernere non poßimus. Sentimus autem & credimus omnia apud Deum poßibilia esse. & impoßibile apud hunc esse prorsus nihil. Tum quod homo factus sit, cum Deus uerus esset, didicimus, credimus, et hæc est horum ueritas. Quo autem modo hoc euenerit, non noui. Quomodo enim humanæ rationi ea cognita essent, quæ angelis incognita sunt? Qui uero Dominicæ incarnationis scopus sit, et quæ causa humanæ in Christo naturæ, nos quantum fieri potest modò explicabimus: tu uero attente hæc nostra audias.

Deus cum nulla re in uniuersum indigeret, sola bonitate sua permotus mundum uniuersum extruxit & cõdidit, uisibilem simul et inuisibilem: creauit angelos: creauit cœlum & terrã, & omnia quæ in his cõtinentur. Sed & hominẽ fecit, & formauit è puluere de terra sumpto: & cum illi animam rationalẽ inspirasset, secundũ imaginem Dei creauit eum, & ex costa ipsius formauit fœminã: illisq; in paradisum collocatis, præcepit ut de omni ligno paradisi uescerẽtur, ex arbore

bore aũt scientiæ boni & mali non comederent: quia quacunq; die de hac comederent, morte essent morituri, quemadmodũ magnus ille Moses in ueteri Testamẽto descripsit. Quidam uero angelicorum ordinum princeps, cum seipsum splendidum & mire formosum cõspexisset, nõ intellexit se seruum et creaturã esse, & quod dominus ipsum cum nullus esset, condidisset, unde serui instar dominũ adorare deberet: sed stultus et temerarius dixit, Ponã sedẽ meã supra nubes, et ero similis altißimo. Hæc aũt cũ is in animo uolueret, huic commissa cohors illius impietatem imitata est. hic aũt cœlo depulsus cũ omni sua militia excidit, & hi omnes in dæmones mutati sunt. Cum itaq; diabolus hominẽ in paradiso uidisset, inuidia in illum motus, accedẽs primò mulierem ceu faciliorẽ deceptu, aggressus est et dixit: Cur deus præcepit uobis, ut ex omni arbore quæ in paradiso est, comedatis, abstineatis autem ab arbore, quæ in medio paradisi est, & quod quacunq; die comederitis ex illa, morte sitis morituri? Nequaquàm enim morte moriemini, sed ne ex illa comedentes oculis uestris apertis similes ipsis dijs reddemini, cognoscendo nimirũ bonum et malũ, hæc prohibuit dominus. His auditis, mulier decepta comedit ex arbore, et dedit marito suo Adam, qui et ipse comedit: diuinitatis maiestatem affectãs. Et comedẽtes ex arbore Adam simul et Eua, à gratia exciderũt. Deus aũt circa meridiẽ in horto obambulãs dicit illi, Adam ubi es? Hic aũt respõdit, Audiui uocem tuã ambulãtis in Paradiso, & abscõdi me, quia nudus sum. Dicit illi deus, Et quis nã tibi ostendit, quod nudus sis? nũ ex arbore, de qua præcepi tibi ne comederes, comedisti? Et iratus illi dominus, eiecit eum paradiso cum maledictione. Nunc autẽ hæc quæ facta sunt, cõsidera. Diabolus animo elatus, & quasi ratione destitutus, cum deus fieri, et altißimo similis esse cõcupiscit, cœlo cum tota sua cohorte excidit, & ex luce in tenebras est permutatus, et diabolũ: propter superbiã enim suam et animi fastum à deo reiectus est: nec ut uos dicere soletis, in hoc creatũ fuisse ut Adamũ adoraret, aliorum angelorũ more, qui illum adorantes seruati sunt, & in dignitate sua persistentes adhuc angeli dicuntur: hunc aũt quia adorãdi officium Adamo negauerit, dei iram in seipsum cõcitauisse, & ex angelo factũ esse diabolũ. Quam enim authoritatẽ hæc uerba habere uidẽtur? præsertim cum nulla scriptura horum meminerit, nec Moses, nec prophetæ, nec Christus? Cum igitur omni horũ testimonio careãt, falsa sunt, et reijciẽda: cum etiam hac de causa, quod angelorũ natura simplex, pura & incorporea est, & supra cœlos cõstituta: Adami uero ex terra commixta. Quis igitur uel



tantillũ rationis habens, rem absurdã crederet? Sed dicat aliquis, quod & Christus cum homo sit, iuxta Christianorũ sententiã, ab angelis adoretur. Sed ad hoc sic respondendũ. Filius & uerbum Dei cum ante sæcula Deus esset, ab angelis unà cum deo patre suo adorabatur: & nunc homo factus rursum adoratur ab ijsdẽ unà cum corpore, ita ut unà iam homo adoretur, quem filius et uerbũ dei assumpsit cum substantia sua, quem admodũ primitus ab angelis adorabatur: quod in Adamo fieri non poterat. Respice enim quæ sit domini et serui differẽtia. In homine uero, quem filius et uerbũ dei adsumpsit, illud cõueniens est, decorũ, iustũ ac sanctũ, ut etiam nunc ceu exemplo declarabimus. Regis corpus à seruis illius unà cũ anima adoratur, quamuis reuera rex tantummodo quod animã attinet, et nõ corpus, adoretur. Et quis tam stultus ut de hoc dubitaret? Sed quid hæc de regis anima et corpore opus est dicere? Si enim in nundinis uestimentum aliquod ematur, et illo rex indutus sit, ab ea ipsa hora illud uel manu contingere nemo audebit, sed omnes illud cum timore et reuerẽtia inspiciũt, quamuis, quod substantiam attinet, reliquis uestibus similè sit, propter regem tamen tantum honorem sortitum est. Idem mihi de Christo uidetur. Reuera enim hominem assumpsit, nec alterius naturæ hominẽ, sed ipsißimã hominũ naturam, quæ ex Adam est, licet ex uirgine præter naturæ leges natus sit: per diuinitatẽ uero eundem hominem sanctificauit, exaltauit, honorauit, & ad dextrã dei patris sui constituit, quemadmodũ suprà demõstrauimus. Et sic omnino factũ est, ut etiã antè diximus, nimirũ quod sicut ferrũ licet natura sua frigidũ nigrumq; sit, igni tamen unitur, ut hic quidẽ ferri frigiditatẽ et nigredinẽ non assumat, ferrum aũt propter ignis coniunctionẽ naturam propriã non abijcit, quin potius ipsum totum ignis fit, illius nimirum calorem & splendorem recipiẽs. Sic etiam de Christo sentimus. Cũ deus esset ante sæcula, post hæc homo factus est, et non imminutus, quin potius diuinitate sua hominem quoq; glorificauit, & in eum locum subuexit, quem filius & uerbum dei obtinebat: & propterea iam simul adoratur ab angelis pariter & hominibus, hic scilicet quii præter naturam homo & deus est. Adam uero in dei ordinatione et mandato nõ persistẽs, sed ex arbore cum Eua uxore sua comedens, dum hoc modo uterq; diuinitatẽ affectãt, paradisum quoq; quem habebant amiserunt, & maledictionẽ loco benedictionis acquisiuerunt, proq; uita æterna mortem. Deus autem diabolum incorrigibilem, & nulla pœnitentia ductũ conspicatus, tanquam uas inutile abiecit, nec ulla illius habita est memoria uel

ratio. Adamum uero cum Eua longe alia ratione cecidisse uidens, non scilicet tam uana ambitione & superbia, quàm diaboli inuidia & fraude: & quod homo tandem emendationem esset recepturus, quãuis antea illis maledixisset deus, idq; causa correctionis: ueruntamen ambulãs in paradiso circa meridiẽ (ut Moses testatur) interrogauit eum dicens, Adã ubi es? Num quod ignoraret ubi nam is esset, interrogauit? Absit tanta blasphemia (quid enim apud deum latêre possit, cum omnia cognoscat, priusquã generẽtur?) Verum hoc sibi uolũt ista uerba, O Adam in qualẽ nam dignitatẽ subuectus es? ubi nunc agis? quale nam est, in quod incidisti barathrũ? Quid uero Adam ad hæc? Vocem tuam audiui ambulãtis in horto, & abscondi me. Pomeridianũ autem tempus hic non aliud innuit, quàm quod sicut hora pomeridiana dicitur, quæ post maximã diei partem iam exactam sequitur, sic etiam post plura tempora elapsa deus super terram esset ambulaturus. Paradisus enim, iuxta Mosis doctrinam, locus terrestris est. Perinde igitur idemq; est, siue in paradiso siue super terram aliquem esse dixeris. Quæ uero plura illa sint, de quibus hic dicitur. tempora, iam tibi exponam.

A constitutione mundi usq; ad consummationem præsentis seculi, septem millia annorũ fore dicunt, uel etiam plus, quibus annis elapsis mortuorum resurrectio futura est. Ab Adam uero usque ad Christi generationẽ anni exierũt ter mille, noningenti, septuaginta quatuor. Reliqui igitur in absolutionẽ septẽ millũ restant. Et hac de causa sancti simul et prophetæ dixerũt, quod in extremis temporibus Christus esset carnẽ assumpturus. Vides ne igitur ut ab ipsius Adami temporibus filij dei mysterium manifestari cœperit? imò ante huius tẽpora. Ad quẽ enim dixit deus, Faciamus hominẽ? Deus enim solus et unius personæ tantũ existẽs, cui nam hoc dicere potuit, Faciamus hominẽ iuxta imaginẽ et similitudinẽ nostram? Manifestò cõstat, quod ad filiũ suũ uerba fecerit. Pater enim & filius unum sunt, Christo hoc ipsum in Euãgelio dicẽte, Pater et ego unũ sumus: &, Qui me uidet, patrẽ uidet. Quin & nos Christiani fatemur, anathema hunc esse, qui duos deos fuerit cõfessus. unũ enim deum esse credimus, cratorẽ cœli & terræ. Et deus, ut antè dictum est, eiecit eum paradiso, et ad terrã colendũ cõstituit, quo tempore et seminauit, et alios fructus cœpit producere. Iam ne intelligis, hunc qui docuit frumẽti aristã esse arborẽ hãc de qua Adam comederit, quid nã docuerit, ignorauisse? sed iuxta animi sui arbitriũ dixisse quæcunq; libuerit, qualia multa adhuc illius esse deprehenduntur, quæ conuincunt hunc secundũ priuatas



suas cogitationes & propria figmenta docuisse. Frumenti enim spica post exiliũ paradisi & maledictionem demũ excreuit. Deus enim Adamo dixerat, In sudore uultus tui comedes panẽ tuũ: unde cum labore & sudore multo frumentũ & seminatũ et excultũ est. Adam uero arborem de qua comedit, bonam et malã esse nouerat. Quid uerò paradisus fuerit, et quæ nã arbor, nec Moses, nec alius quispiã prophetarũ, imò nec Christus docuit, sed adhuc arcanũ et incognitũ est, ut & antea. Quare unde nã Mahomet hæc, quæ de frumenti spica dicit, desumpserit, non uideo: sed cogitationis suæ figmenta sunt. Homines enim nactus indoctos rudesq;, nihil ferè à brutis animalibus differentes (Arabes enim pastores sunt) ea quæ propria ratio pepererat figmenta docuit, de qubus filebimus. Non enim primarius nostri instituti scopus est, Musulmanorũ iniquas & erraticas confutare opiniones, sed tantummodo augustam illam, sanctam, iustam & honestam Christianorum religionem exponere. Quarere deundum ad id, unde digressi sumus.

Cum Adam filios genuisset & filias, et ijsdem similiter filios & filias progignentibus, humanum genus super terram multiplicatum est. Sed Adam cum Eua sua, quamuis seducti à diabolo, dum diuinitatẽ affectãt, paradisum quoq; quem habebant, amisissent, nihilominus tamen Deum adorauerũt, creatorem & factorem suum. Horum autem posteri cũ à ueritate deflexissent, inciderũt in nefanda scelera, opera horrẽda dictu, & peccata ipsas naturæ leges excedentia, quæ uirum bonũ nec nominare quidem decet. Nec tantum in hisce prauis multisq;, ut diximus, peccatis peccauerũt: sed relicto etiam Deo cœli et terræ creatore, adorauerũt creaturas, & creaturã plus quàm creatorem coluerunt. Hi enim solem adorauerunt, illi lunã, alij stellas, & hæc omnia ipsius dei nomine dignati sunt. Et quemadmodũ in tenebris profundis ambulantes, ea quæ ipsis propinqua sunt nõ uident, alia uero quæ nusquã sunt, esse imaginãtur, ita et illis cõtigit. Longius enim à uera luce digressi, & in tenebris ignorantiæ ambulãtes, deũ quidẽ uerũ auersati sunt: et idola coluerũt, et in ijsdẽ lætati sunt. Et Ægyptij quidẽ bouẽ adorabãt, & aquã: Africani ouẽ, Indiuinũ, alij fluuios et fontes, alij statuas erexerũt, & stulti manuũ suarũ opera pro dijs coluerũt. Desino enumerare singularũ regionum errores, propter infinitam copiam. Ex his enim ceu particularibus, unusquisque reliqua quoque cognoscere poterit. Veruntamen non eò usq; tantum illorum uecordia processit, sed & Scythis mos erat deo suo, eos qui ex naufragijs saluati erant, immolare, quotquot saltem deprehẽdi possent

sent:sicq; quos propria seruauerat solertia, illorum trucidabat crudelitas. Alij rursum homines bello captos numerãtes, è centenis singulis unũ immolabant. En tibi cædes, & crudelitatẽ omnibus brutis & feris ferociorẽ. Nullũ animal cum generis sui consorte pugnat, nec illud perdit: hi uero ipsis feris longe immaniores esse cõuincuntur. Non enim peregrinos modo & alienigenas occiderũt, uerum etiam fratres & sanguine iunctos. Cretenses enim et Phœnices, cum corda haberent ære duriora, dæmonibus proprios filios et filias sacrificabãt. Cæterum priusquã hæc fierent, diluuiũ Noe temporibus inũdauit, et aquis submersa est omnis anima uiuens, tam hominis quàm omniũ aliorum animaliũ, uolatiliũ, et quadrupedũ, propter peccata, quæ tunc temporis inter homines esse deprehendebãtur: seruatæ aũt sunt in arca non plures quàm octo animæ, Noe scilicet & uxor illius, tres filij ipsius, & uxores eorũ. Noe uero singulorũ animaliũ genus in arcam induxerat. Deus aũt optimus & benignus, denuo præcepit humano generi, Crescite, multiplicamini & implete terram: similiter et animalibus. Sed rursum ad impietatem delapsi sunt homines, quam modo per partes exposuimus. Melchisedek uero, Abrahã, & Loth illius ex fratre nepos, dei altißimi cultores se esse declarauerũt: totus aũt mũdus diabolo seruiuit, et idolis. Deus itaq; benignißimus cũ uidisset nobilẽ illam creaturam suam, genus humanum scilicet diaboli tyrannide pressum, qui uiuentes quidẽ fascinaret et deciperet ut ipsum ceu deum colerent, mortuorum uero animos in tristi & obscuro inferno detineret, misericordia ductus, salutem dare uoluit. Modum itaque quo humanum genus ad salutem peruenit, diligenter percipe.

Ipse quidẽ homo seipsum iuuare nõ poterat, partim quidẽ quod nõ uellet, eo quod uoluptates summi boni loco duceret (in tantũ enim erroris inciderat à malo excæcati) partim uero, quod uerũ deum ignoraret, seruiret aũt idolis & dæmonibus, et in tenebris ignorãtiæ desidens, deũ nõ agnoscebat, sed in hostis permanebat captiuitate. Quin et hoc concedimus statuimusq;, quod animaduerterũt quidem in quantũ malorũ barathrum incidissent: sed quomodo seipsos iuuarẽt, qui maiorũ suorũ Adami nempe maledictione tenebantur? et quo modo immortales redderẽtur, qui mortẽ ceu hæreditario iure acceperant? Omnes enim ex Adã geniti, mortales facti sunt, propter Adami patris ipsorũ transgressionẽ. Quoniam igitur homo aut ignorauit de quanta sublimitate et magnificentia excidisset, & in quantũ delapsus esset ignominiæ barathrum: aut hoc forte cognito, sibijpsi tamẽ subuenire non poterat,



periculũ iam erat, ne peccato semper nobis præsenti, mors etiam omni homini dominaretur. Illud igitur Dauid perspiciẽs dixit, Homo cum in honore esset nõ intellexit. cõparatus est iumẽtis insipiẽtibus, & illis similis est factus. Deus uero humani fautor generis misericordia motus, imaginem suam ulterius diaboli imperio premi non permisit. Incepit igitur ab Abrahami temporibus reuocare & restituere hominem. Cum enim Abrahã genuisset Isaac, et hic Iacobũ, Iacob aũt duodecim filios eius, undecim ex illis aduersus fratrẽ suum Ioseph inuidia moti, eum ligauerunt Gen. 37.
& dimiserunt in cisternã, & tandem Ægyptios quosdam nacti, uendiderũt. Hi uerò Iosephũ in Ægyptum abductũ dederunt Pharaoni, qui eum totius Ægypti dominũ constituit. Exorta aũt fame descenderũt Iosephi fratres in Ægyptũ, ut inuenirent alimẽta. Ioseph uero cognitis fratribus suis, eos aluit, oblitus commißi ab illis aduersum se facinoris, aduocato simul ad se patre suo Iacob. Sed hic typus erat Christi. Quemadmodum enim Ioseph à Germanis suis fratribus damnum malumq; accepit, sed huius immemor bonum pro malo repẽdit fratribus in se iniurijs: sic & Christus inuidia uexatus à popularibus suis Iudæis, ligandus erat, & in sepulchrũ ceu cisternam deponẽdus, & tradẽdus morti. Sed quemadmodũ Ioseph Ægypti dominium consecutus, patrem et fratres suos à morte, per famẽ illis imminente, liberauit: sic & Christus cũ portas mortis cõtriuisset, & dissoluisset diaboli imperiũ, seruauit credentes in ipsum ex Iudæis & gentibus, quin et ipsum primũ parentẽ Adam. Et Iacob, ut dictũ est, Ægyptũ ingressus cum animabus septuaginta quinq;, mãsit illic usq; ad tempus mortis suæ. Retenti uero sunt illic posteri eius annis circiter quadringẽtis et triginta, seruientes Pharaoni & Ægyptijs seruitute tristi & luctifica. Post hæc aũt deus misso Mose eduxit et liberauit eos ex seruitute Pharaonis & Ægyptiorũ, cum ederet is miracula et prodigia magna in Ægypto, et educeret ipsos per mare rubrũ diuisis et scißis fluctibus, Pharaonem aũt cum omni suo exercitu demergeret. Iudæis aũt longo tempore in deserto commorantibus, deus manna dedit. hi uero murmurabant, & uerbis suam prodebant ingratitudinem. Moses aũt illos admonere non desiit. Cum uero hic in montem Sinai ascẽdisset, legem à deo accepturus, Hebræi, qui prius ingrati & murmuratores fuerãt, etiam impij facti sunt. Dicunt enim Aaroni fratri Mosis, Fac nobis deos, qui præcedant nos. quid enim Mosi illi, qui nos eduxit Ægypto contigerit, nescimus. Et aurum quantum sufficiebat corrogantes, fecerũt imaginem uituli, et huic tanquã deo ab illis recepto sacrifica-

crificauerunt,& in tam absurdo lætati sunt faci
nore. Moses uero reuersus,tanto scelere uiso con
fregit acceptas à deo legis tabulas. Et dixit deus,
Delebo genus ipsorũ,et constituam te regem su
per gentẽ magnã et populosam. Ille uero noluit,
sed deũ multa obsecrãs hortansq; interceßit pro
illis:et nõ deleti sunt. Obserua igitur nunc,deum
non de his locutũ esse ad Abrahã, cum dicit, In
semine tuo benedicẽtur omes gentes:sed de Chri
sto. Mose aũt pro Hebræorũ populo interceden
te,lex illis denuò data est. & tunc deus ad He-
bræos per Mosem locutus est:Ego sum deus pri-
mus,& deus in futurũ,et post me deus alius non
est. Hæc igitur ita se habẽt quemadmodũ deus lo
cutus est,et præcepit. In literis uero tuis hoc ceu
magna accusatione dignũ cõtra nos,qui Christia
ni dicimur, continetur, quòd Deo dicente, Ego
sum deus solus,et diuinitatis consortẽ nõ habeo,
nos tamẽ dicamus Christũ deum esse,et dei filiũ:
unde etiam multos deos adoremus. Cæterũ ana-
thema sit, quisquis uel duos uel tres plurés ue
deos adorauerit:nos uero unũ deum uerũ adora
mus,creatorem cœli & terræ. Deus enim He-
bræis præcipiẽs ne posthac idolorũ cultui inser-
uirent,dixit: Qui idolis credunt, multis dijs cre-
dunt. Christiani uero,quæ recta sunt sentientes,
uni deo credũt,& non multis. iuxta Christi do-
Ioan.10, et 14. ctrinam quam in Euãgelio tradidit,dicẽs: Ego et
pater unum sumus,et qui me uidet,uidet patrem
meum. Vos aũt cum scripturas ignoretis, à ueri
tate exciditis:et cum hoc factũ fuerit,alijs audi
tis, alia et diuersa intelligitis. Hebræi uero deum
misericordẽ experti, nequaquã perierũt:terram
tamen promißionis nõ uiderũt,sed à deo damna
ti,multis erroribus hinc inde per desertũ circum
ducti sunt annis circiter quadraginta,donec om
nes illi mortui sunt, ne scilicet terram uiderent,
quam deus se filijs Abrahã daturũ promiserat.
Post obitũ uero illorũ, liberi horũ terrã promiß
sam ingreßi sunt,in qua simul bona quàm pluri-
ma sunt adepti. Et hanc incolentibus deus pro-
phetas misit,& doctores:sed alios quidẽ illorum
occiderũt,alios uero lapidauerũt, & seipsos in-
gratos exhibuerũt,& beneficiorũ dei immemo-
res. Verum nõ ingrati modo fuerũt, sed etiã per
petuo ferè idolorum cultibus dediti, & propter
hoc tradidit eos deus in captiuitatẽ. Denuò aũt
illorũ misertus,eos reuocauit:eademq; de causa
ultimis iam tẽporibus appropinquãtibus cõpla
citum illi est,& decreuit ut filius et uerbũ suum
in mundũ ueniens saluaret hominẽ,quem diabo
lus deceptũ à deo abduxerat, ut creaturæ seruiret et diabolo. Filius itaq; et uerbũ dei cœlitus de
scendẽs, carne ex diua uirgine Maria assumpta
homo factus est,quemadmodũ suprà sanctorũ et



prophetarũ testimonijs demonstrauimus. Et ho-
mo factus cum annis uixißet triginta,cœpit do-
cere populum, illisq; ueritatis & iustitiæ uiam
ostẽdere,docensq; operatus est,et inter operãdũ
docuit,ediditq; miracula magna et stupenda,nõ
quemadmodũ olim nõnunquã aliquot sanctorũ
in nomine dei fecerũt ceu serui,sed cum imperio
& authoritate fecit et operatus est quæcunq; fe
cit. Dicebat enim illi leprosus: Domine si uolue-
ris, potes me mũdare: et dixit illi Christus, Volo, Matth.8
mundare. Sic dixit paralyticus, Domine annis
iam triginta & octo decubui, nec habeo quen-
quam,qui cum aqua turbata fuerit, me in illam
immittat. Angelus enim Domini descẽdebat cer Ioan.5
to tẽpore,et turbabat aquã,in quam qui primus
descenderat,sanus reddebatur,à quocunq; mor-
bo,quo laborauerat. Cum itaq; paralyticus infir
mus hominumq; destitutus auxilio, illic iuxta pi
scinam per annos triginta et octo decubuisset,il-
lum uidẽs Christus, misertus illius dixit ad eum,
Vis ne sanus fieri? Hoc uero Christum adoran-
te,& credente,dicit ad eum Christus, Tolle lec-
tum tuum, & abi in domum tuam. Similiter fa
ciebat ubique, quócunque locorum incederet.
Cæcos sanauit,uisumq; restituit,surdis auditum
reddidit,claudos incedere fecit, paralyticos ner-
uis firmis et uiuacibus cõfirmauit,mortuos resu
scitauit,dæmoniacos authoritate summa libera
uit,et ut summatim cõprehendã,omnia fecit in- Ioan.9
star dei,iuxta ipsius uoluntatẽ et arbitriũ. Venit
ad illum qui cæcus fuerat à natiuitate sua,et ora
uit illum:cumq; alios cæcos nudo et solo uerbo
sanauisset,hunc nõ item:sed in terrã expuens,lu
tum ex sputo fecit,oculosq; illius inũxit, dicens
ad illũ, Abi,ablue in piscina Siloe: & cum lauis
set,uisum recepit. Quid nam hoc factum denota
uisse putabimus, quod alios cæcos solo uerbo sa-
nauit,ad hunc uero sanandum,lutum fecit? Non
aliud certe,quàm cum alij cæci,à natiuitate sua
oculos habuerint sanos,postea oculis capti sunt:
hoc uero oculis omnino carẽte ab ipso matris ute
ro,lutũ fecit dominus,innuẽs se hunc eundẽ esse,
qui è luto hominẽ formauerit, & huius nunc in
corpore defectũ luto sumpto cõpleat, Deinde di
xit cæco, Credis in filiũ dei? Respondit ille, Et
quis est domine ut credã in illum? (cum enim cæ
cus fuisset,Christũ non nouerat)et dixit illi Chri
stus,Ego sum,qui loquor tibi. Tunc dixit cæcus,
Credo domine,et adorauit illum. Similiter et mi
lia aliquot hominũ quodã die Christũ erant secu
ti,uerbũ ipsius et doctrinã audiẽtes:et cum esurì
rent,non inuenerunt in loco illo plures panibus
quinq;,et duos pisces. Et benedixit illis Christus,
præcepitq; discipulis,qui omnib. istis panes ap-
posuerunt,de quibus comederũt omnes,& satu-
ratẽ

rati sunt, & reliqui fuerunt cophini duodecim pleni panum fragmentis & piscibus. Sed quis horum sensus? Partim quidem ut edant famelici, partim uero ut intelligant & animo suo meditentur, hunc illum esse qui in deserto patres ipsorum manna cibauerit. Porrò, homo quidam mortuus est & sepultus, cumq; in sepulchro dies
Ioan.11 egisset quatuor, defuncti sorores accersiuerunt Christum. hic autem dicit illi, Lazare exi foras. Et illico qui mortuus fuerat, sepulchrum egressus est, & ambulauit, ligatus manusq; pedesq; (sic enim moris erat Iudæorum mortuos sepelire) & sic resuscitationis miraculo aliud illud incessus sui miraculum successit. Sed cur hæc facta? Vt quum homines uiderent hunc non tantummodo mortuos excitare, sed etiam hunc quatriduanum, intelligerent hunc esse uitæ & mortis dominum: & ut si Christum postea sepultum uiderent, crederent hunc qui propria uirtute mortuos excitauisset, multo magis potestate sua suum ipsius corpus esse excitaturum. Dicebat enim discipulis suis apostolis, Nemo tollit animam meam à me. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo recipiendi eam. Quòd tamen singulis diebus credentibus in Christum turbis hominum innumerabilibus, ipsumq; Deum et Dei filium confitentibus, pontifices, scribæ, & horum principes contra Dei doctrinam instructi, huic essent contradicturi, ex Esaiæ prophetia prædictum erat, qui dicit:
Esa.6 Oculos habentes non uidebunt, & aures habentes non audient. incrassatum est enim cor eorum, & oculos ipsorum occluserunt, & auribus difficulter audiuerunt. Quæ prophetia omnis impleta est. Miracula enim edente Christo, tanquàm cæci apparuerunt: & hoc docente, surdis fuerunt similes, instar aspidis surdæ & obturantis aures suas. Et tunc quidem dicebat ad illos Christus: Quod si cæci essetis, non haberetis peccatũ: nunc uero dicitis, uidemus. peccatũ igitur uestrũ in uobis manet. Tum etiam alibi dicit de
Ioan.9 illis Christus: Si ex Deo essetis, utiq; diligeretis me. Nihilominus tamen hæc Christo faciente, haud quaquã ad cognitionem peruenerũt: quin potius occasionem quærebant, qua eum interficerent. Sed quid attinet de miraculis ipsius, quæ in Hebræorum gente fecit, dicere, cum infinita sint & innumerabilia? Sed nec illis editis ad cognitionem peruenerunt, uani & errabundi homines: uerum inuidia & improbitate uicti quærebant omni modo & conatu, quomodo in Christum accusationem aliquam mouere, ipsumq; benefactorem suum interficere possent. nec aliam inuenerunt, quàm quod blasphemum dicerent, qui se dixisset Dei filium, & qui cum homo esset, se eum esse iactitaret. Et cum audirent Christum dicentem credentibus in se, Remittuntur tibi peccata tua: dicebant, quem nam teipsum facis? &, quis nam potest remittere peccata præter solum Deum? Et sanè uere dixerunt Iudæi, quod solius Dei sit peccata remittere: nam ignorantes hi miseri, quod Christus Dei esset filius, ea quæ modò diximus, dixerunt: & obtenebratum est imprudens cor ipsorum, & obcæcati sunt oculi ipsorum, nec uiderunt quod cum authoritate hæc faceret, quæcunq; faciebat. Vnus enim discipulorum Christi Petrus, quum in naui esset, Christo uiso dixit, Iube me ad te uenire super aquas. Et dixit illi Christus, Veni. Hic autem nauim egressus, aquis inambulans ad ipsum uenit. Hoc cum contigisset, quid nam aliud illos cogitare oportebat, quàm quod idem ille esset, qui mare rubrum dissecuerat, & patres illorum sicco traduxerat pede, qui etiam nunc humidam natura materiam aquarum instar aridæ solidam solo uerbo & mandato suo fecerat? Sed quo plura his similia miracula coràm uident, eo magis ira & furore tumultuantur. Deinde tempestate orta uehementi simul & magna in mari, adeò ut nauis, in qua erant Christi discipuli, obtegeretur fluctibus, magna uoce ipsi exclamauerunt. dicentes, Iesu serua nos, perimus. Christus autem ipsi mari imperiose simul & cum authoritate præcipit, Tace, obmutesce: & statim facta est tranquillitas magna. Iudæi itaque uiso hoc inopinato miraculo attoniti, magna uoce clamauerunt: Quis est hic, quod & uenti et mare illi obediunt? Verum tamen miracula uiderũt infinita, & naturam rerum exuperantia: ipsi uero prorsus incorrigibiles permanserunt: unde & Christus ad ipsos dicit, Ego sum ostium. Et alibi, Ego sum uia. Rursus alibi, Ego sum ueritas. Quod si mihi nõ creditis, uel operibus credite. Hæc uerò Christus dixit, ut qui obcæcati erãt Iudæi, cognoscerent quod nullus prophetarũ & sanctorũ tanta cũ autoritate sermones suos ut dominus, protulerit, sed seipsos seruos et ministros esse ostẽderunt. Christus uero non sic: sed ceu dominus & princeps creaturæ cum autoritate dixit & fecit omnia instar dei. Et sanè ex populo et turbis magna hominũ multitudo in illũ credidit: exscribis uero, Pharisæis & principibus pauci, & faciles numeratu. His igitur sic absolutis, et tantis infinitisq; editis miraculis, atque doctrina uera per tres annos cõtinuos singulis diebus per Christũ annũciata, proferẽte etiam illo nonnunquã prophetarũ testimonia (nõ quod testimonijs aliorũ de se indigeret, sed propter incredulitatẽ, et Iudæorũ animi duritiã, tũ deniq; propter hominũ infirmitatẽ) nõnũquã etiã hoc citãte Abraamũ

aut

aut Moſen, imprimis uero deum ipſum patrem ſuum, Iudæis autem nihilominus incurabili morbo circa hæc laborantibus, nec propriam illorũ ſalutem uolentibus admittere, relictis his Chriſtus ea quæ ad uniuerſalem totius mundi ſalutẽ faciunt, agere cœpit, & dicere diſcipulis ſuis, quæ nam illi eſſent euentura. Ecce, enim inquit, Matth.16 aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotũ & ſcribis, tradentque eum gentibus, & flagellabunt eum, & illudent illi, & deſpuent in illum, occident illum, & tertia die reſurget: & auditis his diſcipuli eius mœrore affecti ſunt ualde. Tunc ſubduxit diſcipulos ſuos Chriſtus, & aſcendit in montem Thabor, & refulſit facies illius, Chriſti ſcilicet, pluſquàm ſol, et ueſtimenta illius facta ſuerunt uelut nix. Videntes uerò diſcipuli ſplendorem faciei illius, ceciderunt in terram: non enim poterant hunc ferre. Viderunt autem & Moſen & Heliam cum Chriſto colloquentes, forma ſeruili. Nunc itaq; hoc factum cõſidera. Primo quidem ut apoſtoli uiſo ſplendore diuinitatis ſuæ certo intelligerent, quod ſua ſponte & propria uoluntate ſua in mortem traderetur, non aliorum potentia coactus. Secundo, ut hinc conſolationem & animi tranquillitatem acciperent, & à mœrore, quem ex narratione paſſionis Chriſti antè conceperant, ſeſe reuocarẽt. Tertio, ut uiſo Moſe & Helia prophetis cum reuerentia Chriſto aſtantibus, certi redderentur, hunc omnium prophetarum ſimul et omnis creaturæ eſſe dominũ. Verum & hoc miraculum ingens, quod quemadmodũ Chriſto in Iordane baptizato, ſic etiam hic uox de cœlo diſciſſo facta eſt, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ eſt, ipſum audite. Hoc nimirũ oratione hac innuente, ut partim quidem pleniſſime certi & ſecuri redderentur, hunc filium et uerbum dei eſſe: partim uerò, ut quia iam tempus ſepulturæ Chriſti inſtabat, & poſt ſepulturam & reſurrectionem apoſtoli ad prædicationẽ emittendi erant: hi uero licet pauci eſſent, indocti & infirmi, non tamen ad ſuam infirmitatem, ſed ad dei potentiam reſpicerent, & ut Chriſti gloria & ſplendore uiſo, deiq; patris uoce & teſtimonio audito intelligerent unum Deum eſſe & patrem & filium, quodq; una ſit diuinitas natura & potentia patris & filij, utq; in dei potentiam confiſi cum alacritate prædicationis notium aggrederentur. Et impletur hic Dauidis prophetia dicens, Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Cæterum Moſes ille propheta dixit, ut & antè annotatum eſt, Deut. 18 Prophetam excitabit dominus deus ex fratribus ueſtris, ſicut me. Omnis anima, quæ non audiuerit Prophetam illum, extirpabitur.



Quod uero hic dixerit, Omnem animam quæ non audiuerit prophetam illum, eſſe extirpandam, & quod omnia quæ à Moſe & prophetis dicuntur, uerba dei ſint, manifeſtũ eſt, & uerum eſſe conſtat. Nihilominus tamen & in baptiſmo & in trãsformatione uox cœlitus demiſſa eſt, et non per hominẽ, ſed immediate per ipſum deum patrem. Viden' igitur, quomodo primitus & ab initio paulatim ea quæ Chriſti ſunt, apparuerint? Et quemadmodum poſt noctis tenebras non repente ſol uidetur, ſed primò ſplendor, deinde lumen, tandem uerò ipſe ſol: ita etiam de Chriſto factum eſſe uidemus: paulatim enim cœpit: deinde ipſe Chriſtus ſol uerus & rationalis lucem in mundum intulit, et in animas illorum qui in eum credunt. Deinde Hieroſolymam Chriſtus ipſe aſcendit, ut ipſius impleretur paſsio, quemadmodum apoſtolis prædixerat. Et ingrediente ipſo in urbem, cœpit populus exclamare & dicere (imprimis aũt Hebræorũ pueri) Benedictus, qui uenit in nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis, Luc.19 Matth.21 Rex Iſraelis, Pax in cœlo et gloria in altiſſimis. Furore aũt repleti ſcribæ & phariſæi dixerunt Ieſu, Increpa illos ut taceant. At Chriſtus reſpondit illis, An nunquam legiſtis prophetam dicentem? Ex ore infantium & lactentium concinnabo laudem. Quod ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. En etiam nunc attende. Angeli in ipſius Chriſti generationis celebratione cecinerũt, Gloria in excelſis deo, et in terra pax, in hominibus bona uolũtas: nunc uero dixerunt pueri, Hoſanna in altiſſimis, benedictus qui uenit in nomine domini rex Iſraelis, Pax in cœlo, & gloria in altiſſimis. Quis uero dominus ſuper terram uocatur? Nullus alius certe præter Deum. Dicuntur equidẽ etiam multi hominũ domini, ſed cum appoſitione nominis ſui: ut legimus de Ioſue filio Nun dicente, Dominus meus Moſes: & de alijs multis dicẽtibus, Dominus meus Dauid. Quam dicendi conſuetudinem etiam hodie inter homines ſeruatam uidemus. Domini uero nomen ſic indefinite nemini alij quàm ſoli Deo tribuitur. Quapropter Chriſtus cum deus eſſet, non modo non increpauit dicentes, Hoſanna in altiſſimis, &c. ſed etiam Dauidis citauit teſtimonium, dicens, An non legiſtis prophetam dicentem? Ex ore infantium et lactentium concinnaui laudem. Qui uero lapides ſunt, quos Chriſtus uociferaturos dixit? Gentes nimirum, qui tunc quidem cor habebant durum ad fidem ſuſcipiendam, paulò poſt uero clamauerunt ipſis tonitribus clarius & ſublimius: quin & ſepulchrorum lapides planè & apertè, qualiter uix unquam, domini reſurrectionẽ cum diuina uirtute et poteſtate factam exclamauerũt. Poſt hæc uero dicit diſcipulis ſuis

Chriſtus

Christus: Ecce ascendimus Hierosolymã, et perficientur omnia quæ scripta sunt à prophetis de filio hominis. Tradetur enim gentib. & illudetur illi, calũnias patietur, & despuetur, & flagellatũ occident, tertiaq; die resurget. Et cum cœna iam esset finita, dicit discipulis suis: Vnus uestrũm prodet me. Et interrogauerũt eum singuli, Num ego sum? Et nulli horum respondit: Tunc & Iudas qui erat ex discipulorum numero, dicit, Num ego sum? Dicit illi Iesus, Tu dixisti. Et paulò pòst dicit illi, Quod facis, fac cito. Non enim poterat quicquam nec Iudas nec alius cõtra Christum facere, nisi hoc cum illo consentiente. Mox autem postea rursum dicit discipulis suis Christus: Ex nunc appropinquauit tempus, quod prædixi uobis. Cæterum nõ turbetur cor uestrum, neq; formidet. Et postquam docuisset & animauisset eos sufficienter, dixit eis: Nũc quidem dolebitis, mox autem lætabimini, & gaudium uestrum nemo auferet à uobis. Surgite, eamus hinc. Et abijt in locum consuetum. Pontifices autem cõgregati cum scribis & pharisæis & omni concilio eorum, dixerunt: Quid faciemus? quoniam homo hic multa signa edit. Si sic permiserimus eum, uenient certè Romani, & tollent nos et locum hunc & gentem. Conducit ut moriatur. Iudas autem Iscariotes profectus ad pontifices & scribas, dixit illis: Quid dabitis mihi ut ego prodã illum? Et dederunt illi triginta argenteos. Et paulò pòst Iudas turba multa assumpta, eò deuenit ubi Christus inueniebatur. Quibus uenientibus, dicit discipulis suis Christus, Surgite eamus. ecce qui me prodit, appropinquat. Et accedente Iuda cum Iudæorum turma, dicit illis Christus, Quem quæritis? Dicunt illi, Iesum Nazarenũ. Dicit illis Christus, Ego sum. Et hoc audito, omnes prostrati sunt in terram. Num igitur qui tot ac tanta fecerat miracula, qui una uoce prostrauit quærentes se, nõ potuit nunc efficere ne illum comprehenderent? Haud dubiè igitur sua sponte illis traditus est. Tunc dicit illis Iesus: Si igitur me quæritis, sinite hos abire. & dimissis discipulis ipsis, cõprehenderũt Christum. Vides ne quomodo ante quidem unico uerbo prostrati ceciderint: deinde uerò cum diceret illis, Sinite hos abire si me quæritis, solus propria sua uolũtate cõsentiente his traditus sit? Demonstrauit itaq; in se & potentiam suam, & uoluntatem. Quapropter & Dauid dixit, Traditus sum. & non declinaui. Si enim Christus cum euadere posset, traditus est, uolens seipsum tradidit. Abduxerũt itaq; Christum ad pontifices. Discipuli autem timore correpti fugerũt. Sacerdotum autem principes propter Iesum comprehensum gauisi sunt, & aduocatis duobus falsis testibus contra illum, quæcunq; libebat dicebant mendacia. Iesus uerò tacebat. Dicit igitur illi summus sacerdos: Adiuro te per Deum ut dicas nobis, num tu sis filius benedicti, uel, num tu sis Christus filius Dei uiuentis. Dicit illi Iesus, Ego sum. Veruntamen dico uobis, à nunc uidebitis filium hominis sedentem à dextris potentiæ, & uenientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit uestimẽta sua, dicẽs: Blasphemauit, quid ultrà indigemus testibus? Ecce uosipsi audiuistis blasphemiam ipsius. Quid uobis uidetur? At illi dixerunt, Reus mortis est. Quidam igitur astantium dedit illi alapam. Et cum illusissent illi, abduxerunt illum, & tradiderunt Pilato. Iudas uerò abiens dicit principibus sacerdotũ: Peccaui, prodens sanguinem innoxium. & argenteis in templum proiectis, abijt, & suspendit se. Pontifices uerò pecunijs acceptis, dixerunt, Non licet eam ponere in corbonam, quoniam precium sanguinis est. emerunt igitur hac agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Milites autem præsidis acceptum Iesum exuerunt uestibus suis, & induerunt illum chlamyde probrosa, & abduxerunt eum ad regem Herodem. Et cum uidisset illum Herodes, remisit illum Pilato. Hic uerò interrogauit eos, dicens: Quid dicitis de homine isto? At illi dixerunt, Crucifige illum. Pilatus uerò inquit, Et quidnam mali fecit? At illi dicunt, Obloquitur Cæsari, & seipsum dicit Dei filium. Et sic conturbabant Pilatum. Hic uerò uoluntati illorum satisfacturus, accepta aqua coram omnibus, manus abluit dicens, Innoxius ego sum à sanguine iusti huius. uos uideritis. Illi uerò dixerũt, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et tunc tradidit Iesum militibus, ut crucifigeretur. Illi uerò cum accepissent, illi illuserunt, & expuerunt in faciem eius, & flagellauerunt eum: quin & uestimenta illius diuiserunt. Gestabat uerò tunicam incõsutilem, super quam iecerunt sortem, quisnam illam acciperet. Et cum hæc fecissent, abduxerunt Iesum ad crucifigendum illum. Dederunt etiam illi potum, felle mixtũ acetum, & crucifixerunt eum. Et obtenebratus est sol ab hora tertia usq; ad horam nonam: & hora nona emisit spiritum, astantibus simul cruci sancta matre ipsius, & uno discipulorum Ioanne. Reliqui uerò discipuli omnes aufugerunt, & latuerunt absconsi præ timore suo. Et accedens quidam militum, lancea perfodit latus ipsius. Postea ueniens quidam optimatum Ioseph nomine, à Pilato corpus Christi petijt. et deponens illud, adiuuante simul alio quodã, Nicodemo scilicet, inuoluit sindone & myrrhæ fere libris centum, prout mos est Iudæis sepelire. Nactus uerò sepulchrum excisum in petra, sepeliuit corpus Iesu, & imposuit illi lapidem ualde magnum. Crastina autem

die scribæ & pharisei uenientes ad Pilatum dixerunt illi, Domine, recordati sumus, quod impostor hic uiuens adhuc dixerit, se post dies tres resurrecturum. Iube igitur muniri sepulchrum usque ad diem tertium: ne forte discipuli illius uenientes furentur illum, et dicant populo quod surrexit à mortuis: & sic error postremus deterior sit priori. Dixit Pilatus: Habetis custodiam, abite & custodite quantum potestis. Hi autem profecti muniuerunt sepulchrũ, obsignantes lapidẽ unà cum custodia, (custodiã autem hoc loco turmam militũ intelligas.) Et tertio die factus est terræmotus magnus, & deuolutus est lapis de sepulchro, & milites præ timore mortuis sunt similes facti. Christus autem surrexit è sepulchro. Milites uerò profecti annunciauerunt principib. sacerdotum & scribis, omnia quæ facta fuerant et dederunt illis pontifices pecuniam copiosam, dicentes illis, Dicite quod uobis dormientib. uenerint discipuli illius, & furati sint illum. Quòd si hoc coram præside auditum fuerit, nos persuadebimus eum, uosq; omni cura exoluemus. Hi uero pecunia accepta, fecerunt ut docti fuerant. Iesus autem abiẽs inuenit discipulos suos, et dixit illis, Pax uobis. Hi uerò uidentes illum gauisi sunt. Et cum mansisset apud illos dies quadraginta, docens & confirmãs illos, die quadragesima illis dixit: Abeuntes ite in mundum uniuersum, prædicate in omnes gentes. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluabitur. Qui uerò non crediderit, cõdemnabitur. Credentes autem signa hæc consequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis nouis loquentur, serpens tollent, et si quid letiferi biberint, non nocebit illis: super infirmos manus ponent, & sanabuntur. Vos autem sedete hierosolymis donec uirtute ex alto induamini. Et benedixit illis, interq; benedicendum secessit ab illis, & sublatus est in cœlos, & sedet ad dextrã DEI. Apostoli autem reuersi sunt Hierosolymam cum gaudio magno, expectantes uirtutem ex alto promissam. Quis autem horum omnium sensus? Quod si singula secundum omnem diligentiam discutere uellemus, omniaq; quæ facta sunt describere, multo sanè opus haberemus ocio. Quoniam autem uaria est horum ratio, & explicatu difficilis propter uestram ignorantiam, agedum quod reliquum est breuissimis uerbis, quantũ fieri potest, absoluemus. Inspiciamus itaque prophetias, quæ de Christi passione copiosissimæ, ceu torrens aquis auctus niualibus, habentur.

Congregati sunt pontifices, scribæ, pharisei, tum etiam rex Herodes et Pilatus aduersus Christum. Dauid autem dicit, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt Psalm. 2.



reges terræ, & principes conuenerunt in unum, contra Dominum, & contra Christum eius.

Prodidit Christum Iudæis in mortem Iudas discipulus eius. Et rursum de eodem idem Dauid loquitur: Inimici mei dixerunt mihi mala, quando moritur, & perit nomen eius? Et ingrediebatur ut uideret, uana loquebatur cor illius, congregauit iniquitatem. Egrediebatur foràs, & loquebatur in idipsum. Etenim homo pacis meæ qui comedit panes meos, magnificauit aduersus me supplantationem. Constitue super eum peccatorem, & calumniator stet à dextris eius. Et cum iudicatur exeat condemnatus, & preces eius fiant in peccatum. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. In generatione una deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur. Dispereat de terra memoria eius. Dilexit maledictionem & ueniet ei: & non uoluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Pſal. 41 Pſal. 108

Apprehenderunt Iudæi Christum, & abduxerunt eum ad principes sacerdotum. Et de hoc Ieremias dicit, Ego uerò tanquàm agnus innocens ducebar, ut macletur. Iere. 11

Accepit Iudas triginta argenteos, & abiecit eos, emeruntq; pro illis agrum figuli. Et Ieremias dicit: Statuerunt triginta argenteos, precium appreciati, quem æstimatum emerunt à filijs Izrael, & dederunt ea in agrum figuli, quem admodum constituit mihi Dominus. Habentur hæc Zach. 11.

Venerũt falsi testes, & mendacia aduersus Christum locuti sunt. & rursum dicit Dauid, Surgentes in me testes iniqui, quæ ignorabam interrogauerunt me, & reddiderunt mihi mala pro bonis. Pſal. 34

Congregati sunt apud principes sacerdotum, Annam & Caiapham, illudentes Christo, de hoc Dauid: Circumdederũt me canes multi, tauri pingues circũsteterũt me. Opprobria opprobrantiũ tibi ceciderunt super me. Multiplicati sunt supra pilos capitis mei, qui me odio habent sine causa. Corroborati sunt inimici mei, & qui me persequuntur iniuste. Quæ nõ rapui de illis, mulctatus sum. Hoc est, Adam quidem ex arbore prohibita comedẽs, iuste mortuus est: Christus uerò peccati ignarus, iniuste mortem subijt. Pſal. 21 Pſal. 68

Tradiderunt Christum Pilato, Pilatus rursum militibus: hi uerò exuerunt eum, & diuiserunt uestimenta illius, super tunicam uerò inconsutilem miserunt sortem, ne eam discinderent. & de hoc Dauid loquitur: Diuiserunt uestimenta mea sibijpsis, & super uestitum meum miserunt sortem. Pſal. 21

Induerunt eum tunica probrosa. de quo etiam

Dauid

Psal.35. Dauid: Ego uerò cum tumultuantur in me, sac-
cum induebam.

Flagellauerunt Christum, & alapas illi inflixerunt, inspuerunt in faciem illius. Et de hoc E-
Esa.50 saias: Ego uerò non inobediens sum, nec obloquor, tergum meum dedi ad plagas, & maxillas meas ad alapas. Faciem dutẽ meam non auerti à pudore inspuentium. Et Dominus mihi auxiliator factus est, eò quod nõ auersus sim, sed posui faciem meam ceu patrem stabilem, & cognoui quod non confundar.

Psal.68. Dederunt illi fel aceto mixtum, & Dauid dixit: Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Abduxerunt Christum ut illum crucifigerent.
Esa.53. & Esaias dicit: Tanquàm ouis ductus est ad mactationem, et tanquàm agnus coram tondente ipsum mutus, sic non aperit os suum in humilitate sua. Iudicium illius sublatum est: generationem uerò eius quis explicabit? quoniam aufertur de terra uita ipsius.

Interrogauit eum Pilatus, Tú ne es filius dei? & dixit illi Christus, Tu dixisti. Pilatus uerò
Psal.21 tradidit eum ut crucifigeretur. & Dauid dicit: Clauis perforauerunt manus meas & pedes meos.

Confoderunt latus ipsius lancea, & de hoc
Zach.12 Zacharias: Respicient in me, quem pupugerunt.

Obtenebratus est sol Christo in crucem suspenso, ab hora sexta usq; ad horam nonam, & sic di-
Zach.14. cit Zacharias: Et dies hæc cognoscibilis Domino, & nõ dies, et nõ nox, & sub uesperã erit lux, et Dominus erit in regem super uniuersam terram. In die illa erit Dominus unus, et nomen eius unum. Attende igitur, A creatione ipsa mundi nox diem excipit. & similiter dies noctem: in passione uero Domini non sic, sed sol obtenebratus est. Quod si uerò iuxta communem, quæ sæpius contingere solet, obtenebrationẽ solis eclipsis cõtigisset, nequaquàm de hac, ut nec alibi, propheta dixisset: cum naturaliter solis eclipsis eo tempore contingere soleat, quo luna cum sole coniuncta est, quod in decima quarta illius die nunquàm fit, nec unquàm erit. Propterea ceu stupendam, admirandam, & naturæ leges excedentem rem propheticus sermo denotat, ut & imprudentes intelligant, & qui sensu carent sensum recipiant, quod in CHRISTI passione sol obtenebratus est, et uanissimi homines non crediderunt. Petræ dissilierunt, templi uelum in duas partes scissum est à summo usque ad imum, monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui obdormierant, surrexerunt (quemadmodum sanctum E-



uangelium tostatur) & ingressi sunt Hierosolymam, & apparuerũt multis: sed uanissimi homines, non crediderunt, uerum obtenebratum est insciens cor illorum, & in tenebris conuersantur.

Christus expirauit. & Esaias dicit: Non est illi Esa.53.
species, neq; decor: & uidimus eum, nec habebat speciem, neq; decorem. Sed forma eius inhonorata, & deficiens præ filijs hominum. De cruce uerò sermo noster iam fileat. de hac enim suo loco & tempore dicemus.

Astiterunt autem cruci mater Iesu, & unus discipulorum illius Ioannes. Quid autem de hoc dicatur, audi. Erat homo Hierosolymis, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & pius: & responsum acceperat à deo, non uisurum se mortẽ nisi prius Christũ uideret. Et cum ipsum puerum Luc.2
adhuc in templum attulissent, ad implendum ea quæ in lege descripta sunt, idem ille Christum in ulnas suas suscepit (sacerdos enim erat) & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace, quoniã uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parauisti ante faciem omnium populorum. Lumen in reuelationem gentium, & gloriam populi tui Izrael. Et conuersus ad uirginem Mariam dixit: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Izrael, & in signum cui contradicitur. Et tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Nunc autem quid hæc sibi uelint, perpendito. A Deo definitum erat, ne mortem uideret Simeon, nisi prius uidisset CHRISTVM. & iam ad senium extremum deuenerat. CHRISTVM uerò uidens, dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum. Hoc uerbo planè denotans, hunc ipsum DEVM esse, qui illi responsum dederat de non uidenda morte, & quasi à domino uitæ & mortis postulat ut ab uita terrestri liberetur. Quod autem dicit, Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Izrael: manifestum est, quod scilicet animabus suis ceciderunt, quotquot in illum non crediderunt. Qui uerò crediderunt, à peccati lapsu surrexerunt. Item hoc, In signum cui contradicitur, propterea dixit, quòd omnes de CHRISTO disceptauerunt, hi quidem dicendo hunc bonum esse, alij uero, malum. Ioan.7.
Quin & in ipsa cruce duo latrones inter se contendebant (unà enim cum illo duos latrones cruci fixerant, unum à dextris ipsius, alterum à sinistris) & alter quidem, Christum in cruce suspensum conspicatus, conuicia in illum iecit. alter uerò, hunc increpauit dicens: Non times tu deum,

cum in eodem sis iudicio? & nos quidem iuste, operibus enim nostris digna patimur: hic uerò iniqui nihil designauit. Et dicit ipsi Iesu, Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuum: et saluatus est, alter uero periit. Item, Tuam uero ipsius animam pertransibit gladius, ut reteguntur ex multis cordibus cogitationes. Hæc ita intelligenda sunt. Quidam hæreticorum putauerunt Christum esse quidem dei filium, deumq; uerum, hominem autem uerum esse negauerunt, sed hominem factum esse modo quodam imaginatorio. Et hoc quidem multis uidetur, quòd homo quidem sit citra controuersiam, non tamen homo uerus. Hoc igitur instar prophetæ præuidens Simeon matri dixit deiparæ, Et tuam ipsius animã transibit gladius, ut reteguntur ex multis cordibus cogitationes: hoc innuens his uerbis, Cum homines te matrem illius dolentem uiderint, flentem & plorantem, cum hunc in cruce pendere conspexeris, certi reddentur & confirmabuntur, qui cogitationes de illo habent dubias, quòd citra omnem controuersiam & homo sit, & tuus filius. Sancta enim mater illius, doluit quidem hunc in cruce conspicata, expectauit autem simul resurrectionem illius tertio die secuturam, & lætata est, quod & contigit. Nunc igitur intelligis, quomodo omnia quæ de Christo facta sunt, prophetæ & sancti prædixerint, quemadmodum etiam in hoc nostro argumento factum est. Et uos quidem, sicut illi, imaginatorio modo hominem factum esse non dicitis, sed Christum uerum hominem esse fatemini: nihilominus tamen aliquid hæreticis simile dicitis. Nõ enim arbitramini, quod ipse Christus crucifixus sit. Sed Musulmani ceu honoraturi illum, dicunt Iudæos alium quendam Christi loco crucifixisse, cum imaginatione falsa decepti, hunc Christum esse putauerint. Licet enim in Christo uniuersalem illam imaginationem siue phantasiam non probetis, quum tamen illum aliquo modo uel tempore à uera substantia degenerauisse dicatis, sine omni controuersia in eundem errorem inciditis. Si enim aliquando uobis cum ipsis disputatio incideret, & illi quidem dixerint Christũ per omnia hominem fuisse imaginatorium, nos uero his è contra responderitis, hunc reuera hominem uerum fuisse, in sola autem passione fuisse imaginatorium, aliumq; loco illius crucifixum esse. Hi autem denuo obiecerint. Quod si uos particularem phantasiam uel imaginationem in Christo factam fuisse dicitis, cur nos qui uniuersalem asserimus, propter hoc à uobis damnamur? Particulare enim cum uniuersali non pugnat. Te itaque interrogo, quam responsionem illis afferetis dignam et probabilem? Quam certe huc afferatis, nullam habetis omni-



no. Vides igitur quàm peruerse Musulmanos instituerit, qui huiusmodi dogma dedit, siue inscius rerum, quæ non intellexit, docuerit: siue re omni cognita, ueritatem tamen occuluerit. Aliter uero nos Christiani ueritatem edocti ab ipsis prophetis, ex Euangelio quoq; & discipulis à Christo institutis sic sentimus, & sic credimus. Quod filius Dei carne assumpta ex sancta & deipara uirgine homo uerus natus sit, & idem ipse uere sit mortuus, & non alius: & in cruce, & in passione, & in morte eius gloriamur. Quod si uolueris Esaiam dicentem audi, Non est species ei, Esa.53
neque gloria. Et uidimus eum, nec habebat speciem, neque decorem. Sed species eius inhonorata, ac deficiens decor ipsius præ filijs hominum. Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem, quia auersa est facies eius, despecta est, & non est reputata. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus eum esse in dolore & plaga à deo, & in afflictione: ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Disciplina pacis nobis super eum, liuore eius nos sanati sumus. Omnes tanquam oues errauimus. Homo in uia sua errauit, & Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris, & ipse propter afflictionem non aperuit os suum. Animaduertis ne qua ratione fiat, ut Christianos passionis Christi non pudeat, quin potius in hac glorientur, & illam prædicent? Qua enim interpretatione uaticinium hoc præsens ipso sole splendidius indiget? Quis enim hominum pro alterius peccatis patitur, præterquàm Deus? Nullus sanè. Cuius etiam hominis mors alterius sit resurrectio? Cuius ægritudo alterius est sanitas? Fateri omnino oportet, quod hoc non sit alterius quàm solius Christi. Ipse enim solus pro nobis passus est, & ipse contemptus est: sed cõtemptum hunc nihili duxit. Ipse peccatum è medio sustulit, & ipse pro nobis afflictus est, & ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, ut illas deleret, & liuore illius nos omnes sanati sumus. Moses uerò sic dixit, Videbitis uitam ue- Deut.28
stram suspensam ante oculos uestros. Cuius enim uita suspendi potest ante oculos alicuius? Nullius omnino. Sed solus Christus in cruce suspẽsus est, qui est uita mundi. Ipse enim de se dixit, Ego sum Ioan.14
uita, ego sum ua, ego sum ueritas. Nunc nimirum intelligis, prophetas etiam de morte Christi, quemadmodum de reliquis omnibus, esse uaticinatos. Agnosce igitur, quod indubie Christus ipse mortuus sit. Ille ipse enim crucifixus est, & mortuus, & non alius, ut uos dicere soletis. Et liuore illius omnes sanati sumus, & morte eius omnes sumus uiuificati, & resurrectione illius omnes uicimus, & cruce illius abolita est diaboli tyran-

nis,

nis, mortisque potentia. Si uerò quis nunc obijciat. Quî igitur contingit, ut homines etiam nũc moriantur, & diabolus adhuc liber sit? Tentare enim homines nequaquam desinit, sed summo studio omnes ad peccandum incitat. Huic nos sic respondebimus. Hæc, quam nos mortem esse putamus, mors non est, sed somnus. Olim enim mors talis erat, quæ resurrectione carebat, sed detinebantur in inferno animæ: nunc uerò resurrectione nobis à deo donata, tanquàm ex somno resurrecturi sumus omnes homines, tam pij quàm impij. Et considera quæso rem tremendam & horribilem. In hominem enim ratione & sensu præditum, ab Adamo mors regnauit, in omnem hominem: nec erat resurrectio in hominibus sine Christo, quemadmodum prophetæ testati sunt. Per Christi uerò mortem mors illa detecta est, & superata, uenitq; resurrectio: & morte confracta liberatus est totus mundus à potestate Satanæ, & credentes in Christum & non credentes. omnes inquàm, à tyrannide diaboli sunt liberati. Et sanè nisi Musulmani crederent resurrectionem esse, rationes certas afferremus, quibus eam posſemus comprobare: cum uerò & ipsi eandem amplectantur & expectent, superuacaneum mihi uidetur de illa multis disserere. Cæterum hoc solum dicimus, quemadmodum accepimus & sumus edocti ex sacra scriptura, quam & Musulmani sacram esse fatentur, Christi resurrectio toti mundo utilitati fuit. De diabolo autem sic dicimus. Quamuis adhuc nondum condemnatus sit in locum proprium pœnæ, propterea quod iudicium, quod Christus iudicaturus est, nondum transactum sit, hoc tamen ueniente diabolus ignem hæreditabit inextinguibilem, qui illum manet. Et quamuis uideatur ille uiuere, pro mortuo tamen est habendus, perinde ac si homicida aliquis, aut fur, alius ue quispiam, qui capitale aliquod cõmisit facinus, à rege capitis supplicio adiudicatus fuerit, licet post hanc à rege latam sententiam uiuat adhuc diebus aliquot in carcere, mortuis tamen adnumeratur, licet inter uiuos adhuc sit. Idem igitur hoc de diabolo fieri intelligas. Postquàm enim Christus resurrexit, ille peritus est. Cum autem in homines ea quæ facere solet, machinatur, non ceu potestatem aliquam habens, aut uirtutem, facit: sed tanquàm malus aut fraudulentus, amicitiam simulat, eaq; consulit quæ hominibus interdicta sunt & noxia. Et quidem si aliquem sibi morigerum nactus fuerit, uidetur multum potuisse, & dedisse damnum. Si uerò ab aliquo non fuerit receptus, sed dimissus inanis & uacuus, omni destitutus robore discedit, nec uires habet aliquas. Homo enim multoties ab homine cogitur ut inuitus faciat, quod nec uult, nec



antè constituit: à diabolo autem non sic. uolens enim paret uano & noxio illius consilio. Qui uerò parêre noluerit, diabolum ceu rem nihili contemnit. Idem uero singuli homines à propria sua ratione patiuntur, quod à diabolo. Incidit enim homo in alicuius meditationem facinoris, uel honesti, uel turpis: & si quidem principem uel ducem, mentem uidelicet sanam habuerit & prudentem, illa meditationes simul & harum causas dijudicat, bonumq; à malo discernit. Si uero dux hominis mens infirma fuerit & impotens, noxia pro utilibus amplectitur. Vides igitur diabolum uiribus carêre, quamuis easdem habere uidetur: sed comminuta est & euanuit uniuersa tyrannis illius, CHRISTO ex sepulchro resuscitato. Post secundum enim CHRISTI aduentum relegabitur in tenebras exteriores, & in ignem inextinguibilem, prout commeritus est. Ea itaque, ut ante dictum est sic factum esse apparet: quod scilicet ea quæ Christum attinent, ab initio paulatim apparuerunt: quanto autem propius appropinquauit tempus generationis huius, tanto clarius planiusq; prophetæ de illo uaticinati sunt. Postquàm autem Christus uenit, dedit is claue m scientiæ hominibus, ut pure & sine omni fuco ueritatem intelligerent: quin (si ueritas dicenda est) ipse CHRISTVS aperuit thesauros absconditos, & in medium deposuit ceu infinitum pelagus, ut quilibet ex hoc nemine prohibente hauriat, quæ illum oblectant, & iuuant. & hæc quidem talia sunt. Redeamus uero ad id unde sumus digressi.

Christo in cruce pendente, quidam militum aperuit latus illius lanceâ. De hoc igitur, ut suprà monuimus, Zacharias dicit: Videbunt, in quem pupugerunt. Zach. 12.

Mortuus est: de quo & Esaias dicit ea, quæ suprà recensuimus. Dicit uero & admirandus ille Solomon, de iusto & celeberrimo Iob, tanquàm sub persona DEI: Accinge tanquàm uir lumbum tuum, & interrogabo te, tu autem mihi responde. Vbi eras cum fundarem ego terram? annuncia mihi, si scis, intellectum quando facta sunt astra? Laudauerunt me uoce magna omnes angeli mei, & celebrauerunt hymnis. Concluſi autem mare portis, et posui illi terminos, dixiq; illi, Hucusque uenies, & non transgredieris, sed in teipso collidentur tibi fluctus tui. Annuncia mihi: Num tu accepto luto formasti animal, & sermone præditum posuisti illud super terram? Num in uestigijs abyssi deambulauisti? Aperiuntur ne tibi præ timore ianuæ mortis, & ianitores inferni te uiso stupuerunt? Respondens uerò Iob, dixit Domino: Noui quod omnia possis, & impossibile tibi est nihil. Auditu enim auris au- Iob. 38.

diuî te prius, nunc uerò oculus meus uidit te. Audiuisti ne de morte Domini prophetiam hanc clarissimam & splendidissimam? Ipse enim Deus de se dicens, quod fundauerit terram, quod posuerit mari terminos, quod celebrauerint eum angeli sui: idem ille dicit ipsi Iob: Num accepto luto formauisti animal, & sermone præditum posuisti illud super terram? num in uestigijs abyssi deambulauisti? Aperientur ne tibi præ timore ianuæ mortis, & num ianitores inferni te uiso stupuerunt? Quid, quæso, his innuit aliud, quàm Ego Deus sum, qui feci hæc, ego aperui portas mortis: timore enim mei apertæ sunt, & me uiso in inferno stupuerunt ianitores illius. Verumtamen quidnam opus est hanc Prophetiam interpretari? Talem enim esse uidemus, ut uel planè stupidus & rudis eam intelligat. Illud enim, Viso me ianitores inferni stupuerunt, Christi resurrectionem cum autoritate diuina potentiq; uirtute factam significat, præterea uniuersam illam inferni mortisq; destructionem. Quin & Dauid
Psal.16 luculenter sic dicit, Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus uideat corruptionem. Tertia enim die resurrexit Dominus, nec corruptionem sensit corpus illius sacrosanctum. Mortuo enim illo, sanctissimum illius corpus Ioseph simul & Nicodemus, ut suprà diximus, inuoluerunt sindone, myrrha & aromatibus. Et de sepultura illius, Magi quoque in Bethlehem uenientes prophetauerunt ipso nato, offerentes illi aurum, thus & myrrham.

Dixerunt Iudæi Pilato, Iube muniri sepulchrum: & nisi munitum fuisset illud, occasionem habuissent resurrectionem cauillandi, dicentes: quod non adfuisset digna & sufficiens custodia. Verum cum omnifaria custodia & diligentia his commissa fuerit, nullam omnino occasionem reliquam habent resurrectioni illius contradicendi. Ita enim ut cupiebant, uolebántque, sepulchrum custodiri curauerunt. Lapis enim huic impositus est ingens, quem etiam sigillo obsignauerunt: quin & militum turmam ad custodiam huius constituerunt. Cæterum, ut ingratorum Iudæorum effrena obturentur labia, quid fit? & quale nam tempore resurrectionis Christi editur miraculum? Terræmotus fit ingens, & milites sepulchro custodiendo deputati mortuis reddun
Psal.30 tur similes. Christus uerò relicta sindone cum aromatibus, quibus inuolutus fuerat, surrexit è sepulchro. Et de hoc Dauid, Vespere occinetur luctus, & mane exultatio. Ploratus quidem propter sepulturam, exultatio autem propter resurrectionem. Vidistin' imò audiuisti magis augustam illam, diuinam & potentem uirtutem & potentiam? An non obstupescis & attonitus ad hæc



redderis? Fatendum omnino est rem sic se habere, & non aliter. Quomodo enim aliàs possibile fuerat, myrrha conditum corpus à sindone posse reuelli & euolui, eamq; euolutam inueniri integram puramq; cum tot uiscosis aromatibus? Hoc certè unum etiam est ex magnis illis & stupendis Christi miraculis. Sed & lapis deuolutus est, ne Iudæi putarent Christum, qui resurrexerat, adhuc in sepulchro iacere, uerum ut per terræmotum & lapidem, tum etiam sudarij & sin- Ioan.10
donis indicio cum aromatibus illic, ut diximus, iacentis in cognitionem peruenirent, & recordarentur uerborum Christi, Nemo tollit animam meam à me. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Verum, neque sic intellexerunt miseri, sed pecunias dederunt militibus, qui Christi resurrectionem obscurarent.

Christus porrò cum resurrexisset, ueniens ad Apostolos dixit, Pax uobis. Illi autem hoc uiso gauisi sunt. Vnus uero horum Thomas fortè illa horà non aderat illis. Cum autem de Christi resurrectione audiuisset, dixit: Nisi ipse uidero in manibus illius signa clauorum, & immisero manum meam in latus eius, non credam. Hisq; contrectatis Thomas, quod quærebat, inuenit, & altùm exclamauit. Dominus meus, & Deus meus. Neque enim simplici quodam & fortuito modo, tanquam gratificaturi Christum apostoli Deum dicebant, & confitebantur: sed cum magna reuerentia & studio. Christus autem dicit illi, Quia uidisti me, credidisti. Beati, qui non uidentes credunt. Post resurrectionem igitur Christus cum apostolis commoratus est dies quadraginta, & cum docuisset eos, dedit illis potestatem contra dæmones, & uirtutem edendi miracula, quæ Christus faciebat: & ut quæcunque peccata in terra remitterent, ea in cœlo quoque essent remissa: & ut quæcunque in terra ligarent, in cœlo etiam essent ligata. Non tamen apostoli modo, uerum omnes Christo credentes, qui iuxta uerbum & Euangelij doctrinam uiuunt, eandem potestatem & uirtutem à Christo acceperunt, quam & apostoli, eademq; cum apostolis miracula sancti fecerunt.

Die autem quadragesima abijt Christus cum apostolis in montem Oliuarum Hierosolymæ uicinum, & dicit illis, Profecti docete omnes gentes, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur. Signa uero credentes hæc consequentur, In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si lætale quippiam biberint, non nocebit eis: infirmis manus imponent, & sanabuntur. Vos autem sedete Hierosolymis,

donec

donec induamini uirtute ex alto. Et benedixit illis: & factum est inter benedicendum, secessit ab illis, & sublatus est in cœlum, cumq; ascendisset, consedit ad dextram dei. Quamuis uerò & Musulmani dicant, Christum in cœlis esse, non tamen ueritatem ipsam attingunt. Christum enim in cœlo dicunt esse hominem sanctumq; magnumq;, et sanctiorem omni homine: talem inquam ipsi Christum in cœlo esse fatentur, amplius uero nihil. Sed quemadmodum in omnibus ad Christum pertinentibus, ita etiam in hoc errant. Si uerò ueritatem discere uoles, Dauidem audi dicentem: Cantabo tibi in gentibus Domine, quoniam alte supra cœlos misericordia tua, & usque ad nubes ueritas tua. Exaltare Deus supra cœlos, & super omnem terram gloria tua. Attende diligenter. De quo nam Dauid dicit, quod alte supra cœlos sit misericordia eius, & usque ad nubes ueritas illius? & quod exaltatus sit Deus supra cœlos, & super omnem terram gloria eius? Deus ubique est, & non est locus ubi Deus non sit. Hoc igitur haud dubie citra omnem controuersiam dicit de homine, quem filius & uerbum dei assumpsit: qui antea quidem non erat in cœlo, sed in terra: nunc uero subuectus est & exaltatus, & consedit à dextris Dei patris, qui quidem in cœlo est, super terram uero gloria eius. Sed planius adhuc, & dilucidius idem Dauid dicit, Tollite portas principes uestras, & eleuamini portæ sempiternæ, & ingredietur rex gloriæ. Quis est ille rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Tollite principes portas uestras, & eleuamini portæ sempiternæ, & introibit rex gloriæ. Quis est ille rex gloriæ? Dominus uirtutum: hic est ille rex gloriæ. Quid tibi de hac Prophetia uidetur? Dico sanè, quod si alius propheta nullus de Christo locutus esset, hæc sola prophetia multarum & magnarum loco esset. Demonstrauit enim Propheta dicens, Tollite principes portas uestras, & eleuamini portæ sempiternæ, & introibit rex gloriæ: quod de illo loquatur, qui antè nunquam in cœlis fuerat, sed eo demum temporis articulo quo portæ cœlestes, id est angelicæ uirtutes aperiri iubentur. Eo enim tempore ascendit rex gloriæ, quem uidentes obstupuerunt & interrogauerũt? Quis est ille Rex gloriæ? Quibus hi, qui subuexerunt dominum gloriæ, respondерunt (quos Propheta Ezechiel uidit, ut pòst declarabitur) Dominus fortis & potens, dominus potens in bello. Quis autem in bello potens apparuit? Homo ille supernaturalis, quem assumpsit filius & uerbum Dei ex diua uirgine: hic etenim diabolum debellauit, & illius destruxit regnum, quo ab Adami temporibus usque ad Christum regnauerat: quin

Psal. 56

Psal. 24



& tyrannidem illius, qua genus humanum premebat, est amolitus.

Quid enim noui est, si Deus diabolum uincat? Nihil omnino. Verum hoc magnum & admiratione dignum est apud angelos & homines, atque humanæ naturæ potentiam excedit, ut homo uincat diabolum. Nam secundum humanitatem Christus diabolum deuicit, non secundum Diuinitatem. Quod enim bellum erat contra Deum? Propterea & Christus dixit, Venit mundi princeps (ideſt diabolus) & in me non habet quicquam. Licet enim omnes homines peccatores sint, in Christo tamen peccati signum inueniri non poterat, nec peccati indicium. & quamuis omnes deprehendamur à peccato uicti & ligati quodammodo, per illud robo rabatur & tyrannidem exercebat: homo autem ille supernaturalis & stupendus, quem filius Dei assumpsit, peccato non fuit obnoxius, sed illud uicit, infernique regna destruxit. Quapropter propheticus iste sermo, qui dicit, Dominus fortis & potens, Dominus potens in bello: ostendit ipsum hominem. Cum uerò dicit, Dominus uirtutum, hic est ille rex gloriæ: ostendit ipsum deum. Virtutes enim angelorum cohortes sunt. Quis autem angelorum Dominus est? Deus nimirum. Vides quomodo unum eundemq; angeli & omnes prophetæ ante generationem illius & post illam, in morte illius & post resurrectionem, & deum & hominem prædicarint? Ezechiel porrò sic dicit, Ego eram in medio captiuitatis iuxta fluuium Chobar: & aperti sunt cœli, & uidi uisionem Dei, & facta est super me manus domini. Et uidi nubem magnam, & splendor in circuitu ipsius & ignis fulgurans. Et in medio erat quasi similitudo quatuor animalium, & unicuique alæ quatuor, & scintillæ quasi æs fulgurans, alæq; illorum celeres. Et similitudo super caput animalium quasi firmamentum, quasi uisio crystalli horrendi. Et super firmamentum, quod erat super caput illorum, tanquam similitudo throni in eo: & supra throni similitudinem, tanquam similitudo hominis insidens. Et uidi ceu uisionem ignis intrinsecus in eo. Et licet præsens hæc prophetia, copiosa, magna & admiranda sit, quam propter Scripturæ, & interpretationis copiam omisimus, tamen ut ut hæc sint, hoc solum considera, quod quatuor animalia (quæ uates alata dicit alis quatuor. & subiungit postea, Et reliquæ duæ coniunctæ ad inuicem) magna illa angelorum cohors est, quæ per totam Scripturam sacram Seraphim dicitur. Super caput autem horum uidit Propheta similitudinem throni, & super thronum similitudinem hominis. Atqui hoc sanè interpretatione indiget,

Ioan. 14

Zach. 1

Quis enim ille homo est, quem maximi angelorum super caput suum gestant in throno sedentem? Non alius certe quàm filius Dei, quem omnes prophetæ deum & hominem prædicauerũt. Et hæc quidem hactenus. Tu uerò cum alijs obijcis: Cum Christiani affirment CHRISTVM Deum esse, quomodo passus est? Deus enim pati nequit. Item, Si deus est, cur non uel nudo uerbo saluauit hominem, sed quasi impotentia impeditus, homo factus est, & mortuus, ut hominem saluaret? Et quod Deus non patiatur, teipsum testem habeo, si quidem illud fateris. Verumtamen homine aliquo moriente, qui uel naturali morte per morbum deficit, uel uiolentia, gladio nimirum, aut alio casu fortuito incidente, corpus quidem patitur & moritur, anima uero passionis expers & immortalis manet. Quis igitur tam stultus est, ut diuinitatem passibilem esse arbitretur? Sed ne sic quidem diabolus hominem intentatum reliquit. Armenij enim Christum filium Dei esse confitentur, & Deum. Addunt autem, quod sicut corpus illius passum sit, ita etiam eiusdem passa sit diuinitas. Quapropter illos & hæreticos esse iudicamus, & sub anathemate detinentur. Hoc uerò quod quæris, Cur Christus hominem non nudo uerbo seruauit? ego explicare non possum, sed nostram infirmitatem confiteor. Verum & tibi hoc idem consulo, ut ea quæ fidem merentur, credas: neque ea inquiras, quæ uiribus maiora sunt. Quis enim nouit mentem Domini? Si enim homines conspectis regis alicuius terreni operibus, opera quidem amant & amplectuntur, ulterius uerò non inquirunt, neq; laboriosius curiosiusq; ea inuestigant: quantò magis de rege regum, & domino dominantium? imò æterno cœlorum rege inquirere, & curiosius inuestigare singula absurdum est? Et cum quæstio sit una, qua appareat CHRISTVM filium Dei esse: hæc autem sine omni controuersia comprobata sit, & sacris scripturis demonstrata, amplectere hæc & animo reconde, quod cum Deus sit omnipotens, & cum mundum saluet, siue per angelum, siue per uerbum, uel alio modo quocunq; quem scit & agnouit, potuit hoc facere, & potest. Deus uerò non facit quæ illi possibilia sunt, sed quæcunque uult. quæcunque enim uult, eadem potest: non autem quæcunque potest, eadem uult. Possibile enim illi erat mundos creare infinitos: sed cum hoc nolit, unum creauit solũ. Possibile item illi erat alios creare angelorum myriades, sed noluit. Quapropter ne inquiras longius progrediundo. Cum enim latissime hæc rerum absurditas pateat, multa alia hinc absurda nascuntur. Et quomodo id fiat, considera. Qui enim hæc inquirere ausus fuerit, sic interrogare potest, Quã



doquidem Deus omnia etiam ante generationem ipsorum nouit, & præuidit diabolum casurum esse, cur quæso illum creauit? Et quum aduersus Deum elatus ex angelo & luce caligo & diabolus factus sit, cur deus non totum perdidit, sed permisit potius, ut etiam hominem deceptum longissime à Deo abduceret? quinetiam adhuc omnes homines incitat ad peccatum, qui peccantes priuantur gloria Dei & paradiso? Sed alia plurima absurda malaq; emersura sunt, si unum aliquod absurdum concedatur. Decet igitur, ut per fidem suscipiamus ea quæ à deo facta sunt, nec ea inquisitioni & curiositati nostræ permittamus. Propter nimiam tamen curiositatem tuam, rationem aliquam huius afferemus: quæ si ueritati fuerit consentanea, gloria sit & laus Deo sanctissimo: in hunc quippe solum referenda, qui ueritatem omnem cognouit. Moses scribit, quin potius deus per Mosem loquitur: Diliges dominum DEVM tuum ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis uiribus tuis. Sed & Christus in Euangelio dicit: Qui diligit me, diligetur à patre meo. Item Esaias: Hæc dicit Dominus, Num obliuiscetur mulier liberorum suorum? Verumtamen & si obliuiscatur mulier, ego tamen non obliuiscar, dicit Dominus. Et reuera quidem euenire uidemus, ut Dei amor quo homines prosequitur, multis modis parentum in liberos amorem exuperet. Debet igitur omnis homo plus quàm matrem, patrem, uxorem, liberos, fratres, imò plus quàm suam ipsius animam, Deum diligere. Omnis enim hominis uirtus, omnis quæ actio huc tendit, hunc q; finem sibi habet propositum, ut Deum diligat.

Deut. 6.

Ioan. 14.

Esa. 49.

Et quantocunque illum amore prosecutus fuerit, tanto & infinitis modis maiore diligetur à Domino. Qua igitur ratione? quo denique facto commotus homo, eò intellectus peruenire poterit ut DEVM diligat? Si nimirum hæc meditetur, et animo suo reputet: En propter me peccatorem, transgressorem diuinæ legis & præcepti, quem deceperat diabolus, longéque à DEO abductum occiderat, nostram carnem gestauit DEVS, homo factus est, & propter me mortem subijt, eiusq; mors uita nostra facta est, eiusq; resurrectio mihi paradisum regnumq; quod amiseram reddidit. Quod si hoc modo considerare cœperit homo immensum DEI in humanum genus amorem & charitatem, huius consideratione in amorem DEI deuenit, impletque DEI præcepta, & uerba Euangelij: quibus ab ipso completis etiam ipse à deo redamatur, ceu obseruator mandatorum Domini. tũcque impletur sermo Domini per Mosem dictus, Diliges dominum Deum tuum ex tota anima tua, et ex tota cogita-

sogitatione tua, & ex totis uiribus tuis. Impletur & Christi uerbum, quod dicit, Qui diliget me, diligentur à patre meo: & qui diligitur à patre, diligitur etiam à filio, Vnus enim DEVS est, & pater, & filius. Et hac de causa Deus homo factus est. Præterea olim prophetis locutus est Deus, & apparuerunt illis uisiones: & nunc quidem in nube, ut ipsi Iob: nunc uero in igne & caOse.12. ligine, ut Mosi: aliàs uero in aura tenui, ut Heliæ. quemadmodum & Oseas Propheta dicit, Ego uisiones multiplicaui, & in manibus prophetarum aßimilatus sum. Aßimilatus sum, inquit, non uisus sum, utpote uisiones adumbraturus. Nunc igitur cum humani generis amator sit, & misericors. hominemq; in tantum diligat quantum nulla lingua potest eloqui, nec ulla mens intelligere, quemadmodum antè per multifarias uisiones seruis suis sanctis conuersabatur, sic tunc per carnem ceu uelo intermediante nobis conuersatus est, & adhuc seruis suis & amicis est conuersaturus, quemadmodum illud ante resurrectionem suam ex mortuis, & post illam demonstrauit. Quin & adhuc speramus, quotquot Christum profitemur, quod cum DEI filius & uerbum Deus fuerit, homo factus sit, & in mundum ueniens non uenerit ut mundum iudicaret, sed ut doceret mundum, quod ipse sit filius Dei, Deus nempe is qui à prophetis prædictus erat, et ut in illum crederent, omnesq; in illum credentes & baptizati saluarentur: qui uerò non crederent, condemnarentur. Rursus autem certò futurum est, ut denuò redeat, non uelut antè, in uili figura, & statu humili, homóque quod externam specie attinet, sub qua deus sit intelligendus: sed instar Dei manifesti, & ceu unigenitus Dei patris filius, in gloria sua cum omnibus Angelis, cunctisq; ordinibus cœlestium. quemadmodum Dauid dixit superius, quod ueniat ad iudicandum terram, & ad iudicandum orbem. Quin & ipsum CHRISTVM in Euangelijs dixisse scriptum est, Quod uenturus sit filius hominis
Matth.25. in nubibus cœli in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo. Tunc sedebit super thronum gloriæ suæ, & congregabuntur coram eo omnes gentes, & separabit eos ueluti pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, iustos nimirum: hœdos uero, id est peccatores, à sinistris. Et dabit peccatoribus quidem pœnam æternam, iustis uero uitam sempiternam, paradisum & bona omnia. Verumtamen & Daniel sic
Dan.7. dicit: Videbam donec throni ponerentur, & antiquus dierum consedit. Thronus eius quasi flamma ignis, & rotæ eius ignis ardens: fluuius ignis trahebat præcedens illum. Mille millia ministrabant illi, & decies centena millia stabant ante illum. Iudicium consedit, & libri aperti sunt. Videbam in uisione, & ecce cum nubibus cœli ueniebat, quasi filius hominis, & usque ad antiquum dierum peruenit, & ante faciem illius allati sunt illi. Et ipsi data est potestas et gloria, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ illi seruient, & potestas illius potestas sempiterna, quæ non transibit, & regnum illius non corrumpetur. Horruit spiritus meus. Ego Daniel in uisione mea. Visiones capitis mei perturbauerunt me. Sed ecce diligenter obserua, quæ hic à prophetа dicta sunt: Videbam, inquit, donec throni sunt appositi, & antiquus dierum consedit. Quis est antiquus dierum? Deus. Qui nam ministrauerunt uel seruiuerunt illi, & qui nam sunt astantes illi mille millia, & decies centena millia? Aliud nullum præterquàm quod Dauid prædixit de Christo, quod ueniat ad iudicandum terram, ad iudicandum orbem: & ipse Christus de se dicit, quod in illo iudicio iudicanda sit omnis terra. Vnum enim idemq; est patris et filij iudicium. Quis uero est fluuius ille igneus, quē ante antiquum dierum egredientem uidit propheta? Hic nimirū, qui diabolum & omnes peccatores excepturus est. Qui nam libri sunt quos apertos esse legimus? Ipsa nimirum hominum facinora, quæ omnia in die illo retegentur. Quis uerò est filius hominis, quem uidit in uisione sua Daniel uenientem in nubibus cœli, & pertingentem usq; ad antiquum dierum? cui etiam datus est principatus, honor & regnum, & omnes populi tribus et linguæ adorant illum, et seruiunt illi: et cuius potestas, potestas est sempiterna, quæ nō transibit, et cuius regnum nō corrumpetur? Sufficiens certe hæc prophetia est, ut etiam planè stupidum ad sensum meliorem perducere posset, ut intelligeret Christum & uerbum Dei esse, qui subuehens in altum hominem, quem assumpsit, subduxit illum in nubes cœli ad Deum & patrem suum: & huic datus est honor, potestas & regnum: & hunc adorant omnes Angeli DEI: hunc etiam adorant omnes tribus & linguæ, quemadmodum in superioribus prophetauerunt. Et ille quidem est, qui consedit ad dexteram dei, iuxta Dauidis uaticinium, & huius regnum est sempiternum, quod non transibit: & huius est potestas, quæ non corrumpetur. In alium uero hominem hæc minime competunt. Non enim homo ullus ante solem natus est: uerum solus filius & uerbum DEI, secundum quod DEVS est, non secundum humanam illius naturam. Nullus enim alius hominum potestatem sempiternam & regnum inconcussum habere potest, præter solum hominem, quem assum-



pſit

pſit filius & uerbum Dei, qui ab illo etiam ſeparari nequit. Hæc omnia uidens Daniel, & admiratus hæc, ut par erat. cum autem non poſſet magnum & inæſtimabile miraculum & myſterium percipere, dixit: Horruit ſpiritus meus. Ego Daniel in uiſione mea. Viſiones capitis mei conturbauerunt me. Hunc uerò, quo uiſo Daniel ille magnus ſpiritu ſuo horruit, & uiſiones capitis ſui conturbauerunt eum, Muſulmani Deum eſſe pernegant. Et quis tam ſtupidus, ut non uel maximè illos condemnauerit?

## QVOD POST DOMINI aſſumptionem duodecim Diſcipuli illius totum orbem docuerint, miraculis ſimul fidem ſuam confirmantes: tum de deipara uirgine, de quæſtione Chriſti, cruce & imaginibus.

## APOLOGIA TERTIA.

QVOD itaque Chriſtus filius dei, & Deus & homo à ſanctis ſimul & prophetis, adeoq; ab ipſo Deo patre prædicatus ſit, ſufficiẽter in præcedentibus demonſtrauimus. Nunc uero agedum reliquis etiam diſcuſsis, inſpicimus ea quæ hæc inſecuta ſunt, negocia. Chriſtus enim quum præ dixiſſet ſe aſcenſurum ad patrem ſuum, in ipſa aſſumptionis hora dicit ſanctis ſuis diſcipulis, & apoſtolis: Profecti in mundum uniuerſum annunciate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur: qui uero non crediderit, condemnabitur. Vos uero deſidete Hieroſolymis, donec induamini uirtute ex alto. Et cum adorauiſſent, abierunt. Poſt dies uero aliquot, cum apoſtoli unanimiter in eadem domo conſiderent, factus eſt ſonus ceu flatus alicuius uehementis: & repleti ſunt omnes diuina gratia. Non quod Chriſto adhuc in terris agenti impoſſibile fuerit gratiam illis dare, ſed ut omnes intelligerent, unum deum eſſe & patrem & filium, et unam eandemq; patris & filij naturam & potentiam. Dedit enim Chriſtus apoſtolis cum in terris ageret, uirtutem & poteſtatem calcãdi ſuper ſerpentes & ſcorpios, & aduerſus omnem poteſtatem inimici, ideſt diaboli: miſit uero nunc etiam deus pater illis gratiam ſuam. Et impleti diuina gratia, ut dictum eſt, apoſtoli, ſinguli illorum ea cognouerunt, quæ naturam excedunt, omnes ſcilicet omnium gentium, quæ ſub cœlo ſunt linguas, quàm exactiſsime. Cauſam uero huius inſpice. Vt nimirum aggrederentur totius mundi doctrinam & functionem, data eſt ipſis omnium linguarum cognitio, ne interprete indigerent, ſed ut ipſi & interpretes eſſent, & doctores. Et docere cœperunt initio facto à Hieruſalem. Sic enim ſcriptum erat ab Eſaia: E Sion egredietur lex, & uerbum Domini de Hieruſalem. Iudæi uero adhuc corde obcæcato præditi, non intellexerunt, & impletum eſt in ipſis, quod in lege ſcribitur: Linguis nouis, & alijs labijs loquar populo iſti, & neque ſic audient me, dicit Dominus. Et apoſtoli quidem populum docentes, iuſſerunt in Chriſtum credere, illumq; confiteri, quod ſit filius Dei uiuentis. Et facta ſunt per illos miracula & prodigia multa, non tamen ea qua Chriſtus faciebat, autoritate & poteſtate, ſed tanquam à ſeruis & miniſtris, in nomine enim Chriſti miracula edebãt, ſic dicendo. In nomine Ieſu Chriſti uiſum recipe, & uiſum recepit cæcus. In nomine Ieſu Chriſti filij Dei reſurgat mortuus, & ſurrexit. Et hoc idem dixerũt cum ſanaretur paralyticus. Quin in nomine Chriſti ſanabãt omnẽ morbum: & quotidie multæ hominum turbæ in Chriſtum crediderunt. Tandem diuiſi duodecim apoſtoli peragrauerunt totum orbem. Impij uero eoſdem multis malis & damnis affixerunt, alioſq; in Chriſtum credentes, ut quotidie diuerſis in locis magnam occiderent Chriſtianorum multitudinem. Vniuerſus enim mundus idololatriæ deditus erat. Sed uno Chriſtiano occiſo, decem coram tyrannis emerſerunt: & ſi decem occiderentur, exurgebant centum: ſi mille, apparebant decem millia: ſi decem millia, uiginti millia ſuccedebant in martyrium. Ne uerò uerba mea à multis ceu ficta eſſe iudicentur, minus dico quàm ueritas rei poſtulet. Sæpius enim uno die crediderunt hominum quinquaginta millia, & amplius. Et quemadmodum à creaturis ad ueram cognitionem peruenit Abraham iuſtus, & ſeruiuit coluitq; ſolum Deum uerum: ſic etiam per Chriſti & Apoſtolorum miracula gentes ſimiliter in ueritatis cognitionem peruenerunt, eandemq; coluerunt, & perfecte confeßi ſunt Chriſtum uerum eſſe mundi ſaluatorem, filiumq; Dei uiuentis, & uerum Deum. Vnde igitur hoc factum eſt? qua uirtute & potentia? quibus opibus & magnificentia? per quosnam philoſophos & oratores? Per nullum prorſus: ſed ſola Dei uirtute, quam induerant duodecim apoſtoli, rudes antea, agreſtes & infirmi. Sic enim dixerat illis CHRISTVS: Ecce mitto uos tanquam oues in medio luporum: ne ſoliciti ſitis, quid dicatis, aut quid loquamini coram ipſis. Ego enim dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, nec contradicere omnes, qui ſeſe opponunt

ponunt uobis. Et sic euenisse legimus. Omnes enim philosophi, omnes rhetores, omnes magi, coram apostolis ceu pisces muti apparuerũt. Tunc impletum est illud Dauidis uaticinium: Et loquebar in testimonijs tuis corã regib. & nõ cõfundebar. Quin et illud Esaiæ, quàm speciosi sũt pedes euãgelizãtiũ pacem, qui annũciant bona. Diuisi itaq; sũt apostoli, et dispersi in uniuersã terrã: singuliq; in illis locis, ad quos peruenerãt, docuerũt Euangelium. Et impleta est Dauidis prophetia dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in terminos orbis uerba ipsorum. Considera igitur, uide & attende diligenter horum omnium quæ hic scripta sunt, ne unicam quidem dictionẽ aliunde quàm è Mose, Dauide, prophetis & Euangelio transcriptam esse, quæ omnia pro sanctis, iustis & bonis, ipsi quoq; Musulmani uenerari solent. Ipse enim Mahomet, quẽ omnes Musulmani præceptorem suum agnoscunt, non potuit in uniuersum ueritatẽ occulere, uerùm libros hos sanctos esse testatur. Quod si igitur libros dicunt sanctos & bonos, ea uerò quæ in his continentur, Musulmani contemnunt, necesse omnino fuerit ut cuncti homines illos condemnent, quin potius (si uerum dicere oportet) ut illorum eeu mente captorum misereantur, quod uos nimirum tot tantisq; donati occasionibus, quibus ueritatem & inuenire & cognoscere licet, quod Christus filius & uerbum Dei sit, relicta tamen ueritatis uia, à scopo uero aberraueritis. Sed redeundum eò unde digressi sumus.

Qui itaq; apostolos persequebantur, & sua premebant tyrannide, hi ipsi tandem in Christum credebant, & confitebantur hunc esse filium dei uiuentis, imò apostolorum loco illi ipsi præcones nominis Christi reddebantur. Et omnes quidem apostolos morte, qua Christum confessi sunt, sublatos esse, uerum est: non tamen in hos tantũ sæuierunt impij, quantum in illos qui ab idololatria ad Christum conuersi fuerant. Atroces enim de illis pœnas sumebant. Membratim dissecabant eos: & quasi uno momento salui & integri apparuerunt. In caminos deiecerunt: sed tanquã aquas ingressi seruabantur. Plumbum liquefactum coacti bibebant: sed non lædebantur. In maris profundum demergebant: & in littus euaserunt. Et quis nam (ut dici solet) martyrum tormenta & tentationes posset exponere? Tãdem autem mortui sunt, & tormenta uoluptatum loco, & mortem pro uita æstimauerunt, ostenditq; per martyres Christus suam ipsius diuinitatem & potentiam, quin fidem quoque & desiderium, quo erga illum tenebantur. Eo enim quod salui & illæsi seruarentur martyres Christi, apparebat potentia & diuinitas: per mortem uero quam sustinebant, illorum in Christum fides elucebat & charitas, quemadmodum postea planius demonstrabitur. Insignis enim certantium fortitudo, & horum fides instar facis fulgebat. Qui enim illos seruabat illæsos ex talibus tantisq; tormentis, poterat omnino, ne morerentur, efficere. Sed quemadmodum in proprio corpore Christus fecit, ut ad solam qua Hebræos compellauit interrogationem, Quem quæritis? omnes concíderent: cumq; ad eosdem diceret, Sinite hos abire, discipulis dimissis, se Christum scilicet apprehenderent: sicut inquam, in hoc potentia simul & uoluntas apparuit, ita etiam euenit in martyribus. seruabantur enim illæsi, diuina uirtute & potentia, in magnis pœnis & tormentis: nihilominus tamen mortui sunt, ut illorum in CHRISTVM fides apparet, & uiuerent in æternum uitam uere beatam & immortalem. His igitur uisis, qui idolis seruiebant & intelligentes simul opera esse plus quàm naturalia, quæ Deus nimirũ operaretur, conuersi sunt omnes reges, omnes præsides, omnes tyrãni, uniuersa denique multitudo terram mareq; inhabitans, CHRISTVM coluerunt, confessi sunt, & crediderunt, hunc filium DEI, & DEVM uerum esse: & impletũ est Dauidis aliorumq; prophetarum oraculum, dicens: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi, omnes gentes illum beatum dicent. Etiam si uerò quidam inueniantur, qui CHRISTVM non credant filium DEI esse, non tamen propter hos prophetas mendacij arguere licebit: sed quemadmodum sol quidem totum orbem illuminare dicitur (quod & reuera fit) cæci tamen solem nec uident, nec ab hoc illuminantur: ita etiam in CHRISTO solet euenire. Omnes reges terræ & uniuersus orbis adorauerunt illum, & DEVM esse confessi sunt: qui uero illum non adorauerunt, uel qui prius quidem hoc adorato postea pœnitentia ducti, dogmata eius impia esse æstimauerunt, tunc sanè ueritatis cognitione non multum iuuantur.

Quam ob rem? Omnis enim homo dum uiuit, opera facit quæcunque uult, & animo concipit tam ad salutem suam tendentia, quàm ad damnationem & pœnam. Pœnitentiæ uero post mortem locus non est reliquus. Si igitur Christi fideles in boni cognitionem peruenerint, & crediderint in ipsum, en inuenerunt ueritatis uiam, & salutem suam acquisiuerunt: si uero in impietate sua perseuerauerint, quid de illis postea fiat? Qui intelligit, intelligat. Porrò Dauid, rursum sic dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in uoce exultationis. Quoniam Dominus altissimus, terribilis, rex magnus super uniuersam terram. Psallite Deo nostro,

psallite. Psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex uniuersæ terræ, Deus. Psallite prudenter. Regnauit Deus super gentes. Deus sedet super thronum sanctũ suum, principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Quoniam Dei fortes terræ uehementer eleuati sunt. Nunc uero diligenter quæ dicuntur perpendito. Omnes gentes, inquit, plaudite manib. iubilate in uoce exultationis Deo. Non Iudæos solos aduocat, nec Ismaelitas, nec alios alicuius partis terræ incolas, sed omnem quæ soli subiacet terrã conuocat ad hanc spiritualem exultationem. Cum enim dicit, Omnes gentes, nullum hominem ex omnibus istis excluſit. Cauſa: Quia Dominus altißimus, terribilis, rex magnus ſuper uniuerſam terram. Sed dicat aliquis, Quando nam, ô bone Dauid, deus nõ erat altißimus? quando non erat terribilis & magnus? Psallite Deo noſtro, psallite. Psallite regi noſtro, psallite. En uides hic aliud explicatu difficilius, qui rem inexplicabilẽ interrogauiſti, quando nempe, Deus non fuerit altißimus, magnus et terribilis? Reſpondet enim: Psallite deo noſtro, psallite. Psallite regi noſtro, psallite. Et rurſum Dauid inquit: Quoniã rex uniuerſæ terræ deus. Psallite prudenter. Regnauit deus ſuper gentes. Deus ſedet ſuper thronũ ſancti ſui. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Quoniam Dei fortes terræ uehementer exaltati ſunt. Sed nuncagedum inſpiciamus, quid nam ſibi uelit propheticum oraculum.

Pſalmus quidem carmen eſt concinnum, Deo conſecratum. Et quemadmodũ aliquis à trophæo aut uictoria reuerſus, præingenti gaudio nihil aliud dicit, quàm Vicimus hoſtes: rurſum uero interrogatus, Quomodo & quæ ratione illi uictoria obuenerit, eadem illa reſpondet, Vicimus hoſtes, uicimus inquam. Eodem modo propheta prudentib. oculis gentiũ conuerſionem perſpiciens, exclamauit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. Id eſt, & qui antea fideles fuiſtis, & qui poſtea demũ credidiſtis, omnes ſimul plaudite manibus: neq; ſimpliciter ſine ratione & ordine manibus ueſtris plaudatis, ſed cum uoce exultationis, & lætitiæ. Quapropter propheta quoq; uoluptate ceu abreptus, dixit: Pſallite Deo noſtro, pſallite. Pſallite regi noſtro, pſallite. Quoniam Dominus altißimus, terribilis, rex magnus ſuper uniuerſam terram. Et quaſi ipſe exponens ſua uerba, addit, Regnauit Deus ſupra gentes: id eſt, gentes prius diaboli tyrannide preſſæ, relictis nũc patrijs ſuis dijs, idolis ſcilicet inanimatis & mutis, declinauerunt, coluerunt & crediderunt ſoli uero & uiuenti deo, illiusq; regno ſubiectæ ſunt, antea enim regno dei indigni iudicabantur. Deus ſedet ſuper thronum



ſanctum ſuum. Omnis thronus gloriam ſignificat & requiẽ. Et quoniã deus antea non celebrabatur à gentibus, ſed à ſolis angelis et ſanctis, gentes gloria Dei deſtituebantur: nunc uerò accedentes fruuntur omnes gloria dei, & requieuit deus in gentibus. Quoniam uero etiam hominum thronus gloriam habet, et honorem, quin et requiem, innocentiam autem à peccatis habere non poteſt, adiunxit, Super thronum ſanctum ſuum. Humana enim omnia unà cũ labili, & ad peccandũ prompta natura etiam illud extraneum, incertũ uel ſeparabile habeut, ut in prima Apologia diximus. Dei ucrò thronus altus, & ſublimis ſanctusq; eſt, & magnificentiam gloriámque ſuam habet naturalem & inſeparabilem. Principes populorum congregati ſunt cum DEO Abraham. Qui nam ſunt congregati illi principes? Reges terræ, & præſides tam parui quàm magni. Et quis nam eſt DEVS Abrahamꝰ Num alius eſt præter DEVM illum uniuerſorum, qui creauit cœlum, & terramꝰ & propterea Deum Abrahæ dixit? Abſit blaſphemia. Minime. Sed partim quidem Dominum & iudicem uniuerſæ terræ, qui miſeretur & iraſcitur, uocauit Deum Abrahæ. qui illi in deuaſtatione Sodomarum apparuit, coram quo ſe terram & cinerem eſſe iudicauit, qui ſcilicet erat filius & uerbum DEI, quemadmodum in præcedentibus demonſtratum eſt, & adhuc patebit: partim uero, ut quemaddum Abraham DEO credidit, & reputata eſt illis fides ad iuſticiam: ſic etiam omnibus gentibus, ſi deſerto cultu patrio, imò (ut uera dicam) uano & falſo, conuerſæ fuerint ad deum uerum, et Chriſtum cõfeſſæ fuerint filium dei eſſe, Deúmque uerum, etiam illis fides ad iuſticiam reputabitur, ut & Abrahæ. & remiſſæ ſunt illis omnes iniquitates, impietas & peccata ipſorum.

Præterea dicente tunc deo ad Abraham, Patrem multarũ gentium conſtitui te, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes: præuidens id quidem Dauid, quod Dei ſermo ad Abraham factus, nondum impletus eſſet (nam omnes gentes ad fidem conuerſæ, filij Abrahæ facti ſunt) & quòd gentes per fidem in CHRISTVM, qui eſt ſemen Abrahæ ſecundum carnem, qui & ipſius Dauidis regis eſt filius, ſaluandæ eſſent, dixit, Principes populorum congregati ſunt cum DEO Abraham: in memoriam reuocans omnibus hominibus olim factam ipſius Abrahæ coram DEO adorationem, & DEI ad illum promiſſionem: & impletus uoluptate inenarrabili propheta dixit: pſallite deo noſtro pſallite. Pſallite regi noſtro pſallite. Omnes gentes plaudite manib. Deinde uerò docẽs dixi, Pſallite prudenter. Quid nam hoc eſt, pſallite prudẽter? id eſt, corda

te, ſa-

te, ſapienter, cum uera ſcientia cognoſcite quæ dicuntur, cognoſcite inquam, ea quæ fiunt, nec cõplodite manus uestras illicito & turbato modo, ut in commeſſationibus manibus plaudere ſolent inſanientes: ſed cum didiceritis antè undè nam hæc uictoria, unde libertas, unde hæc ſalus, exhibete magnificẽtiã, exhibete gratiarũ actionẽ deo autori uictoriæ. Plaudite manibus, edite uocẽ laudis et exultationis ipſi deo Abrahã: id eſt, illi qui enatus eſt ex ſemine Abrahæ ſecundũ carnẽ, quẽ annũciauerunt omnes prophetæ, quẽ demonſtrauerunt, quem confeſsi ſunt Deum & hominem, qui ſedit ſuper thronum ſuum ſanctum, hominem ſcilicet, quem ex diua aſſumpſit Virgine modo ſupernaturali. Pſallite prudenter, in profundũ animi nimirum uestri recondite, reſpicite repoſitam in propheticis oraculis cœleſtem margaritã, quæ à multis tanquam in oſtreis honorata eſt. Pſallite prudenter: theſaurus enim inexhauſtus intra manus ueſtras eſt, quem euolutis patrum uaticinijs inuenietis, qui eſt Chriſtus, filius & uerbum Dei,
Pſal. 32. creator omnis creaturæ. Verbo enim domini cœli confirmati ſunt, et ſpiritu oris ſui omnis uirtus illorum. Vidés ne quomodo nunc quidem Deum appellat Dauid, nunc uerò Deum & hominem: nunc etiam uerbum Dei, nunc etiam creatorẽ omnis creaturæ? Cum enim cœli creatorẽ dixit, omnis creaturæ creatorẽ eſſe declarauit. Qui enim cœlos fecit, idẽ eſt qui creauit angelos et homines

Et Moſes quidem inquit, In principio creauit Deus cœlum & terram: Dauid autem, Verbo, inquit, Domini cœli firmati ſunt. Certè quẽ Mahometh uerbum Dei uocat, & Muſulmani omnes, quem omnes Chriſtiani ceu uerbum Dei & Deum adorant, de hoc eodem Dauid dicit, quod cœlos firmauerit: id eſt, creauerit. de hoc eodem Moſes dicit, quod in principio condiderit cœlum & terram. Et quis tam ſtultus eſt ut dubitet, nec eum adoret, quem Dauid deum eſſe prædicat? quẽ Moſes Deum eſſe fatetur? Tu uerò cum de cœlis audis, nõ eſt quod plures cœlos eſſe exiſtimes, ſed unum, & non plures. Interpres enim Hebraicam phraſim ſecutus, iuxta illius leges & conſuetudinem pluraliter tranſtulit. Videamus uerò de quibus nam Dauid hæc dicat: Cuius ſortes terræ ualde eleuati ſunt. Qui nam? Diſcipuli illius pauci, qui modò erant humiles, indocti & rudes, nunc uerò doctores totius orbis: qui perſecutionem ſuſtinuerunt ab omnibus, qui iniurijs affecti, qui colaphis cæſi, qui nõ habebant quò caput reclinarent, nunc ſublimes & magni uidentur, & ſortes Dei, & ad honoris faſtigium eleuati. Omnes enim principes, omnes ſatrapæ, omnes reges terræ poſt Deum apoſtolos habent aduocatos, ipſoſq; doctores et duces ſalutis ſuæ confitentur.



Apoſtoli enim docuerũt euangeliũ omnem creaturam, miraculis ſimul illud comprobantes, ut diximus: & qui prius perſecutores erant nominis Chriſti, nũc pro illo uitam deponũt: & qui prius in illum calumnias & tyrannidem exercebant, nunc per Chriſtum & apoſtolos facti ſunt paſtores, doctores, & orbis luminaria ipſo ſole ſplendidiora: & qui modo idolorum erant cultores, nunc Chriſti ſunt martyres, & accepta à deo gratia (ut dictum eſt) miracula edere conſpiciuntur. Martyres enim non uiui modò miracula & prodigia edebant, quibus uiſis idololatræ obſtupuerunt, ſed etiam poſt mortem magna & ſtupenda miracula ediderunt. Viui enim adhuc in tyrannorum conſpectu interrogabant idola, dicentes: In nomine Chriſti dicite ueritatem. Et reſponderũt idola, Chriſtus eſt Deus uerus. Infideles autẽ his auditis magna uoce exclamabant, Magnus eſt deus Chriſtianorum, magna etiam fides ipſorum: & in Chriſtum crediderunt. Et quidem quod omnes martyres Chriſti miracula ediderint, quæ propter nimiam copiam nunc omittuntur, conſtat. ueruntamen è multis non pauca ab illius ſeculi ſcriptoribus collecta ſunt, è quibus & hoc unum fuerit. Chriſti martyr Georgius, qui à nobis Chriſtianis colitur (quem etiam ipſi Muſulmani in honore habent, & ab illis Cheter Eliaz dicitur) tormentis & quæſtionibus excruciatus eſt ab impijs & idololatris, ut Chriſtum abnegaret, & illorum deos coleret adoraretq;. Hic uerò maluit infinitas mortes & infinita tormenta pro nomine Chriſti ſuſtinere, quàm fidem ſuã in Chriſtum reijcere. Multis igitur tormentis & ſuppliciis excruciatus martyr, dicit tyranno: Euntes uideamus deos ueſtros. Hic uerò hoc audito, ualde gauiſus eſt, exiſtimans hunc dijs ſuis eſſe ſacrificaturum. Omnibus uerò ſimul profectis, & tyranno quoq; cum turba ſua hunc comitante, martyr Georgius ad aram acceſsit, & dicit uocẽ magna, In nomine Chriſti, ô idola muta, ueritatẽ dicite. Quiſnã Deus uerus eſt? Et repentè idola loquendi facultate donata, dixerunt, Chriſtus filius Dei, & huius pater Deus. Et rurſum adiecit martyr: In nomine Chriſti terræ illiſa cõteramini. Et ipſo effectu uerbum hoc comitante, omnia idola in terram conciderunt, & confracta ſunt. Hominũ uerò turbæ hoc miraculo uiſo, magna & clara uoce exclamauerunt, Magna eſt fides Chriſtianorum, & magnus eſt Deus Georgij.

Audiant qui in Chriſtum non credunt, & confundantur, quod pater mendacij diabolus uerum occulere non potuit, ſed à ſancto increpatus, & à ueritate ceu flagellatus, Chriſtum Deum eſſe uerum confeſſus eſt. Qui uerò non credunt, tanquã in denſiſsimis tenebris errantes obambulant.

Porrò Christo adhuc in terris agente, attulerunt illi parentes quidam filium qui dæmonio agitabatur, & orabant eum ut illum sanaret, Dæmon uerò, qui hominem occupauerat, uiso Christo exclamauit, dicens: Quid mihi tecum rei est, fili Dei? Venisti ante tempus ad affligendum nos? Non enim unus tantum in homine erat diabolus, sed multi. Cum autem Iesus hunc increparet, ex homine digressi sunt, & sanitati restitutus est. Quem igitur Deus ipse testatus est, quem prædicauerunt Prophetæ, in quem uniuersus orbis credidit, quem & ipsi dæmones licet inuiti deum esse confessi sunt, cuius nomen horrent et tremunt, hunc inquam, qui non confitentur, non ne stulti sunt & seducti? Omnino certe. Tunc itaq; implebitur in illis propheticum illud Dauidis oraculum, Homo in honore existens, non intellexit, cõparatus est iumentis brutis, & similis his factus est. Et sanè fœlices essent, si pro brutis haberentur animalibus. Hæc enim cum non peccent, nec pœnam etiam datura sunt. Væ autem in Christũ non credentibus: utinam non nati essent homines isti.

Pſal. 48.

Post mortem uerò martyrum concurrerunt ad sepulchra, & monumenta horum homines, et sanati sunt à morbis suis. Cæterum usq; ad hodiernum diem infinita eduntur miracula circa sepulchra martyrum, & aliorum sanctorum, qui iuxta Euangelij præcepta uitam suam instituerunt. Quin & nunc modũ non habent Dei homines, qui salutis studiosi sunt, & quidam agunt in montibus, illi uerò in spheluncis, alij cum hominibus conuersantur, & uirtutem habent potentiamq; edendi miracula, & edunt. Quid uerò tibi uidetur? Num propter falsum, fictum, & fucati Dei nomen cooperatus est duodecim apostolis Deus, indoctis illis, & rudibus, per infinita miracula, & conuertit uniuersum orbem ad fidem Christi, & Dei cognitionem, frenumq; iniecit rhetoribus, & philosophis? Et quis tam miser qui hoc dixerit? nobilissimæ enim omniũ creaturarũ sunt, angelus et homo. Cæterũ et angelus, cum animo suo diuinitatem affectaret, à propria gloria excidit, & ex angelo diabolus factus est, & ex luce in tenebras mutatus. Similiter & homo, cum sanctus esset, & paradisum incoleret, postquàm diuinitatem affectare cœpit, en statim è sancto peccator cõparuit, & paradiso expulsus, ad terræ culturam condemnatus est. Et, quod calamitosissimum est, qui immortalis erat creatus, morti subiectus est, et audiuit: In sudore uultus tui comedes panẽ tuũ: et quia terra es in terrã reuertêris. Sed quid de angelo et Adamo dicimus, quod propter diuinitatis affectationẽ hæc modò dicta passi sint, cum uel hi qui Mosi se opponere



audebant, & incensum Deo offerre religionis gratia, quod non illis, sed solis licebat sacerdotibus, terræ hiatu aperto absorpti sint: Dathan nimirum, Abiron, & Core? Emicuit etiam ignis è terra, & combussit Ophnem & Phinees. Sacrificauit Ozias Iudæorum rex, & repentina lepra mulctatus est. Vides igitur, ut cum omne peccatum Deus ad tẽpus ferre soleat, & peccatoris pœnitentiam expectare, hanc solã audaciam non fert, sed eo ipso momento dei indignatio et ira in huiusmodi audentem oboritur.

Quandoquidem igitur, ut demonstratum est, Deus Apostolis cooperatus est, & martyribus, in fidei Christianæ comprobationem, qui in Christum non credit, non credit Deo. Sic enim ipse Christus in Euangelijs dixit: Qui non credit filio, nec patri credit: et qui non habet filium, nec patrem habet. Quod si igitur Christus non erat deus, nec dei filius, sed temeritate quadã hæc dicere ausus fuit, an non eadem pati debebat, quæ diabolus & Adam passi sunt? Sed cum Deus esset uerus, aperte omnes docuit, ut puram ueritatem agnoscerent, quin potius illius diuinitatem. Quandoquidem igitur planè & confidenter se Deum esse dixit, & filium Dei altissimi: nec in abscondito & angulo abscuro, sed in medio omnium hoc dixit: cum deniq; & ipse Mahomet omnesq; Musulmani confiteantur Christum uerbum Dei esse, & spiritum Dei, & animam Dei, omnes etiam Musulmani hac religione tenentur, ut sine omni dubitatione & curiosa inquisitione credant, sicuti de seipso Christus testatus est. Porrò miraculo, quod annuatim Hierosolymis iuxta Christi sepulchrum tempore resurrectionis illius contingit, ut ipse nouisti, nunquid contradicere potes? Non ignoras enim, quod Dei sic permittente iudicio, loco illi sancto Musulmani dominãtur, & circa tempus resurrectionis Christi multam magnamq; curam adhibent, & diligentiam, ne ullum aliquod lumen ardens conspiciatur. Fit igitur hoc sine omni controuersia diligentissimè. Eo autem temporis articulo, quo Christiani, qui illic agunt, hymnum de Christi resurrectione cõpositũ decantant, lumen cœlo delabitur, uidente hoc Musulmanorum principe qui interea temporis ibi commoratur, incendens tres illas, quæ Christi sepulchro astant, lampades. Quid igitur tibi uidetur? Num falso dixit Christus se Deum esse, & Dei filiũ? Falso ne hoc Christiani credũt? Quomodo igitur eadẽ hora, qua illi Christũ, ut diximus, Deũ, & Dei filium decantant, & creatorem omnis creaturæ, in copiosiorem nimirum miraculi assertionem expositionemq;, testante simul deo hoc uerum esse, lumẽ cœlitus delapsum, lampades (ut dictum est) circa Christi sepulchrũ

astantes,

astantes, incendit? Quēadmodum enim in Iordane cum Christus baptizaretur, uox cœlitus descendit, dicens, Hic est filius meus dilectus, Christum denotans: sic tempore suprà memorato lumen cœlitus delabitur, asserens et testificans omnibus tam fidelibus quàm infidelib. quod ipse sit Christus, filius et uerbū Dei, uerus deus & homo. Quis igitur tam miser, ut illum nō adoret, et Deum esse confiteatur, & filium uerbumq; Dei? Si autem fortasse multum indagando his (ut nimirum fieri solet) contradixerint, Christum hæc falso locutū esse, quid nam alia accusatione opus est? Ipsi enim seipsos incusant, si eum, quem uerbum dei, spiritum & animam dei esse cōfitentur, mentiri dixerint. Quomodo autē poßibile est, ut uerbum dei mentiatur? Agnoscentes igitur infirmitatem suam, huc confugiunt, dicentes, quod Christiani Christum nimirum honoraturi dicant, hūc de seipso dixisse, quod filius dei sit. Cum tamen hoc non ueritati consentaneum, sed calumnia sit. CHRISTVS enim non modo dixit hoc, neque docuit, sed etiam à Iudæis interrogatus, negauit, dicens: Non sum, uerum uos hoc dicitis. Et hic quidem uester prætextus est, & suffugium. Quidam enim Christū iniuria afecturi, manifestè hoc facere non potuerunt, timentes nimirum publicam subire hominum condemnationem: quapropter alia finxerūt ex alijs. Cæterum quotquot ueritatis studiosi sunt, sciant ipsum Christum proprijs labijs non semel dixisse, bis ue aut ter, sed sæpius, totumque ferè Euangelium hoc unum dicit & docet, ut nimirum intelligant homines, solum & uerum deum & filium, quem ante omnia sæcula uerum deum genuit. Totius enim Euangelij finis et scopus hic est, ut scilicet omnis homo sese ab impietate ad dei religionem conuertat, ut dictum est, et ut homines opera faciāt salute digna. Quapropter Christus quotidie hoc dixit, & docuit, quod ab illo excipientes Apostoli Euangelium conscripserunt, & docuerunt in orbe uniuerso: & propter hanc doctrinam, Euangelium et dogmata, occubuerunt ipsi simul & martyres. Porrò et alij quidam hæreticorum de Christo dixerunt, quod Christus reuera quidem ante omnem fuerit creaturam, quodq; angelorum & Adami creator sit, cœli etiam, & terræ, omnisq; creaturæ: quod reuera sic, & non aliter est: eundem uerò filiū Dei esse negauerunt. Qui sanè hæreticorum multum damni ueræ fidei confessorib. intulerunt. Qui enim illo tempore imperio præerat, illorum astipulabatur sententiæ, illorumq; partes fouebat, & adiuuabat in tali dogmate. Quod si hi Euangelium summa ueneratione prosequntēs, demonstrare poterant, nusquàm de sese Christum dixisse



quod Deus sit, & dei filius, qua nam alia probatione opus erat quàm hac? Hæc enim uel seruauisset eos præ cæteris argumentis omnib. Cæterum Euangelium in precio habebant, & amplectebantur, sanctumq; nominabant, & legentes hoc perpetuò cū prophetarū scriptis miserrimi homines, nihilominus hæc ridicula et stulta protulerunt. Et alij quidem in hac hæresi diem obierunt, & anathemate tenentur, alij uerò uiuunt & Aegyptum incolunt, Arrianiq;, Iacobitæ, et Nestoriani dicuntur. Interrogentur itaq; hi, & fatebuntur ueritatem omnē, quod Euāgelium tale ab initio scriptum sit quale hodierno die extat.

Dicitis præterea, Christianos in tres credere personas, Patrem, matrem, & filium. Et quoniam in omnibus quæ Christianorum dogmata spectant, prophanus es, ut in alijs, sic etiam hic erras. Sed audi. Nos equidem, qui Christum profitemur, unū deum adoramus, creatorem omnium uisibilium & inuisibilium: huiusque uerbum & filium, CHRISTVM scilicet. Hæc uera sunt, nec sentimus aliter. Talem enim hunc credimus, et fatemur. Diuam uerò uirginem Mariam, creaturam Dei iudicamus, et dei ancillam. Credimus autem, & confitemur, quod huic similis homo nec natus sit, nec posthac ex uiro et muliere nasciturus usq; ad consummationē sæculi. Et secundum humanam quidem naturam eam angelis inferiorem esse iudicamus, tanquàm hominem: honore autem & sanctimonia ipsam omnibus angelis indubie præferimus, eo quod uerbum & filium dei secundum carnem pepererit: omnesq; nos illam aduocatā & auxiliatricem agnoscimus. Orat & intercedit indesinenter pro peccatoribus. Miracula edit. & operatur admiratione & stupore digna. Hanc autem colimus non ut deum, sed ut matrem filij dei secundum carnem. Cæterum anathema sit, quisquis uel duos uel tres plures ue Deos adorauerit. Sed adoramus unum Deum, creatorem cœli & terræ, omnium uisibilium & inuisibilium.

Affertis in accusationem nostri, quod Christus à Iudæis interrogatus, Num filius Dei es? negauerit, dicens: Vos hoc dicitis. Et hoc testimonij loco contrà nos adducitis, ut ijs quæ à uobis dicta sunt, fidem facere poßitis. Hæc autem propter scripturarum ignorantiam facitis. Si enim scripturas, ut fieri omnino oportet, excuteretis, inuestigaretisq;, nequaquam seduceremini. Nunc autem nos accusatis de his, quæ uos ipsi non intelligitis. Veruntamen omittam dicere in præsenti, quæ ab initio mundi de Christo testimonia dicta sunt, ipsum & deum & dei filium hominemque esse comprobantia: quia multa sunt. Quare his præteritis dicemus singularia quædam. Simul

Ioan.14. Ioan. 10. Ioan.8. Matth.9. Ioan.10. Ioan. 11. Ioan.5. Matth, 12.

& hoc dico, Iudæos non alia de causa Christum crucifixisse, quàm quod se Deum diceret, & hominem Deiq; filiũ. Et alicubi quidẽ dicebat: Qui me uidet, uidet patrem meum. Alibi uerò, Ego et pater unum sumus. Rursus alio in loco, Si me non uisſetis, & patrem meum utiq; cognouisſetis. Itẽ: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternũ. Et alibi, Remittentur tibi peccata tua. Quæ omnia perpendentes Iudæi dicebant, Quem nã teipsum facis? cũ homo sis, facis te deũ. Quid uerò Christus? Qui credit in me, etiamsi moriatur, uiuet. Et quẽadmodũ pater suscitat mortuos, & uiuificat: sic & filius, quos uoluerit, uiuificat. Et nemo uidit filiũ nisi pater: nec patrẽ aliquis uidit, nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Christus igitur hæc dicens, docensq; homines interrogatus ueritatẽ celaret? Et quisuel insanus uel stultus hoc crederet? Si enim non erat

Matth.16.

deus, nec dei filius, nõ utiq; discipuli eius ab illo interrogati, quem me dicũt homines esse filiũ hominis? dixissent illi, Alij quidẽ te dicũt esse Heliã, alij Ieremiam, uel unũ prophetarũ. Et dixit illis Christus, Vos uerò quem me dicitis esse? Et respõdens Petrus, dixit illi: Tu es Christus, filius dei uiuentis. Dixisset tũc Christus Petro: Errauisti, impiè locutus es, & peruersè. Non enim filius Dei sum. Cũ enim præceptor illorũ Christus esset, ecquid aliud quã ueritatẽ erat illos docturus? Quid autẽ Christus Simoni Petro respõdet? Beatus es Simon fili Iona. Quoniã caro et sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Christus uerò nõ quasi ignorãs interrogauit Petrũ, quem nam illũ esse dicerẽt homines, sed quemadmodum de Lazaro priusquã moreretur dicebat, Lazarus amicus noster mortuus est, sed abeo. & suscitabo illum. Profectus uero illuc interrogabat, Vbi posuistis eũ? Deinde cũ authoritate dixit: Lazare,

Ioan.20.

exi foras. Et obediuit exanimis uerbo Domini, ut inquam Christus hæc fecit, ostẽdens suam diuinitatem, & humanitatẽ: sic etiã nũc interrogauit discipulos, ut ostenderet se deũ esse & hominẽ, et ut à paruis initijs ad fastigiũ ueritatis perducerentur. Cæterũ post ipsam quoq; resurrectionem quid nã Thomas dixit, qui et ipse unus erat è duodecim discipulis? Qui contrectato Christi latere planißimè idẽ dixit: Dominus meus et deus meus. Quid autẽ illi Christus? Nõ dicit, Desine blaſphe

Ioan.2.

mare. Sed quid? Quia uidisti me, credidisti. Beati qui nõ uident, et credunt. Quin in prædicationis initio, quid nã Nathanael ad Christum dicit? Ipse enim Nathanael legis doctor erat apud Iudæos, ueniensq; ad Christũ, interrogauit eũ quæcunq; uoluit et cupiebat: cũ uerò ex Christo etiã ea cognouisset, quæ animo suo occultata tegebat, dicit ad Iesum. Tu es ille filius dei, Tu es ille rex



Izraelis. Nũ autẽ hũc Christus ceu male dicentẽ increpuit? Nequaquã. Quid uerò? Dicit illi Christus, quia dixi tibi quæ corde occultata tegebas, credis. Maiora his uidebis: Et cũ Christus à Pilato interrogatus dixit, Tu dixisti: non negationis formula est, sed affirmationis, et cõfessionis, quæ etiã ad Iudam usus est. Cũ enim cũ discipulis suis discubuisset, dixit ad eos, Vnus uestrũ prdet me. Et dixerunt singuli de sese, Nũ ego sum Domine? & alius, Nũ ego sum? Dixit tandẽ et Iudas, Nũ ego sum? Dicit Christus, Tu dixisti. Hæc sanè nõ Ioan.18.

negandi figura, sed affirmandi erat, qua eadẽ Pilato respondit. Formula enim erat illi genti peculiaris, quæ etiã ceu uulgari et usitata Christus usus est. Quemadmodũ etiã apud Musulmanos frequenter in usu est. Si enim quis dicat alterũ consulendo, Faciemus ne hoc aut illud? Tunc pro eo quod alter dicere debebat, Fiat: dicit, Tu nouisti. Neq; hoc negandi, sed assentiendi formula est. Ita et Christus hac illis usitata formula, Tu dixisti, usus est. Nihilominus tamen Pilatus interrogauit CHRISTVM, dicens, Tú ne es rex Iudæorum? Respondit illi Iesus, Regnum meum nõ est ex hoc mundo. Si ex hoc mũdo esset regnũ meũ, ministri utiq; mei pugnarẽt pro me, ne Iudæis traderer. Nũc aũt regnũ meũ nõ est hinc. Dixit illi Pilatus, Nũ igitur rex es tu? Respondit Iesus, Tu

Mare.14.

dicis me regẽ esse. Ego in hoc natus sum, & propterea in mundũ ueni, ut testimoniũ ferã ueritati. Omnis qui ex ueritate est, audit uocẽ meã. Dicit illi Pilatus, Quid est ueritas? Vidés ne quomodo idẽ hic planius demonſratũ est? Christus omnino se regẽ eße cõprobauit, et à Pilato interrogatus idẽ hoc respõdit. Nã pro eo q; dixißet, Certe rex sum: dixit, Tu dicis me regẽ esse. Quid ergo Pilatus respõdet Christo dicẽti, Ego in hoc natus sum. & propterea in mundũ ueni ut testimonium feram ueritati? Dicit illi, Quid est ueritas? Quasi dicat, Si in mũdo esset ueritas nequaquàm esses traditus in mortẽ: et quasi deplorans ueritatis interitũ dixit, Quid est ueritas? Cæterũ à principe sacerdotũ quoq; interrogatus Christus, Adiuro te per deũ uiuentẽ ut nobis dicas, nũ tu sis filius dei: nihil aliud respõdit, quàm Ego sum. Vidés ne qũo de rebus sibi incognitis Musulmani homines laude dignos accusent. En nũc igitur, si quidẽ ueritatẽ inquiris, ipsam agnoscito: nũc etenim nouisti. Ignorãtia enim nõ propter ueritatẽ oboritur, sed propter illos qui eã auersantur.

Quoniã uerò de cruce etiã nos in superiorib. dicturos esse promisimus, nũc quoq; de hac audias. Quẽadmodũ enim ea quæ Christũ spectãt, ab initio prædicta sunt à Mose, Dauide et prophetis, dicta sunt autẽ obscure quodãmodo & tecte: uerumtamẽ sicut de paßione & morte illius

per

per tot prophetias exposuerũt, sic etiã de cruce. Et nũc qua ratione hoc factũ sit, perpendito. Cũ Moses Iudæos Aegypto educeret, exiuerũt Aegyptij, & insecuti sunt eos, quos & assecuti sunt apud mare rubrum. Hebræi autẽ timore correpti, de uita desperauerunt. Moses itaq; orauit ad Dominũ: et dixit illi Deus, Quid clamas ad me? Loquere filijs Izrael, ut accingantur. Et tu tolle uirgã tuã, et percute mare, & transibunt filij Izrael, per siccum. Moses igitur accepta uirga, percussit mare ictu recto, & diuisa est aqua maris, et stetit murus à dextris et murus à sinistris, et transiuit omnis populus per siccum. Aegyptijs uerò hos persequentib. & super siccum ingressis, dixit ad Mosem Dominus. & rursum percussit mare uirga sua, nõ quidẽ ictu recto, ut prius, sed trãsuerso: & aqua in locum suum reuersa, submersit Aegyptiorũ regẽ Pharaonẽ cũ omnib. curribus suis, & uniuerso exercitu. Tũc sanè typus crucis per uirgam Mosis ligneã hoc edidit miraculũ, & sectio maris typum crucis designauit, uirga uerò ipsius ligni naturã. Insuper sicut Moses per typum crucis et ligni per mare liberauit Hebræos ex tristi Pharaonis seruitute & tyrannide: sic Christus per crucem & potentiã illius liberauit hominẽ ex tristi seruitute, & potestate diaboli. Præterea discedentẽ Mose cũ populo, in quodã loco Mara nuncupato, cũ nõ inuenirent aquã ad bibendũ (amaræ enim erant aquæ loci illius) ostendit deus Mosi lignũ, quo in aquas iniecto dulcescere cœperũt, & sic omnis Iudæorũ populus saturatus est. Hoc nimirũ innuẽte miraculo quod diaboli, quæ in mũdo fuit, amarulẽtia esset dispartitura et immutanda per crucẽ in magnã dulcedinem, & lætitiã. Porrò progrediente Mose per desertũ cũ populo, serpentum multitudo in locũ quendã incidit, quib. periclitabatur populus Moses uerò dei iussu fecit serpentẽ æneum lignumq; rectũ terræ infixit, cui serpentẽ trãsuersum affixit, omnesq; qui à serpentib. icti fuerãt, uiso æneo illo, sanabãtur: nec ullus erat qui à serpẽtib. ictus æneo uiso nõ sanaretur. Nimirum, et illo miraculo hoc innuente, quod erectum lignum affixusq; illi trãsuersus serpẽs crucis typum denotabat, æneusq; serpẽs haud dubie Christi typus erat. Quẽ admodũ enim serpẽs hic formã quidem serpentis habuit, uenenũ uerò nequaquam: sic etiã Christus homo quidẽ erat futurus, sed peccati expers: & quilibet diaboli morsu impetitus, si Christo respecto in illũ crediderit, saluabitur: qui uerò in illũ nõ respexerit, nec crediderit propter peccatum morietur. Insuper bello inter Iudæos cũ Amalekitis exorto extẽdente Mose ad Deũ manus suas, Hebræorum milites Amalekitis superiores erãt: hoc autẽ manus demittẽte, Amalekitæ Izraelem

Exo. 15.



repellebãt. Præcepit igitur Moses, ut se manus extendentẽ iuuarent, donec in uniuersum deuictus esset Amalek. Ecce etiam hac re manifeste crucis typum præferebat, & eiusdẽ potentiã. Sed et beatus ille Iacob nepotib. suis benedicturus, manus suas in modũ crucis trãsuersas ijsdem imposuit: crucis typum hac forma ostẽdens. Porrò manifestius clariusq; his deus per prophetã Esaiam dicit: Gentes & reges, qui tibi nõ seruierint, peribunt, et gentes solitudine desolabuntur, in cupresso pinu et cedro simul, ut glorificent locũ sanctũ meum, et locum pedum meorum glorificabo. At tende igitur, et uide rẽ nouã, et admirabilẽ. Quẽ admodum enim Christi passionẽ prædixerunt prophetæ, et nõ solum hãc, uerumetiã eiusdem species, ut Dederunt mihi in cibũ fel, & in siti mea potauerunt me aceto, et Perfoderũt manus meas et pedes meos, & diuiserunt uestimẽta mea, et super uestem meã miserũt sortẽ, et alia his similia: sic etiã crucis illius typum demonstrauerunt, & quod per hãc abolenda esset diaboli tyrannis. Sed et genus ligni Esaias notauit, dicens: In cupresso, pinu et cedro simul glorifices locũ sanctũ meum & locũ pedum meorum glorificabo. Ex his enim trib. ligni generib. crux cõpacta est, unum quidẽ erectum, secundum trãsuersum, tertium uerò inferius, cui affixi sunt pedes Christi. Dauid uerò sic exclamat: Exaltate Dominum deum uestrum, & adorate scabellum pedum suorum quoniã sanctus est. Nunc uerò de cruce, ea quæ dicta sunt sufficiãt. Verum et Iacob benedicẽs, ut dictum est, filijs Ioseph, manus trãsuersas illis imposuit, & in modum crucis ijsdem benedixit. Præuidẽtes enim prophetæ, quod per crucem mors esset abolẽda, et deijciendus diabolus, prophetauerunt de hac, hanc adorauerunt, & ceu à longinquo illam uenerati sunt, ueluti & nos in præsenti facimus.

Post alia uerò crimina, quib. à Musulmanis nos qui Christũ profitemur, accusamur, etiã in hoc ab ijsdẽ cõdẽnamur, quod sanctorũ adoremus imagines. Et quid adoramus? prorsus nõ aliud quã ligna, colores et lapides. Quoniã uero omnia de quib. accusauerũt nos, nõ intellexerũt, sed iuxta cogitationes cordis sui dixerunt hæc omnia: idẽ nunc etiã fit, quod imagines attinet. Quod si uerò ueritatis studio teneris, audi quæso. Deus cum humani ingenij lubricitatẽ cognitã haberet, præcepit in ueteri Testamẽto ut sacerdotes miracula ab illo edita describerent, eaq; descripta semper à sacerdotum penderent manib. ut quotidie tam sacerdotes quàm populus uisis miraculis dei descriptis, quæ per illos cõtigerant, in memoriam Dei reuocarentur, Deoq; gratiarum actionẽ & gloriã redderent, qui illos ex seruitute Pharaonis liberauerat, et deuicerat reges magnos et fortes,

gentesq; robustas, quiq; urbes illorũ populo Iudæorum tradiderat, quin & miracula per illos in deserto edidisset. Et factum est sicut præcepit illis Dominus. uidentes enim, quæ in sacerdotum manib. suspensa erãt, dei recordati sunt et illi gratias egerunt. Eadẽ autẽ imaginũ est ratio. Depingũt Christi natiuitatẽ, baptismum, crucẽ, resurrectionem: et uisis his turbæ hominum in dei recordationẽ perueniunt, et meditari incipiunt, quomodo Christus, cum deus esset, propter humani generis amorem carnẽ assumpserit, et in carne passus sit, quæcunq; item alia deus propter hominẽ fecerit, hinc illi gratias agunt, eum extollunt & glorificant. Quod idẽ in imagine Diuæ uirginis cõtingit, quæ filium & uerbũ dei secundum carnẽ peperit: tum quoq; martyrum et sanctorũ omniũ. Et honorẽ imaginib. tribuimus, propter charitatem et honorẽ illorũ, quib. imagines sunt positæ. Et quemadmodum olim Romæ, & alibi, statuas ponebãt uetustorũ regum memoriæ, et imperatorum, statuisq; uisis recordabãtur egregiorũ facinorum, quæ per has suggerebãtur, et per imaginum magnificẽtiam et honorẽ in recordationem fortium gestorum ducebãtur, illaq; uenerabãtur sicut in Regum statuis, ita in imaginib. cõtingit. Hæ enim perducentes animum nostrum ad ipsa illarum exẽplaria, illorum uenerãmur imagines. Et quemadmodũ fieri solet, si regis mãdatum perferatur ad aliquem (si modo morib. institutus fuerit, qui hoc susceperit) statim assurgit, & non modo amplexatur, sed et capiti illud imponit: nec tamẽ atramentũ et chartã sic uenerari sibi uidetur, sed regi istum honorẽ tribuit. Eadem nobis est imaginum ratio. Quæ enim in columnis et tabulis prostant, à nobis coluntur: uetustate uero corruptas & abolitas, nõ amplius honoramus, sed iudicamus inutiles. Idem quoq; de cruce uidere licet. Quã diu enim lignum aliquod crucis figurã prætulerit, adoratur, et honeste à nobis colitur: crucis aũt figura confracta, ulterius lignum à nobis nõ adoratur. Verumtamẽ hoc exẽplo tu et quilibet alius, qui inquirere uolet, deprehendere potest, quod quæ in urbib. usurpantur nomismata, Christi imaginẽ insculptã, & formatam gerunt, quin et sanctæ matris illius et aliorum sanctorum: non tamen propterea à nobis adorãtur, nec propterea honor aliquis illis habetur: abijciuntur enim nonnunquam, & conculcantur, conflantur item, & ex forma una mutãtur in aliã, prout magistratus uolũtas decreuerit. Sed imaginibus, quæ nominatim sanctorũ memoriæ dedicatæ sunt, non idem contingit: uerum cum honore, deuotione, et religione illas accedimus. Videntur itaq; mihi demonstrationes hæ sufficientes esse, quæ demonstrent simul & dilucide ueritatẽ asserant. Hanc



igitur qui uolet agnoscat. Quod si autẽ rursus ueteris testamẽti requiris testimonia, ut et in superiorib. en etiam illa accipe. Deus Mosi præcipẽs, ut tabernaculũ testimonij extrueret, iuxta formam sibi in monte propositã, tum etiã arcam, quæ sanè Christi & sanctæ matris illius typum præferebãt (quæ quidẽ propter prolixitatẽ scripturæ & interpretationis uolens, ut etiã in alijs plurimis, omittimus) præcepit illi ut faceret imagines Cherubim quæ poneret super arcam. Vides ut omnia quæ Christianorũ sunt nõ simplici modo et casu fortuito fiant, sed cũ scopo & fine diligẽter cõsiderato, dignaq; præmeditatione? Qua propter desiste tãdem ab importunis & ineptis cauillationibus. Omnia enim quæ Christianos spectant, nõ casu nec frustra facta sunt, sed diligenti cura, & eximia, à maximo ad minimum usq; & ab eo tempore constituta, descripta & ordinata sunt, quæcunq; contigerunt.

QVOD DOLOSE ET PERnicioſe docuerit Machomet, & quod lex & Testamentum uetus non sint sublata per Christum, sed magis illustrata. Insuper, quod in lege infirmum erat et impossibile, hoc Euangelium compleuit.

APOLOGIA QVARTA.

QVandoquidem de alijs, quorũ à uobis Musulmanis nos qui Christum profitemur, accusamur, abunde satis demõstratũ est, adeò ut iam omni reprehẽsione liberati simus, age quãtum superest: de reliquis nunc uideamus. Sunt uerò hæc. Dixit deus ipsi Machomet, Omnia feci propter te, et te propter me. Hoc uero Christiani pernegãt. Quin & ipsius Machomet nomen scriptũ in Euãgelio extat, Christo nimirum ad Iudæos sic dicente: Bonum uobis nunciũ prædico, ut illud cognoscatis, quoniã post me uẽturus est apostolus et propheta. Idẽ etiã in Mosis ueteri Testamento scriptum est. Christiani uero inuidia moti, illud ex euãgelio eiecerunt. Cum tamẽ nõ in euangelio tãtum, et ueteri testamẽto Mahometi nomẽ scriptum inueniatur, sed etiã à dextris throni diuini partib. Et Musulmanorũ fides ab ipso Abrahã authore dependet. Christiani quoq; quia Mosis legem trãsgrediuntur, accusatione et reprehensione digni sunt: ipsi uero Musulmanos accusant, laude dignos et honore. Atqui hæc sunt, de quib. nos Christiani à Musulmanis accusamur. Hæc uero sic cõfutamus. Deus indigus et alicuius rei inopiæ laborãs, deus nõ est. Sed uerus deus, creator cœli & terræ et omnium quæ in his creata sunt, quiq; creauit angelos et homines, nulla re prorsus indiget, sola autẽ bonitate sua & uolũtate creauit omnia. Cũ uerò hoc tã firmum sit, ut nemo qui negare

re poſsit, inueniatur, impie reuera locutus eſt Mahomet, quod Deus ad illũ dixerit, Omnia creaui propter te, & te propter me. Deus enim nulla re prorſus indiget. Quod uerè Muſulmanorũ fides ad Abrahã authorẽ nõ poſsit referri, ueluti Mahomet tradit, ex ſua ipſius perſona redarguitur. Ipſe enim author et legislator eſt legũ huiuſmodi. Quod ſi alius eſt, demonſtretur. Ab Abrahami enim tempore uſq; ad Mahomet, anni elapſi ſunt bis mille quingenti et octuaginta duo, quib. euolutis demũ Mahomet ortus eſt. Muſulmanorũ igitur fides ab Abraham autore non deſcendit. Quod ſi uerò hoc fortaſſe propter circumciſionem dicitis, age ipſe tibi circumciſionis rationẽ explicabo. Cũ uidiſſet Abrahã cœlũ, ſolem, ſidera, terrã, mare, & quæ in ipſis ſunt, reputauit ſecum dicens, Vtiq; hæc tãta et ſtupenda opera uel ſimplici modo et ſua ſponte exorta ſunt, aut habent aliquẽ qui ipſa creauit. Cõtemplatus igitur, ut modò dictũ eſt, creaturarũ elegantiã, admiratione ductus obſtupuit, et animo ſuo hæc uoluere cœpit: Nequaquàm hæc creatorem aliũ habẽt, ſed hæc ipſa nimirũ dij ſunt. In ea enim opinione & parẽtes illius, & omnes ſimulachrorũ cultores tenebãtur. Et licet hæc omnia Deus ualde bona creauiſſet, & ſuo digna opificio, ut horum contemplatione homines in dei cognitionem perducerentur, horumq; creatorẽ & opificem celebrarent, laudibusq; ueherent (quæ ſanè ſola et nõ ulia horũ cauſa eſt) homines tamen à uero & recta cognitione aberrãtes, et omiſſa creatoris omnium, dei ſcilicet, cultura et religione, creaturam potius adorauerũt, et hãc plus quàm creatorem coluerunt. Abrahã autẽ longe aliã uiam ingreſſus eſt. Cordatus enim prudensq; cũ uideret, & intelligeret cœlum quidẽ nõ immotum cõſiſtere, ſed moueri continuè, interim uero ſolarib. radijs egere, qui hoc contẽplationis cauſa illuminarent: tum etiã aerẽ huic ſubiectũ cernens, & ſolẽ nũc quidem ſupra terrã exoriri, nunc uero ſub eandem abſcondi, & quod hic nubib. nuſquàm præſentib. luceat, illis uero incidentib. obtenebretur: præterea mare uentis agitari, & terrã aquis ad fructuum prouentum indigere cõſpicatus, omnia damnauit, ut puta per ſe omni uirtute & potẽtia deſtituta, quæq; mututa opera indigeant, nec aliquã harũ ex creaturis deũ eſſe exiſtimauit. Deus enim nullius opera indiget. Deinde cõtemplatus, ne forte dum nullum ex ſingulis hiſce dei munus obire poſsit, omnia pariter cõiuncta dei nomẽ obtineant. Videns autẽ rurſum arida cum humidis pugnare, frigida uerò cũ calidis, & ignis uirtutem aquis opprimi, rurſum apud ſe meditatus eſt, deum ſibijpſi diuiſum, et pugnantem ſecũ, Deum eſſe non poſſe. Hinc uerò creaturarũ ordinẽ &



cõtemplationẽ longe optimã cõtemplatus, dubitare apud ſemetipſum cœpit, eſſe nimirũ uirtutẽ quandã, quæ omnia intra ſe cõtineat et gubernet. Et cũ omnes homines deũ eſſe cõfiteantur, ſinguli uero pro ſuo arbitrio et uoluntate aliũ aliumq; confiteãtur, cõiecit hinc omnes errare et mentiri. Reſtat itaq; quod nõ ſit alius Deus uerus, quàm qui omnia cõdidit, quæ ſanè illi ſeruiunt, illaq; agit & mouet, diſponitq; pro ſuæ uolũtatis arbitrio. Hunc itaq; deum ipſe adoro. Et in terrã prolapſus Abrahã, deũ ſolũ uerumq; adorauit. Deus autẽ benigniſsimus, qui per Eſaiam prophetã dicit, Adhuc loquente te, ego adſum: id eſt, priuſquam tuã ad me rectã iuſtamq; petitionẽ abſolueris, tibi adſum: ſtatim etiã ſuſcepit Abrahami adorationẽ, fidemq;, quæ illi ad iuſticiã reputata eſt præ cæteris omnib. uirtutib. et in numerũ amicorum dei receptus eſt. Nos enim omnes indigemus ſcripturarũ auxilio, propter infirmitatẽ noſtrã: iuſtus uerò Noe et Abrahã, et qui illorũ tempore floruerunt, pura mente præditi, ſcripturis nõ indigebant, ſed hæc in ipſorũ cordib. inſcripta & adumbrata ſunt. Tũc igitur dixit illi deus: Nõ amplius uocabitur nomen tuum Abram, ſed Abraham, eo quod patrem multarum gentium feci te. Tunc etiam promiſsiones illi dedit deus, dicens: In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. Et tunc oſtendit Deus terram Abrahæ, dicens, Tibi & ſemini tuo dabo eam. Vnde Abraham libertate ſumpta, pro Sodomis apud Deum interceſsit, ut ſuperius à nobis dictum eſt. Poſtquàm uerò iudicijs dei ipſi ſoli notis (quis enim dei mentẽ cognouit?) in Aegypti paulo pòſt trãſmittenda erat Abrahæ poſteritas, ut illic annis uiuerẽt quadringentis et triginta (ſic enim deũ ipſi Abrahæ dixiſſe legimus, Semen tuũ erit in terra aliena, gentem uero cui ſeruient, ego iudicabo: quod & factũ eſt Pharaonis tẽporib.) ne propter diuturnã Hebræorum cũ Pharaonitis cõuerſationẽ uniti utrinque Aegyptiorũ ritus et idololatriã imbiberent, circumciſio inſtituta eſt, tãquàm ſignũ & ſymbolũ Hebræos ab Aegyptijs ſeparãs, ne hi in nuptiarũ cõmercia et cõſenſum cõuenirent: partim quidem propter cauſam, quã modò recenſuimus: partim uerò, ut tẽpore liberationis ſuæ Hebræi prõpti eſſet, & agnitu faciles. Si enim cũ alienigenis fuiſſent uniti, qũo cõſeruari potuiſſet Abrahæ ſemen et genus? Quapropter etiã in deſerto errantes nõ circũcidebãtur, annos ſic agẽtes 40. uerũ in Aegypto, & poſtquam deſertum egreſsi ſunt, rurſum circumcidi cœperunt. Et hic quidem unus, ut diximus, circumciſionis finis eſt. Alter uerò hic eſt, ut circumciſi carne, temperantia & moderatione in unã politiam cõtraherentur, nec laſciui eſſent, et molliculi, et propterea fornicatio

nem suâ ceu rem nihili reputarent: cæterũ ut hinc paulatim ad augustiorem scientiâ & politiâ pertingerẽt, cum nimirũ nõ in ueræ religionis signũ circuncisio data sit, sed ijs tantum de causis, quas suprà memorauimus. Quod uerò ad Christi aduentum lex abrogata sit, & nulla maneat reliqua circuncisio, ex ijs quæ nunc dicuntur attendito. Baptismus quidẽ à deo institutus, in ueræ religionis signũ institutus est, et propterea omnes simul uiri, simul & mulieres baptizantur: et qui nõ baptisatus fuerit, uera religiõe caret. Circũcisio aũt talis nõ est: soli enim uiri circũciduntur, mulieres autẽ nequaquã. Appareret enim hinc, quod uiri quidem ceu circuncisi pro orthodoxis hãberentur, mulieres uerò ceu incircũcisæ pro impijs. Intelligis ne quàm longè alia sit circuncisionis ratio quã Musulmani sequantur? Hi enim omnẽ in circuncisum pro impio iudicant. Sed ecce uos cõtra uosipsos pugnatis, et quæ ceu ueræ religionis signa ueneramini, eadẽ ex parte contemnitis. Sed non in his solis Musulmani sibijpsis dissentire uidentur, sed etiam in alijs multis, quæ nõ opus est nunc de ipsis exponere. Dicamus tamen de hoc uno. Christus in Euãgelio dicit: Qui nõ baptizatus fuerit, nõ ad deum pertinet, et salutem. Mahomet autem cum Euangeliũ sanctum, absolutũ, bonumq; esse cõfiteatur, Musulmani tamen circuncisos orthodoxorũ loco iudicant, baptizatos autem impijs adnumerant. Si igitur Mahometem, ut uera docentem amplectimini, qua ratione eos qui baptizati sunt, impios dicitis? nec Euangelij doctrinam sequimini, cogitatisq; circuncisos quidem peruerse agere & sentire, baptizatos autem uerè religiosos esse? sed his diuersum sentitis. Nónne constat uos uobis ipsis cõtrarios esse, & uos uosipsos cõsutare? Sed hæc talia quidẽ sunt.

Quoniã uerò Ismael, quo Musulmani progenitore gaudent, cum Hebræis nõ in Ægyptum descendit, in illo etiã circuncisionis nulla erat utilitas, quemadmodũ in Hebræis: nõ enim adnumerabatur Abrahæ hæredib. Deus enim præcepit Abrahæ, dicens: Eijce ancillã cum filio eius, nequaquã enim hæres erit ancillæ filius cum filio liberæ. Et eiectus est ex domo Abrahæ Ismael cũ matre sua Agar. Quod si tamẽ fortè nõnunquã ad Abrahã redijt, uisitationis causa uenit, nõ ut filius et semẽ hæresq; illius. Hæc igitur cum sic se habeãt, unde nam fidem suam Musulmani desumpserint, nõ uideo. Propterea nullo indicio conijci potest, Musulmanorũ fidem ante Mahometem ab Abraham autore deriuari. Verum ipse huiusmodi dogmatum autor est, & ex sui ingenij nidulo docuit quæcunq; docuit, & non ex Deo.

Quod uerò Musulmani tradunt, ipsius Mahometi nomen in Euangelio citari (dicente nimirum de hoc Christo, Annuncio uobis bonum, quoniam post me uenturus est apostolus & propheta, nomen illi Mahomet) Christianos uerò inuidia motos illud expunxisse ex Euangelio: age dum etiam de hoc inquiramus, & uidetur mihi ueritatem nõ absconsam futurã: attentè igitur hæc audias. Tres legislatores sunt, qui leges tulerunt uniuersales: Moses, quem secuta est Hebræorum gens: Christus, quem secutæ sunt omnes gentes, et maxima Hebræorum in illum credentiũ multitudo (qui enim ex his nõ crediderunt, numero pauciores sunt illis qui crediderunt, & numeratu faciles) et Mahomet, quem Musulmani secuti sunt. Præter autem illos tres, qui legem tulerit nullus est. Mosen uerò à deo missum esse, statim ab initio testimonijs comprobatur. Cum enim adhuc in Ægypto esset, fecit signa & miracula magna, et Ægyptũ flagellauit, plagas illi inducens terribiles, percußit & sanauit, tum etiã futura ceu prophetes prædixit. Quod si populũ Dei dimittere uolueris, dimitte: quod si nolis, hæc et illa tibi et toti populo Ægypti euenient. Et Pharao cum se uerbũ domini facturũ esse promisisset, à Mose sanatus est, utpote qui potestatem à deo accepisset. Post hæc uerò Moses eduxit brachio potenti gentem Hebræorũ ex terra Ægypti, et Pharaonis seruitute. Eos autem insecutus Pharao, à Mose submersus est in mari rubro cum omni suo exercitu. Deinde in desertis obambulauit annis XL. miracula edens infinita, quin et corã tota Iudæorũ gente in montem Sinai ascendit, sic ad illũ dicentibus Iudæis: Ascende in montẽ, et dei uoluntatẽ edisce, nos enim dei uocẽ audire non possumus, ne fortè moriamur: populus uerò stabat procul à monte, cum tremore adorans Deum cum Mose colloquentem. Moses autem Dei sermonibus auditis, eosdem Hebræis exposuit: et repentè, quod dixerat, impletum est. Præterea nunquã per quadraginta hos annos locũ mutauerũt citra Dei oraculum. Moses enim loquebatur, & Deus uoce sua respondit, ut scriptura testatur. Multis igitur testimonijs & miraculis instructus, legẽ Hebræis tulit, & legem ab hoc latam, ceu diuinã, receperunt et uenerati sunt. Secutus hunc est Christus, omniũ prophetarũ probatus testimonijs. Et Moses quidem testimoniũ recepit iam octogenarius (tot enim iam annos natus erat, cum à deo ut Israelem Ægypto educeret, ordinaretur) Christus autẽ testimonijs probatus fuit ab ipsa mũdi fundatione, et priusquã ille nasceretur. Statim enim Abrahæ temporib. declarari cœperũt illius testimonia, quemadmodũ in superiorib. demõstratum est. Iam uerò natus, semel atq; iterum Dei patris testimonium accepit. Præterea miracula quoq; edidit, non ueluti Moses in Ægypto et deserto, sed ingen-

ingentia, & omnem superantia naturam, tantoque illis maiora, quãto Dominus seruo est præstãtior. Et post multa ista testimonia, post infinita & plus quàm naturalia miracula, Euangelij lex promulgata est. coluerunt etiam & amplexæ sunt hanc omnes gentes, & uniuersus orbis, atq; in Christum crediderunt, qui Euangeliũ dederat.

Mahomet autem quibus testimonijs instructus dogmata sua dedit, & Musulmanis legem suam promulgauit? Nullius certe alterius authoritate, sed sua ꝓpria hãc statuit. et hic ipse est, qui de se testimoniũ fert. In uniuersa enim sacra scriptura nullũ de illo extat testimoniũ sed quæ illi cõtraria sunt. Moses enim de Christo ad Hebræorũ populũ sic dixit, Suscitabit dominus deus ꝓphetã ex fratrib. nostris tanquã me. Omnis anima quæ nõ audierit prophetã illũ, extirpabitur. Et licet in superiorib. de his dixerimus, non tamen pigebit de ijsdem denuò dicere. Cũ enim Moses propheta dicit, Prophetam suscitabit Dominus deus ex fratribus nostris: significauit ex Iudæis hunc prophetam oriundũ esse. Et hũc audient, aliumq; uenientem non recipient, quin procul ab ipsis exibilabunt. Christus Ioannem Zachariæ filium prophetam, & maximũ prophetam testificaturus, dicit: Omnes prophetæ usq; ad Ioannem prophetauerunt, à Ioanne uero regnum dei annũciatur. Iám ne intelligis, quomodo Moses Iudæorum populo præcipit, ut unicũ tantummodo Hebræorũ semine natum prophetam recipiant, alium uero nequaquam? Verumtamen omnes prophetæ è Iudæorum populo nati sunt. Christus autem rursus hoc planius exposuit, Omnes prophetæ usq; ad Ioannem, & ulterius nõ erunt. Quapropter qui dei & prophetarum testimonio caruerit, & ipsius sacræ scripturæ, à Deo nõ est. Mahomet igitur cum nõ habeat sacræ scripturæ testimonium, à deo nõ est missus. Christus uero nõ tantum hoc dixit, Omnes prophetæ usq; ad Ioannem, & ulterius nõ erunt: sed & signum dedit hoc cognoscendi omnib. dicens, Cauete à pseudoprophetis qui ueniunt ad uos uestitu ouium, intus uero sunt lupi rapaces. à fructib. ipsorũ cognoscetis illos. Inspiciamus igitur quis legis Mahometicæ fructus sit, & hoc diligenter enucleato elucebit ueritas. Mahomet dicit, Nõ ueni legẽ laturus per miracula, sed cum ense & gladio. Et qui nostræ legi, quæ diuina est, nõ paruerint, morte moriãtur, aut tributa soluant, & qui tributũ soluunt, in fide sua propria permaneant. Quod si Euangeliũ nõ iustum erat, sanctum & rectum, merito sanè & decenter uenturus erat legislator, qui homines ueritatem & iusticiam doceret. Si uero iustũ erat, & sanctum, imperfectum tamen etiam sic iustum decensq; erat, ut legislator aliquis ueniens

Matth. 12.

Matth. 7.



Euangelij defectum compleret. Cum autẽ & sanctum & iustum & perfectũ rectumq; dicatur et sit, idemq; de hoc cõfiteatur Mahomet cum dicit, Euãgelium à deo datum est & sanctum & plenũ & rectum, quid nam alio legislatore indigemus? Nihil prorsus. Porrò importuna est & inutilis Mahometicæ legis promulgatio. Quod enim per omnia rectũ est, nihil habet se rectius, et perfecto nihil est perfectius, nec ipso uero quicquã uerius.

Verũtamen discussis singulis inspiciamus quid nã legislatoris Mahomet uerba sibi uelint. Nõ aliud quidẽ certè quàm cũ se ab omni miraculorũ uirtute & pœnitentia alienissimum esse intelligeret, suam ipsius occultare uolens imbecillitatẽ, ne forte aliquando ab hominib. condemnaretur, dixit: Nõ ueni daturus legem per miracula, sed per ensem, & gladium: quẽadmodum etiam in ipsis legis suæ expositionibus statuit, ne legislatores et hæredes sui cum Christianis disputent. Quod sanè non alia de causa fecit, quàm ne illorũ conuiencetur uanitas. Illud uero, quod legẽ ense & gladio se daturũ promittit, cædes docet & rapinas. Et quis unquàm audiuit aliquem hominũ ui coactũ credidisse? Fides animæ & mẽtis pars est. Et quoniã anima uel mens res sunt nullius seruitio subiectæ, quo nam modo deus, qui has liberas creauerat, tãquam operis sui oblitus legislatorẽ erat missurus, qui has cogeret? Fides enim uoluntate et electione, tum libertate animæ et ipsius cognitione consistit: aliter uero nequaquàm Corpus enim seruit et uincitur nõnunquam etiã ea quæ nõ uult, facit. de anima uero nõ sic sentiendũ: sed in uolũtate, iudicio, cognitione et electione et in iudicio et ueritate horum, qui credunt illi, Deus est (est enim cordiũ scrutator) nec personã, sed cor respicit. Et quæ bruta animalia per legẽ naturæ nõ faciunt, ea legib. exigit Mahomet. Quis enim leonẽ à leone deuorari uidit aut ab urso ursũ, aut à pardali pardalim? Hic uerò manifeste homini, ut hominẽ occidat, præcipit. Et quis tã uanus, ut hunc à deo esse crediturus sit? Deus enim rapinas et cædes nõ præcipit. Ad hæc scelus sceleri permutatur. Dicit enim, Aut moriantur, aut tributũ soluãt. Sic enim cædes permutatur auaricia. Nõ tamẽ inter hos terminos scelus cõsistit, sed extẽditur lõgius. Quid enim tãta crudelitate et odio humani generis peius est ut etiã illos trucidet, qui nihil mali admiserũt? Si enim Musulmanis in bellum profectis aliquis illorũ ceciderit, nequaquã seipsos, ut belli autores reprehẽdẽdos existimãt, sed super occisi cadauer singuli tot uiuentes trucidãt, quot acquirere licuerit: et quò plus occiderint, eo magis occisi animã putant esse aduta. Quod si uero homines ꝓprios nõ habuerit, q occisi animã iuuare cupit christianos ubicũq; inuẽ

tos

tos emit,eosq; aut super corpus occisi,aut super sepulchrum illius iugulat. Et à Deo esse dicetur, qui talia legibus suis statuit? Idem dicit: Qui cum scorto mercede soluta concubuerit,nõ peccat. at qui uirginem ui uiolauerit,peccat: qui autẽ cum illa sibi cõsentiente cõcubuerit,nõ peccat. Et qui captiuas in bello ceperit,his pro sua libidine nullo prohibente utatur. Quomodo igitur Deo autore id faciet,qui scortationes et uirginum uiolationes legibus cõfirmat? Et quod longè sceleſtissimum est,his qui iuxtà Dei præcepta in hoc seculo uixerint,illis singulis post obitum ipsorum balnea & domus angustas, mulieres denicq; & uirgines quàm plurimas à deo dandas fore promittit: & quod idololatrarũ Græcorum nominati theologi dicere nec ausi sunt,nec talia esse crediderũt hæc Mahomet aperto ore legibus suis sancire nõ erubescit. Hi enim sentiunt,quod qui uitam suam honestè in hoc mundo transegerint,cum post obitum ipsorum, animæ illorum purè à corporibus liberatæ sint,tunc eos in deorum numerum referri,interq; illos fortunatas insulas incolere,& cũ illis exultare. Eorum uerò qui impiè hic uiuẽtes, impurè simul & pollutè obierint, animas in obscuros & tenebricosos locos discedere, & in fluuium perpetuis ardentem ignibus.

Et hæc quidem idololatræ Græci tradunt. Mahomet uerò,qui se orthodoxon esse, & Deo proximum dicit, huiusmodi absurda & turpia legibus constituit? Minimè certè perpendit, quod omnia hæc odij,iræ,& peccati effectus sint. Siquidem ante Adami transgreſsionẽ,ubi tunc balnea? ubi domus? ubi mulieres? Post peccatum uerò & maledictionem,corpus contra animam instar feræ cuiusdam insurrexit:et cum hæc absoluta Dei consideratione careret,corpus uicit, animamq; à sublimitate & magnificentia sua detraxit,& abduxit in absurdas & uanas corporis cõcupiscentias et uoluntates:tuncq; anima ceu mancipiũ corporaliũ cupiditatũ seruitio tradita est. Si igitur post mortuorũ resurrectionẽ homines, qui iuxta Dei uoluntatẽ uixerunt, nõ possessuri sunt beatã illam uitam quam Adam progenitor noſter ante transgreſsionem habuit & amisit,sed eandem omnino uitã,quã post maledictionem sustinuit,acquisituri sunt,Væ hominibus illis. Verum hoc peſsimum est,quod non modò de misera hac & execrabili uita Mahometis absurda opinio fertur, quam deum iustis daturum promittit, sed de longè miseriori & turpiori, quàm hæc sit quã modò uiuimus. Adam enim post transgreſsionem,maledictionẽ & relegationẽ ex paradiso, Euam cognouit:uerum et hoc propter liberorum procreationem fecit, quos & progenuit. Ante transgreſsionem uerò,angelicã uitã uixerũt. Præ



terea Adam Eua cognita, etiã postea hæc eadem unica erat mulier,& nõ plures. Nõ enim unũ marem creauerat dominus, & multas fœminas:nec multos mares,et unam fœminã:sed unum uirum, Adamum: & unã mulierem,Euam. Humano autem genere iam multiplicato, & in lasciuas & iniquas operationes prolapso,grauatus & indignatus est contra ipsos deus, quemadmodum beatus ille Moses in ueteri Testamẽto describit,quod scilicet dixerit Deus: Non permanebit spiritus meus cum eis,quia caro sunt. quod nimirum toti carnales & terreni facti essent.nõ habentes cõuenientem ipsis boni memoriam, & quod in lasciuiã penitus incidissent. Tunc dicit ad Noe deus, Quoniã te inueni iustum in generatione hac,arcam fac ligneam talem, &c. Et fecit Noe arcam iuxta uerbum Domini.& arcã ingreſsus est cum tribus filijs suis,Sem,Cham, & Iaphet: ingreſsa est uxor Noe in arcam, & tres uxores filiorum Noe. Viden' ut à Deo iusti testimonium accipit Noe una uxore cõtentus? quin & singuli filiorũ ipsius singulas, easq; solas uxores habuerunt,& ab ira Dei seruati sunt, totum uerò humanũ genus diluuij aquis deletum est. Hoc certè uel planè insipidum docere queat,quod unam eamq; solam uxorem uiro esse conueniat, iustumq; sit mulierem quoque uni soliq; uiro coniungi. Verum & hoc,ut prædiximus, post transgreſsionem propter liberorum procreationem factum est. Mahomet uerò manifestè docet, quod ea quæ iustis à Deo tribuitur merces,balnea sint, & singulis uxores plures,domusq; pulchræ instructæ. Quomodo igitur à deo fuisse dicetur, qui talia instituit? Quinetiam uanus est,qui talia recipit,creditq; quod ea quæ dei ira peccatori pœna euenit, tẽpore retributionis in boni et honesti mercedem sanctis iustisq; multipliciter retribuatur. Sed attende his quæ facta sunt. Dicit Moses: Et ingreſsus est Noe in arcã,et filij eius,et uxor eius,et uxores filiorũ illius. Et postea dicit: Et exiuit Noe de arca,et uxor eius,et filij illius,et uxores filiorũ illius. Atq; in introitu quidem dicit: Ingreſsus est Noe,et filij eius,et uxor illius,et uxores filiorũ illius. In egreſsu uerò nõ sic, sed, Egreſsus est Noe, et uxor eius,et filij illius, et uxores filiorum illius cum eo: nõ aliud nimirum hac loquẽdi figura inuens, quàm quod iustũ æquumq; sit,uirum unã habere uxorem. Veruntamen tempus aliquando incidit,ut etiã ab illa abstinere cõueniat. Cum enim Moses inquit, Ingreſsus est Noe in arcã, & filij eius:filios illius ceu murũ interposuit, ipsum Noe ab uxore sua separantem. Dum uerò rursum dicit, Egreſsus est Noe & uxor illius:significauit, quod ab hinc nihil impediat, quo minus uxori suæ coniungatur. Eadem etiam ratio est

filiorum

filiorum illius, & uxorum illorum. Porrò & ipse Moses in montem Sinai ascensurus, Iudæos sic
Gen. 2. compellat: Purificate uos ipsos singuli usq; ad tertiũ diem, lauantes uestimẽta uestra, & uxorẽ ne tãgatis. Quin & ipse Adam cum Euam uidisset, dixit, Hæc est os de ossibus meis, & caro de carne mea. Et propterea derelinquet homo patrem suum, & matrẽ, & adhærebit uxori suæ, & erũt duo in carne una. Cõsidera igitur quo post peccatũ demũ & stoliditatẽ hominũ, polygamia increuerit. Adã enim nõ dicit, Et erũt multæ mulieres cum uiro in carne una: sed duo, hoc est uir et mulier. Vna uerò et plures inter se pugnãt. Quãuis autem legislator Moses singulis Iudæorum uxores plures concesserit, in temporis successionem illud permisit: quemadmodum & in animalium sacrificijs factum est, ut eos ab impura filiorũ cæde & oblatione abduceret. Sicut uerò Christus aduenies animalium sacrificia prohibuit, legis scopum implendo: ita etiam uxorum pluralitatem sustulit. Mahomet uero hic loco temperantiæ intemperantiam legibus suis constituit, non in hoc tantum seculo, sed in futuro etiam hæc ab
Psal. 9. ipso Deo cum multo fœnore rependi docens. Et uidere in illo licet illud Dauidis oraculum: Laudatur peccator in concupiscentijs animæ suæ. Et iniquus benedicitur? id est laudatur et celebratur, ab illis qui adulantur illi, et scelus ipsius irritant, & qui nec sensum quidem morbi propter silentium possunt habere: propterea etiam ille incurabilis existit. Quod enim morbi sensu caret, medicinam non quærit, nec admittit. Et hoc omnium atrocissimum est, cum malicia laudatur, nec malitia esse creditur. Mahomet enim, de quo sermo est, hominum uoluntati & uoluptati in primis studuit, & secundum has docuit, ut uoluptatis uiam plurimos stultorum attraheret. Insuper, num soli uiri Deo curæ sunt, tanquam creaturæ ipsius, mulieres uero nequaquam, cum non sint Dei figmentum? Numq; igitur uiri tantum talibus à Deo acceptis bonis fruentur, mulieres uero nullis omnino? Quandoquidem autem una creatura est uiri & mulieris, idemq; homo est omnis homo, sicq; omnes simili ratione iudicandi sunt, et simili ratione recepturi, qui quidem honeste uixerunt, bona: qui uero male, iram Dei, repulsam pœnamq;: omnino manifeste constat, omnes homines idem iudicium subituros, tam uiros quàm mulieres, cũ una eademq; horum natura sit: eodem etiam modo omnes iuxta opera sua, quæ patrauerunt, uel bona uel mala sunt recepturi. Restat igitur, quod & iustum & decorum est, ut mulieres eadem, quæ uiri, accipiant. Et quemadmodũ unicuiq;, qui honeste uitã sua trãsegit, iuxta Mahometi leges mercedis loco multæ mulieres



retribuũtur: sic dentur etiã singulis, quæ honeste uixerunt, mulieribus plures uiri. Quod si hoc tanquam absurdum reticuit, eadem mente & iudicio de uiris quoq; illum sentire & iudicare conueniebat. Præterea plures illi uiri unicæ dati mulieri, uel laudis gratia illi dabuntur (quod scilicet honeste uixerint) uel damnationis. Quod si ceu honeste uita sua functi sic remunerantur, cur his nõ plures datæ sunt mulieres? beneficij et mercedis gratia, ut dictum est? sed potius uiris multis mulier una? Si uerò illud ceu condemnatis cõtingit, hæc eadem sanè beneficia laudis, & bonæ retributionis domicilia sunt, ueluti Mahomet enarrat. Quod idem de multis mulieribus uni uiro datis sentiendum est. Si enim uiris dantur ceu damnationem meritæ, cur in easdem hæc conferuntur beneficia? Si autem laudem meruerunt, cur unũ uiro multæ tribuuntur? Et quid nã hac cõfusione est absurdius, & magis deforme? Vidés ne in quot absurda uel inuitus incidit, qui à uia uera aberrauit? Sed minime hæc ita sunt: nõ sunt inquam, hæc. Quæ enim sanctis exoluitur retributio, nõ in delicijs uersatur, potationibus, balneis, & mulieribus, quæ omnia peccati & iræ fructus sunt, ut dictum est: uerum retributio hæc sanctitas est, puritas, & uita angelica, gaudiũ & hilaritas, & exultatio, quam oculus non uidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis unquam ascendit. Vides itaq; fructum legislatori huic ex sua lege prouenientem. Cognoscitur autem à fructu operum ratio illius, aut non? Et quis tam stupidus & excæcatus, ut hæc quæ dicta sunt non intelligat? Quomodo igitur Deum authorem referet, qui huiusmodi statuit? Et de his quid nam pluribus opus est?

De nomine uerò Mahomet, scripto in dextra throni diuini parte, quid opus est uerborũ apologiam cõtexere? Prudentes enim prudenter de hoc iudicabunt: stulti uero & stupidi, ut uoluerint. Nõ tamẽ, quasi nostri sermonis obliti, de Mahomete hæc quæ dicta sunt conscripsimus. Dixi enim quod huius meæ ad te Apologiæ finis nõ sit, Musulmanos impugnare, et quæcunq; absurda, pernicioſa malaq; dicãt, faciantq;, proferre: sed ut ostendã tantũmodo, quod sine omni ratione et inique Christiani à Musulmanis accusentur: quod etiã fecimus. Quod si interim quædã de Mahomete diximus, ipsius rei argumentũ nos dicere coegit. Quandoquidem si de absurdis doctrinæ suæ scribere instituissemus, multa hic nobis dicenda essent. Quod uerò Christus de Mahomete sermonem non habuerit, nec in Euangelio nomen illius fuerit inscriptũ, sufficienter à nobis in superioribus dictum est: sed & ipsa ratio hoc manifestius comprobabit. Quæcunq; uiderunt Apostoli & disci-

discipuli Christi, & quæcunq; ex ore illius audiuerunt, hæc & literis prodiderunt, & docuerũt. Ex illis itaq; Christi discipulis quatuor conscripserunt Euangelium. Vnus quidem Matthæus nomine, qui Hebraica lingua illud descripsit, in Palæstinæ institutionẽ, & Hierosolymæ, partiumq; Aphricæ. Alter uerò Marcus, Latino idiomate conscriptũ uulgauit in Achaiam, Italiam & Romam, quin etiam in omnes gentes occidentales. Tertius Lucas lingua Græca usus est, quod in Asiam, Aethiopiam, Persiam, Indiamq; euulgatum est, & Arabiam. Quartus uerò Ioannes, etiã ipse Græcis literis usus, Euangeliũ conscripsit, quod in Europæ aliquot partes diffusum est, & insulas aliaq; loca à Græcis habitata. Sic inquam, Euangelium dispersum est in mundum uniuersum, non ui & necessitate, nõ gladio & ense, sed apostoli cum charitate, mansuetudine & humilitate uerbum dei prædicauerunt. Et cõtrario omnino modo res succeßit. Apostolis enim percußis & colaphos paßis, calumnia preßis, & in persecutione simul docentibus prædicatio illorum non intercidit: sed quotidie crescebat & augebatur Christi Euangelium. Quin & hi ipsi, qui magno studio & labore in hoc incumbebant ut Christi nomen occultaretur, ne quis hominum cõfiteretur illum Deum esse, & ut mortis supplicium subiret qui hoc faceret, hi ipsi inquam, ueritate cognita illi adiuncti sunt, eamq; coluerũt, alij quidem ab apostolis, alij ab horum successoribus & discipulis edocti, & crediderunt Christum esse uerũ Deum, & Dei uiuentis filium: quin etiam dolore & fletibus prosequebantur anteactos dies, quibus in tenebris & Satanæ erroribus ambulauerant. Deus autẽ benignus & misericors, ipsorũ susceρit pœnitentiam, ipsosq; Christiani nominis persecutores pastorũ officio dignatus est, & doctores præconesq; Euangelij & nominis sui fecit. Omnes etiam Euangeliũ recipientes, describebãt illud singuli, legebant, discebant, & in illo instituebãtur, colebantq; quæ in eo erant scripta, tum denique summo studio ignaros horum erudiebant. Et hoc modo Euangeliũ in orbem uniuersum dispersum est, omnesq; illud habebant totius terræ incolæ. A Christi temporibus itaq; usq; ad ea quibus docere cœpit Mahomet, anni elapsi sunt plus quingentis. Quis uerò post Euangelij cognitionem intra quingentorũ annorũ spacium ausus fuisset expungere Mahometis nomen ex Euangelio, si modò in illo scriptũ inueniebantur? partim quidem quod qui unam tantum dictionem uel addere uel demere ausus fuisset, posthac Christiani nomen amisisset: partim uerò, ut demus impium quendam aliquã Euangelij dictionẽ expungere ausum fuisse, num uniuersum orbem unius ineptias secuturũ



fuisse putabimus? Nequaquam. Hinc igitur elucet, Mahometis nomen nusquam in Euangelio descriptũ fuisse. Præterea si Mahometis nomen Euãgelij libris inerat, illũ sanè Christus uel bonũ, uel malum esse fuerat testificaturus. Si bonũ, recepturi hunc certè erant omnes reges terræ, omnes præsides, omnes Christiani, eum nimirũ qui Christi testimonio esset comprobatus, ut scilicet illius etiam utilitate perfruerentur. Si uerò malũ dixit, retinuissent nimirũ illius signa & indicia, & ne ab hoc læderentur custodiuissent. Quod si igitur uel ut bonum recepturi, uel ut malum auersaturi, nõ eieciſſet uniuersus orbis ex Euangelio Mahotis nomen, etiã hinc apparet huius nomẽ in Euangelio scriptũ non fuisse. Porrò nemo est qui alteri prius quàm is natus sit, inuideat. Quis igitur Mahometem inuidia esset prosecutus, priusquam is nasceretur? Nemo prorsus. Et licet aliquis post natiuitatem illius hunc inuidia esset prosecutus, num totus orbis unius contra Mahometem inuidiæ erat subscripturus? Et quis tam imprudẽs, ut hoc non impoßibile fuisse iudicet? Quare etiam hinc colligitur, Mahometis nomen in Euangelio non fuisse descriptũ. Præterea siquidem dicerent Ismaelitæ, quod in solo Euangelio Mahometis nomen scriptum inueniretur, quodq; illud Christiani eraserint, sufficientes essent hæ, quas diximus, demonstrationes ad ueritatem cõprobandum, & illorũ refutandum mendacia. Cum uerò addunt, illud etiam in ueteri Testamento à Mose conscripto extare, quomodo illud expunxerũt Hebræi? Illic etenim ne signum quidem de Mahomete inuenitur. Considera igitur qua fronte Musulmani dicant Christianos nomen illius inuidia motos ex Euãgelio expunxisse? Hebræi uerò quam ob causam idem fecerunt? in circuncisione quippe, & in alijs quibusdã, cibis uidelicet alijsq; ritibus, Musulmani cum Hebræis conueniunt. Nunc igitur uel hinc quoq; constat, quod nec in ueteri Mosis testamento, nec in Euangelio, Mahometis nomen contineatur. Et hæc quidem hactenus, sufficiunt enim hæc, ut uel stupidißimum in ueritatis cognitionem inducant.

Inter alia uerò omnia etiam in hoc Christiani à Musulmanis accusamur, quod spernentes legem à Mose latam, accusationem mereamur, cum tamen nos accusatione digni, Musulmanos accusemus summis celebrãdos laudibus. Num itaq; laudandi sint Musulmani, seu minus, singulatim in superioribus demonstratũ est. Sed agedum de nobis ipsis nunc uideamus. Num soluta est à nobis Mosis lex? Quin potius ab Euangelio confirmata est, & id quod in lege infirmum erat & impoßibile, hoc Euangeliũ compleuit. Omnis enim sermo, omnis scriptura, omnis actio cũ fine certo dici-

to dicitur, ſcribitur, & fit: & quemadmodum omnes fructus præcedit flos, ita omnium actionum dux eſt deſtinatus finis, apud cordatos homines. Et nunc diligenter, quæ dicũtur, conſidera, quomodo Adam nimirũ à deo formatus ſit, & in paradiſum collocatus, à quo propter diuinæ legis trãſgreßionẽ extorris et exul factus ſit, & maledictione à Deo ſuſcepta & damnatione ut in eam terram redeat, è qua ſumptus eſt, condemnetur. Quod ſic euenisſe uidemus. Mortem enim ſubijt, et defunctus in inferno detinebatur. Veruntamen opera diaboli totũ genus humanũ, & uniuerſi ſimul inciderũt in facinora laſciua & illicita: et hoc perniciosum illis erat, quod relicto cultu creatoris cœli & terræ, & dei factoris ſui, ſeducti diabolũ coluerũt, et idola, ut in ſuperioribus diximus et demonſtrauimus. Deus uero miſericors, nequaquã uoluit creaturam ſuam ulterius diaboli tyrannide premi: hominemq; ſaluari uoluit. Quoniam uero is ut ſui iuris et liberi arbitrij ſit, à deo conditus eſt, nec ablatum ab ipſo eſt antea illi conceſſum liberum arbitrium, ſed ſemper liberum habens arbitriũ permanſit: uoluit ſaluare deus hominẽ, ſed tamen ſua ipſius, hominis ſcilicet uoluntate & arbitrio, nõ ui & neceßitate, ut Mahomet prædicat. Cum uero omnes homines diuturno planè morbo laſciuiæ, & plus quàm naturaliũ uitiorum et idololatriæ laborauiſſent, ab eo tempore impoßibile erat coſdem facile à tam diutino morbo liberari. Cœpit igitur deus inſtar peritiſſimi medici paulatim curare genus hominũ, Hebræorumq; gentem boni huius initium conſtituit, præcepitq; uni hominũ iuſto & ſancto, Moſi ſcilicet, ut ex dei oraculis exorſus Hebræorum gentem inſtitueret: quod et fecit. Quoniam uerò omnia quæ lege & Euangelio cõtinentur, huic meæ Apologiæ particulari inſerere nõ facile licet, particularia tamen quædam ex his in medium afferemus. & quemadmodum ex uno calice omne quod in dolio eſt, uinũ dijudicatur: ſic ex his ſingularibus, quis nam legis & Euangelij ſcopus ſit, cognoſcere poterimus, & num alterum cõtradicat alteri. Diligenter itaq; his quæ dicuntur attẽdito. Moſes dicit, Non occides: Dicit Chriſtus, Qui iraſcitur fratri ſuo ignis pœnã ſubibit. Et Moſes quidem dixit, Non occides: Chriſtus uero, Non iraſcaris. Nouiſti igitur, quod primò quidem ſanguinis, qui circa cor eſt in homine, efferueſcentia oboritur, qua homo incitatur ad iracundiã, ex quibus et ipſa cædes ſequitur. Qui uero ratione animi æſtum refrenauerit, ſi non ad iram commotus fuerit, quomodo in cædis crimen inciderit? Et Moſes quidem dicendo, Non occides, hominẽ à malo & ipſo peccato abſterruit, ipſum uero



non reddidit perfectum. non enim hoc hominẽ multum profuerit, ſi à malo abſtineat, niſi etiam bonũ operetur. Quapropter Chriſtus nõ dixit, Non occides: ſed, Quicunq; iratus fuerit fratri ſuo, &c. radicitus ipſum crimen euellens. Et lex quodammodo fructũ aufert (cædes enim iræ fructus eſt) Chriſtus uero ipſam peccati arborẽ extirpat, id eſt animi æſtum & iram. Et Moſes quidem dicens, Non occides, in hoc conſtitit, nec ultrò progreſſus eſt. Chriſtus uero non ſic: ſed cum dicit, Quicunq; iraſcitur fratri ſuo obnoxius eſt gehennæ ignis: ſic addit, Cum obtuleris munus tuũ ad altare, et illic recordaris quod frater tuus aliquid habeat cõtra te, relinque munus tuum coram altari, & abi primũ et recõcilieris cum fratre tuo, & tunc reuerſus offer munus tuum: charitatem fratris ſacrificio utiliorẽ iudicans. Et ſanè nõ dixit, Si tu habueris aliquid contra fratrẽ tuũ (hoc enim antè prohibuit) quid igitur? Si habuerit frater tuus cõtra te. Nõ enim hunc modo à malo abſterruit, ſed et fratrẽ curari præcepit.

Dicit in lege Moſes: Non peierabis, ſed reddes domino iuramenta tua. Periuriũ prohibens, iuramentũ concedit. Chriſtus autem in Euangelio: Ne iures omnino, ſed ſit uobis ita ita, et non nõ: quid nam innuente hoc uerbo? nõ aliud quàm ut ueraces ſimus?, & fide digni, & ut loco multorum iuramentorũ uerba noſtra talia ſint quæ fidem poßint mereri. Et ſanè qui iurat, uel uolens uel inuitus, iurando poteſt fallere aut falli: quiuerò in uniuerſum nõ iurat, periurij periculũ effugit. Moſes idẽ dicit, Oculũ pro oculo, dentẽ pro dente: nec aliud reſpicit quàm ut timore contentiones & pugnas mutuas prohibeat. Chriſtus autem in Euangelio: Quicunq; tibi alapam inflixerit in dextram maxillã tuam, obuerte illi & alteram. et qui te iudicium uolet rapere, et tunicam tuam tollere, dimitte illi & palliũ. Et quicunq; te adegerit ad milliare unum, abi cum illo duo. Nunc itaque te interrogo, utrum ex duobus mandatis iſtis legislatoris finem plenè attingit, num ſcilicet ut prohibeãtur, quin potius ut omnino tollantur mutuæ lites, contentiones & pugnæ? Euangelica haud dubie. Si quis enim propter ultionem oculo ſuo altero priuetur, aut dente, nónne ulciſcitur, & tẽporis occaſione id permittente alteri nocet, uel ad minimũ iraſcitur, et iniuriarũ memor eſt? Haud dubie. Qui uero paratus promptuſq; ad hoc fuerit, et hoc ſtuduerit ſemper, ut ſi quis illi alapam infligat, non modo ſuſtineat à fratre illatam ſibi iniuriam, ſed cum humilitate alteram illi alapam obuertat: & cum re ſic geſta huius philoſophiæ ſtudioſus fuerit, et percutientem ſuſtinuerit, nón ne ſuſtulit hic et deuicit omne uitium, omnem contentionẽ

& iram? Num hic ne, uel ipsa lex legislatoris finem propius attigit? Non ne diabolũ lætali affixit uulnere, patrem pugnæ & offẽdiculorum? Diabolum enim cœlo eiecit fastus, cum angelus esset, deinde inuidia & odium. In diabolo enim ne uestigiũ quidem est charitatis. Non tamen in homine solummodo diaboli odium inuenitur: sed & dæmones inter se mutuò alter alterius perditionem & exitium concupiscit. Propter inimicitiam uero et odium, quo in homines laborant, pacem inter se habere uidentur. Et quemadmodum inimici ira mutua inter se cõcertant, alterq; alterius quærit perniciem & interitum. si uero in alios hostes ijdem inciderint, omisso bello illo mutuo & intestino, cum illis cõgrediuntur: deinde uero rursum alter alterius mutuã perniciem sitire deprehenditur. Talis est etiam ea quæ inter hos putatur esse coniunctio & concordia. in hominum enim pernitiem, non uero & integro animo contrahitur. Vbi enim ueritas apud mendaciorum patrem locum habeat? Homo autem, qui alterius alapã sustinuerit, nónne facinus diabolo prorsus contrarium patrauit? Nónne coram fratre suo humiliatus est? imò magis coram Deo? Nónne fratrem dilexit, & propter charitatem fratri exhibitam diabolum confudit? Et quis tam insipiens ut de his dubitet? Et qui ad hæc promptus talia dixerit & fecerit, quomodo fiet ut cum altero contentiones misceat?

Dicit Moses, Diliges proximũ tuum, et odio habebis inimicũ tuum. Quid nam hæc legislatoris uerba aliud quàm ueritatẽ uolunt cõstituere? Quid uero Christus, Si dilexeritis eos qui uos diligunt, quæ nam uestra gratia est? Diligite inimicos uestros, Benefacite odio uos habentibus, & orate pro his qui uos execrantur. Quæ nam ex his legibus charitatẽ cõstituit? Vetus ne an Euangelij lex? Illa enim post amicorũ dilectionem propter multorum infirmitatem concedit quodammodo odium contra inimicos. Christus uero cum dicit, Diligite inimicos uestros, & orate pro illis, odium omnino ex homine sustulit. Qui enim hostem suum diligit, & pro illo orat, quomodo amicum aut alium hominem odio habebit?

Lex dicit, Non mœchaberis: Christus uero non sic, sed, Quicunq; uiderit mulierẽ ad concupiscendum illam, iam adulteriũ cum illa commisit in corde suo. En diligentiam legis considera. Non legem modò prohibuit, sed etiam lasciuum oculum, et ipsum quodammodo animi affectum. Qui enim seipsum usq; ad oculi commotionem custodierit, quomodo in adulterij crimẽ incidet? Quemadmodum uero brutis animalibus bis quidem ultricia, illis uero defensiora & protectiora arma data sunt, ut leoni quidem ira et robur,



apro dentes, boui cornua, lepori uero cursus celeritas, idemq; capreæ & ceruo: omnibus autem simul sensus quidam datus est, quo noxia omnia & uenenatos cibos auersentur, utiles uerò appetant: sic & homini omnium loco mens data est, quæ dijudicare potest bonum à malo: & ab illis quidem abstinere quæ animam lædunt, utilia uero et salutaria appetere. Quod si uero forte carnali cupiditate & diaboli affectu in animum cogitatio quædam inciderit indecens, caprea uelocior turpem cogitationem effugere potest. Et si odio satanæ cogitatio hæc illum insecuta fuerit, animi zelum & feruorem sibi à Deo datum possidet in suum commodum: quo leonis aut ursi instar sese defendit, cogitationẽ hanc hostisq; bellum conculcare & extirpare concupiscit. Homo autem nõ custodiens sanum illud diuinæ gratiæ donarium, in illicitas et absurdas actiones incidit, quemadmodum in superioribus copiosius enarrauimus. Deus autem saluare uolens suam creaturam, hominem scilicet, legem Mosaicam misit, ceu ducem quendam & præceptorem. Et quemadmodum teneris adhuc infantibus cibus solidus non datur, sed tenerior & concoctu facilis, paulò pòst autem solidior, hinc rursum solidior alius, tandem etiam cibus perfectus: & ut imperfecta adhuc cognitione rerũ præditis nõdum philosophiæ disciplina præscribitur, sed primo quidem literarum elementa traduntur, et paulò pòst harum coniunctio & syllabæ: puero autem per ætatem & incrementum ad perfectiorem ætatem progresso, etiam philosophiæ arcana proponuntur: sic eadem mihi & legis ratio uidetur. Propter hominum enim infirmitatẽ lex ad manuductionem boni data est, non quidem ut hominem perfectum reddere posit, sed quemadmodum in sublimi scala primus gradus nos à terra attollit, nec tamen hoc ad summũ scalæ ascensum sufficit, nisi multi simul superati sint propter altitudinem et sublimitatem: ita etiam in ueteri lege contingit, sancta quidem & iusta & à Deo lata (unus enim idemq; Deus est, qui & legem & Euangelium promulgauit) sed tamen propter hominum infirmitatem lex data est, pædagogum agens, & illos à terra subducens quasi in primum scalæ gradum, hoc est abstrahens illos à multis & ingentibus uitijs, & à terra in qua uolutabantur: non tamen illos ad scalæ summitatem perducere potuit. Euangelium uerò hominem euexit, & in summũ collocauit scalæ fastigium, quod ad cœlum usq; pertingit. Quod enim in lege infirmum erat et impossibile, Euangelium impleuit. Sicuti demonstratũ est. Dominus enim in Euangelijs sic ait, Non ueni ut legẽ destruã, sed ut impleã. Ante Euãgelij enim tem-

pora

pora simul cognoscebatur qui nam uitiorũ multitudine esset obrutus. Post huius uero annunciationem, libere sese uirginitatis politia protulit, & innumeri ex hominibus uirgines inueniuntur et muliebris et uirilis sexus. Cesso tamẽ de his dicere propter nimiam uerbositatem. Plurimi enim Christianorum uitam agunt angelicam. Noui sti ne autem nunc quomodo una eademq; lex sit illa à Mose lata antiquitus, & quam Christus in Euangelio tulit? Et quemadmodum rex aliquis missis seruo suo nummis quinq;, dicit illi, negotiare & operare cum his quandiu peregre abfuero. Hic uero gratijs actis accipit, & negotiatur. Cum uero denuò peregre profectus fuerit rex, eidem seruo alios centum tradidit, nec propterea quinque his ille priuatus est: sed nomen quidem quinq; nummorum defecit, nihilominus tamen hi quinque multipliciter in ipsis centum continentur: & cum centum nummorum numerus nominatur, necessariò cum his cõiunctus est et unà intelligitur ipsorum quinq; numerus unà cum centenis: sic, inquam, in lege & Euãgelio contingit. Lex quidem abrogata dicitur, citra controuersiam tamen in ipso Euangelio continetur ipsius legis finis, & multipliciter in hoc operatur, quemadmodũ paulo antè diximus. Et hæc quidem abrogata est non ceu mala, sed ceu inutilis, quod præsens tempus attinet, nec usum habens aliquem. Et quemadmodũ in densissimis tenebris media nocte luna exorta tenebrarum profunditatem quasi attenuat, aerem tamen non omnino dilucidum reddit: sol uero exortus in tantum uniuersum orbem illuminat, ut etiam minimus in aere puluisculus per solis radios conspiciatur. & luna quidem insitum sibi propriumq; lumen non amisit, disparuit tamen et obtecta est, propter solis splendorem: sic etiam in ueteri lege & euangelio contingit. Lex enim uetus idololatriæ quidem tenebras depulit, non tamen in uniuersum illuminare & absoluere potuit hominum animas: Euangelium uero illuminauit, docuit, absoluit, & homines in cœlum euexit, paradisumq; quam progenitor Adam amiserat, gratuitò concessit. Et quis tam infœlix, ut Euangelio relicto ad legem reuertatur, et quasi denuò ceu infans lactis nutrimentum concupiscat, nec instar uiri cibum solidiorem? uel quis ceu puer literarum elementa requirat, & non potius ceu absoluta prudentia præditus philosophiam? Vel quis solari lumine repudiato, lunarem amplecta tur? Mihi sanè ea quæ scripsimus sufficere uidentur, ut facile, quicunq; uoluerit huius rei ueritatem cognoscat, quin & tu ipse. Si autem fortassis adhuc propter sacrificia, circuncisionem, sabbati ocium, & ciborum discrimen ratio tua du-



bitat & uacillat, minime tamen hoc fieri conueniebat, cum de maximis illis & necessarijs sufficienter dixerimus: uerumtamen etiam de his, ut & reliquis, breuissime disseramus.

Homines, ut suprà diximus, humanas idolis uictimas immolabãt, nec alienigenas tantum, sed etiam proprios liberos. Et quemadmodũ lignum tortuosum integrã & nimiam inflexionẽ sustinere non potest, sed illud paulatim principio artificis arte & opportunitate ab inæqualitate priore immutatur, deinde omnino in rectum extendi tur ceu regula aliqua: ita etiam in sacrificijs factum est. Conceßit enim deus primo tauros immolari, oues & hircos, ut illos ab impijs hisce hominum immolationibus abduceret. Quid enim his deterius et iniquius? Hæc tamen cõceßit deus, ut paulo pòst & ipsa abrogaret, & homines in notitiam sacrificãdi laudem induceret. Sic enim per Dauidẽ deus locutus est: Non suscipiã ex domo tua uitulos, neque de gregibus tuis capellas. Num edam taurorũ carnes, & hircorum sanguinem bibã? Offer deo sacrificiũ laudis, id est hymnum oris tui cũ sincero et recto corde: & redde domino uota tua, & inuoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et glorificabis me. Et hæc tanquàm sub dei persona dixit, auersantis animalium uictimas. Per seipsum autem ad Deum sic dicit: Quoniã si uoluisses sacrificiũ, dedissem tibi. Holocausta non comprobas. Sacrificiũ deo, spiritus contritus. Cor contritũ & humiliatum Dominus non despiciet. Viden' quomodo in omni negotio à summo ad infimum tandem prophetæ locuti sint? Si igitur de sacrificijs dilucide dixerũt, quod deo nõ grata sint, sed temporanea quædam cõceßio, iam post inutilem animaliũ oblationem sacrificatur & cantatur per os & labia ex puro & sincero corde, quod & factũ est. Qui enim antè idololatræ, tyranni & persecutores Christi fuerant, qui Christum ignominia affecerant, cõuersi doctores & præcones orbis facti sunt, & pro nomine Christi occubuerunt, seipsos proponẽtes formulã eorum qui in Christiũ credunt, ut dictũ est. De circuncisione autem copiosius in superioribus diximus. Verumtamen etiam nunc sic dicimus, Circuncisio, cordis est circuncisio, non carnis. Abundantiam enim cordis circumcidere debent singuli, non carnis. Abundantia enim cordis peccatum est, quod conciliauit diabolus & homo propter uoluptates. Quod uero deus in homine fecit, non est superuacaneum. integrum enim est, et bonum, et abundans est nihil. Si itaque homo cordis abundantiam circũciderit, id est peccatum, hic reuera uere circuncisus est. Si autem peccato obnoxius fuerit, & carne circũcisus, uana et inutilis est huius

Deut.10 circuncisio. Sed & Moses sic inquit: Hodie itaque circumcidite duritiam cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius. Dominus enim deus uester, hic deus deorum est, & dominus dominantiũ. Deus magnus & fortis. En qualem Moses circũcisionẽ faciat? Nõ carnis certe, sed cordis. Verũ et martyr Christi Stephanus cũ Hebræis disputãs dixit, Duri ceruice & incircũcisi corde, qui recepistis legem, & non obser-

Act.7 uauistis eam. Sabbatum uero nõ casu aut fortuitò institutum est, ut homines eo die ociosi desiderent (ocium enim per se uitio habetur) sed ut Iudæi omnino ab ijs quæ uitam attinent uacantes, spiritualia curarent. Et in hunc finem institutum est, ut sabbato quidem uacarẽt à curis uitam spectantibus, in concionem uero ardenti studio & cura abirent. Et clare constat, quod sacerdos in sabbato duplicem laborem absoluebat, & duplices oblationes immolabat. Iudæi autem etiam hoc neglecto, uoluptatibus magis studebant & delicijs. Quapropter & propheta increpans illos, dixit: Væ abeuntibus ad diem malum, qui appropinquatis & contingitis sabbata ficta. Et Iudæis quidem, ut diximus, sabbatum institutum est, ut à curis uictum spectantibus uacantes, ad conciones sacras studiose conuenirent. Christianis uero non similiter, utpote cum quotidie ad conciones & preces ipsis conuenire solenne sit. & sic laboratur ut hi quidem plus, illi uerò minus singulis diebus orent. Et quemadmodum in omnibus præceptis lex minimum illud & imperfectum exposuit, Euangelium uero uniuersale illud et totum: ita etiam in Sabbato fieri uidemus. Lex quidem sabbatum constituit, ut conciones adirent. Euangelium uero quotidie hoc fieri uoluit, idq; non semel tantum in die, sed millies, si cui libuerit. Quod si uolueris, dicam id dilucidius. Iudæis ad Christum sabbato apportantibus magnam infirmorum multitudinem, claudorũ, cæcorum, aridorum, paralyticorum, dæmoniacorum, aliorumq; uarijs morbis laborantiũ, omnes eadem ipsa hora sanauit. Iudæi uerò inuidia & ira pleni, cum aliud quod Christo obijcerent non haberent, dicunt illi, Non licet tibi hoc facere sabbato. Quin & Pharisæi uidentes Christi discipulos sabbato spicas uellere & comedere, dixerunt eundem sermonem. Quid uerò ad hos Christus? An nõ legistis quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? Quomodo ingressus sit in domum dei, et panes propositionis comederit, & dederit his qui cum eo erant in die sabbati? Sabbatum enim propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Sed et alia quædam est sabbati ratio. Sex diebus deus creauit omnia, & septimo quieuit ab operibus



suis. Tum & Christus in sepulchrum depositus, sabbato quieuit. in parasceue enim laborauit: latroni enim salutem dedit. die uero dominico rursum operatus est, suscitando primũ, ut deus, proprium corpus, & multorum aliorum: deinde & apostolis apparens, cõfortauit illos, & cum his alios multos apostolos. Et quod septem exactis seculis, id est annorum septem millibus à creatione mundi, uniuersalis omniũ hominum quies futura sit. Eò usque enim omnis actio tam bona quàm mala extenditur: tempore autem illo resurrectio mortuorũ et iudicium operũ futurum est, & singulorũ iuxta opera sua retributio. & hos quidem qui impie uixerunt, æterna manet damnatio: pios uero bonosq;, uita æterna, paradisus & bona quàm plurima, quæ oculus non uidit, et auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. En igitur quis ocij illius sabbatini finis sit, & quomodo errauerint ac adhuc errent, ueluti in omnibus alijs, miseri & stulti Iudæi.

De cibis uero ipsa ueritas sic se habet, Omnia quæ fecit Deus, ualde bona sunt: et si bona sunt, quomodo legislator ea pro malis & reijciendis erat iudicaturus? Cum Deus ad illos dicat, Ecce dedi uobis omnia ad comedendũ, ut herbas campi. Sed cum in deserto moraretur immorigera et ingrata Iudæorum gens, singulis diebus manna à deo missum accipiebãt: cæterũ contra Mosem, imò ipsum deum murmurabant quotidie, & suillas Ægypti carnes appetebant, quas antea comederant, et infinita alia (in primis tamẽ præ alijs suillarum carnium desiderio tenebantur.) Hac igitur de causa interdixit his legislator Moses, ne his uescerentur, ut eos ab omnibus Ægypti cupiditatibus abduceret. Sed de his ipsis audi. Quod enim uniuersus mundus in idololatriæ tenebras & barathrũ inciderit, manifeste constat: in primis tamen omniũ Ægyptij omnia ferè animalia adorabant, et deorũ numero ascribebant. & quæcuuque hi tanquàm deos uenerabantur, hæc Moses legislator immolare iussit: è uolatilibus quidem turturem & columbam, è quadrupedibus uero bouem, ouem & capram. sed porco uesci prohibuit, quoniã huius cibus magni erat precij apud Ægyptios simul & infelicissimos Iudæos. Moses igitur ipsis immutare uolens Ægyptiorum ritus, ea immolare iußit quæ Ægyptijs pro dijs erant, ut intelligerent se frustra hæc colere & uenerari. Quæ uero chara habebant, & magni faciebant, cibi gratia, illorum esum interminatus est: in primis tamen suillarum carnium, propter insatiabiles harum cupiditates, ut dictũ est. Christus uero nihil è cibis prohibuit, nec etiam apostoli, horũq; successores. Quod si uero aliqua animalia sunt, à quibus Christiani abstinens

nent,hoc ſimpliciter diutinæ conſuetudinis & propriæ uoluntatis gratia faciunt,non propter doctorum et Euangelij traditionem. Vetus enim lex haſce obſeruationes habebat,Euangelium uero nequaquam:ſed omnia in uniuſcuiuſq; poteſtate & arbitrio ſunt conſtituta.propter diutinam uero,ut dictum eſt,conſuetudinem à quibuſdam animalibus abſtinent, nec illis ueſcuntur: quemadmodum qui penes nos ſunt Monachi, ab omnium carnium eſu abſtinent,non quod has impuras & reijciendas eſſe arbitrentur, ſed uitam (ut dictum eſt)anguſtiorem ſequi cupientes, & rempub.habere longe ſublimiorem propter corporis ſui tolerantiam carnibus abſtinent.Et ecce ex his quæ de lege ſcripſimus, iudicare potes, legem Euangelio contrariã non eſſe,nec Euãgelium legi:omnia enim hæc ſibi cõſentiunt. Legis uerò infirmitatem Euangelium compleuit. Si enim lex perfecta fuiſſet,nequaquam ſic per Ieremiam prophetã dixiſſet Dominus:Ecce dies ueniunt,dicit dominus,& conſtituã ſuper domum Iſrael et domum Iuda fœdus nouum:non ſecundum fœdus quod pepigi cum patribus ipſorum, in diebus cum apprehenderem ego uanum ipſorum,ut educerem eos de terra Ægypti:quoniam ipſi non perſtiterunt in fœdere meo,& ego neglexi eos,dicit dominus. Quoniã hoc eſt fœdus quod ſtatuam domui Iſrael poſt dies illos,dicit dominus,Dabo leges meas in ſenſus illorum,& in cor ipſorũ inſcribam eas,et ero ipſis in deum, & ipſi erunt mihi in populũ. Nec docebit unuſquiſq; proximum ſuum,et quilibet fratrẽ ſuum, dicens,Cognoſce Deum:quoniam omnes cognoſcent me,à minimo ipſorum uſq; ad maximum illorum. Quoniam propitius ero iniquitatibus illorum, & peccatorũ illorum & delictorũ non amplius recordabor.Attende diligẽter ad ea quæ dicuntur. Dicit deus,Ecce dies ueniunt,& conſtituam ſuper domum Iſrael et ſuper domum Iuda fœdus nouum.Dicendo, cõſtituam fœdus nouum, oſtendit primum illud eſſe imperfectũ,futurum uerò illud fore perfectum. Cum item nouum dicit, oſtendit alterũ illud eſſe uetus, cuius nullus ſit uſus. Quin dilucidius adhuc dixit, Nõ ſecundũ fœdus, quod pepigi cum patribus illorum, quoniam non perſtiterunt in fœdere meo, & neglexi eos,dicit Dominus. Omnino autem hinc eluceſcit, quod uetus quidem fœdus abrogauit,nouum uero gratuitò cõceſſit.Sed adhuc clarius de hoc locutus,ſic dixit: Ero ipſis in deũ,& ipſi erunt mihi in populum, et omnes cognoſcẽt me à minimo ipſorum uſq; ad maximum.Quoniam propitius ero iniquitatibus ipſorum,& peccatorum illorum delictorumq; nõ amplius recordabor. Vides quomodo Iſraelis quidem populum reprobauerit, proculq; à ſe abegerit:& gentes,quibus nouum fœdus,id eſt Euangelium traditum eſt,populum ſuum nominauerit? Et domum Iſrael & Iuda de ipſis gentibus dicere uidetur Deus, de Hebræorum uero gente nequaquam. Quos etenim Chriſtus diaboli filios uocauit, quomodo pater huius Deus eoſdem populum ſuum appellaret? aut Deus ipſorum eſſe diceretur? Similiter per Eſaiam quoque ſic inquit Deus:E Zion exibit lex, & uerbum Domini de Ieruſalem. Et quæ nam lex alia de Zion & Ieruſalem egreſſa eſt, præterquàm Chriſti doctrina & Euangelium? Moſaica enim lex in monte Sinai promulgata eſt Iudæis,genti immmorigeræ & ingratæ:Chriſti autem doctrina & Euangelium ex Hieruſalem. Veruntamen tute tecum conſidera, & uide. Quemadmodum homo tabernaculum quoddam umbratile extruẽs,de hoc non multũ ſollicitus eſt, in domo autem extruenda ſummo ſtudio utitur, & in primis curat ut fundamentum poſitum ſit firmum & ſtabile, ut forma domus ſit commoda, & culmen imponat concinnum:quin etiam de elegantia domus non parum ſolicitus eſt.in domo enim ſua pater familias habitat. Sic etiam in ueteri lege & Euangelio contingit. Euangelium quidem, ſecundum quod in eo requieſcere Deus uoluit, per omnia ſanctum fecit, perfectum & iuſtum & ſtabile. In lege uero non ſic:ſed uolens hanc tantum non ceu inutilem abolere, quaſi in tranſcurſu ipſam tradidit, ut legis defectus per Euangelium implerentur & reſarcirentur. Cæterum quemadmodum de Chriſto prophetæ uaticinati ſunt,& hæc quidem ſermonibus claris expoſuerunt,hæc uero per ænigmata:non ſolum autem de Chriſto,ſed etiam de Euangelio & illius diſcipulis apoſtoliſq;:ſic etiam de lege. Et primo quidem cum Iſaac benedicere uellet filio ſuo primogenito Eſau,non complacitum eſt Deo in hoc:ſed Iacobo poſt hunc nato benedixit. Et Eſau quidem typus erat legis & populi Iudaici, Iacob uero typus Euangelij & populi ex gentibus collecti. Iudas uero Iacobi filius genuit Phares & Zara. Cum autem Zara ad naſcendum egrederetur, manus quidem eius emicuit,corpus uero nequaquam. Cum autem obſtetrix manum filo tincto religauiſſet, manus infantis rurſum ingreſſa eſt: & poſtea natus eſt frater eius Phares:quo in lucem edito,tandem & Zara natus eſt. Hoc autem uiſo obſtetrix dixit, Quare propter te ſolutum eſt ſeptum? Septum certè ab omnibus prophetis lex Moſaica appellatur. Quis igitur expoſuit obſtetrici duos eſſe infantes? & qua nam de cauſa coccineo filo manum alterius religauit? Tum quid nam innuens dixit, Quare propter te diſ-

Ierem. 31

Eſa. 2

Gen. 27

Gen. 38

ſolutum eſt ſeptumꝫid eſt, quomodo tu typus legis factus es? Et quemadmodũ qui modò apparuiſti, deinde abſconditus es, & frater qui poſterior te erat, prior in lucem editus eſt: ſic etiam ſeptũ, lex ſcilicet, quæ prima eſſe apparebit, paulo pòſt poſteriores habebit partes. Lex uerò Euangelij, quæ poſtremo uentura eſt, ante hanc enaſcetur. Vnde nam obſtetrix edocta hæc dixit? Diuina certe uirtute hæc uaticinata eſt: & quæ per prophetas loquitur dei uirtus, per os etiam mulieris locuta eſt. Planius tamen adhuc & dilucidius per Ieremiam dixit Deus: Ecce dies ueniunt dicit dominus, et conſtituam ſuper domũ Izrael & ſuper domum Iuda fœdus nouũ, &c. ut ſuperius dictum eſt. Viden' quomodo per figuras & prophetias manifeſte & clare deus legem demonſtrauerit o cioſam quidem eſſe, & imperfectam: Euangelium uero efficax & perfectũ? Nihilominus miſeri & excæcati Iudæi nec imperfectam & impotentem legem obſeruant, ſed quotidie uel primi illius tranſgreſſores eſſe deprehenduntur (non accuſo illos peccatorum, quis enim à peccatis abſtinere poterit? ſed de lege dico, quod illam tranſgrediantur) & ijdem ſi maxime uellent facere ea quæ legis ſunt, non tamen poſſunt. Et uide qua ratione hoc fiat. Deus conſtituit & decreuit, ut Hieroſolyma omniũ, quas gens Hebræorum habet, urbium ſit metropolis, in qua Solomon templum ædificauit, præcepitq; Deus ut intra templum ſacrificia fiant, & oblationes pro peccatis hominum: extra Hieroſolymam uero & templum hoc ſacrificia nulla eſſe offerenda. Quandoquidem igitur Hieroſolyma rum urbs deſtructa eſt, & templum ſubuerſum, neq; iam ſacerdotium habent ad ſanctificationẽ ſui, neque modum offerendi deo, quid nam ipſis eſt reliqui? Nihil omnino. Propter hæc itaque et alia multa, quæ nunc exacte ſcribere nõ eſt opus, neque Chriſtiani eſſe deprehendũtur, quia Euangelium non recipiunt: neque hæretici, quia nullum prorſus ſequuntur hæreſum doctorem: neq; Muſulmani, quia Mahometem non ſectantur: neque Iudæi, cum nulla, quæ legis ſunt, faciant: ſed tales eſſe conuincuntur miſeri, qui quid colant credánt ue ignorẽt, ſed in perditione uiuũt. Vidén' quõ à uera et recta uia aberrãtes, cumſe rectà incedere arbitrãtur, in barathro & perditione eſſe cõſpiciũtur? Et hæc quidẽ hactenus.

Quoniam uero in omnibus, quæ prius ad nos partim ſcripſiſti, partim ore retulerunt tui ad nos nuncij, uoluntati tuæ obſecuti, copioſius nos defendimus, nunc age tui ſermonis memineris. In fine enim literarum tuarum ſic dixiſti, Prudenti uel una ſufficit oratio: quod reuera ſic eſt. Si igitur prudẽti uel una ſufficit oratio, ut tu ipſe te-



ſtaris, & ipſa docet ueritas, prudens uerò aliquis multis ſermonibus auditis bonis ueriſq;, nec illos receperit, uel decerpſerit fructum illorum, nónne meritò accuſandus et reprehendendus fuerit? Vbi igitur noſtræ hæ literæ, hæcq; noſtra apologia ad te peruenerint, adhortor ut diligenter hæc cõſideres, et per ſingula uerba diſcutias, latentem theſaurũ in his haud dubie inuenturus. Non enim animi noſtri fœtus ſunt, ſed ex libris Moſaicis, ſed ex Dauidis Pſalterio, ſed ex prophetis & Euangelio deſumpta, quæ et ipſe Mahomet & omnes Muſulmani ſancta et iuſta eſſe confitentur & dicunt. Et hæc ipſa ſunt, quæ uerbotenus oſtendunt Chriſtum filium dei eſſe, & eundem deum ſimul et hominẽ. Ipſe enim eſt qui ab omnibus prophetis deus eſt prædicatus. Is eſt quem Abraham, utpote deum, adorauit, & iudicem omnis terræ dixit. Is eſt quem cantu celebrauerunt angeli, & quem uirtutes ſupernæ in nubibus ſuis geſtauerũt, quem uidit Daniel uenientem in nubibus ad iudicandum orbem. Is eſt, cui omnis creatura ſeruit, illius dicto obediẽs, uenti ſcilicet, mare, et reliqua. Is eſt, quo uiſo infernus regnũ ſuũ amiſit: cæterũ & ante mortẽ cum tremore implebat huius imperium, dimittẽs Lazarum, & alios. Hoc teſtatur infinita illa, quæ fecit, miracula. Et quid dicam amplius? Is eſt, qui à deo patre teſtimonium ſæpius accepit. De hoc Dauid dixit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in uoce exultationis. Quoniã rex uniuerſæ terræ deus. Pſallite prudẽter. Deus regnauit ſuper gentes: quemadmodũ in ſuperioribus copioſius dictum eſt. Non enim de deo patre dixit, nec de Dei filio, quod prius quidem non exiſtens rex uniuerſæ ter[illegible], poſtea uero regnum ſuper omnes gentes & omnem terram acceperit: ſed hæc propter hominem, quem aſſumpſit filius & uerbum Dei, propheta dixit, qui nec regnabat, nec à gentibus omniq; terra adorabatur, eo quod nondũ eſſet natus. Poſt natiuitatem autem illius data eſt illi gloria, honor & poteſtas, ut dixit Daniel, & regnum. Cæterum et ipſe Dauid eodem loco: quin & ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem quaſi obſignans huiuſmodi prophetias, dixit apoſtolis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Profecti, docete omnes gentes: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur: qui uero non crediderit, cõdemnabitur. Vides ne quanta cum ſimplicitate et luce appareat, quod de homine, quem filius & uerbum dei aſſumpſit ex diua Virgine, eadem dicunt prophetæ, ſed & ipſe Chriſtus: & de illo extant omnia teſtimonia propter hominum infirmitatem? Ipſe enim filius dei ſecundum diuinitatẽ teſtimonio non indiget. Quo enim teſtimonio deus indigeat? Veruntamen

men quemadmodũ de Christi incarnatione, cruce & paßione, resurrectione item & assumptione, de lege quoq; & alijs uaticinia sunt prædicta, uisiones uisæ, typi facti: sic etiam de baptismo prophetiæ & typi sunt propositi, quæ tamen omnia propter nimiam copiam, ut etiam in alijs, omisimus. De his tamen quædam particulariter perstringamus. Moses ille magnus, si non potuisset per mare rubrum Hebræorum gentem traducere, perissent sanè Pharaonis manibus. Iosue etiam filius Nun, nisi Iordanem in diuersas partes secuisset, non ingressi fuissent Iudæi terram promissam: arca uero propius propiusq; ad Iordanem fluuium allata, aquæ diuisæ sunt, & per siccum transiuit omnis Iudæorum populus: & arca typus erat diuæ Virginis Mariæ, quæ filium & uerbum dei secundum carnem peperit. Cæterum & propheta Helias extruxit altare, & lignis holocaustisq; simul impositis, nullum omnino ignem inferebat, sed cum altare aqua perfudisset, orabat, cœloq; delapsus ignis sacrificium consumpsit. Vides ne igitur quomodo omnia, quæ Christiani colunt, primis illis et uetustis testimonijs comprobata sunt? Hæc enim & alia multa baptismum denotabant. Sine hoc enim hominem saluari, est impoßibile. Quapropter & ipse Christus dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui uero nõ crediderit, condemnabitur. Cum uero hæc omnia sic se habeãt, nónne ridiculum fuerit, quod libros quidem summo honore prosequimini, deum uerò in his celebratum contemnitis, dicentes hominem esse, & nõ deum? Licet itaq; quàm fusißime fieri potuit, non scripsimus, propter nimiam scripturæ copiam, tardumq; infirmitatis tuæ iudicium, nihil dominus tamen hæc tanta scripsimus, ut uel stupidißimo ad rectum uerumq; discendum sufficiant. Et ecce idem in te hodie, quod & in Iudæos, competit. de illis enim dixit dominus: Dabo illis famem, sed non famem panis & aquæ, sed famem audiendi uerba domini. Et sic omnino euenit. A tẽpore enim illo, quo Christus mortem subijt, in iram inciderunt irreconciliabilem & sempiternam: ex tunc omnis sanctificatio omnisq; doctrina ab illis defecit. Idem igitur & in te contingit. Nam in hodiernum diem usq; uerbum dei nec audiuisti, nec edoctus es: sed in stultitia ambulauisti, & tenebris. Nunc uerò missa tibi sunt dei oracula, sanctorum & prophetarum dogmata: hæc igitur attente considera, et fine diligenter inspecto et accurata inquisitione stude, ne posthac in tenebris ambules, ne illud Dauidis in te impleatur oraculum, dicens, Filij hominum quousq; aggrauatis cor? quàm diu diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Et cognoscite, quod deus mirifice extulit sanctum suum, id est Christum. Quin & illud magni illius & admirandi Solomonis, dicens: In animam maleuolam sapientia dei non transit, nec in corpus peccatis deditum. Ne similis fias deserto et solitudini spinas producenti, & tribulos: sed potius similis sis terræ fructiferæ, quæ semen susceptum trigecuplum, sexagecuplum, & centuplũ rependit. Sic tu recepto Euangelij uerbo fructũ proferas centuplum. Deum obtestor creatorem cœli & terræ, ut is oculos tuos aperiat, & dilatet cor tuũ, ut facias opera tibi salutaria, quo paradisum & omnia bona in hac reposita poßidere queas.



Amos 8

# ALCHORANI, ID EST LEGIS PER MAHOMETEM LATÆ CAPITA, QVÆ PRIMA ORATIONE CONFVTANTVR, SVNT HÆC,


QVod Mahomet tempore epilepsiæ, cum spumans hinc inde uolueretur, dixerit sibi archangelum Gabrielem se conuenientem uidisse. 1

Quod librum conscripserit, Arabice Corran dictum, Græce uero, legem Dei salutiferam. 2

Quod prophetam Dei & apostolum se nominauerit. 3

Quod Mosaica, Psalteriũ et prophetica scripta, iusta, sancta & uera nominauerit, præcipue uerò Euangeliũ confessus sit iustũ, sanctũ, rectum, uerũ et perfectũ esse, et (ut in capite Iona reperitur) Dei cõmonitiones uocauerit. 4

Quod non à Mahomete solo, sed etiam ab alijs lex illa lata sit. 5

Quod à Mahomete promulgata lex ore ad aures à diabolo lata sit. 6

Quod quidam dignitate Chalibas existens, id est summus doctor, religionem Christianam receperit. 7

Quod Mahomet cũ in hæreticos quodã Nestorianos et Arrianos, quin etiã Iudæos aliquos incidisset, omnẽ horũ maliciã collegerit. 8

Quod iactabundus de se dixerit: Si omnes homines cõueniant, omnes spiritus & angeli, non poterũt Alchoranũ meo simile cõstituere. 9

Quod in fastigio dexteræ partis throni diuini Mahometis nomẽ inscriptũ sit. 10

Quod legem non per miracula daturus uenerit, sed per gladiũ: & quod non credentibus illi, aut mortis supplicium ferendum, aut tributa pendenda sint. 11

Quod interdixerit, ne quis suæ sectæ uel ordinis cum aliquo Christianorum disputet. 12

Quod Noe & Abraham, ipsi denique apostoli, eiusdem quam ipse postea promulgauit doctrinæ sectatores fuerint. 13

ORATIONIS II. CAPITA.

QVod ea quæ in Mosaicis præceptis, prophetis, psalterio & Euangelio continentur, sancta, iusta & Dei traditiones nominet, amplectatur et obseruet: quodq; illius sectatores non sint, qui hæc non impleuerint. 1

Quod legis suæ sectatores in partes septuaginta tres sint diuidendi, quarum unica sola sit saluanda, reliquas uero igni tradendas fore. 2

Quod nisi à Deo esset Alchoran, multa in eo essent sibi inuicem contraria. 3

Quod cum Gabriele ad Deum ascendens, in angelum inciderit decies millenis uicibus maiorem toto mundo, deflentem peccata sua: qui sua ipsius intercessione ueniã apud deum impetrauerit. 4

Quod ipse scopus & sigillum sit prophetarũ. 5

Quod rapinas, cædes & periuria prohibeat, eademq; rursus permittat. 6

Quod deus illi permiserit peierare. 7

Quod Deus secũ collocutus, dixerit se lusus gratia mundum condidisse. 8

Quod in capite Mipacara, id est iuuenca dicto, Iudæos & Christianos salutem consecuturos esse dixerit: in capite uero Aram, contrà asserit, neminem sine Ismaelitarum lege seruari posse. 9

Quod ante ipsum nemo possit paradisum ingredi. Et rursum dicit, quod deus illi multas mulieres uirosq; ante se paradisum ingressos ostenderit. 10

Quod deus post resurrectionem domus elegãtes, balnea et hortos, pluresq; mulieres se daturũ promittat Mahometicæ legis sectatorib. 11

Quod in capite Sad, angelos ex igne, homines uero ex puluere factos esse affirmet. 12

Quod in capite Emele, quod muscam significat, de Solomone & muscis mendacium prodat stolidum, quod & fatetur. 13

Quod in capite Rubeso, de Solomone & uerme tradat, superiori mendacio simillima. 14

Quod in libro Enarrationũ, causam ponit, cur illis uino interdictum sit. 15

Quod cœlum hoc creatum, ex fumo factum sit: mare autem, ex monte quodam Caph nominato. 16

Quod solem, lunam, lumine & uirtute æquales esse dicat. 17

Quod à Gabriele, ut cœlum ascenderet, uocatus, ex Dei manu sibi impositã tantam frigoris uim senserit, ut quæ ad medullam dorsi usque penetrauerit. 18



Quod in capite Sad tradat, dæmones cum angeli essent, à Deo ut Adamum adorarẽt esse constitutos: cumq; hoc aliorum angelorum more facere noluerint, propterea dæmones esse factos. 19

Causam tradit, propter quam suillis carnibus interdictum sit. 20

Quod Deus in fine mundi omne hominũ & angelorum genus occisurus sit. 21

Quod librum conscripserit, duodecim millia sermonum continentem: è quibus ter mille quidem ueri sint, cæteri autem falsi. 22

Quod in capite Ceramar dicat, se lunã in duas partes dissecuisse, quarum altera quidem in tunicã illius, altera uero in terram deciderit: deinde uero integram rursum restituisse. 23

Quod Deus et angeli pro Mahomete orent. 24

Quod in capite Helmaida, quod si interpreteris, mensam significat, affirmet, Hebræos & Christianos non esse filios Dei, nec amicos eius, eò quod «affligantur. 25

ORATIONIS III. CAPITA.

QVod impossibile sit Deum habere filium sine muliere. 1

Quod si filium Deus habuerit, erit inter utrosq; dissidium. 2

Quod in capitulo Elnesa, quod mulieres significat, dicat, Christum esse uerbũ Dei, animam Dei, & spiritum Dei. 3

Quod Christum ex uirgine citra uirilem operã genitum esse testetur. 4

Quod neget Christum & Deum esse & Dei filium, illius etiam incarnationem. Eundem uerò nudum tantummodo, ut Nestorius, hominem uocat: sanctum uerò, et cunctis hominibus excellentiorem. 5

Non Christum, sed alium loco illius crucifixum esse. 6

Quod Deus Christum ad se in cœlos uocauerit, hunc autem in fine mundi uenturum esse, & Antichristum occisurũ, quo facto & ipse Christus moriturus sit. 7

Christianos Deiparam uirginem in deos retulisse, eamq; sororem esse Mosis & Aaronis. 8

ORATIONIS IIII. CAPITA.

QVod in cœlos surreptus Mahomet, coram Deo steterit, et audiuerit uaria, rursumque in terram delatus sit. 1

Dæmones etiam salutem esse consecuturos. 2

Alchorani interpretationem neminem intelligere, nec ipsum quidem Mahometem, sed solum Deum. 3

IN

# IN MAHOMETEM ORATIO PRIMA.

QVisquis alteri contradicere proposuit, scopum unum præfixum habet, ut sua quidem confirmet, et obiecta destruat. Quandoquidem ergo de fide in Christum sufficiẽter disseruimus, & quàm rectißime, ut mihi simul & ueritati uidetur, confisi agedum sancto spiritui, ab illis qui dem contempto, à nobis autem honorato, uideamus quænam sint uerba illa, quæ contra Deum & ueritatem euomuit perditionis filius Mahomet: non obliti interim huius, quod suprà diximus, non scilicet nostri instituti esse, ut in uniuersum omnia quæ à Mahomete absurde instituta sunt, redarguamus: sed ea tantum refutabimus, quæ blasphema in Christum & illius in carne conuersationem impie & imprudenter quidam infremuerunt. Et ne ceu infirmiores certamẽ detrectare uideamur, nunc illud Deo auxiliante subibimus, ut in utilitatem quærentium se ueritas eluceat.

Regnante Heraclio Romanorum rege, homo fuit pernicioſus et uæſanus, qui os quidem ſuum posuit in cœlum, & contra altißimũ iniqua lo-
PGL 72 cutus est, lingua autem illius transiuit in terram: quem sanè non errauerit quispiam, ut mihi uidetur, si diaboli primogenitũ et filium perditionis patremq; simul et filium mendacij uocauerit: nomen illi Mahomet, Arabs natione, peruersus ingenio, & animo peruersior. Hic hæreticis quibusdam cõuersatus, et ab ijsdem institutus, semen excepit, quod in docentis et edocti cordibus arauerat & seminarat zizaniarum seminator, & spinas tribulosq; protulit centuplo plures. Omnem enim ferè hæresim in unum colligens, & hac cum sui ingenij figmentis permixta, mixturam ex his fecit unam, animarũ uenenũ scilicet. Deinde aliquos nactus homines quidẽ nomine, reipsa aũt à pecudibus nihil differentes, in illos urus impietatis suæ euomuit: homines nimirum pastores, penes quos non aliud quàm perpetuam cum pecudibus conuersationẽ deprehenderat. Vnde enim in his esset uera ratio? ubi doctrina? ubi lectio? Neq; enim, si quid ex his omnibus esset, iudicare poterant, sed instar ferarum agrestes, immites, cõtinue in montibus & inter greges uersabãtur: quos sanè si quis definiuerit, animalia esse sermone prædita, non rationalia, mortalia, mente & omni sciẽtia destituta, nequaquã à uero aberrauerit. Quid enim deterius est homine, qui ratione & eruditione destitutus est? Veruntamen cum nec pessimus quisq; omni bono in uniuersum careat, nihil tamen hoc profuerit. En



enim miseri Arabes dum bona quærunt, in mala inciderũt, & uiam salutis appetentes in profundum perditionis delapsi sunt. Mahomet enim hos ex uia ueritatis seductos in montes abduxit & solitudines, locosq; quos non inspicit Dominus, ut non immerito orare debuissent, dicendo, Custodi nos à laqueo quem posuerunt nobis, & ab offendiculis operantium iniquitatem. Constitue Domine legislatorem super nos. Non tamẽ propterea pro iustis habebũtur, ut qui fortasse dei uoluntatẽ, iustum, sanctum, Deoq; placitum ignorauerint. In uniuersam enim terram exiuit apostolorũ sonus, & Euangeliũ in totum orbem annunciatũ est & Iudæis & gentibus, in testimonium ipsis. Quale uero gentium testimonium? Ipsum Euangelium, ipsa prædicatio, ipsa doctrina sapientum apostolorum, qui Euangelium annunciauerunt omni creaturæ, è quibus alij quidem ueritate cognita adorauerũt coluerunt q; solum Deum uerũ: alij uerò ad ea quæ dicebantur, non intenti erant: alij rursum ad tempus fideles, postea in perditionis barathrum reuersi sunt, et quamuis idololatræ nõ fuerint, ut prius, in aliud tamen præcipitiũ à priori nihil differens inciderunt. Hic itaq; primum parentem suum diabolũ scilicet imitatus, qui ceu fulgur cœlo delapsus, postquam à propria domo deiectus est, nullũ hominem non tentat, uerum uniuersos ignis gehennæ & tenebrarum cohæredes facere conatur, et peregrinos alienosq; à Deo reddere: sic ille inquam infœlix Mahomet, non desiitit curare quomodo omnes homines à Dei familia abstraheret. Et cum omnis homo delictorum suorum rationem redditurus sit in die iudicij, quam obsecro apologiam instituet stultus Mahomet, qui tantam hominum multitudinem à deo abalienauit? Licet enim nemo è manu Dei eripere possit eum, qui salute dignus est, hic tamen Dei inimicus apparet, quantumuis reipsa infirmus sit.

Hic morbo caduco laborans, morbi tempore hinc inde uoluebatur spumans. Quid ergo impietatis inuentor comminiscitur? Simulat se non à morbo, sed à Deo detineri. dicebat enim se, quod archangeli Gabrielis conspectum ferre nequiret, ceu mortuum collabi: post uisionem uero diuinam, diuinorumq; dogmatum cognitionem ad sese redire: destinatum, scilicet se à DEO esse, ut quæcunq; uideret & audiret, & à DEO disceret, in uniuersi mundi utilitatem manifestaret. Et primo quidem semetipsum prophetam appellauit, & Dei apostolum: deinde librum Diuinorum dogmatũ collectionem dictum conscripsit, Arabice uero Alchoranum & legem DEI salutiferam. Quæ uero ratione tam impudenter hic se prophetam

appella-

3 appellauerit, non intelligo. Nomina enim quædam significationem habent à loco, ut Romani, Græci, Macedones: quædam substantialem, ut Petrus, Paulus, Socrates: alia rursus patronymicam, ut Pelopidæ, Cecropidæ: alia uero à scientia aliqua, ut philosophus, dux, medicus: alia ab officio, ut apostolus, doctor, discipulus: alia rursus ab officio simul et uirtute donorum, ut propheta, meditatiuus, miraculorum editor. Si ergo impudens ille se solum apostolum uocauisset, mendacium suum aliquousque occuluisset, ceu irreprehensibile. Propheta autem quomodo dici poterit, omni prophetia destitutus? Omnes enim prophetæ de Christo uaticinati sunt, item de Iudæis alijsq; argumentis, quæ quidem partim ferè priusquam uaticiniũ proferretur, facta sunt: partim post tempus certum: partim in longum tempus differebantur: omnes tamen prophetiæ impletæ sunt. Hic uerò impudens mendacij deprehensionẽ non ueritus, tam impudẽter prophetæ nomen sibi uendicat, qui non modo quàm longissime à prophetico dono remotus est, sed ne pseudoprophetis illis qui olim seducebant populum, similis: sed simpliciter & absolute sese prophetam & apostolum nominauit. Et fortè respondeat aliquis de pseudoprophetis dicens: Si mendaces erant, quomodo potuerunt seducere populum. Hæc uero quæstio non omni ratione caret. nam & nos hanc soluturos esse speramus. Deus Hebræorum gentem brachio excelso Ægypto educens, post multa illa & eximia, quæ in ipsos contulit, dona, etiam prophetas illis dedit, ut populo Dei præcepta annunciarent. Et his quandoque dicebat: Hæc dicit dominus, Si uolueritis audire me, bona terræ comedetis: quod si me nolueritis audire, gladius uos deuorabit: tali nimirum prophetia doctrinam cum misericordia simul & minis continente. Quandoq; autem propter iniquitates ipsorum et peccata, prophetæ manifestam in illos dei uenturã iram annunciabant, per bellum et captiuitatem. Tunc itaque propter ueritatis austeritatem dei uerbis per prophetas annunciantis non attendebant, sed illorum magis inhiabant sermonibus, qui dicebant, Hæc dicit Dominus, pax pax. Et contemptis ueris prophetis, iniquitati adhærebant. Quapropter conceßit Deus hoc, et ingressus est spiritus seductor in pseudoprophetas, & quandoq; mendaces illi uera prædicabant, mentiebantur autem millies, deo hæc omnia sic in illorum commodum administrante. Hi autem ueris neglectis, mendacibus adhærebant, quemadmodum etiam ad Iudæorũ regem Achab quidã pseudopropheta Sedechias nomine aduenies, factis cornibus ferreis coram rege astitit, dicens:



Hæc dicit dominus, Cornibus istis uentilabis Syriam, ò rex. Hic autem illius uerbis persuasus, cum populo egressus, propriam quoque uitam perdidit. Et hi quidem permissione singula hæc faciebant, & infidelium uindicta aliorum erat admonitio. Quæcunque autem uanus hic fecit, omnia ad interitum & perditionem sui temporis hominum, & sequentium se instituit. Scripsit sane Mahomet librum, quem legem Dei salutiferam, & diuinorum præceptorum collectionem nominauit, ueluti in præcedentibus dictum est. Hic inquam uniuersum legis per ipsum latæ negotium tribus modis stabiliuit, pœna nempe & tyrannide, mendacio & impostura & hypocrisi, uoluptate permixta, de quibus etiam superius in quarta Apologia diximus, quantum tunc licuit: uerum & nunc non pigebit eadem dicere, quæ Deus ori nostro indiderit. Magnus ille & beatus Moses, ut neminem latet, à Deo ut filios Israel Ægypto educeret, missus erat, instructus antè miraculis, signis & prodigijs. Post exitum uero Ægypti, & illam in deserto commorationem, imò errores, nihil minora prioribus istis miraculis per istum Deus exhibuit, sed maiora multo haud dubie. Post tantam igitur miraculorum uirtutem locutus cum illo est Dominus, non in angulo, aut abscondito: sed coram totis castris, & omni Iudæorum multitudine (opera enim lucis in luce exhibentur.) & tunc per Mosem seruum illius lex lata est, & sanè confirmata, ratificata & constabilita est omnibus ceu lex à Deo cœlitus demissa. Post huius autem promulgationem, ne tunc quidem miracula cessauerunt. sed & hoc uiuente & defuncto, per Iosue filium Nun, aliosq; similiter facta sunt. Quin et prophetæ magnis & stupendis miraculis editis claruerunt ad ueræ fidei certitudinẽ. Helias quidem tribus annis, & paulò amplius, cœlos conclusos aperuit, mortuos suscitauit, sacrificium aquis incendit. Similiter & Heliseus, & alij. In cõsummatione autem sæculorũ descendens Christus, non ut seruus instar illorũ, sed ut horum dominus: et testimonia non ut prophetæ recipiens, sed ut illum decebat creaturæ omnis dominum et conditorem: nec tanquàm testimonij indigus, sed propter hominum ignorantiam et imbecillitatẽ, (magnũ enim reuera est filij & Verbi dei in carnis administratione negotium.) Testimonijs igitur, ut dictũ est, acceptis, (ut in superioribus Apologijs singulatim et dilucide demõstrauimus) exorsis ab Adami creatione, item à Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Dauide, & prophetis omnibus, quin etiam in natiuitate sua ab ipsis angelis, magis, et stella: et quod longe maximum est, in baptismo dei patris uoce, Tu es filius meus

dilectus

dilectus, in quo mihi complacitum est, (omitto enim nunc dicere edita ab ipso tempore conuersationis suæ inter homines miracula & prodigia magna, quæ multa sunt & innumerabilia, etiam in tempore passionis suæ & resurrectionis, & post hanc) comprobatus, tunc demum Euangelij legem protulit. Cæterum ferè transformationem Saluatoris nostri in Thabor monte factam prætereramus. Thabor enim, inquit Dauid, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Et quomodo, ò bone Dauid, inanimata exultabit materia? Næ, inquit, non fortuito casu, neq; obiter domini prodigia inspicite, sed recõdite in cogitationum profunditatem, & magnum deprehendetis commodum. Age itaque uideamus, quænam patriarchæ doctrina sit. Thabor & Hermon, inquit, in nomine tuo exultabunt. Quemadmodum enim in domini passione omnis creatura tristitiæ signa edidit, sancta uidelicet illius mater, apostoli, & omnes fideles, quin et sol obtenebratus est, terra concussa, & petræ scissæ, uelum disruptum est, & ipsi angeli ad nouum uerbi dei mysterium obstupuerunt: sic etiam in monte Thabor omnis creatura exultauit, ex inanimatis quidem quasi tota terra & plantis, Thabor & Hermon: ex illis uerò quæ sensu uiuunt, quæ in Thabor sunt animalia: ex mortuis, Moses: ex uiuentibus, Petrus, Iacobus, & Ioannes: ex uita autem illa noua et immutata, quæ nec humana nec angelica est, sed qualem Enoch & Helias agunt, ipse Helias: ex cœlo autem, nubes lucida & angeli. Et ecce Thabor et Hermon cum omni creatura exultauerunt, Hermon in baptismo, Thabor in transformatione. In quo negotio? In uoce dei patris de unigenito suo filio, qua dixit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est, ipsum audite. Et in passione quidem omnis creatura alienabatur, omniaq; permiscebantur: in Saluatoris autem transformatione omnis creatura exultabat propter nomen filio dei datum. Sed redeundum eò, unde sumus digressi. Moses quidem, ut dictũ est, accepto prius à deo miraculorum testimonio, legem tulit. Prophetæ autem uaticiniorum euentu, & nonnunquam miraculis quoq; sunt confirmati. Christus etiam illis, quæ recensuimus, testimonijs probatus, & infinitis miraculis, ipse quoq; ore docuit. Post illius autem assumptionem discipuli huius Euangelium conscripserunt, ipsiq; docuerunt, miraculis sibi fidem uendicantes: non tamen miraculis solummodo, sed etiam propter optimam rerum administrationem, fidem merebantur apostoli. Primò enim cum hos exacuisset Christus, & ceu ferreos fecisset & adamantinos, ad prædicationem emisit, dicens illis: Ecce mitto



uos ut oues in medio luporum. hi uerò humilitate induti, leonibus formidabiliores apparuerunt. Non enim audacia tollit audaciã, sed æquitas & humilitas. Luceat enim, inquit Christus, lux uestra coram hominibus, ut uideãt opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Et hæc quidem est rei ueritas, quod uita integra & uirtus multis miraculis sit præstantior. Multi enim, dicit dominus, in illo die dicent mihi, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes multas edidimus, & nomine tuo dæmones eiecimus. Et dicam illis, Non noui uos, abite à me qui operamini iniquitatem. Et si dicat aliquis: Et quid, opus euangelica adducere uerba aduersus ea quæ à Mahomete dicũtur? nos illi respõdebimus, quod multũ his opus sit, et maxime. Testimonia enim ab hostibus accepta fide digniora sunt. Num, ut Euangeliũ hostiũ testimonijs indigeat? Absit blasphemia. Cæterũ, ut si quis ab aliquo talentorũ decem millia mutuò sumpserit, aut creditor mutui forensem contra debitorẽ actionẽ instituat, & illic debitor interrogatus à controuersiarum iudicibus, annuerit & confessus fuerit rem sic sẽ & non aliter habere, nec aliqua res fuerit in qua falsum dicat, Iudex huiusmodi sermonibus auditis tacite secum ipse perpendẽs hosce sermones, sufficientes iudicat in testimoniũ debiti reddendi. Eadem mihi de omni sacra scriptura fertur opinio. Mosaica enim scripta, psalterium et prophetarum oracula, Mahomet sancta, iusta & uera esse docuit, quemadmodum in Apologijs planius demonstrauimus: præcipue uero ante omnia excellentißimũ Euangelium, sanctum esse & iustum, rectum, uerum & absolutũ, sæpius declarauit, adeò ut hoc dei cõmonitiones nominet. quẽadmodũ in capite Iona, quod in Alchorano continetur, sic inquit: De his quæ uobis reuelauimus, si dubitaueritis, ab illis inquirite, qui iam ante me Biblia legerunt, & ueritatẽ deprehendetis. Quin nam igitur sunt, qui ante Mahometem Biblia legerunt? Constat certè Hebræos esse, qui Mosis Pentateuchum & prophetica scripta recipiunt, & Christiani, qui unà cum his etiam Euangeliũ admittunt, & apostolorum scripturas. Ecce quàm dilucide Mahometis testimonio apparet, quod posteri maioribus indigeant, nec maiores ipsis posteris. quemadmodũ etiam in cap. Helmaida (quod mensam interpretãtur) copiosius explicat. Mahomet uero qua causa legem suã tulerit, uel potius iniquitatẽ legib. hone sti solutã, nescio, nisi fortè à patre suo diabolo motus. Nullo enim testimonio aliũde petito innititur, neq; è ueteri testamẽto & prophetis, neq; ex nouo et apostolis: quæ potius hũc ceu hostẽ et

4

inimi-

inimicum auersantur. Beatus quidem ille Moses ad filios Izrael sic dicit, Suscitabit Dominus deus prophetã ex fratribus nostris, sicut me, eũ in omnibus audite. Omnis aũt anima, quæ nõ audierit prophetã hunc, extirpabitur. En diligenter quod dicitur considera. Cum enim Moses dicit, Dominus deus suscitabit prophetam ex fratribus nostris, docuit ut hunc à se prædictum suscipiant, id est Christum, (ueluti in prima apologia dilucide demonstratum est:) ablegẽt uero & lõgissime à se arceãt ex peregrina gente ad ipsos uenientẽ prophetã. Christus uero ad illos qui in ipsum credũt, sic dicit, Cauete à falsis prophetis qui ueniũt ad uos uestiti pellibus ouiũ, intus uero sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorũ cognoscetis eos. Et non potest arbor bona fructus malos ferre, neq; arbor mala fructus bonos facere. Quapropter nos his cõsideratis, inspiciamus domini oraculum, quis nam sit magister hic, quæ nam huius doctrina, quæ arbor, et qui nam fructus, ut uel ex ipso fructu arborem agnoscamus, et ex doctrina doctorem.

Deut. 18

Matth. 7

Anno à domini et saluatoris nostri Iesu Christi ueri dei incarnatione 1210. quidã ordinis prædicatorum Richaldus nomine, Babylonem profectus, ubi studiũ & mysteriũ iniquitatis exercebatur, summo labore sese in Arabũ lingua exercuit. Hic discussis simul et exactissime deprehensis ijs quæ in Ismaelitarũ lege cõtinentur, eadem in Latinam linguam ex Arabica transtulit. Lex itaq; Ismaelitarum Alcoranum dicta, & à Mahomete promulgata, non ab ipso solo lata est, uerum etiam ab alijs quibusdam, utpote genero illius Ala, & alijs septem, quorum nomina sunt, Naphe, Eon, Oma, Elresar, Aser, filij Cheter, et filij Amer. Cum igitur hi quidẽ hoc, alij uero illud reciperent, et singuli proprium aliquid statuerent, post mortem Halæ et Mahometis factiones, contentiones, bella & cædes successoribus horum inciderunt. Verum hodie quidem bella mutua sopita sunt, dissidiũ uero & dissensio perdurauit adhuc: & alij quidem hoc, alij uero illud recipiunt. Cæterum lex illa principiò à dæmone lata est. Omnis enim iniquitas & peccatum dæmones habet adiutores & cooperarios. In lege uero hac non item: sed ore ad aurem à dæmone dictata est: quemadmodum etiam hi qui in Babylone ueritatis studiosiores sunt, ueritatem non occulunt, sed singuli ijs quibus confidunt, dicunt hoc, & fatentur doctrinam hanc à Deo non promanauisse, rationibus consentaneis hoc demonstrantes: timore mortis autem cedunt, & sequuntur impietatem. Non paruum tamen ex horum impietate argumentum colligitur, quod qui tales sunt, Christianorum dogmata omnino

7



ignorent. Præterea quidam ex doctoribus horum in dignitate Chalibarum constitutus, nomine

* cum iam expiraret, crucem penes se ferre deprehensus est. Qua in pectore illius inuẽta, intelligentes hunc occulte Christianũ fuisse, non eò loci ubi Chalibades sepeliri solenne est, illum sepelierunt, sed in alio ab hoc semotũ. Qui enim inter hos sapientiores & prudentiores sunt, nõ ignorant errorem suum, et impostura: sed partim quidem propter timorem prædictũ, partim uero quia humanam gloriam magis amant quàm gloriam Dei, occlusis animæ oculis in tenebris obambulant, & timore mortis huius corporalis animæ mortem acquirunt. In Christianis autem cõtrà fieri solet: timore enim mortis animæ, corporalem illam & externam cum uoluptate contemnunt. Christianorum enim fides longe lateq; ab his discrepat. Arctam enim et angustam Christus dicit uiam esse, quæ nos ad uitam ducit. Et le 8
gem quidẽ, ut diximus, à dæmone didicit: nihilo minus tamen in hæreticos quosdam incidens, reliqua assumpsit: & à Iacobo quidem Baenra in Nestorij dogmatibus institutus est, quem & postea occidit: à Iudæis autem quibusdam, Phinees nimirum & Audio, quem ipse mutato nomine Audulam uocauit, atq; Salom, quem Perse lem cognominauit, multa etiã transumpsit, sicq; etiam in Nestorianos aliquot incidens omnium impietatem collegit. Quapropter in Alchorano multa inuenire licet, ex modo dictis descripta hæresibus. Si enim mores bonos corrumpere malorum conuersatio potest, quanto magis si ea in prauos mores inciderit? Cum igitur legem à dæmone accepisset Mahomet, quid aliud illum facere aut dicere oportebat, quàm ea quæ sui erant magistri? Et quemadmodum ille fastu laborans, postquàm lapsus est, statim mentiri cœpit, sic etiam Mahomet ex superbia & mendacio loqui cœpit & scribere. De seipso enim iactabundus 9
dicit in hunc modum: Si omnes homines conueniant, omnes spiritus & omnes angeli talẽ, qualem ego, Alchoranum componere non poterunt. Item in capite Elasiar, quasi persona dei loquens, sic inquit: Quod si hunc Alchoranum in aliquẽ montiũ immitteremus, timore illius et religione erga illum disrumperetur. Non tamen ex his tantummodo uerbis, illius iactantia deprehenditur, sed etiam in alijs multis effertur, sicuti paulo pòst nostra oratio exponet. A solo Deo enim dicit Alchoranum intelligi, ab hominibus uero nequaquam. Cæterum, agnoscat uanissimus doctor, quod sapientia sua non è supernis est, sed terrena, animalis & dæmoniaca. Dominus enim, inquit Dauid, ducet mansuetos in iudicio, docebit mansuetos uias suas. Superbis

Psalm. 17

Psal.27 perbis uero, inquit Solomon, resistit Dominus: humilibus uero dat gratiam. Si enim immundus coram Deo reputatur, quisquis animo extollitur, quis nam hunc mundare poterit? Et si Dominus superbis resistit, quis huic auxiliaturus est? Et si Dominus ducit mansuetos in iudicio, & mansuetos docet uias suas, arrogantem & superbum quis ducet in uiam salutis & ueritatis? Quid uero de mendacio is, qui hoc ceu basim & fundamentum suum collocauit, & à quo nihil sine mendacio dictum sit? Cæterum alia quidem in uniuersum & omnino falsa & ficta sunt, alia uerò, ueritatis aliquod uestigium nactus, prodigiosa ómnino & absurda fingit. Et quemadmodum nullus est sensuum, qui non tactu instar uehiculi utatur: sic nullus est ab hoc dictus sermo, qui non aut manifeste mendax & falsus sit, aut ex mendacio & ueritate mixtus. Quis enim uel tantilla cognitione præditus, non iudicaret inter simplex figmentum, falsumque? quod Deo obtrectans, de Alcorano quasi in propria persona loquitur, Quod si in aliquem montium miserimus illum, disrumpetur utique præ timore & religione huius: quin etiam hoc de archangelo Gabriel, quem sub tempore morbi
10 sui secum loquentem inducit. Præterea, quod de nomine suo Mahomet effinxit, quod ex æterno scriptum inueniatur in fastigio dextræ partis throni diuini: quodq; de illo uaticinatus Christus filijs Israel dixerit, Annuncio uobis, apostolum Dei uenturum post me, nomen illi Mahomet. Cum uerò nec in ueteri nec in nouo Testamento huiusmodi scriptura inueniatur, & mendacium sit apertissimum, dixerunt finxeruntq; successores huius, quosdam inuidia motos illud expunxisse, Iudæos quidem ex ueteri Testamento, Christianos autem ex Euangelio. Nos uero dilucide hoc in quarta Apologia confutato, demonstrauimus quàm aperte hoc falsum sit: quapropter superuacaneum & importunum existimo, eadem & de ijsdem sæpius disputare.

11 Ad hæc, Non ueni, inquit, per miracula, sed per gladium & supplicia, ijsq; qui nostræ legi & doctrinæ non obediunt, mortis pœna constituatur, aut tributa pendant. Quid nam hoc? Non aliud certe, quàm tegere uolens suam ipsius stultitiam & infirmitatem, cum nec scripturarum nec miraculorum autoritate fidem inueniret, cædes adornat, ut timore reprehensionem effugeret, quod etiam euenit. Timore enim mortis confutationem, imò ueritatem deuitauerunt, & mendacium amplexati sunt, atque perditionem: adeò ut & successores huius eo tempore, quo doctrinam suam explicant, strictum gladium in medium illorum deponant, tanquam sub Mahometis persona dicentes: Hæc dicit prophe ta, Quoad gladius permanet, en etiam mea lex permanet: gladio autem sublato, etiam illa destruetur. Et quod peccatores quidem gladium suum contra Dauidem strinxerint, & intenderint arcus suos ad feriendum rectos corde, manifestò constat. Sed gladius ipsorum transeat in cor eorum, & arcus illorum conterantur. Quoniam brachia peccatorum conterentur, iniqui uero expellentur, & semen impiorum extirpabitur. Paucorum enim est, & numeratu facilimũ, eos de fœlicitate in mortem deijcere. Quapropter ueritatis testes & magni & sancti, & regni Dei hæredes facti sunt.



Porro etiam hoc præcipit Mahomet, ne quis- 12
quam sui ordinis cum aliquo Christianorum disputet, suam ipsius infirmitatem metuens. Quin idem rursus alibi interdicit, ne quis disputet uerbis duris & acerbis cum aliquo alterius sectæ homine, sed blandis: Non enim, inquit, hominis est componere, sed solius Dei: &, Singuli de seipsis solis, & nõ de alijs rationem reddant. En sibijpsi contradicens, & contrarius. Non enim in hoc tantum capite, sed in tota lege sua instabilis, inordinatus & dissimilis sibi apparet, & in omnibus ferè scriptis suis ipse seipsum confutare deprehenditur. Quemadmodum enim mente captus & ignorans quæ nam argumenta sint & dogmata, de quibus dicere instituit, quæ nam sint media, & qui nam finis: sic etiam in scriptis suis agit. non enim tantummodo quæ in uno scripsit capite, in altero destruit & impugnat: sed sæpius, quæ in principio eiusdem capitis confirmauit, circa finem confutat & subuertit. Vix enim & difficulter in capita & ordinem digesta sunt, quæ ille tradidit: adeò ut contradictionis ratio ordinem præcedat. Idem enim hic qui præcipit, ne cum aliquibus alterius doctrinæ discipulis digladientur uerbis asperis durisq;, sed blãdis & mansuetis (ut etiam in capite Eltenium seipsum laudans dicit, Non hoc cogentium est, &c.) quin etiam in capite Elmipacara, quod bouem significat, sic ait, In lege Dei non est uis, quoniam quod æquum est, iam antè definitum est: hic idem inquam, sui quasi oblitus, præcipit dicens, Nostræ legi non obedientes, mortis supplicium maneat, aut tributa soluant. Et quid morte uiolentius est, ô legislator uanissime? Et quomodo à Deo ortum esse diceretur, quod scelus scelere compensat? Auaritia enim cædis furorẽ mitigat. Natura enim humana, quin potius homines, & naturæ illius formator & opifex Deus, talem constituit hominem, ut unà cum alijs animæ illius indiderit concupiscentiam, animi zelum & feruorem, atque

rationem: ut per cõcupiſcentiæ affectum amet & diligat ſummum bonum, quod eſt ipſe Deus, omnemq; iuſtitiam & uirtutem, quæ inſtar ſcalæ ſunt animam ad ipſum deum perducentis. Quod ſi autem fortè concupiſcentia à uero & recto amore declinauerit, & pro dextris in cõtraria cœperit nutare, zelus iſte animi contra dæmonem permoueatur, & humani generis peruditorem ſerpentem perſecutus, concupiſcẽtiæ ſuperatæ dux ſit in uia recta & erroribus carente. Quod ſi uero etiam hic animi zelus ocioſus & deſidioſus permanſerit, aut permotus non cõtra ſerpentem, ſed hominem ſibi cognatum inſurgat, tunc ratio, id eſt dux et princeps ipſa mens inſtar iudicis fortis & incorrupti, hunc intra terminos conſiſtere iubeat, ſingulaq; ſuum ordinem cuſtodire. Quapropter etiam omnium opifex concupiſcentiæ ſedem in iecore conſtituit, quod cordi ſubiacet: iræ uero aut animi zelum in corde collocauit, quod iecore ceu principalior pars, eſt ſuperius: rationis uero ſedem fecit cerebrũ, quod omnium ſummum eſt, ceu rex quiſpiã, dux & princeps in omnia poteſtatem habens, non ſolum ab his quæ circa ſe ſunt propter liberum ſui arbitrium honoratum, ſed ab omni natura ſenſu prædita: quemadmodum in Adamo, in Noe, alijſq; tam in ueteri quàm in nouo Teſtamento declaratum eſt. Quapropter quilibet homo contra affectus ira uti debet, & aduerſus quamlibet rem quæ ipſum à deo abducit. Mahomet uero non contra affectus, ſed cognatum ſibi hominem hac tanquam fera immitiſſima & crudeliſſima uſus eſt: niſi quod auaritia, ut dictum eſt, iram nõnihil mitigauit. Idem uero rurſus in capite Em, tanquam omnium oblitus, ſic dixit: Eorum qui Deum alium quàm hunc recipiunt, tu pædagogus non es, nec procurator: quoniam Deus hoc ſibijpſi reſeruauit. Et quis nam alius Mahometis accuſator tam grauis fuerit, quàm ipſe eſt ſuijpſius? Volens enim ſcripturis contradicere, quas antea iuſtas & ſanctas uocauit, non his tantum contradicere deprehenditur, ſed in omnibus ferè ipſe ſibijpſi eſt contrarius. In capite enim Elneſa, quod mulieres ſignificat, ſic inquit: Niſi à deo eſſet Alcoranum, multa in eo inuenirentur contradictoria. Cum ſanè ipſe met non poſſet ſuis oculis ſcripturas intueri, neceſſariò confugit ad mendacia, quaſi ea quæ dicuntur, à Deo ſint. Et quomodo à Deo eſſes mendacij miniſter & pater? Vbi enim mẽdacium, ibi Deus locum non habet: & ubi Deus eſt, ibi mendacium defecit. Tenebræ enim luminis præſentiam non ſuſtinent, quemadmodum nec moribus
13 ſanitate ſuccedente ſubſiſtit. Præterea ducem & magiſtrum ſe dicens eſſe legis, quam iniquis tulit, Alcorani ipſum non puduit. Dicit enim, quod



Noe, Abrahã, Iſaac, Iacob, ſed & ipſius Chriſti apoſtoli eiuſdẽ legis ſectatores fuerint. Et quomodo eiuſdẽ dogmatis apoſtoli fuerũt, qui priuſquàm tu naſcereris, annis uixerũt circiter ſeptingentis, ſi tu dogmatis huius autor es? Quomodo uero Abraham, Iſaac & Iacob, tot ante hos ſeculis nati, quomodo iterum Noe, qui ante hos uixit annis circiter quadringentis? Quod ſi tu igitur autor & inuentor impietatis es (ut etiam es reuera) falſo dicis illos impuri dogmatis aſſeclas fuiſſe. Si uerò, ut facis, illos eadem ſentire aſſeris, rurſum mendacij conuinceris, quod te legis autorem nomines. Nec enim poterit fons ex uno eodemq; canali aquam dulcem ſimul & amarã effundere, uel uerum & falſum. Sed quod ipſe per ignorantiam tibi contradicas, uerum eſt. Quoniam fides non ui, nec neceßitate datur, ſed electionis & uoluntatis eſt. Corporalia enim uim ſentiũt: anima uero, & quæ illius ſunt, non itẽ. Sed anima quodammodo ſui iuris eſt, & libera: quod enim credit, & uult, illud amat & amplectitur. Quod autem ui contingit, motum à ſeipſo non habet: quod autem propriæ naturæ repugnat, & aliunde mouetur, firmum nõ eſt: et quod firmum non eſt, nec etiam ſtabile erit. Euangelij aũt lex & firma eſt, & ſtabilis, propter proprij iuris poteſtatem, & ipſius uolũtatem animæ. Qui enim poteſt, inquit Matth. 19
Chriſtus, capere capiat. Mahometis lex nec firma eſt, nec ſtabilis, eo quod per gladiũ & uim adminiſtretur: licet Dei iudicijs huius impietas dilatata, & uiribus aucta ſit. Sed quantum à cœlo terra diſtat, tantum Dei conſilia ab humanis differunt, et illius cogitationes ab humanis cogitationibus, quemadmodũ & ipſe Deus per Eſaiã prophetã manifeſte declarauit. Propterea nos quoq; cum Paulo theologo dicimus, O profunditatẽ diuitiarũ ſapientiæ & cognitionis Dei: quàm abſcondita ſunt iudicia illius, & non inueſtigabiles uiæ eius? Quis enim nouit mentem Domini? Aut quis illi fuit à conſilijs? Nouit enim Dominus pios cuſtodire, iniquos uero ſeruare ad diem iudicij, puniendos igne ſempiterno. Lux enim impiorũ extinguitur. Inſuper hoc dicit Mahomet: Non ueni legem confirmaturus miraculis, ſed per gladium. Et hoc uere dixit, Miraculorũ enim uirtus, diuinorũ eſt munerũ & dotum. Et quæ nam boni cũ malo eſt cõmunio? Nulla omnino. Sed quemadmodum malũ tanquã non à Deo factũ, non proprie per ſe ſubſiſtit, ſed propter boni interitũ & defectum, tanquã per accidens in iis quibus contingit perſpicitur: ita mihi de Mahometis doctrina factum uidetur, quod interitu & defectu uerorum dei dogmatũ, per accidens noua & peregrina lex eruperit, quin potius à ueritate & Deo aliena. Quantũ enim hoc malum eſt, tanta etiam eſt abſurditas

surditas, & inordinata rerum cõfusio. Quemadmodum enim malum propter boni defectum apparet, ipsum uerò per se substantia caret: & morbus propter sanitatis, cõfusioq; propter ordinis defectum enascitur, sic et Mahometis lex propter ueræ legis defectum per accidens enata conspicitur, rectum simulans, cum ipsa per se mera sit absurditas & cõfusio, animæq; morbus, imò mors. Tantũ enim Mahometis lex boni particeps est, in quantum quis sibi benefacere uidetur. Nullus enim malũ, ut re ipsa est, conspiciens, ea quæ cõmittit, faceret. Suam igitur ipsius infirmitatem perspectam habens, mendacium assumit. simulat autem diuinã legem esse, quæ ab ipso traduntur: quoniã à Deo, ut dictum est, miraculorũ testimonia nõ habebat. Sed quid de miraculorũ testimonijs loquor. Ex charismatis enim et dotibus, quas à Deo habebant apostoli, minimum & postremũ erat inter omnia, linguarũ cognitio: & hanc quidem ceu doctores orbis habebant, ut quocunque proficiscerẽtur, gentis linguã nossent quàm exactißimè (nisi enim quæ dicebantur intellexissent, uarijs opus fuisset interpretibus, ad eorum quæ utrinq; dicebantur declarationem.) Quomodo igitur hic se catholicũ & uniuersi orbis doctorẽ nominat, qui ex omnibus donis, ne minimo quidem instructus est? Ipse enim de seipso inquit, quod aliam quàm solam Arabum linguã nõ nouerit, quare & Alchoranum eadem lingua promulgauerit, ut ipse dilucidè cõfessus est. Quapropter ad gladij pœnam confugit, & cædem: nec immeritò. Huius enim præceptor & pater homicida erat ab initio, & in ueritate nõ stetit. Dæmonis enim uitium menti bonæ repugnare oportet: animæ uerò uitium rationi, corpori, & ipsi naturæ contrarium est. quæ manifestè in Mahometis doctrina apparent. Absurditas enim & confusio, falsum denique & mentis excæcatio clarè cognoscuntur. Videamus autem, quomodo ab hoc, quod præter naturam est, doceatur, & quale illud sit considera. Natura seipsam interimere nequit: sed quum ipsa sit ratio, omnia cum ratione facit. Mahomet uerò hic quæ bruta animalia non faciunt (quis enim animal aliquod uidit aliud quod eiusdem secum est generis interficere?) hominem similiter, ut ipse, Dei manu formatum, sine omni commiseratione occidere docuit: qui omnibus feris apparet ferocior & immitior, ut ex eo quod modò dicetur, clarius apparebit. Fertur enim ab ipsis, Adductum quõdam esse ad ipsum Mahometem, patruum illius, & dixisse illi, Quid mihi eueniet, ô nepos, si uestræ legi non paruero? Hic uerò respondit: Non aliud, ô patrue, quàm quod occidam te. Ille uerò, An non aliã pœna restat? Non alia, respondit. Patruus, Obtemperabo tibi itaque, inquit, in quibuscunq; uolueris: lingua autem sola, non corde, idq; metu gladij compulsus. Coactus tamen ab illo etiam filius Catẽpladæ, dixit: Domine, scias me solo mortis timore doctrinam hanc recipere. Cæterũ & filius Empiastæ idem dicit, Timore mortis & gladij doctrinã hanc subeo. Deinde clàm literas mittit in regionem Mechæ, ne errent, sed prospiciãt sibi quomodo gladij periculum poßint effugere. Hæc omnia ex Alchorano & alijs libris desumpta sunt. Verumtamen in capite Bouis, concedit, quæ contra naturam ad faciendum nefaria sunt, quæ etiam dictu sunt turpißima. Quoscunque enim apprehenderit impietas, in hos ceu morbus omne malum exercet. Dissimilium enim commixtio naturalium facultatum ad illicita est commotio, quod & ipsa intemperantia efficit. Huius uerò scopus non fuit alius, quàm ut naturalium simul & innaturalium uoluptatum promißione conciliaret sibi stultam, & insanam hominum multitudinem, quod & factum est.

Ioan. 8.



## IN MAHOMETEM ORATIO SECVNDA.

VERITAS quidem una est & simplex, falsum uerò multiplex & uarium: & qui in ueritate ambulat, in luce uersatur & securitate: falsi uerò studiosus, in tenebris obambulat, & quònam uadat non nouit. Quapropter & Mahomet contempta ueritate, & recepto mendacio, nihil sani nihilq; humanæ saluti consentaneum docuit, uerum hoc solum studuisse deprehenditur, ut hominum uulgus sibi adiungeret. Et uirtutum quidem fuit negligentißimus, ut humilitatis, longanimitatis, pacis & charitatis in proximum: nec aliquid utile commodumq; conscripsit. Ne uerò redarguerentur illius mendacia & uanitates, per uetus & nouum Testamentum: nonnunquam alia sapientiæ alienæ dogmata nullo modo probabilia, quæ ab alijs conscripta sunt, adiunxit. Et ipse quidem inuitus & nolens & quasi diuina uirtute percitus sæpius scribendo ostendit, Mosis traditiones & prophetarum, quin & Psalterium ipsumq; Euangelium sancta esse, & à Deo tradita: præcipuè uerò & luculenter ipsum Euangelium sanctum, perfectum,

rectumq;, & cõmonitiones Dei uocat in Alcho rano. Et cum ueritatem non posset omnino abscondere, dicit: Nam & ipsemet quæ in his scripta sunt, obseruo & facio. Et quoniam iustam, sanctam, rectam, & à Deo traditam confitetur ueterem nouamq; scripturam, ipse seipsum huic obstringit etiam inuitus, & per omnia hæc seruare debebat. Mentionem uerò uirtutum, quæ in sacris continentur, nõ facit, quæ hominem à terra subuectũ, cœlestem possunt efficere: sed quodcunq; illi in mentem incidit, illud approbat, docetq;: & nunc quidem approbat monetq;, ut nec ueterem nec nouam scripturam suscipiant: nunc uerò, ut easdem recipiant.

1 Quemadmodum in capite Helmaida, quod mensam interpretantur, sic inquit: Libri societas nulla est, nisi Euangelium & legem impleant. Libri autem societas secundum illum dicuntur, Mahometis sectatores.

2 Porrò post multa prodigiosa uerba sua etiam hoc addit, quod in partes septuagintatres diuidendi sint legis suæ sectatores, è quibus una tantum eadem sola seruanda sit, reliquas autem igni tradendas. Quanam contra huiusmodi stulta & omni statu carentia uerba confutatione opus est? Nulla prorsus. Verum hoc solum, qui uera sapiat adiecerit, quod & illa unica pars ab igne æterno consumenda sit, nisi fidem recipiat ueram & irreprehensibilem.

3 Insuper quemadmodum ubique ferè ipse sibi cõtrarius est, sic etiam in capite Elnesa, quod mulieres significat, ipse seipsum cõfutat. dicit enim: Nisi à Deo esset Alchoranum traditum, multa in eo essent sibi inuicem contraria: cum contradictorijs planè refertum sit. In locis enim diuersis inquit, Quod Deus errantem nõ ducat: & idem denuò docens dicit, Orate ut ducamini ex tenebris in lucem, & ex uiarum tesquis uel salebris in rectas semitas. Quin de seipso testatur, quod in errore fuerit (erat enim idololatra) & quod Deus eum reuocatum ad tanti prophetæ dignitatem constituerit, ut ad cœlum septimum usque peruenerit, obuiamq; sit factus angelo cuidam millies maiori uniuerso mundo, qui peccata sua deplorans, per hunc ueniam à Deo rogauerit.

4 Item, quod cum Gabriele ad Deum ascendens, in angelum inciderit decies millenis uicibus maiorem mundo uniuerso: qui & ipse peccata sua deplorans apud Deum, se interceßore usus sit, & ueniam impetrauerit.

5 Porrò de seipso dicit, quod finis, sigillum & silentium sit omnium prophetarum, & propterea nemini post hunc prophetare licitum esse: quare morte moriatur, quisquis prophetauerit.



Fertur uerò post hunc in Babylone quendam exortum esse nomine Solem, (quod scalam significat) qui se prophetam dixerit, & à Babylonijs pro propheta receptum esse, sed à Scythis cæsum unà cum turba illum sequente. Et quisnam mendacia, fabulas et uanitates à Mahomete conscriptas enumerauerit? Tanta enim & tot sunt, tam innumerabilia & prolixitate uerbosa, ut etiam summi apud eos perditißimorum dogmatum doctores, quos illi Helphocaa, id est eximios nominant, inter se non consentiant aliquando in Alchorani enarratione, nec in æternum consensuri uidentur. Quidam enim Mahometi adhærent, quidam Halæ, alij uerò alijs: sed & hi ipsi inter se mutuò dissentiunt. Agnoscens igitur propriam infirmitatem calumniator hic, hancq; simul occultare uolens, in capite Helaram sic dicit: Nemo præter solum Deum Alchorani enarrationem intelligit. Agnoscens enim legis suæ inutilitatem, sed & falsitatem, confusionem quoque & dißimilitudinem, quódque multa summa reprehensione digna conscripsisset, hoc dixit. Sapientes uerò & prudentiores illius gentis, qui Græcorum sapientia instituti sunt (sunt enim quidam qui Euangelium & Mosis scripta perlegunt) ea quæ à Mahomete scripta sunt, condemnant, & pro infirmis reijciunt. Vnde apud Sarracenos lege cautum est, ut si quis in uniuersum dubitet, aut quæstionem dubiam de Alchorano moueat, extemplò morte moriatur.

Insuper dicit: Ne committatis rapinas & cædes, nec periuria: quoniam Deus hæc molestè fert. quod si tamen fortè feceritis, Deus benignus est, & misericors, illáque condonaturus est. 6

Item in capite Helmaida, quod mensam significat, dicit, Deum periurij fraudem in nobis nihili æstimare, pro transgreßione autem illius satisfactionem esse decem pauperum cibationem, totidemq; uestium, aut pro his unius captiui redemptionem. Qui uerò neutrum ex his facere potest, ter ieiunato. Habent etiam iuramentum quod non facilè fallunt, quanquam etiam hoc nonnunquam contingere soleat. 7

Insuper, quum iurauisset Mahomet, se non coiturum cum Iacobitissa quadam nomine Maria, permisit illi Deus, ne quod iurauerat ratum haberet: sed ad eum acceßit, ut in capite Elmetaare clarißimè testatur. Testes autem huiusmodi permißionis & periurij citantur angeli, Michael scilicet & Gabriel. 8

Ad hæc Deum sæpius cum illo colloquutum, dixisse refert, quod lusus gratia mundum creauerit. Et 9

rit. Et cordatus quilibet, quæ hic dicuntur, perpendat, quomodo omnem concedat licentiam, ut quàm plurimos ad se attrahat. Et Domino dicente arctam & angustam esse uiam quæ ad uitam perducit, latam uero & spaciosam quæ ducit ad perditionem: et reuera in illum conuenit hoc, Viam præceptorum tuorum nolo cognoscere.
10 Item in capite Mipacara, quod iuuencam interpretantur, Iudæos & Christianos saluandos esse dicit. In capite uero Amram, rursum inquit, quod nemo saluari possit sine ijs quæ Ismaelitarum lege continentur. Præterea inquit, quod nemo ante se paradisum possit ingredi. Idem uerò ipse paulo post dicit, quasi huius prioris oblitus, quod Dominus ipsum assumptum in paradisum duxerit, ostenderitq; ibi uiros & mulieres multas. Et interrogauit eum, Domine, quid hoc est? Et respondit illi Deus, Ne mireris, nam et hi tui sectatores sunt. Quod uero tradit deum sibi dixisse, quod lusus gratia hominem fecerit, duas ob causas docet Mahomet: partim quidem ut ostenderet, Deum non magni æstimare hominum salutem, & propterea singulis pro libidine sua intrepidò esse uiuendum: partim uerò, ut saluatoris Christi incarnationem suggillaret. Reuera certe sepulchrum apertum est guttur illius, & lingua eius dolosa. Venenũ aspidis sub labijs illius. Instrumentum enim perditionis existens, uana & falsa eructauit uerba. quæcunque enim sceleratißima profari uoluit, Deum loquentem inducit. Quidam enim homines uana sunt electionis, & misericordiæ: quidam uero uasa iræ, & perditionis. Propter capacitatem enim uasa nominantur. Extrinsecus enim excipiunt tam bonum quàm malum. Angeli quidem cognitionem suam habent de supernis: homines uero ex sacra scriptura, alijsq; extrinsecus accidentibus cognitionem colligunt, & per multa differentia in unam ueram cognitionem perducuntur: quapropter & uasa dicuntur. Miser itaq; hic diaboli doctrina susceptа, cum omne uenenum suis dogmatibus miscuisset, unam (ut dictum est) impietatis mixturam adornauit, quam propinauit sibi credentibus, & illorum animas ægritudine affectas, diabolo ceu sacrificiũ obtulit. Animæ enim ægritudo, non quemadmodũ in corporibus macies et pinguedo in substantiam suam transiens contingit, sed est ad corporalia illa et momentanea permißio. Quapropter animæ functiones omnino immutari possunt. Adulteria enim, scortationes & uoluptates omnes mundo annexæ sunt. Et amicitia mundi huius, inimicitia est erga deum. Quapropter et ipse omnibus omißis, uulgus hominum uoluptatibus permisit, & non uiuos modò istis addixit, uerumetiã post mortem illas per



mansuras esse pollicitus est. Quod scilicet sectatoribus illius post mortuorum resurrectionem Deus daturus sit ueneres, et mulieres, quàm plurimas singulis, domus item instructißimas, balnea & hortos, uestes & delicias, & alia his similia pollicebatur, Cyrinthum hæreticum secutus, & alios quosdam ueteres, sicq; finem quodã modo fœlicitatis uoluptatem esse docuit. Verum nos de his singulatim in quarta Apologia iam antè diximus: quapropter non nostri instituti est, in uniuersum omnes Mahometis impias opiniones reprehendere. Quoniã uerò nobis usum est has copiosius refutare, sic dicimus. Idem ille Mahomet in Alchorano sic dicit, Quod deus mortem occisurus sit: quo facto, homines immortales & integros esse resurrecturos. Cum itaq; res ita se habeat, quid opus est delicijs, et rebus uenereis, cum generatio non sit necessaria? Alimentum enim propter corporis imminutionẽ factum est, ut defectũ impleat. Et uiri cum muliere congressus propter liberorũ procreationẽ concessus est. Quandoquidem uerò hic idem confitetur, quod omnes resurrecturi sint immortales, frustraneũ certe est alimentũ, frustraneũ etiam rei uenereæ studiũ. Vt autem hoc concedamus, necessariò tamen generatio inde sequetur. Homines uerò hic generatos natura aut mortales aut immortales nasci oportet. Quod si mortales, quì fit ut ex immortalibus mortales nascantur? Si uerò et hi ipsi qui nascuntur, immortales sunt, en nouum quendam generationis modũ induxit. Beatus autem Moses hominum generationem exponens, sic inquit: Deus è puluere de terra sumpto formauit Adam, à seipso uero spiritu illi indito, factus est in animam uiuentem. Ex costa uero Adami formauit Euam: ex utrisq; uero simul ipsum Seth, & omnes homines. Mortales igitur cum essent, etiam ipsi mortales genuerũt. Cui dogmati assentit Dauid, testimonium ferunt prophetæ, & hoc ipse Christus confirmat. Nouum uero hunc generandi modum undénam sceleratus ille incitatus docuerit, non intelligo: nisi forte propria ratione, & à patre suo diabolo permotus. Sed en absurdum hoc cõsidera. Si enim parentes immortales, filios etiam immortales genuerũt, en generationis modus exortus est, qui nec mortẽ sentit, nec resurrectionem. Quod si uero ipsi immortales, filios mortales genuerunt: quomodo filios diuersæ ab ipsis naturæ genuerunt? Natura enim omnis sibi simile generare consueuit. Vt uero etiam hoc concedamus: quomodo mors interfecta (ut antea posuisti) post resurrectionem denuò uires exercebit? Iám ne intelligis, quomodo Mahometis doctrina sacræ scripturæ contraria, etiam sibi mutuo repugnet? Ipse enim unam eamq; so-

lam dicit fore resurrectionis diem. Ecce autem si mortales nascũtur, morientur necessariò. Cum autem alia resurrectio nulla sit, & hi in æternũ mortui iaceant, quis beatitudinis finem ipsam mortalitatem dixerit? Præterea sanctorum animæ quia nunc à corporibus separatæ sunt, uoluptatibus carerent, & propterea etiam beatitudine destituerentur, iuxta Mahometis sententiã: et ante illas, ipsi angeli. Sed hoc nequaquàm est, non est inquam. Frustratum enim est insciẽs cor illius, & dum se sapientem putauit, omnium stultissimus apparuit. Beatitudinis enim finis, non uoluptas est: sed ut homo, quantum fieri potest, Deo similis fiat, Deum cognoscat, illiq; uniatur. Hoc inquam, summum & angeli & hominis bonum est, & summa fœlicitas. Mahomet uero cum quænam dicat, ignoret, manifeste diuinæ repugnat iusticiæ. Iusticia enim diuina est, quæ omnia digne distribuit, & quæ immortalia sunt in æternum cõseruat, temporanea uero hæc ad tempus, & reliqua suo quo debent ordine. Et primo quidem supremis ordinibus ea dantur, quæ conueniunt: deinde animabus & corporibus, post hæc etiam naturæ, quæ illam spectant. En igitur proportionem, pulchritudinem, ordinem & administrationem iustam, quæ in singulis adhibetur. Nec ueteres quosdã philosophos sequaris, qui & ipsi stupidi sunt: uerumtamen frigida quadam oratione dicunt, fœlicitatem esse mentis cognitionem: cum ipsi, mea sententia, mente careant. Cum enim illi existiment nihil interesse inter mentem et intelligentiam, ignorant quod inter hæc Deus est summum bonum, & beatitudinis fœlicitatisq; caput. Quantũ enim aliquis Deo appropinquat, tantum beatus est, gloriosus & fœlix. Mihi uerò dubitare contingit, quare non cædes etiam & rapinas post resurrectionem fore dixerit. Cum enim uoluptatum gratia et amore diuitiarum omnia bella moueantur, etiam illic idem dicere oportebat: quoniam qui plures in se uoluptates transfert, alijs
12 multo est si beatior. Quin ille idem dicit in capite Sad, Angelos quidem ex igne creatos esse, hominem uero ex puluere. Et quemadmodũ corpus ex terra compactum est, ita etiam angelos ex igne ceu materia compositos putat: è uerbis nimirum prophetæ hunc errorem hauriens, qui dicit, Qui fecit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. non intelligens miser, quod cœlestes animi spiritus dicuntur propter celeritatem & uelocitatem, leuem etiam & incorpoream substantiam. Ignis autem flammam uocari propter claritatem, strenuitatem, repentinum motum, uimq; purgatoriam, & fortassis etiam propter corrumpendi potentiam. Quem-



admodum & supremi ordines, qui immmediate maiestatis diuinæ splendorem sustinẽt, Seraphim ab Hebræis dicuntur, id est flammæ ardentes & calescentes, propter motum illum sempiternum circa diuina, & indesinentem, propterq; calorem, uelocitatem et feruorem continui, irrequieti & indefessi motus. Si enim ignis ille materialis proprietatem habet illuminatoriam & purgatoriam, ut in auro, corrrumpendi uero uirtutem in omnia adulterina, quãtò magis cœlestes illi principatus, sancti nimirũ angeli, uirtutẽ illuminandi & purgandi, & efficaciã ad illuminandum & purgandũ illuminatione & purgatione dignos (quales nimirũ sancti sunt, & prophetæ) habebunt: corrumpendi uero & uastandi potentiam, ut contra Senacherib Assyriorum regem? His itaq; non intellectis, stolidus angelorũ naturam ex igne cõstare putauit. De fabulis uero & prodigijs, quæ prodigiose edidit, dixitq;, à uetularum ebriosarum deliramentis nihil differentibus, quid plura dicere opus est? Dicit enim in ca 13
pite Emele, quod si interpreteris muscam significat, Solomonem magnum angelorum, hominum et brutorum animaliũ exercitum collegisse. Qui in expeditionem egressi, ingentem ceu muscarũ fluuium inuenerunt: dixitq; musca, O muscæ, in gredimini uos in antra uestra, ne uos perdat Solomon,, & illius exercitus. Et musca subrisit. 14

Insuper in capite Rubesa dicit, uermiculum quendam dæmonibus Solomonis mortem denunciauisse: cuius rei narratio talis est. Cum Solomon scipioni suo inniteretur, tanto repente dolore correptus est, ut cõfestim expiraret: diuino tamen quodam miraculo non corruit. Huic uero ministrantes dæmones, cum illum sic stare cernerent, uiuere adhuc arbitrati sunt. Prorepsit autem è terra uermis, scipionem illius arrodẽs: quo simul corroso, Solomon concidit. Dæmones uero accurrentes, ut eum obijsse cognouerunt, ex eo tempore cunctis suis uiribus humano generi nocere cœperunt.

Porrò in libro Enarrationum Mahomet ipse 15
causam reddit, quare ipsis uino interdictũ sit. Dicit enim, Deum in terras duos emisisse Angelos, ad bene imperandũ & iudicandũ: quorum nomina erãt Arot et Marot. Mulier aũt quædã actionem habens forensem, illos accedens, ad prandium inuitauit, & uinum (quod illis ne biberent præceperat Dominus) apposuit. qui ubi inebriati sunt, eandem opprimere ui conati sunt. Illa uero libidini illorum non consensit: sed conscenso cœlo res suas exposuit. deus uero hac simul uisa & causa quam habebat cognita ipsam fecit Luciferum, ut tam in cœlo inter stellas formosa esset, quàm in terra inter mulieres fuerat.

Angelis

Angelis uero qui peccauerant, optionem obtulit, utrum in hoc an futuro sæculo puniri uellent, cosq; cum in hoc sæculo puniri mallent, ex pedibus ferrea catena in Babylonis puteum suspendit, usq; ad diem iudicij.

16 Dicit præterea, cœlum hoc creatum ex fumo factum esse: unde apparet, quod cœlum aliud, quod non creatum sit, esse putauerit nouus ille legislator, quod nullus hominum unquam cognouit: in cuius differentiam cœlum hoc, quod coràm uidemus, creatum uocat, quasi ex maris exhalatione fumus talis exortus sit. Mare autem ex monte Caph prodijsse docet, qui totum orbem cir
17 cumdat, & cœlum sustinet. Deinde solem & lunam æquales fuisse dicit luce simul & uirtute, nullamq; inter diē noctemq; fuisse differentiam, sed Gabriele quondam uolitante alam illius fortuitò lunæ propius admotam & impactam, corpus illius obscurauisse.

18 Insuper dicit, quod cum à Gabriele, ut deum conueniret, uocatus in cœlum fuerit, deum manum suam super ipsum Mahometem imposuisse: se uero tantam sensisse frigoris uim, ut hæc ad dorsi quoque medullam penetrauerit. Quod autem hoc illius figmentum sit, manifeste constat. Verumtamen & Anthropomorphitarum sententiam secutus hæc dicit, qui Deum fingunt corpo-
19 reum: ignorans nimirum miser illud, Suscepisti iniquitatem, quoniam ero tibi similis. Item in capite Sad dicit Mahomet, dæmones, cum angeli fuerint, ut Adamum adorarent à DEO institutos esse: mutatos autem esse in dæmones, cum hoc officij detrectarent, nec illum more aliorum uellent adorare. Atqui hæc opinio huic
20 impio propria & peculiaris est. Dicit præterea Mahomet, ex stercore elephantis porcum enatum esse, ex stercore autem porci murem, felem autem ex fronte leonis. Causa autem huius talis refertur. Cum Noe in arca esset unà cum filijs suis & animalibus, illis ad naturæ officium, abeuntibus arca inclinabatur: in primis autem, si abiret elephas. Nimio itaque timore Noe, correptus, Deum consulit. qui dixit, Profectus culum illius et stercoris meatū adora. Quodcum feciſſet simul exiuit stercus, et cum illa porcus ingēs qui cū rostro stercora rimaret, scrutareturq; mus prodijt, qui arcæ tabulata cœpit arrodere: qua de causa maxime territi sunt. Noe autem de hoc denuò cōsulente Dominū, leo in frontem percussus, est & statim ex narib. illius felis prosilijt. Et hanc ille ratione adducit propter quam suillæ carnes ab his pro immundis habeantur. Dicit
21 item quod Deus in consummatione mundi occisurus sit omne genus et angelorum et hominum, & quod nemo uiuens, præter unum Deum, &



mortem (quam angelum quendam Hadriel nomine esse dicit) relinquendus sit. Et tunc præcipiet Hadrieli Dominus, ut occidat seipsum. Quo facto clamabit uoce alta Dominus, & dicet, Vbi sunt satrapæ mundi & principes? Et post hæc omnes suscitabit. Quid uero, quisquis mentis compos fuerit, de tot tantisq; nugis dicet? Non 22
aliud certe, meo uidere, quàm quod ipse Mahometes testatur, qui ait se librum conscripsisse duodecim millia sermonum mirabilium continentem: à discipulis uero suis rogatum, ut hæc ipsis exponeret, dixisse illis, quod ex his quidem ter mille ueri sint, reliqui uero falsi. Hincq; euenit, ut si qui Ismaelitarum cum aliquibus disputauerint, & falsum esse conuincatur quod ab ipsis allatum est, intrepide dicant, ea ex falsis Mahometis sermonibus, & non ex ueris desumpta esse.

Quod si is forte Lucianum imitatus, de seipso dixisset hanc unam solamq; esse ueritatem. quod omnia quæ in Alchorano descripta sunt, ueniam certe, quæ in hoc continentur, possent mereri. Quemadmodum hic facetè Veras narrationes nominat, quæ à se dicuntur mendacia. In principio enim libri sui sic dicit: Vnicam hanc ueritatem dicturus sum, omnia nimirum quæ hic describuntur, fasa esse. Et deinde quæcunque ridicula sunt, per lusum ascribit. Cum uero hic tanta cum impudentia falsum doceat, nec Deum ueritus nec homines, quá nam uenia infœlix dignus fuerit? Præterea in capite Ceramar, quod lunam 23
interpretantur: dixit: Quod Mahometis discipuli cum lunam coitui uicinam uiderent, dixerint illi, Ostende nobis prodigium aliquod. Tunc ipse duobus digitis suis Lunæ innuit. quo facto, hæc in duas partes dissecta est, & alterum quidem frustum in montem Helicain (qui ab uno latere ciuitati Mechæ adiacet) decidit: alterum uero in alium montem Erythron nomine, qui ab altero latere eiusdem ciuitatis situs est. Et luna sic dissecta in Mahometis tunicam collecta est, qui eandē integram restituit. Qua autem confutatione in huiusmodi figmenta & fabulas opus est? Verumtamen quisquis studiosus fuerit, intelligat miracula non in alicuius rei specimen fieri solere: sed alia quidem propter aliquam utilitatem animæ fiunt, ut de Christo & Nathaniele legimus. Nathaniel enim auditis quæ à Christo fiebant miraculis, & arcanis animi sui, uerum suum Dominum agnouit, & Christum confessus est esse Dei filium & præceptorem Ismaelis, id est deum & hominem, alia uero in utilitatem corporum fiunt, ut infinita infirmorum multitudo à Christo sanata, & esus panum: alia rursum propter utrumq; contingunt, corpus nimirū & animam: ut in paralytico contigit, cui primū peccata remissa sunt

& fidem remißionis peccatorum etiam diſſoluti corporis ſanitas ſecuta eſt. Item in eo, qui à nati
Ioan.9. uitate ſua cæcus fuerat. Poſt ſanitatem enim oculorum acquiſitam, is quoq; proprium ſuum formatorem & creatorem agnouit, ipſumq; adorauit. alia rurſum miraculorum propter uſum aliquem facta ſunt, ut à Moſe in Ægypto & deſerto: item à Ioſue filio Nun, qui ſolem in bello conſiſtere fecit: ſacerdotum quoque in Iericho. Hoc uero lunæ prodigium qua de cauſa factum eſt? Propter nullum certe commodum, nec uſum: ſed in hoc tantum, ut Mahometis diſcipuli omnia ea quæ in mentem inciderent, effutirent, aliaque quæ ab ipſius uana falſaque dicuntur. Vnum tamen bene facere uidentur, quod mentiri ſcopum ſibi propoſuerunt, & perpetuò mentiuntur. Hic enim idem eſt qui dixit, Non ueni per miracula daturus legem, ſed per gladium. Et ſi hoc uerum eſt, quà nam ratione hoc ſtupendum in luna miraculum edidit? Adeò omnia uana & falſa ſunt, quæ ab ipſis dicuntur. Cum malitia enim conuerſantes, ignorantiæ ſeruiunt. Cognitio enim ignorantiam gignere nequit, ut nec lux tenebras. Ma-
14 licia uero ignorantiam parere ſolet. Porrò in capite Elezap ſic dicit, Deus & angeli ſemper pro Mahomete & illius ſectatoribus orant. Quid dicis ô homo? Num Deus pro aliorum ſalute orat, aut alium. Si ſeipſum, abſurdum omnino eſt quod dicitur. & quæ nam ſic eſt orationis utilitas? Et hoc modo nec propriam uoluntatem perficit. Quod ſi alterum orat, alium omnino, ut uidetur, Deum maiorem ſe habere deprehenditur. Sine omni enim controuerſia, quod maius eſt, à minori oriatur. Et ecce iuxta tuam opinionem, ô Mahomet, duo Dij ſunt: hic quidem maior, ille uero minor: & hic quidem orare uidetur, ille uero alterius preces ſuſcipere. Et tu ipſe deum creatorem cœli & terræ, illum inquam fateris, ipſumque adorando cœlis, quem tamen pro te orare affirmas. Quem enim alium Deum facis, qui cœli & terræ creatoris preces ſuſcipiat? Quis nam ille DEVS ſit, non intelligo. Ego autem cum magno illo Moſe conſentiens dico, Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant. Sed dicunt fortaſsis Mahometiſtæ, Qua ratione igitur uos Chriſtiani dicitis CHRISTVM, quem ſimiliter ut Deum adoratis, pro crucifigentibus ſe orauiſſe? Eiuſdem certe criminis, cuius nos accuſatis, uos ipſi uel nolentes rei eſſe deprehendimini. Si enim Chriſtus, iuxta ueſtram ſententiam, Deus eſt, quare non libere & proprio iure crucifigentium ſe delicta remiſit? Quod ſi Deus non eſt, cur illum ceu DEVM adoratis? Si autem ille Deus eſt, & nihilominus, ut uidere licet, orare deprehenditur, alio certe DEO ſe maiore habet



opus. En igitur iuxta tuam quoque opinionem Deus maior & minor eſt. Audiant uero nunc diligenter, qui hanc quæſtionem mouent. Dominus in euangelio apoſtolis ſic ait: In cathedra Mo Mat.23.
ſis ſederunt ſcribæ et phariſæi: omnia igitur quæ uos iuſſerint ſeruare, ſeruate, & facite illa: ſecundum opera autem illorum nè feceritis, dicunt enim, & non faciunt. Quid nam hæc uerba innuunt? Non aliud quàm quod ſcribæ & phariſæi ſolo nomine doctores ſint, reipſa uero nequaquàm. Chriſtus autem operibus quoq; uirtutes docuit. & nonnunquã Chriſtus autẽ operib. quoq; uirtutes docuit: et nonnunquã Chriſtus facere aliquid prius, deinde docere cõſpicitur: nõnunquã uero facere, et ſilere: adeò ut et ipſũ ſilentiũ altius doctrinæ locum ſuppleat. Et aliquando quidem dicebat: Luceat lux ueſtra coram hominibus Mat.5.
ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrẽ ueſtrũ qui in cœlis eſt. aliquãdo uero rurſus: Nõ ſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Inter docendũ enim cũ dicit, Si quis te adegerit ad Mat.6.
miliare unũ, abi cũ eo duo: et uolenti tunicã tuã auferre, dimitte etiã palliũ et percutienti te in maxillam, obuerte & alteram (aliáq; omnia, quæ uerboſitatis cauſa omittimus) tunc dixit illis: Quod ſi dilexeritis amicos ueſtros quod ueſtrum eſt præmium? Et ſi mutuum dederitis his à quibus uos recepturos eſſe ſperatis, quod nam ueſtrum eſt præmium? Quin potius mutuum date illis, à quibus uos non recepturos ſperatis: & diligite inimicos ueſtros, & orate pro execrantibus uos. Cum igitur reliqua omnia etiã factis docuiſſet, & ipſa facta uerum annunciarent: amorem autem hoſtibus exhibendum uerbis tantummodo docuerat, facta autem adhuc latérent, nec manifeſta eſſent: tempore paſſionis orauit pro crucifigentibus ſe, & quæ in illo latebat erga inimicos charitas, in lucem ſe protulit. Quin & beatus ille Lucas regi Theophilo ſic dicit: Superiore quidem uolumine, id eſt euangelio, diximus de omnibus quæ cœpit Ieſus tum facere tum docere. Quibus uerbis non aliud innuit, quàm quod Chriſtum à ſtulte docentium ſcribarum & phariſæorum ſimilitudine ſeparat, et oſtendit hunc doctorem uerum, qui dicat ſimul & faciat, qui faciat & doceat. Orauit quidem Chriſtus pro his qui crucifigebant ſe, ſed ut homo: Non enim inſtar dei ſine corpore in terris uerſabatur, neque tamen homo nudus, ut Neſtorius & uos dicere ſoletis, ſed Deus & homo. Et nunc quidem ceu Deus operabatur: ut cum dicit, Volo, mundus ſis: &, Remittuntur tibi peccata tua. nunc uero ceu Deus & homo, ut cum cæcum tetigit, et ſanatus eſt. Et in filia Centurionis per attactum quidem oſtendit ſe hominum eſſe: per illud autem, quod dicit,

Tibi

Tibi dico, reſpice & ſurge, ſuam ipſius diuinitatem declarauit. Nonnunquam uerò ſolam ſuam humanitatem demonſtrauit: ut cum eſuriuit, laborauit, fleuit propter Lazarum.

Perfectus enim Deus, et perfectus homo erat. Et quemadmodum inſtar Dei propria ſua poteſtate, quæcunq; uolebat & illi libitum erat, faciebat: ſic ut homo, omnia humana (excepto peccato, quod ſancta eius anima non cognouit: & ægritudine, quæ ſanctum illius corpus non attigit) quæ hominis ſunt, ſuſcepit. Et quemadmodum peccati ueſtigium non erat in ſancta Domini anima, ſic nec ægritudo in ſancto illius corpore. Peccatum enim ordinis turbatio & boni defectus eſt: & humorum inordinata confuſio, ſanitatiſq; defectus, ægritudo. Sed quomodo inordinatæ confuſionis & ægritudinis ſpecies in corpore creantis ordinem, morbum & omnem infirmitatem ſanantis conſpiceretur? Quandoquidem igitur, ut dictum eſt, Deus erat & homo, orauit quidem humano more, quia tempus reuelandi charitatem interiorem aduenerat. Ipſe enim eſt
Ioan.15. qui dicit: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm ut ponat aliquis animam pro amico ſuo: id eſt, uitam. Hic uerò non modo pro amicis ſuis uitam ſuam morti expoſuit, ſed nihilo minus pro inimicis ſuis, pro illis nempe qui crucifixerunt eum, & omnibus Iudæis: quinetiã pro toto mundo, quemadmodum prophetæ prædicauerunt, & res ipſa edocuit, ueritasq; emicuit ſole ſplendidior. Vt enim lapis emiſſus, ſi in ſolidum inciderit, in emittentem retorquetur: ita & Saluatoris oratio, infirmorum iſtorum & impiorum animas omni ferro duriores nacta, in eum qui hanc
Pſal.35. habuit reuerſa eſt. Quapropter & Dauid uaticinatus dixit: Inſurgentes in me teſtes iniqui, quæ non nouerunt, interrogauerunt me. Retribuerunt mihi malum pro bono, & orbitatem animæ meæ. Ego uerò cum illi obturbarent me, induebam ſaccum, & humiliabam in ieiunio animã meam, & oratio mea in ſinum meum reuertetur. En Chriſti oratio rurſum ad illum reuerſa eſt. Quamobrem? Quia nõ inuenit pœnitentiæ locũ in animabus crucifigentium illum. Si enim pœnitentia in illis inuenta fuiſſet, peccatum utiq; illorum eſſet ſublatum. Quod etiamſi nõ factum ſit, nihilominus tamen etiam Chriſtus diſcipulos ad prædicationẽ emittens, ſic inquit: Ingreſſi in domum, ſalutate illam. & ſiquidem domus fuerit digna, ueniat pax ueſtra ſuper eam. ſi uerò non digna fuerit, pax ueſtra ad uos reuertatur. Et qui nõ ſuſceperit uos, nec audierit ſermones ueſtros, egreſſi ex domo & ciuitate illa, excutite puluerem pedum ueſtrorũ, in teſtimonium ipſis. Amen dico uobis, tolerabilius erit Sodomis, & Gomorrhæ in die iudicij, quàm ciuitati illi. Et uide, non pace modo ut & precibus priuati ſunt, ſed etiã Sodomis collati. Intelligis ne ut quæ de Chriſto feruntur, à principio ab omnibus prophetis deſcripta ſunt? quæ ſanè propter nimiam copiam præterimus. Si quis enim ueritatis ſtudioſus fuerit, ipſam inueniet. Exemplo autem utor (non enim abſurdum fuerit, ab obſcurioribus ſimilitudinibus ad omnium autorem aſcendere.) Quemadmodum enim apud Græcos quidam in ſtatuis, quos nonnulli Mercurios uocauerunt, in illis inquam, quantum foris apparet, omnino inornata & deformia ſunt omnia: ſtatuis autem apertis, illarum imagines perpulchræ apparent. Ita mihi de Chriſto fieri uidetur. Quæ enim extrinſecus dicuntur, & apparent, parua uidentur & exigua: quæ uerò in his intelliguntur, magna ſunt, & plus quàm naturalia. Verum hoc exemplum ſufficiens non eſt. Qui enim ueritatem, ut dictum eſt, inquirit, non ſolum quæ in his intelliguntur Chriſti opera magna, plus quàm naturalia & ſtupenda, Deoq; digna inueniet: ſed etiam illius humana, quæ omnem cognitionem & intellectum angelorũ & hominũ excedunt. Et quemadmodum ex his, quæ uidentur creaturis, cœli & terræ aliorumq; opifex Deus apparet (illud enim Deo proprium eſt, ut ipſe quidem non uideatur, talis uerò eſſe colligatur ex operibus) ſic etiam in Chriſti miraculis Deum eſſe apparet, eum qui talia autoritate propria operatur. Qua propter ipſe Saluator dixit: Si mihi non creditis, operibus credite.



Præterea in capite Helmadda, quod menſam ſignificat, dicit, Chriſtianos & Hebræos nõ eſſe filios & amicos Dei, eo quod peccatorum ſuorũ gratia caſtigentur. Ego autem potius cõtrarium dico. Pater enim filium, qui illi curæ eſt, caſtigat, modò charitatem habeat. Quem enim legitimè caſtigat aliquis, quàm propriũ filium? Et de Hebræis quidem uerè dixit, licet ignarus ueritatem locutus ſit. neſciuit enim diſcernere inter profanum & ſanctum. Hebræi enim olim Dei iram ſenſerunt, ſed nõ implacabilem (habebant enim perpetuò prophetas, purificationes & ſacerdotiũ) caſtigante quidem eos Deo corporaliter, quod uerò animam attinet, illos non deſerente: quin potius oſtendente adoptionis gratiam ab illis nondum defeciſſe. Poſt crucem uerò & paſſionem Domini abſoluta horum deſertio facta eſt, animarum ſimul & corporum, & ceu ingratos maximo peccato, & parricidas maximo facinore, & Dei occiſores ſumma impietate factos Deus abdicauit, proculq; à ſe repulit, abſolutè et omnino illos deſerens, omnes Hebræos poteſtati aliorum ſubijciendo, & conſtituendo eos ſeruos

omnium

omnium ferè gentium. Et hæc quidem corporũ est derelictio. Animarum autem perditionis, & uniuersalis repulsæ, non in hoc modo sed etiam futuro sæculo, signum est, quod ab ipsis sacerdotium defecerit, purificatio, sacrificium & templum, & ceu uas inutile & impurũ reiecti sunt.

Psal.69. Quapropter & Dauid uaticinatus sic dixit, Coram te omnes, Domine, qui præmunt me: opprobrium expectauit anima mea, & miseriam. Et expectaui condolentem, sed non erat: & consolatorem, sed non inueni. Et dederunt mihi in cibum fel, & in siti mea propinauerunt mihi acetum. Fiat mensa illorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in offendiculum. Excæcentur oculi illorum ne uideant, & tergum ipsorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ apprehendat eos. Fiat habitatio illorum deserta, & in tabernaculis illorum non sit inhabitans. Quidnam hæc prophetia innuit? Dicemus agedum. Beatus ille Dauid uolens in alio

Psal.74. psalmo Dei in peccatores correctionem ostendere, sic dixit: Deus iudex est, hunc humiliat, hunc exaltat. Quia poculũ in manu Domini uini meri, plenum mixto. Et inclinauit ex illo in hoc, ueruntamen fex illius non est exinanita. Omnes peccatores terræ bibent. Rursum in alio psalmo sic dixit: Deus iudex iustus, fortis & longanimis. nec iram inducens quotidie. Nisi cõuersi fueritis, exacuet gladium suum. Nunc igitur, quæ restant diligenter accipe. Propheta dixit Deum esse iudicem: sed etiam iustum esse notauit. Quoniam uerò quidam hominum iudices sunt, alij quidem iusti, alij uerò iniusti, eò quod iustum uocauit, ostendit Deum omnis iniustitiæ esse expertem. Cum autẽ fortem uocat, ostendit quòd iustitiam suam posit cõstituere. Cumq; longanimem dicit, ostendit quod non ex abrupto Deus iudicia sua exequatur, sed mansuetè & clementer: quapropter iram suam peccatoribus non quotidie inducit. Cur? Eo quod peccatorum pœnitentiam expectet. Nunc uerò gladium suum acuit, id est, potentiam suam puniendi proferet contra eos qui à peccatis ad pœnitentiam nolunt conuerti. Rursum cum dicit Deum esse iudicem, mox subiungit: Hunc humiliat, hunc exaltat. Post hæc uerò dicit, Poculũ in manu Domini, uini meri, plenũ mixto: & declinauit ex hoc in hoc, ueruntamen fex illius non est exinanita. Bibent omnes peccatores terræ. Quidnam hæc prophetia significat? Non aliud quàm quod superius dictum est: Nisi conuersi fueritis, gladium suum exacuet. sic & hic dicit, quod poculum in manu Domini uini meri, plenum mixto: id est, plenum furoris. sed etiam misericordiæ (hoc enim mixtum significat) declinante nimirum hoc ex abrupto ad lon-



ganimitatem, uel remissionem. siue, propter opera quidem peccatorum furore plenum: propter Dei uerò in homines amorem, mixtum est misericordia illius, expectantis peccatorum pœnitentiam. quemadmodum in Niniuitis, ipsa clementia peccatum exuperante propter pœnitentiam. Quamuis autem Hebræorum castigatio austera fuerit propter captiuitatem semel atque iterum ipsis inductã, nõ tamen fex exinanita est, id est, sordes infimæ & finis furoris. Id enim per fecem denotatur. Et cum propter idololatriã & iniquitates ipsorum captiui abducti sint, propter Dei tamen in homines amorem denuò redierunt ad pristinam suam libertatem & conditionem: & biberunt quidem ceu peccatores ex poculo hoc uinum, non tamen merum, sed amore & misericordia temperatum. Postquam uerò immane illud ausi sunt facinus, & in Christum tanta exercuerunt, Deiq; occisores facti sunt, intendit etiam in illos Deus arcum suum, cum stultorum illorum conuersionem expectauisset annis quadraginta: à tempore scilicet eo quo Saluator passus est, usque ad Vespasiani & Titi tempora. Cum autem peccatum horum omni pœnitentia careret, incurabilia ista mala passi sunt. Et nunc impleta est Dauidis prophetia, ea quæ ab illis in CHRISTVM facta sunt exponens. Post quàm enim tragicè & ampliter ea quæ facta sunt exposuit, utpote, Contra te Domine omnes qui præmunt me. &, Opprobrium expectauit anima mea & miseriam. &, Expectaui condolentem, sed non erat, & consolatores, sed non inueni. &, Dederunt mihi in cibum fel, & in siti mea propinauerunt mihi acetum: Tunc, quæ illis euentura sint mala, enumerat. Fiat mensa illorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in offendiculum. Mensa enim cibum impositum gestat ad impletionem deficientis corporis: habet etiam fruitionem, delicias & lætitiam. Colligens igitur in unum propheta omnes Hebræorum delicias, omnem lætitiam & fruitionem, mensæ uocabulo utitur: ostendere hoc uolens, quod illis omnia in contrarium cessura sint. Et quemadmodũ animalia quædam laqueis capta, ueniente uenatore & illa incipiente mactare, singula alterius exitum uident, nec tamen sibijpsis nec reliquis animalibus concaptiuis suis subuenire possunt: ita etiam Iudæis continget. Coram ipsis enim cædentur amici & fratres, parentes & liberi, eo quod nemo sit qui eos eripere uel adiuuare possit. Simul uerò causam calamitatis ostendens inquit, In retributionem: id est, propter mortem Domino ab ipsis illatam. Excæcentur oculi eorum ne uideant, & dorsum illorũ semper incurua. Obtenebratos itaq; oculos

habentes

habentes, nec intelligebant, uidebant ue rationalem iusticiæ solem, Christum. Tergum illorũ semper incurua: ne scilicet ab ipsis auferatur perpetuæ seruitutis iugum. Et hoc grauissimũ est, quod loco colophonis omnibus adijcitur: Et effundatur in illos ira tua, & æstus uel furor iræ tuæ apprehendat eos. Æstus enim animi ue furor, commotio cordis est ad rem aliquam: quem motum aliud quoddam extinguit, ut in Niniuitis, pœnitentia, sicuti dictum est. Ira uero huius commotionis effectus est, quẽ et fecem nominauit, quemadmodum de Sodomitis quoq; est dictũ. Sed perpendas nunc prophetæ oraculũ. Non dicit, Funde furorem tuum: sed, Effunde furorem tuum & iram tuam. Articulus enim hoc loco immoderatam iram Dei & furorem significat, extremum excidium & desertionem animarũ simul & corporum, aduersus eos qui tunc temporis extabãt, illosq; qui in posterum horum dogmata sunt secuturi. Fiat habitatio illorum deserta, in tabernaculis illorum non sit qui inhabitet. Quod et euenit. Hæc autem prophetæ oratio non execrandi formula est, sed prophetiæ elocutio. Vbi enim est Hierusalem? ubi templũ? ubi sacrificium & oblatio? Omnia hæc exinanita sunt, ac si nunquam extitissent. Et nisi templũ reædificare conati essent, possent quidem dicere: Si conari uoluissemus, potuissemus utiq; & absoluere. nunc uero conspiciuntur non semel, aut bis, sed etiam tertio id tentauisse, nec unquam uoti compotes facti sunt. Existimabant enim miserrimi homines, se templũ reparaturos regnante Adriano Romanorum rege: deinde sub Constantino Magno: sed ab utroq; ceu proterui & contumaces puniti sunt. Hostis uerò Christi & defector Iulianus, unà cũ Iudæis summo studio in hoc incubuit, pecuniam deposuit, artifices conuocauit, omniaq; egit, fecit & procurauit, ceu insanus & mente captus, ut Christi destrueret sententiam, quæ templum illud reparari non permittebat. Cæterum qui sapientes capit in uersutia sua, statim eũ re ipsa ostendit Dei suffragia longe omnium esse fortissima. Vt enim stultũ & uæsanum studium aggressi sunt, fundamẽtisq; erutis manus ædificio admouere uoluerunt, ignis è fundamentis emicans plurimos consumpsit, horumq; conatum & uæsaniam repulit. Rex uero uæsanus quocunq; pedes ferebant, transfuga aufugit, Dei iudicio territus. Sed ne sic tamen infœlix ille cesserit. Paulisper itaq; huic loco immorantes, etiam aliorum prophetarum ad Hebræos oracula inspiciamus. Dicit enim Esaias, Scio quod durus es, & neruus ferreus collum tuum: id est inflexibile. & frons tua ænea, id est impudens. Et Daniel: Venerunt super nos mala, qualia non facta sunt sub cœlo, secundum ea quæ facta sunt in



Hierusalem. Quæ nam illa? Quæ nimirum & Moses prædixerat, & Ieremias exposuit. Et ille quidem sic inquit: Tenera & delicata ualde, cuius pes non experientiam sumpsit ascendere in sellam, propter teneritatem & molliciem, mensam attinget illicitam, & deuorabit liberos suos. Quod etiam in Hierusalẽ factum est, in excidio à Romanis illato. Matres enim liberos suos deuorauerunt. Ieremias uerò oraculum hoc exponẽs, dixit: Manus matrum miserantium aggressæ sunt liberos suos. Sed & Malachias propheta sic inquit: Si suscipiam ex uobis faciem uestram, dicit Dominus omnipotens, quia ab ortu in occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundũ. Vos autem prophanatis illud. Quando itaque hæc impleta sunt? Omnino post Christi crucem, & resurrectionem. Non enim Hierosolyma tantum, ubi Moses Dei cultum, & non alibi fieri præceperat, sed in omnem quam sol intuetur terram, Dei gloria dilatata est. Hoc enim innuit quod dicitur, Ab ortu solis usque ad occasum: id est, in toto mundo. Nec contenta est prophetia dixisse illud, Ab ortu solis usque ad occasum, ne Iudæi hæc calumniantes dicerent, se per uniuersum orbem habitare, & prophetam de ipsis locutum esse. Verum addit, Nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum & sacrificium mundum offertur nomini meo. Vos autem prophanauistis illud. Nõ ut ceu sacrificio Hebræorum contaminato & prophano, Deus sic per prophetam locutus sit, sed propter mores hæc offerentium. Verum si quis forte & hoc dixerit, non multum mea errauerit sententia. Veteri sacrificio cum nouo comparato, magna inter hæc differentia animaduertetur. Et quemadmodum angelos incorporeos ad Dei incorpoream substantiam collatos, corporeos esse iudicamus: sic etiam in ueteris & noui sacrificij collatione contingit. In illo enim sanguis taurorum & hircorum, & tabo cinisq; inuencæ: hic autem filius Dei, & sanguis Christi. Ecce igitur differentiam. Quapropter & Dauid uaticinatus dixit, Non suscipiam ex domo tua uitulos, neque capellas ex gregibus tuis. Quoniam meæ sunt omnes feræ campi, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnes uolucres cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi. Mea enim est terra, & plenitudo eius. Num edam carnes taurorum, & sanguinem hircorum bibam? Offer Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua: & inuocabis me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & glorificabis me. Vides ne ut sacrificium quod tauris constat & hircis, non approbat?

bat: illud uero quod laudem continet, recipit.

Soph.2 Quin & Sophonias sic ait: Apparebit Dominus super omnes gentes, & extirpabit omnes deos gentium: & adorabunt eum unusquisque de loco suo. Et hic quoque Hierosolymam neglexit, omnem uero locum gentium ad Dei culturam uenientium in medium adduxit. Omnibus tamen his sic ratis firmisq;, non tamen pœnitentiæ turris & præsidium concidit, nec ianua adhuc clausa est, neque Hebræis neque Ismaelitis, sed nec ulli qui intrare uoluerit. Et sic de Iudæis quidem uere hoc dixit Mahomet: licet ipse quid nam dicatur, ignorauerit, ut dictum est, De Christianis autem non sic: Nec enim ut ipse putauit, propter peccatorum castigationem, non pro filijs & amicis Dei iudicandi sunt. Procul enim à scopo aberrauit, putans propterea quod Ismaelitæ nonnullos Christianorum affligant, ipsos quidem laudignos, & quasi filios & amicos Dei, punire Christianos à Deo omnino repudiatos. Sed aliter longe se habet negocium. Maxima enim Christianorum multitudo summa pace fruitur, quos Deus iudicio suo sibi soli noto non sinit perturbari ab impijs. qui licet contra hos expeditionem facerent, fortiores sanè stabiliores q; aranearum telæ apparerent omni impiorum militia & fortitudine. Confiteor tamen multos Christianorum propter peccata nostra in manus impiorum traditos esse, in suijpsorum correctionem, & aliorum exemplum & resipiscentiam. Neque sanè existiment Christianos, qui in illorum sunt manibus, propter horum uirtutem traditos esse. Sed ueluti flagellum & lorum correctionis à Deo & iudicati & missi sunt (castigatione enim dignos castigant) sunt tamen interim Deo exosi & abominabiles. Quid enim locustæ sunt, & erucæ, & bruchi? Magna nimirum Dei potentia. Quid item fulmina & grando, aliæq; quæ nonnunquam per elementa fiunt castigationes? Num igitur amici Dei & filij Dei iudicabuntur? Quibus ipsa ueritas sic respondet: Nouit deus omnia, etiam ante generationem illorum. Quemadmodum enim de Esau & Iacobo dixit, priusquam hi nascerentur, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: sic etiam eos qui abnegata uera & irreprehensibili Christianorum fide ad contrariam deflexerunt, priusquam nascerentur, perditionis & satanæ instrumenta iudicauit. Et licet illic inueniantur, siue hic, nihilominus pœna digni deprehenduntur: quod in illis uidere est, qui in captiuitate aut nati sunt, aut postea nascentur. Verumtamen ex his qui Christum abnegauerunt, nascuntur aliquando sancti & boni uiri: quemadmodum ex Esau iustus ille Iob, & martyres ex idololatris. Verum de his qui-



dem hæc dicta sint. De ijs uero qui religionem propriam & pietatem inter impios custodiunt, quid nam dicere opus est? Nónne admirandi & laude digni sunt? Nec minus de illis sic iudicandum, qui in libertate religionis agunt. Hi siquidem nondum probati sunt, & propterea quales nam sint ignoratur: à Deo autem, & illo solo cognoscuntur. Illi uero instar auri in fornace puri esse declarantur, quemadmodum illi in Babylone pueri. Nec sanè ad salutem satis efficax est ipsa dogmatum fides, nisi operibus fuerit temperata. Ostende enim mihi, dicit oraculum, fidem tuam ex operibus tuis, & ego tibi ostendam fidem meam ex operibus meis. Videamus igitur quæ nam opera apud Deum recipiantur, & qui nam hi sint qui Dei meminerunt. num scilicet hi qui in delicijs & libertate uiuunt, an qui in afflictione & miseria? Hi certe haud dubie. Ait enim, Domine in afflictione tui recordati sumus. Et, Qui in lachrymis seminant, metunt in exultatione. Et tribulationes multæ iustorum, mors autem peccatorum mala. Licet enim in hac uita fœlici successu ferantur, & perinde ac si quis laudetur quod prudens sit, fortis, temperans & iustus, alius uero nihili hæc faciens, pinguem se esse glorietur & corpulentum: sic de seipsis sentiũt miserrimi homines, ac uerisinexhaustisq; diuitijs cõtemptis, illas quas somnia simulant, amplectuntur: & preciosa illa margarita, Christo nimirũ, relicta, conchas uel lapillos congregant. Quid autem de oraculo illo prophetico iudicãt, quod dicit, Quem diligit Dominus eum castigat, & flagellat quem filij loco adoptat? Christiani itaq; non traduntur tanquam reiecti & deserti à Deo, ut Mahomet aperte testatur: sed ceu filij causa correctionis (ut superius dilucide demonstratum est) & propter aliorum resipiscẽtiam & utilitatem. Habent enim Christiani, qui inter gentes agunt, patriarchas, sacerdotes, pontifices, per quos sanctificantur, omniaq; quæ Christianis solennia sunt, administrant, in ipsorum quidem utilitatem, in signum uerò quod ab adoptione filiorum Dei non, nec ab illius amicitia exciderint. Agnoscant igitur omnino, quod iusti quidem sæpius in manus impiorum tradantur, non ut glorificentur impij, sed ut probentur pij, & auro puriores reddãtur. Quid autẽ de iusto illo Iob dicemus? (omitto enim dicere de patriarcha Abrahã, cum & ille ad tẽpus inter impios conuersatus sit) & sanè de ferreo illo & adamantino Iob interrogo: Num ceu desertus & à deo reiectus diabolo traditus est? & tot tantisq; malis mobilibus simul immobilibusq; flagellatus est, liberorum scilicet amissione, & proprij corporis afflictione? Diabolus uerò qui iustũ flagellabat, num tãquam Prouerb.

amicus

amicus dei affligebat hunc, deo quidem ante generationem huius notum, sanctumq; ab alio iudicatum, hominibus autem ignotum? Quapropter Deus eum in medium statuit instar columnæ & statuæ cuiusdam animatæ, in exemplum & utilitatem posteritatis. Miror sanè nisi de hoc sic quoque loqui audeant. Inquirendum tamen est, & res ipsa indicat, quales de deo & diabolo opiniones habeat Mahomet. Summa enim dicendi libertate contendit, etiam dæmones saluandos fore, Originem nimirum secutus. Quin etiam in lege à se lata, Alchorano nimirum, sic inquit: Magna dæmonum multitudo cum hæc legi audiuisset, admirata est, & propter hoc gauisa est, qui etiam illi credentes salutem consecuti sunt. Quomodo autē aliquis saluari poterit, nisi prius resipiscens opera fecit quæ illum rite cum Deo uniant? Tunc enim in Dei amicitiam recipitur, cum illi unitus fuerit: Deo autem unitus, hæres salutis est, regni cœlorum, uitæq; æternæ. Huiusmodi inquam, de diabolo opiniones concepit filius illius Mahomet, ut quamuis aperte dicere uereatur diabolum Dei amicum esse, reipsa tamen illud affirmet.

## IN MAHOMETEM ORATIO Tertia.

QVandoquidem de absurdis quibusdam Mahometis opinionibus diximus superius, inspiciamus nūc quænam de saluatore nostro Christo et uero Deo nostro miser ille sentiat, doceatq;. Reuera enim hoc uerum est, dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Hic enim trinitatem negat, deum tamen esse fatetur creatorem cœli et terræ, angelorum et hominum, omniscq; creaturæ filium non habentem, ut pote cum sine muliere hunc genuisse non sit posibile, hæretici Carpocratis opinionem secutus, carnalem arbitratus esse Dei generationem. Quapropter etiam dissidia inter Deum patrem & filium esse potuisse existimauit. Quod si impossibile est ut Deus sine muliere filium habeat, dicant etiam illum nec creatorem esse, nec opificem sine proposita sibi materia, iuxta insipientium Græcorum doctrina. Si uero deus filium habuerit, etiam dissidia inter illos exoriuntur, ut in capite Helmonijm asserit, Iudæos simul & ipsum secutus Carpocratem. Nos uero de his singulatim in apologia diximus, quapropter ut suprà quoq; diximus, non instituimus de his copiosius contendere. Quoniam uero in præsenti huic manifeste contradicimus, audiant quæso Mahometistæ. Mahomet hic Christum nec Deum esse sentit, nec dei filium, sed nudum hominem, ut & reliquos omnes, sed sanctū, omnibusq; hominibus sine controuersia excellentiorem, ut etiam

Psal. 14.



Nestorius sensit. In capite autem Elnesa, quod mulieres significat, sic ait, quòd CHRISTVS IESVS filius Mariæ sermo DEI sit, anima Dei, spiritus Dei. Incipiamus ergo ab ipsius Mahometis confessione. Quod si ut ad prophetas sermo Dei factus est, & prophetæ illum hominibus annunciauerunt: sic etiam Christus acceptum à Deo sermonem homines docuit, & propter ea, ut Mahomet hunc nominare solet, propheta dicitur, omniúmque maximus, imò ipse Dei sermo, quì fit quod nullus unquam prophetarum sermo Dei dictus sit, sed singuli nominis proprij significationem retinuerint? Quod si autem hæc ratio nulla fuerit, sed si propterea sermo Dei dicitur, quod archangelus Gabriel aduenies uirgini gratia plenæ faustum illud nunciū annunciauit, oportebat certe & Samsonem Manoæ filium eodem nomine appellari, quoniam & ipse ex promissione Dei natus est. Angelus enim aduenies, illius generationē exposuit. Quin et Zachariæ filiū Ioannē similiter ex promissione natū, sermonē dei uocari oportet, propterea quod ipsius natiuitas Zachariæ per angelū annūciata sit. Quando quidē igitur nec propheta aliquis sermo dei uocatus est, nec aliquis ex promissione natus: certe nec Christus sermo dei dicitur, propterea quod angelus uirgini Mariæ salutē dixerit, aut quod is regnum Dei annunciauerit. Sed alia quadam ratione, quam ignorauit Mahomet, hoc nomen accepit. Si enim nouisset eum, à blasphemijs certe in illum iaclis abstinuisset. Cum enim ex scripturis audiuisset Christum esse sermonem, illud quidem quod dicebatur confessus est, illius uero sensum nec recepit, nec Christum deum esse confessus est, ne forte duos Deos adorare deprehenderetur. Ecce autem timuit, ubi timor non erat: non enim intellexit substantiarum discrimē, nec ipsam substantiam. Christus enim sermo dicitur, & celebratur, non modo quod mentis & rationis & sapientiæ dux est, uerum etiam quod omnium causas, id est exempla, quæ etiam ideas dixerunt, æternas nimirum considerationes, & consilia in seipso solo præsumpsit, & quod ex eo ipso sermone, hoc ipsum quod sermonem habent, & Angeli & homines acceperunt, & quod per omnia penetrat, ut uaticinia tradunt usq; ad omnē finem. Et præterea quod super omnem simplicitatem diuinus sermo expanditur, & omnino super omnia iuxta illum omnem substantiam excedentem est absolutus. Quandoquidem igitur ut dictum est, neque ut propheta sermo nominatur, neque ex promissione, manifeste nunc patet, quod ceu naturalis sermo Dei Christus dicatur & sit, quapropter etiam filius Dei dicitur & est. Quemadmodum enim sermo mentis esse-

ctus est, sic etiam Christus ab æterno, & sine passione, ante secula è deo genitus, filius illius nominatur. Nec enim dicere fas est, secula attigisse æternam illam ante omnia secula generationem. Num itaque aliquando deprehenditur deum sermone caruisse, insipientem, impotẽtem, fontemq; siccum aquis destitutum fuisse? Sed quemadmodum Christus sermo dei nominatur, sic etiam sapientia & potentia dicitur. Et Deus quidem aut antea sermone caruit, insipiens fuit & impotens, postea uerò, ut homines solent, sapientiam, sermonem & potentiam assumpsit, tuncq; perfectus redditus est: aut cum ab æterno ante omnia secula perfectus esset, suum ipsius sermonem genuit. Et si quidem post tempus aliquod aut articulum temporis sermonem ex se progenuit, quomodo deus erat antè qui sermone carebat? Quantulumcunque enim quis à corporibus abstulerit, corpus imperfectum redditur: à naturis autem incorporeis si uel minimam abstuleris portionem, totum perdidisti. Quod si igitur hoc de angelis incorporeis recte dicitur, quanto magis hoc in deo absurdum erit, qui ab omni incorporea substantia, omni simplicitate & natura supra omnem substantiam exemptus est? Si enim sermonem non habebat, & postea ipsum assumpsit, possibile etiam ut illum perdat, quemadmodum assumpsit (quæ enim apposita sunt ad aliquid, etiam auferri posse constat) Quod si uerò ab æterno & ante omnia secula ceu perfectus deus, perfectum quoq; suum sermonem genuit, pater qui æternus
Hebr.1 erat, filium quoq; & sermonem suum æternum esse declarauit, & saluator expressa imago & splendor patris est naturalis, et in imaginem hanc semper respiciens pater seipsum semper aspicit: stulte igitur Mahomet tradit, deum non posse filium habere sine muliere. Hoc idem ceu forte argumentum repetit. In hunc autem (quantum conijcio) errorem incidit, quòd deum corporeum esse putaret, & propterea supernam quoque illam generationem corpoream esse existimauit. Et fieri potest, ut quemadmodum de deo dixit, quòd in ipso non sit accidens, & necessariò neque substantia neque uita, eo quod non comedat, nec spiret, ita etiã negauerit deum habere filium. Quandoquidem uero idem ille Mahomet Christum animam dei & spiritum Dei dilucidè dicit, uocatq;, concedamus nos quoq; rem ita ut dicit se habere. Et si spiritus dei & anima Dei, creatura esse potest & est, ecce igitur iam contingit ut deus, iuxta Mahometis opinionem aliquando spiritu caruerit, & anima, & per creaturas plenè absolutus sit, & quod aut ipse imperfectus seipsum condiderit, perfectumq; fecerit, aut alium sui creatorem habeat. En rei absurditatem considera. Si uero Deus nunquam caruit spiritu, nec anima, sed his semper fuit præditus: sequitur, quòd Christus semper, non secundum humanam naturam, sed diuinam, cum Deo fuerit, siue sermonem, siue sapientiam, siue potentiam hunc nominaueris. Semper, inquam, ex deo est, & cum eo. Sapiens enim nunquam sine sua est sapientia, neque robustus sine suo robore, neque mens sine sua ratione, ut nec sol sine suo radio. Si igitur hunc animam siue spiritum dei dixeris, eundem etiam sermonem esse dicere licet. Si enim animam Deus habuerit, præstantißima in illo pars ipsa anima esse deprehendetur. Et uide, ex ipsa ueritate, imò ex ipsa Mahometis confessione demonstratum est, Christum eiusdem & unius cum Deo naturæ esse, & eundem deum patrem habere genitorem ab æterno ante secula, filiumq; Dei esse genuinum, & deum. quemadmodum ipse in Euangelijs sic ait,
Ioan.10 Ego & pater unum sumus: id est, unus deus, non secundum personas, ut dicit Sabellius, sed secundum unam eandemq; diuinitatem. Et dei ille contemplator Moses ait, In principio creauit Deus cœlum & terram. Et propheta Dauid, Omnia fecisti in sapientia: &, Sermone Domini cœli firmati sunt. Huius etiam filius, Solomon, admiratione omni dignus: deus in sapientia fundauit terram, cœlos autem parauit in prudentia. Eloquentißimus autem ille Esaias, Deus æternus qui parauit extrema terræ. Beatus uero Ioannes Zebedei filius (quem etiam tonitrui filium Dominus nominauit, eo quod supernam illam generationem tonitrui clarius orbi ebuccinauerit) in Euange-
Ioan.1 lio sic ait, In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat ille sermo. Omnia per illum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. Viden' quomodo propter temporis importunitatem prophetæ obscurius locuti sint, Ioannes autem clare, aperto (quod aiunt) capite altum exclamauerit? Et ueterum quidem prophetarum alius sermonem, alius sapientiã, alius prudentiam, alius creatorem hunc nominauit. Hic uero deum, non cælans arcanum hoc, quod propter temporis importunitatem tamdiu latuerat, cum nondum fas iustumq; esset uelum auferri. Quin & ipse filius dei & deus, quasi per ænigmata annunciatus esse uidebatur: quapropter tonitrui filius hoc, In principio erat sermo, &c. clarius prædicauit. Et quemadmodum sol densissima nube & tempestate tectus, obscurus est, propriam tamen lucem suam penes se habere uidetur, tempestate uero soluta & puro aere reuerso omnibus radios suos copiosißime immittit, ita etiam mea de sermone & filio dei fertur sententia. Deus enim existens uerus ante secula, filius dei, & creator omnis creaturæ (quemadmodum





Psal.32 Prouerb.3

in superioribus Apologijs, et in præsenti quoque demonstratum est) latebat tamen sub nube ignorantiæ, & idololatriæ tempestate, cum patre & spiritu. postquàm autem uer apparuit, id est huius in carne administratio, & secundum carnem ex muliere natus est, sancta scilicet uirgine Deipara Maria, tunc apparuit gratia Dei omnibus salutaris hominibus, et adorauit creatura creatorem suum, solumq; uerum Deum glorificauerunt, patremq; Domini nostri Iesu Christi, et ipsum filium & sermonem patris, sanctumq; et uiuificantẽ spiritum, unam uidelicet sanctam, consubstantialem, indiuisam & inconfusam trinitatem, unum nempe Deum. Et tunc uisa est Christi gloria, ueluti gloria unigeniti à patre. Et tunc emisit diuinos suos radios, tenebrasq; ignorantiæ illuminauit, frigidasq; & mortuas animas calore fidei uiuificauit.

Præterea Mahomet Carpocratis hæretici opinionem secutus, Christum ex uirgine natum sine uirili opera confitetur, Deum uero & Dei filium esse negat. Duobus hic argumentis usus. Quod nec Christus hoc unquam de se dixerit. Et quod Iudæis dixerit, Adorate Deum meum & Deum uestrum, Dominum meum & Dominum uestrum. Impij autem scopus unus semper est, ut pro uirili sua persuadeat cunctis hominibus, ut credant Christum nec Deum esse, nec dei filium, sed sanctum quidem, & prophetam omnibus prophetis superiorem, hominemq; cunctis hominibus excellentiorem, Deum uero nequaquam. Stultus autem hic diabolum imitatus, homines contra Christum persuadere conatur. Quemadmodum enim is omni modo conatur singulos homines seducere, & uel fide uel operibus à Deo alienare: sic & Mahomet omni studio in hoc unũ intẽtus uidetur ut omnes homines à uero deo quàm longissimè abducat, partim quidẽ fide, partim uerò operibus: Deum autem adorare docet, quem sua ipsius ratio effinxit. Et dæmones quidem uiso Domino, ipsum Dei filium uel nolentes confessi sunt, (non enim ut ueri adoratores hunc confessi sunt, sed ut hi qui ueritatem occultare non poterãt, dixerũt, Quid nobis tecũ rei est fili dei? Venisti ante tempus ad cruciẽdum nos?) Mahomet uerò dæmones impietate superat, qui Christum nec Dei filium, nec iudicem esse affirmet. Sed ad illum Esaias dixerit, Cum diabolo corrupta est scientia tua cum decore tuo, &c. Et meritò sanè de Mahometo discipulisq; suis dicat aliquis, gentem esse quæ consilium amiserit, & in qua nõ sit scientia. Nos uerò sic dicimus: Quod si fides (ut scriptura docet) sine operibus mortua est, multo magis opera sine fide mortua sunt. Vbi uerò nec fides nec opera præstò sunt, quid nam illic iudicandum est? Quemadmodum enim corpus sine anima mortuum est, sic & anima sine fide & operibus. Si enim fides adfuerit, licet uulneretur anima, sanationis tamen uias habet, per pœnitentiam scilicet & opera. Fide autem absente, omnis actio aut uirtus, quæ in speciem esse uidetur, uana est, & inanis. Fide enim præsente etiam uirtus adest, licet aliquãdo uirtutis defectus, id est peccatum oboriatur. Vbi uero fides non est, nec uirtus est. Vbi autem uirtus non fuerit, nec illius defectus est. Vbi igitur uirtus non est, nec fides est, nec peccatum, sed nuda & mera impietas. Quapropter & Esaias ait: Nisi credideritis, non intelligetis. Fides itaq; et spes eorum est quæ non uidentur, non eorum quæ demonstrantur: sed imprimis donum Dei est fides illa Christianorum in sacrosanctam trinitatem. Quòd enim uidet aliquis, cur sperat? Et quod uidet aliquis, cur credit? Verumtamen quemadmodum apud nos sol omnia quæcunq; contingere potest, illuminat, et lucem habet in uniuersum mundum uisibilem, multiplicem, sursum & deorsum propriorum radiorum splendorem dispergens: & si cui non adfuerit, non propter huius illuminatoriæ uirtutis infirmitatem hoc fit, sed propter uisus incommoditatem: multa enim quæ talia sunt, radius solaris transiens non illuminat, cum alia illuminet: sic etiam rationalis ille iustitiæ sol Christus, in se credentes luce implet rationali, omnemq; ignorantiam & errorem ex animabus, quibus inciderit, expellit, & uitiosos illarum oculos purgat. Et quemadmodum ignorantia errantes & seductos dissipat hinc inde, sic rationalis lucis præsentia eos qui illuminantur colligit, & in unum coniungit. Quapropter ipse Christus inquit, Ego sum lux mundi. Et qui in me credit, non ambulabit in tenebris, errorum nempe: sed habebit lucem uitæ. & reliqua, quæ oratio nostra paulò pòst exponet. Quoniam igitur in capite Helmaida, ut dictum est, duabus contra Christum demonstrationibus innititur Mahomet, ostendens hunc Deum non esse, eo quod CHRISTVS nusquam dixerit se Deum esse: tum quod Iudæis præceperit, Adorate Deum meum & Deum uestrum, Dominum meum & Dominum uestrum: agedum de prima iam uideamus, dein Deo uolente etiam secundam discutiemus. Incipiamus itaque ab ipsa Mahometis confessione. Hic Christum sermonem Dei, animam Dei, & spiritum Dei, ut dictum est, uocat. Item quæ de Christo & Apostolis in Euangelio describuntur, iusta, sancta, perfecta et uera esse confitetur: & bene. Veritas enim Domini manet in æternum. A sermone quippe dei mendacium exire nequit: idem enim esset dicere deum non esse Deum, & ueritatem mendacium, lũ-

Ioan. 8.

rẽmue tenebras. Mahomet igitur absurditate rei intellecta, ad hoc confugit, Christum nusquam de se quod Deus sit dixisse. Nos itaq; in prima, secunda & tertia Apologia copiose simul & clare demonstrauimus, ab ipso Adamo usq; ad Christi generationem, quod prophetæ omnes uaticinati sint, quod patres uiderint, quod ipse Deus & pater de Christo locutus sit, & quod manifeste citraq; omnem controuersiam demonstratus & declaratus sit Deus & Dei filius, & filius hominis. Post baptismum uero Ioannis, & mortem illius, ipse etiam Christus regnum Dei prædicare cœpit. Sed quod inter prædicandum non frequenter exclamauerit. Ego Deus sum qui uobiscum loquor, uerum est: quemadmodum nec rex obambulans clamat, Ego rex sum: uerumtamen ex magnificentia & gloria authoritatis & potentiæ illius omnes hunc à seruis possunt discernere: sic etiam in Christo fit. Quamuis enim ore suo non frequenter dixerit, Ego Deus sum: operibus tamen hoc idem demonstrauit. Neq; tamen suam diuinitatem occuluit, neq; etiam Deum patrem suum: nec etiam illos inhibuit, qui se & Deum esse, & Dei filium confessi sunt. Nathaniel enim dicens,
Act. 14. Tu es filius Dei, tu es rex Ismaelis: non reprehensus est, ut hi qui Lycaoniæ Paulum & Barnabam Deos esse sentiebant, ipsiusq; tanquam dijs sacrificaturi erant, increpati sunt ab ipsis dicentibus, Desistite à re tam absurda, nos etenim homines sumus ijsdem quibus & uos malis obnoxij: et priusquam loquerentur, uestimenta sua dilaniauerunt. Verum Nathanielis confessio recepta simul & laudata est. Ad hæc Domino discipulos suos interrogante, Quem nam me dicunt homines esse filium hominis? cum nõ opus haberet hæc interrogare, qui omnia priusquam ipsi nascerentur, iam ante nouerat: sed cum illos in sublimiorẽ cognitionem uellet inducere. Discipulisq; uarias aliorum sententias de illo exponentibus, Petrus etiam adijciens, Tu es Christus filius Dei uiuentis: non audiuit à Christo, Erras ô Petre, ne erres, magister enim tuus sum, audi & agnosce ueritatem cum omnibus his, non sum filius Dei, impossibile enim est ut Deus filium habeat. Sed quid? Dicit illi CHRISTVS, Beatus es Simon fili Iona. Quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. confirmans omnino illius sermonem. In gratiam uero & præmium ueræ & indubitatæ confessionis, dedit illi claues regni cœlorum. Item octauo post Christi resurrectionem die, cum Thomas Christi manus latusque contrectauisset, et cognouisset hunc sine omni controuersia esse CHRISTVM, altùm exclamauit, Dominus meus, Deus meus. Quid uero Christus ad Thomam? Quoniam uidisti me, credidisti. Beati qui non uident, & credunt. Et hæc quidem illi tradiderunt. Videamus uero ea quæ Christus de seipso protulit. Amen Amen dico uobis, inquit, uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei. & qui audiuerint, uiuent. Sicuti enim pater uitam habet in seipso, sic etiam filio dedit, ut uitam habeat in seipso. Et potestatem dedit illi ut faciat iudicium: quia filius hominis est. Ne miremini illud: Quoniam ueniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius: & egredientur hi quidem qui bona fecerunt ad resurrectionem uitæ: qui uero mala operati sunt, in resurrectionem iudicij. Et rursum: Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Quid uobis uidetur? Num Christus se Deum dicit, & Dei filium, an non? In eo certe quod dicit, Venit hora quando mortui audient uocem filij DEI, ostendit Deum habere filium, qui est ipse Christus. Illud uero, Audient mortui uocem eius, & uiuent: ostendit eum Dominum esse, & potestatem habere uitæ & mortis et nũc & semper. Quemadmodũ enim pater uitã habet in se ipso, sic et filius. Cũ uero ait ad faciendũ iudiciũ: secundum huius aduentũ significauit, & iudiciũ quod facturus est, quemadmodum in secunda Apologia luculenter demonstratum est. Eo autem quod dicit, Quia filius hominis est: ne miremini hoc. Veniet enim hora, qua hi qui in monumẽtis sunt, audient uocem eius, & exibunt in resurrectionem, iudicium & retributionem. Seipsum deum esse ostendit, sed etiam hominem. Hæc enim omnia Dei opera sunt. Quapropter & uetus scriptura Theologiæ nomen accepit, utpote quæ dei sermones contineat: noua quoque idem nominis habet, cum & ipsa similiter eosdem comprehendat, imprimis uero Theurgia uocatur, eo quòd Christus opere & factis compleuerit, quæ olim à prophetis erant prædicta: & summa cum bonitate administrauit ea quæ inter nos humilia erant cum diuinis suis supremè coniungens, secundum patris bene placitum et spiritus cooperationem. Vnde meritò sanè dixerimus, Magnifica sunt opera tua Domine, omnia fecisti sapienter. Cum itaq; Christus Deus sit, ut demonstratum est, & Dei filius, est etiam homo, hominisque filius secundum carnem, & prædicatus est à conditione mundi, & apparuit ex uerbis prophetarum & uisionibus, quin ipso Deo patre illud de ipso testante. Tempore autem hoc postulante, Christus hoc ipsum dilucide declarauit uerbis simul & operibus, omniaq; comprehendens dixit: Qui credit in me, habet uitam æternam, his inquam, diuisit uitam animæ ab hac corporali. Hæc enim ubi ad tempus uisa fuerit, transit: animæ autem

Ioan. 5

Ioan. 6

uita sempiterna est, quemadmodũ & mors illius. Nihilominus tamen corpus illud corruptibile et mortale Creator huius, Deus nimirũ, non derelinquet in morte et corruptione: sed postquam illud incorruptibili & immortali natura induerit, integri et immortales resuscitati, iuxta oraculum, cũ Deo erimus. Per ipsa igitur uerba quæ antea sæpius locutus est, nihilq; minus ex his quæ nos non adscripsimus, Christus seipsum manifeste Deum & hominem esse declarauit. Cæterũ cum illi qui à natiuitate sua cæcus extiterat, sanitatem & uisum restituisset, cũ ille iam uideret, sic ad eum dixit, Credis ne in filium Dei? Ille uero ait, Et quis nam est Domine ut credam in illum? Dixit autem illi Iesus, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ille est. Ille uero dixit, Credo Domine, et adorauit illum. Cæterũ Mahomet quosdam accusans dicit, Reiecerunt ea quæ non intelligunt, nec possunt enarrare. Hoc ipsi imprimis contigit, cum Christum negauit esse Dei filium, nec incarnatum credidit. Propter immensam enim soliditatem illud negauit. Quin & trinitatis mysterium non admisit. non enim poterat personarũ discrimen, ut dictum est, sine substantiarum discrimine cõsistens intelligere. Mirabilis, inquit, facta est scientia tua à me, multũ confortata est. non potero ad ipsam. Quid enim aliud est quàm incomprehensibilis et intellectu impossibilis dei cognitio, quæ ignorantiæ confertur propter summam illã præ omni cogitione mundana excellentiam? Ignorantia enim Dei non secundum priuationem, sed excellentiam dicitur. Propter excellens enim & inaccessibile lumen Dei, illud tenebras nominauerunt. Quod enim uideri nequit, à tenebris ferè nihil differt. Posuit enim, inquit, tenebras absconsionẽ sui. Verum etiam Dei sapientiam & scientiam, omnem angelorum hominumq; excedentem intellectum quæ nec ratione nec sermone explicari potest. Theologi stultitiam uocauerunt. Quapropter etiam sermonis Dei incarnationem illi ijdem Theologi uanitatem dixerunt, cum plena sit, imò abundantissima sapientia, uirtute & salute. Si igitur apud Theologos mirabilis facta est Dei scientia, propter incomprehensibilem illam rationem, sicq; agnoscentes infirmitatem suam cõfessi sunt, dicentes se non posse ad ipsam, quomodo uel uestigium cognitionis diuinæ inueniri liceret apud impietatis & mendacij inuentorem? Et qui cibos quos comedit ignorat, quo nempe modo in humores diuidantur, Deum conatur inuestigare. Occlusis igitur animæ et mentis suæ oculis, non cognouit solẽ iustitiæ: quapropter etiã reprobauit ipsum iustitiæ solem, filium scilicet et sermonem dei, cumq; hoc patrem simul & spiritum. Qui enim filium non habet, inquit Saluator, neq; patrem habet. Qui uero nec filium nec patrem habet, necessariò etiam spiritu sancto caret. Cum hæc igitur ita se habeant, impie reuera locutus est Mahomet, quod Saluator nihil in unũ uersum de se dixerit, quod Deus sit, uel dei filius. Verum de his quidem sic. Nunc autem secundam inspiciamus Mahometis demonstrationem, qua dicit Christum cum Iudæis disputantem sic dixisse, Adorate Deum meum & deum uestrum, & Dominum meum & Dominum uestrum. Nos itaq; antè de Mahomete diximus, quod nonnunquam uero ueritati falsum admisceat: quod idem in præsenti hoc argumento facit. Hunc enim sibi finem proposuit, ut pro uirili sua uniuerso mundo persuadeat, ut Christum nec Deum nec Dei filium esse confiteantur: quapropter etiam hîc quicquid in mentem uenit, loquitur. Præcipue autem falsum est, quod ad Iudæos Christus hæc dixerit: deinde Christi sermo etiam talis non est. Cæterum post resurrectionem causa futuræ suæ assumptionis dixit discipulis suis, Ascendo ad patrem meũ & patrem uestrum, & Deum meum & Deum uestrum. Et quemadmodum in multis alijs Christus & Deus & homo declaratur, ita etiam in hoc ipso sermone. Cum enim Christus hoc dicit, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, ostendit uerum illius patrem Deum esse, & Chrũ sum eiusdem esse naturæ et substantiæ. Quapropter distinctim dixit, Ascendo ad patrem meum. Si enim ipse alijs tantummodo similis esset, in genere hanc locutionem in prima persona protulisset, dicens, Ascendo ad patrem nostrum. Cum uero distinctim dicat, Ascendo ad patrem meum. in prima persona, deinde Et patrem uestrum, quæ si in secunda: nihil aliud omnino dixit, nec aliud significauit quàm quod ipse Christus natura sit dei filius: alij uero omnes, gratia. Sicut & illud, Ego dixi Dij estis, & omnes filij altissimi. Eundem igitur similem modum hoc notat, deũ meum & Deum uestrum. Et quod ceu homo hoc dixerit, Deum meum, per omnia clarum est. Verum neque hoc similiter ut omnes homines dixit. De omnibus enim sanctis hominibus dicitur, Deum esse Deum ipsorum, per gratiam scilicet: ut cum dicitur, Deus Abraham Isaac & Iacob, & his similium. Prius enim mundati & abluti à proprijs peccatis, & misericordiæ uasa facti, gratiam dei suscipiunt, & filij Dei redduntur, Deusq; illorum Deus esse dicitur. In Christo autem non sic, sed Deus pater illius esse dicitur. Quapropter proles ex persona patris est, & una natura, una substantia, diuinitas & potentia patris est & filij. Deus uero Christi esse dicitur, propter unionem filij cum eodem cognomento secundum substantiam, non secundum sanctorum consuetudi-

nem. Quare etiã de hoc distinctim dixit, Ascendo ad deum meũ et deum uestrũ. Vides, quomodo ea quæ humilia in Christo sunt, sensum habẽt magnũ, eximiũ & admirandũ? Ex his ergo, quæ Christus quidem bene locutus est, male uero cita uit Mahomet, constat Christũ deum esse & homi
5 nem. Negat præterea Mahomet Christum filiũ dei esse et deum, negat etiam quod incarnatus sit, nudum uero dicit hominem secundũ Nestorij sententiam, & ex uirgine natum: sanctißimũ uero esse omniũ hominum sapientẽ, & prophetã omnium prophetarũ maximum. Et manifeste hunc hominibus excellentiorem esse dicit, deum uero deiq; filium nõ esse. Cum itaq; uniuersa secundæ & tertiæ Apologiæ tractatio in hoc uersetur, ut ostendatur, Christũ & deum esse & dei filiũ, & quod deus existens extremis temporibus ex sancta uirgine assumpta carne homo factus sit perfectus, quemadmodũ & homo perfectus est: superuacaneũ & nimis longũ uidetur fore, si eadem rursus aggrederemur. Illic enim manifeste demonstratũ est, Christum & deum esse & homi
6 nem. Rursum dicit Mahomet, Non Christum à Iudæis occisum & crucifixum esse, sed alium quendam illi similẽ: & quod per imaginationem falsam uideatur, Christum esse crucifixũ, Manicheorum opinionẽ secutus. Quemadmodum hoc eius studium esse percipitur, quò omnibus persuadeat ne Christum deum deiq; filiũ esse admittant: ita etiam omni studio in hoc est, ut illius incarnati omnem administrationem subuertat, simul & illius mortem. Nos itaq; de eodem in secunda Apologia diximus, multisq; argumentis & demonstrationibus euicimus, quod Christus deus & dei filius perfectusq; homo sit. Verumtamẽ etiam nunc in præsenti sic dicimus. Homo cum per gratiã dei imago esset, diaboli inuidia instigante, dei præceptũ transgressus, maledictionem à deo accepit, & paradiso eiectus est, mortemq; acquisiuit. Filius uero dei, imago dei naturaliter existens, eam quæ secundum gratiam erat dei imaginem induit, id est humanã naturam, ipsamq; saluauit, & in pristinam beatitudinẽ restituit. Insuper quemadmodũ oratio per linguæ instrumentum ipsius animi meditationes exponit: sic etiam sermo dei patris, per carnem patris sui cõsilia reuelauit, illius diuinitatẽ. Et quemadmodum rege aliquo unam domũ populosißimæ ciuitatis inhabitante tota ciuitas hostibus terribilior redditur: sic Christo unum inhabitante corpus, omnis humana natura diabolo formidabilior facta est. Et hoc ex martyribus & sanctis clare colligitur, qui mortẽ ceu rem nihili & somnũ iudicauerũt, dæmonib. uero ceu seruis suis præcepe runt. Sicut igitur occultare conatur, quod Chri



stus deus & dei filius sit, sic etiam incarnationẽ illius, quin & mortẽ & resurrectionẽ huius obscurare nititur, & propterea illum dicit nõ esse crucifixũ. Cæterum hoc manifeste falsum est. Et primò, quod si nõ crucifixus est, cuius rei gratiã Christiani in Christum rem finxerũt iniuriosißimam? Crucis enim mortẽ inhonestã & infamem esse ducebãt, & propterea infœlices Iudæi Christum dominũ gloriæ hoc mortis genere condemnauerunt. Verum intelligãt, quod per crucis trophæum et salutarẽ mortẽ, quæ ipsa etiam dei infirmitas dici solent, dissolutæ sint omnes malæ et aduersæ potestates. Per crucẽ tenebras mundi depulit, & lucẽ scientiæ reduxit. Per crucẽ et mortem illius crux confracta est, nec amplius mors est, nec diaboli tyrãnis. Et corpus quidẽ Christi mortuũ est, sepultum est, & resurrexit: diuinitas uero illius passionis expers permansit. Quemadmodũ enim regis mandatũ in charta descriptũ, etiam charta corrupta incorruptum & inuiolatum permanet: sic etiam in Christo contigit. corpus quidem illius corruptionem suscepit, et mortuum est, corruptionem uerò absolutam minime: diuinitas autem illius passione omni caruit. Deus enim non patitur. Secundò, ipsi etiam Iudæi omnes Christi mortem testantur. nam dicunt se illum ceu maleficum occidisse. Tertiò, non in abstruso & abscondito loco mortuus est, ut mors illius cælaretur, & unà cum morte illius quoque resurrectio: sed secundum diuinam ordinationem mors Domini in tempus paschæ incidit, ut iuxta consuetudinem omnis Iudæorum multitudo congregaretur, duodecim scilicet tribus: omnibusq; mors Christi innotesceret, ne forte locum inuenirent aliquem, qui Saluatoris mortem cuperent cælare, ut in præsenti conatur Mahomet. Quartò, quod non morte naturali obijt, sed Iudæis mortis suæ arbitrium permisit: quemadmodum generosus athleta non ipse concertatorem & colluctatorem eligit, sed cum uno quolibet congreditur: sic etiam Christus, qui solo uerbo in terram prostrauerat quærentes se, omnem potestatem Iudæis permisit, qui et ipsi crucis mortem elegerunt, ignorantes miseri etiam mortem hanc prophetiæ figurã implere. Dauid enim inquit, Lapidem quem re- Matth. 21
probauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quid nam hoc uaticinio innuente? Non aliud certe, quàm quod ueluti angulus duos coniungit & colligat parietes, unumq; facit: sic & Christus, quẽ scriptura petrã uocauit, quã reprobauerũt, et ceu inutilẽ reiecerũt, nulliusq; precij ædificatores Iudæi, qui sanè confirmauerunt dei oracula in ædificationẽ & salutẽ gentis suæ: hic inquam Christus factus est in caput anguli, id est coniun-

cõiunxit uetus testamentũ, et gentes, et his utrin
que coniunctis unam fecit domum in habi tacu-
lum Dei: & extensis in cruce manibus, distantia
inter se collegit, & in unum nouum hominem
unamq; fidem cõstituit. Sed & aerem quoniam
princeps aeris infecerat diabolus, sanctificauit
Christus per suum in crucis summitatẽ ascẽsum.
Poterit uerò aliquis & hoc dicere, quod Chri-
stus non mortuus sit, ea qua Ioannes & Esaias
morte obierunt, (è quibus ille quidem capite trun
catus, hic uero serra lignea medius dissectus est)
sed corpus saluũ et integrum conseruans, docuit
hoc facto nos, quod ecclesiam, quia corpus Chri-
sti est, non liceat maleuolis in diuersas partes
discindere. Insuper dicit, Deum ad se, id est in cœ
7 los uocauisse Christũ, deinde uerò et ipsum mori
turum: hæreticis Donatistis consentiens, quæ hæ
resis Dei de Christo confessionẽ destruit. Quod
enim in cœlos assumptus sit Christus, testatur,
nec eundem negat denuò uenturũ, quod uero ceu
Deus & iudex uniuersæ terræ uenturus sit, abne
gat: sed instar Heliæ & Enoch Christum uentu-
rum esse prædicat. Illius morte autem antè nega-
ta, nunc dicit etiã Christum moriturum, ubi Anti
christum occiderit. Quoniam uerò superius sæ-
pe & multifariàm de Christo diximus, sufficiũt
ea quæ dicta sunt, in tantæ impietatis confutatio-
nem et solutionem. Et hæc sanè sunt quæ de Chri
sto à Mahomete sunt tradita. De sancta uerò
Maria uirgine & Deipara dicit, quod Christia
ni illam in deos referant. Quoniam uerò etiã de
hac absurditate in tertia Apologia diximus suffi
cienter, plura nõ dicemus: ea enim quæ dicta sunt
huc sufficiunt. Item in capitulo Amram, de uirgi
ne sancta Maria Deipara dicit, eam filiam esse
ipsius Amram, qui pater est Mosis & Aaro-
nis. Quemadmodũ etiam in capite Mariam cla-
re dicit, Christi matrem Mariã Mosis & Aaro
nis sororem fuisse. Quod sanè Amram Mosis &
Aaronis parens fuerit, uerum est. Cuius autem fi
lia sit deipara uirgo, & è quibus nata, omnib. ma
nifestũ est, Mosis enim soror Maria in deserto mor
tua est. Annis autem ab hinc elapsis mille quin-
gentis nata est Deipara uirgo. En tam scitè stul-
tus hic in toto opere suo ueritatem obseruat.

## IN MAHOMETEM ORATIO QVARTA.

Prouer. 18.

IMpius, ut admirandus ille Solomon
testatur, cum in profundum pecca-
torum inciderit, contemnit illud. Et
quod nam peccatorũ profundũ est,
quæ denique tenebræ, in quas infœlix hic non inci
derit? Inter alia enim figmenta & prodigia fal-
sa, etiam hanc uisionem finxit nefandam, quæ
uerbotenus apud illũ in Capite filiorum Israel



talis legitur: Laus illi, qui fecit transire seruum
suum unius noctis tempore ex oratoria Elaram
quod est templum urbis Mechæ, usq; ad oratoriũ
longißime distans, templũ scilicet sanctũ in Hie-
rusalem, quam benediximus. Quodam die cũ Ma
homet iuxta tempus constitutum cecinisset, dixit
hominibus, Intelligite homines. Cũ heri à uobis
discessissem, uenit ad me post uespertinam psal-
modiam angelus Gabriel, dixitq; mihi: Maho-
met, Dominus præcipit tibi ut illum inuisas. Cui
dixi, Et ubi uidebo illum? Et respondit Gabriel,
In eo loco quem inhabitat. Et tunc iumentum ad
duxit mihi maius quidem asino, mulo autem mi-
nus, cui nomen Emparak. & dixit ad me, Con-
scende hoc & ad domum sanctam pergito. Iumen
tum uero à me iam ascensuro aufugit. cui dixit
angelus, Consiste, Mahomet enim is est qui te cõ
scendet. Et respondit iumentũ. Num in huius gra
tiam sum missum? Respondit uero Gabriel, Ita. Et
dixit iumentum, Nequaquam ut me conscendat
admisero, nisi prius pro me Deum orauerit. Ego
autem pro iumento Deum orani, & conscendi il
lud: quod me insidente, gradu molli incedebat,
ungulam suam in horizontẽ uisus sui super insi
gendo: unde minori temporis interuallo, quàm la
pidis iactus absolui possit ad domum sanctam per
uenimus unà cũ Gabriele angelo, qui duxit me ad
rupem quandã, quæ erat in domo Dei Hieroso-
lymæ. Et dixit mihi Gabriel, Descẽde, quoniã de
petra hac cœlum petes. Et descendi. Angelus ue-
ro Gabriel circulo quodã ad rupem alligauit iu-
mentum Emparak, & me humeris suis sublatum
ad cœlum usq; portauit. Quò cum peruenissẽ-
mus, pulsauit fores Gabriel. cui dictum est, Quis
es? Respondit is, Ego sum Gabriel. Et rursus di-
ctum est illi, Et quis tibi comes: Respõdit is, Ma-
homet. Dixit rursum ianitor, Num in huius gra-
tiã ablegatus eras? Et dixit Gabriel, Eram. Quo
dicto, portã nobis aperuit, et uidi turbã angelo-
rum, quibus bis incuruatis genub. preces obtuli.
Post hæc uero suscepit me Gabriel, et ad cœlũ se
cundũ perduxit, cuius interuallum à primo erat
iter annorum quingentorum. Et quemadmodum
apud primum cœlum fores pulsauit, responsum-
que accepit: eadem ratione ad cœlum usq; septi-
mum peruenimus, in quo uidere licebat angelorũ
turbam, quorum singuli millenis uicibus toto
mũdo maiores erant, è quibus quilibet septingen
ta millia habuit capita, et in unoquoq; capite sep
tingenta myriadũ ora, et in unoquoq; ore mille et
septingentas linguas laudantes Deũ septingentis
myriadum idiomatis. Et uidit quendam Ange-
lum lugentẽ, causamq; luctus sui inquisiuit: quã
hic respõdit peccatũ esse. Ipse autẽ intercessit pro
illo. Et sic me, inquit, Gabriel alteri commisit an-

gelo, qui idem alteri, et sic deinceps donec coram deo & tribunali ipsius constiti. Et tetigit me manu sua Deus inter scapulas, donec frigus manus suæ penetrauit ad medullam spinæ meæ. Et dixit mihi Deus, Imposui uota tibi & populo tuo. Descendenti uero mihi ad cœlũ quartum usque, consuluit Moses ut redirem ad Deum, alleuiaturus populum qui ad uota hæc sufficere nullo modo posset, unde primo reditu remissionem decem uotorum impetraui: quin in tertium quintumq; reditum usq; ita uotorum numerus imminutus est ut paucissima superessent. Dicente autem Mose, populũ nec hoc modo ferre posse, me autẽ toties ad deũ reuerti pudebat, nec amplius adij, sed conscenso iumẽto Emparak, in ædẽ ciuitatis Mechæ festinans reuersus sum. Tempus uero omnium horũ minus erat quàm decima noctis portio. A Mahomete uero hanc uisionem enarrante, multa defecerunt hominum millia, qui dicebant illi, Ascende hodie in cœlum nobis uidentibus, ut angelos occurrentes tibi, uideamus. Nonne tuum ipsius agnoscis mendacium? Et dixit Mahomet: Laus Deo meo. Num ego alius quispiam sum, quàm unus hominum, & apostolus? Maiores uestri miraculis non crediderunt, nec uos ijsdem creditis: nec credetis unquam, nisi per gladium. Et quid nam dicat aliquis de falsa hac & absurda uisione? Ex ipsius enim Mahometis uerbis cõuincitur. Is enim est qui dixit, cum spiritus hinc inde uolueretur, quod uenientis ad se Gabrielis angelis à Deo missi aspectum sustinere non posset, et propterea cadere examini similem, audire autem se angeli sermones ceu tintinnabulum æneum resonans. Qui igitur unius angeli aspectum sustinere non potuit quomodo tot angelorũ splendorem potuit intueri? quin etiam curiosius de his inquirere, tot capita numerare, & tot intra labia illorum linguas, tum etiam tam uarias hymnorũ dei uicissitudines & idiomata discernere? Non enim Gabriel soli se anteponit, sed etiã omnib. hic ad quos Gabrieli nõ permittebatur ingredi. sed tãto illis erat inferior, ut ipsum Mahometem alteri angelo committeret, qui & ipse alteri, & sic deinceps se per singulos in angelorum turbam peruenisse. quos & ipsos tandem transcenderit, donec ad Deum perueniens mutuo cum illo usus sit colloquio. Ad hæc se non modo omnib. his præfert, sed etiam orantem se pro illis inducit. Cesso nunc dicere de magno illo dei spectatore Mose, quem, ut ipse dicit, in quarto cœlo conspexit, cum ipse ad septimum usque ascenderit, & ad deum usque peruenerit, cumq; illo sit collocutus. & post hæc egressus sit, & descenderit ad cœlum quartum, ut dictum est: ubi & in Mosem inciderit, et hunc quoq; illi consuluisse, ut reuersus oraret deum pro



populo, uotumq; redderet leuius, populo nimirũ infirmiore ad hoc existente. quo consilio usum ad deum redijsse. & hæc orauisse ab illo: quod etiam illi cõcessum sit, uotiq; pondus alleuiatum. Cum uero Moses illum cogeret, denuò, & sic quinque uicibus ad deum redijsse uotumq; denuò esse immi nutum. Mose uerò neq; sic contento, sed suadente ut denuò reuerteretur, uotiq; remissionem maiorem impetraret, se non annuisse, sed conscenso iumento suo Emparak, in locum suum pristinum perrexisse. Inspice quæso mendacium omnis ignorantiæ plenum. Deum, quem & ipse Mahomet creatorem cœli & terræ esse confitetur, corporeum facit, non incorporeum. Numen autem incorporeum est, quantitate caret, & magnitudine, nec specie ulla circumscribitur. Quod cum natura sua propria tale sit, quomodo ex membris consistet? Si quis enim hoc concesserit, quomodo incorporeum esse intelligetur? Quod enim figuram habet, omnino & quantitati subiacet: quod uero quantitatem habuerit, locum habeat oportet: quod autem in loco est, necessariò circumscribitur. Quomodo autem aliquis hæc corporea et corporis propria, sanctæ illi & incorporeæ naturæ Dei tribuerit, qui modo ratione non careat? Et patriarcha quidem Abraham in ueteri illa Dei apparitione, seipsum terram & cinerem esse reputauit, dixitque. Daniele autem, qui talis tantusq; erat, uidente Angelum, conuersa est gloria ipsius in corruptionem: id est, paulisper uitam suam abiecit. Dauid autem dicit: Qui in terram despiciens, ipsam tremere facit. Mahomet uero omnibus Angelicis uirtutibus superior factus, immediate cum DEO collocutus est, & pro Angelis & uniuerso mundo preces obtulit, & uotis suis potitus est? Cæterum minor, quî fiat ut temerarius ille et arrogans, non hæc etiam dicere ausus fuerit, quod Dei naturam deprehenderit, qualem & DEVS ipse nouit. Verum qui habitat in cœlis, irridebit eum, & qui cum eo sunt, & Dominus subsannat eos. Præterea, num DEVS, populi uires nouisse non poterat, sed ceruici illorum legem portatu impossibilem imposuit? Et qualis nam DEVS hic, qui nec creaturam suam agnoscit, nec creaturæ suæ uires? Quod si uero deus cum uerus sit, et omnia priusquam generentur agnoscat, legem quidem Mosis dedit imperfectam propter hominum infirmitatem, perfectam uero per Euangelium, quo modo perfectam illam, aut obliuione aut pœnitentia ductus, in imperfectam denuo reduxit? Perfectum enim tunc perfectum est, si nec defectus aliquis insit, nec superfluum aliquid aut superuacaneum, ut de Euangelio ipsa ueritas testatur. quin & ipse Mahomet hoc perfectum,

uerum,

uerum, ſanctum, ſalutẽ & uiam uocat. Mahometiſtæ uero iuſtificantes impium, dicunt Chriſtum magna docuiſſe, & impoßibilia. Quis enim proximum ut ſeipſum amare poteſt? & DEVM ex toto corde ſuo? Quis poteſt pro perſecutoribus ſuis & calumniatoribus orare? Quis poteſt diligere inimicos ſuos, &c. Quapropter miſit, inquiunt, Deus Mahometem & Alchoranum, remißionis & relaxationis gratia, quo homines facilius legem ad ſalutem ipſorum implerent. Quod ſi quidem CHRISTVS non declaratus eſſet Deus & Dei filius, ſed nudus tantum homo ut & Moſes, demonſtrationibus utique aliquibus opus eſſet ad ueritatis declarationem: cum uero hunc Deum eſſe clariſſime appareat, ſuperuacaneum uidetur aliquam de hoc defenſionem inſtituere. Secundum hoc enim quod Deus & creator eſt, creaturæ ſuæ uires nouit. Verũtamen ex ipſius Mahometis ſermonibus rei abſurditatẽ colligamus. Is eſt, qui teſtatur & dicit, Chriſtum ſermonem Dei eſſe, ſpiritum dei, & animam dei. Quod ſi ſermo & ratio dei eſt, cur quæſo, qui omnia nouit, hæc ſine omni ratione fecit? Dei enim ratio nunquàm aliquid ignorare uidetur. Non enim ſecundum quod filius Dei eſt, deo & patre minor eſt: neq; ſecundum quod ſermo eſt, uel ratio illius. Et ſi anima dei & ſpiritus dei eſt, cur animabus & ſpiritibus hominum pondus impoſuit portatu impoßibile? Ad hæc idem dicit aſſeclis ſuis, quod nullius ſint ualoris niſi Moſis legem, Euangelium & Alchoranum impleuerint. Quod ſi igitur Euangelium grauia docet, et portatu difficilia, quomodo præceptor ueſter hoc uobis præcipit, quod niſi impleatis ueterem legem & Euangelium, nihil ſit: id eſt, nulla in uobis ſit utilitas? Quod ſi autem Euangelium perfectum eſt (ut nemo negat) fruſtra iuſtificatur Alchoranum, quod conceßionis et remißionis cauſa latum ſit: et reuera mendacij inſimulatis Euangelium & Chriſtum. Quomodo enim Euangelium perfectum eſſe poſſet, ſi indigeret emendatione? Item, ſi Gabriel hunc humeris ſuis ſuſtulit, quid nam iumento opus erat, quo ex Mecha Hieroſolymam uſq; ueheretur? Item, quis nam dimenſus itineris interuallum, quod inter cœlum primum & ſecundum eſt, deprehendit illud quingentorum annorũ ſpacio conſtare, & illud Mahometi retulit? Item, ſi per pedũ greſſus interuallum hoc menſuratum eſt, quomodo corpus craſſum denſumq; ea calcauit, quæ ſupra cœlos ſunt, ut hic prodigioſe fingit? Et ſi hoc quidem impoſſibile eſt, angeli uero & animæ hominum illuc aſcendunt, quomodo quæ incorporea ſunt, corporeo greſſu metiuntur ea quæ ſupra cœlos ſunt cõſtituta? cum minimo temporis ſpacio ea quæ ſub



cœlo ſunt tranſire poßint, utpote aerem, ætherá, & alia his ſimilia? Item quomodo in aſcenſu ut cœlum aſcenderet, angelorũ opera uſus eſt: in deſcenſu autem nequaquàm, ſed ſolo iumento Emparak, ut ſaluus in Mecham reduceretur? Et quis tam ſtolidus, ut talia nõ condemnet? Quapropter interdicunt aſſeclæ illius ne quis cũ aliquib. diſputet, redargutionem metuentes: utpote cũ nõ ignorent præceptoris ſui uanitatẽ. Verumtamẽ & hi inter ſe mutuo diſſentiũt. et alij quidẽ mortis metu uel inuiti ſequũtur: et ſi forte liberi et ſui iuris eſſent, cõfeſtim Chriſtianis aſcriberẽtur, alij uero errore ſeducti, pro firmis, ueris & confeßis retinent Mahometis mendacia et prodigioſa figmenta, alij rurſum à lege patria propter maiorũ reuerentiã deſiſtere nolunt: uerũ illis defenſionẽ coràm deo pro ſe ſubeundã imponũt. alij quoq; propter uiuendi licentiã & libertatẽ, uoluptatumq; conceßionem errori renunciare nolunt, pluris nimirũ faciẽtes impuritatem & ſtulticiã: nõ ignari interim, quod quæ dicũtur, à deo nõ ſint: dicũt tamẽ palàm, ut antè dictũ eſt, uias præceptorũ tuorum agnoſcere nolo. Qua de cauſa nec ſacrã ſcripturam legere permittitur apud illos, ne per hãc præceptoris ſui ſtultitia appareat et confutetur. In capite Iona enim ſic inquit: Quiſquis deprehẽſus fuerit q; Alchorano cõtradicat mortis ſupplicĩ luito, nec alij quàm illi credãt. In capite autẽ Amram ait, nõ alij credite niſi legẽ noſtrã ſequẽti. Et qui Euangeliũ ſalutem eſſe dicit, et uiã, nihilq; eſſe Sarracenos niſi Euãgeliũ legemq; impleuerint, en denuò idẽ quaſi pprij ſermonis oblitus, in eodẽ ſermone dicit, Mihi mea lex ſit & uobis ueſtra. Vos ab his quæ ipſe facio immunes eſtis, et ego ab ijs quæ uos. Hoc itaq; peruerſæ et errabũdæ mẽtis propriũ eſt, ut nõ ab honeſto tantũ & bono diſſentiat, ſed ut nec ſecũ unquàm cõuenire poßit, qualis et Mahomet hic in toto ſuo opere deprehẽditur. Chriſtianorũ ueroſcripta nõ ſic. uerũ omnis ſacra ſcriptura tã uetus quàm noua, ſingulæ ſibi inuicẽ quàm exactiſſime conſentiunt: & rurſũ utræq; inter ſe mutuo eadẽ ſentire et dicere deprehẽdũtur: et meritò. deus enim ipſe author et legislator eſt ueteris et noui Teſtamẽti. Ego autẽ ipſe fortaßis cũ Eſaia & Dauide dixero: Quare, ô domine, uia impiorũ proſperatur? Mei autẽ penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quoniã zelaui ſuper iniquos, pacẽ peccatorum uidens. Quoniam non eſt reſpectus in morte ipſorum, & firmamentum in plaga ipſorum. In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur. Ideò tenuit eos ſuperbia ipſorum in finem. Operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Prodibit quaſi ex adipe iniquitas ipſorum. Tranſierunt in affectũ cordis, cogitatus

gitauerunt et locuti sunt in nequitia. Iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua ipsorum transiuit in terram. Verumtamen cũ diuino Dauide etiã ipse clamabo: Propter dolos ipsorum posuisti eis mala, Domine, deiecisti eos cum extollerentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam ueluti somnium exurgentis. Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Præterea in capite * dicit Mahomet, quod & dæmones salutem sint consecuturi, Origenis hæresim secutus. et quamuis alio in loco idem dicat, quod multi ex dæmonibus, cum Mahometis Alchoranum prælegi audiuissent, collaudauerunt, & admirati sunt: & cum credidissent, salutem sunt consecuti: nunc tamen non sic dicit, sed uniuersaliter dæmones saluandos fore affirmat. Siquidem potest unus & is solus ex illorum numero saluari, omnes etiã saluari possunt. Sed quemadmodum ipse sibi ubique contrarius est, ita etiam hoc loco. Hic enim, omnesq; huius assectæ, Euangelium per omnia perfectum, sanctum & salutare, utpote Christi sermones, asserunt: nunc uerò, ut & aliàs sæpius, huic omnino contradicunt. Christus enim ad gehenna dignos sic dixit: Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ipsius. His itaque uerbis nullum dæmonum à pœna excepit: & meritò. Qui enim saluatus est cum pœnitentia, simul etiam ipse pro uirili salutis uiam per opera obseruat. In corpore enim nõ potest homo pro sui animi uoluntate uel in morbum non incidere, aut cum inciderit sua potestate ad pristinam ualetudinem reuerti. animæ uero negotium longe secus habet. Omnis enim homo in sua potestate habet, ne in peccatum (qui animæ morbus est) incidat: cum uerò peccauerit, sui arbitrij est, ut seipsum denuò reuocet, utque non modo ad pristinam animæ sanitatem reuertatur, sed etiam ut multis modis hanc superet, & uel per pœnitentiam faciat fide digna & idonea: uel post secundam, quod dicitur, nauigationem solummodo pœnitentiam agere deprehenditur.

Et Deus clementissimus, qui propter hominum salutem cœlos inclinauit, & descendens homo factus est, effudit misericordiam suam, quæ maior est omni opere angelorũ simul & hominũ, quam etiam omnibus anteponit uirtutibus, & ad se omnes aduocat, amicosq; suos constituit. In diabolo autem ubi pœnitẽtia? ubi humilitas? ex hac enim pœnitentia enascitur. Prius enim seipsum homo ceu maleficum condemnat, deinde peccatorum à se commissorum agit pœnitentiam. Diabolus autem contrà. Quin potius amat peccatum quod admisit, & pro uirili humanæ perditionis propi



nator & cooperarius esse uidetur. Quæ igitur DEI cum diabolo est communio? Stultè igitur Mahomet, etiam dæmones saluari asseruit.

Porrò etiam hoc de Alchorano Mahomet dicit, Neminem mortalium, nec seipsum quoq; interpretationem & sensum huius percipere, præter solum Deum. Quod si hoc uerum est, quæ nam est Alchorani utilitas? Fortassis enim sic prodesse poterat, si quæ à Deo dicta sunt, intelligerent. Cum uero ipse etiam Mahomet testetur, neminem mortalium ea quæ Alchorano continentur intelligere, quæ nam huius est utilitas? Nulla prorsus. Et quæ nam demonstratio hac euidentior est, quod lex à Mahomete lata Deum non habeat authorem? Deus enim leges non frustra sancit. Ergitur manifestè constat, Alchoranum à Deo non esse, uerum figmentum rationis huius infœliciſsimum. Quod etiam ex ipso Alchorano patet, cum nec ueteri nec nouo Testamento consentiat, ipso interim Mahomete confitente, scripturas & sanctas et bonas esse: & assectas ipsius precij nullius esse, nisi & legem & Euangelium impleuerint. Item ipse sibi ferè per omnia contradicit. Item, miraculum nullum edidit in dictorum suorum comprobationem. Item, mendacia continet manifesta, quod à Deo alienum est. Item, uiolentum est, & liberum destruit arbitrium, quod nec DEVS ipse unquam subuertit. Tum etiam, nullo ordine confusum est. Quod autem ordine caret, à Deo longe lateq; discrepat. Deus enim nequaquam confusionis Deus est. Item, manifeste malum esse apparet. Et quomodo à Deo originem duceret, qui omnem probitatem & simplicitatem excedit? Item, conflictas & prodigiosas uisiones continet. & quomodo à DEO esset, ueritatis creatore & largitore? Omnium uero malorum extremum, & primum est, quod à DEO Alchoranum latum esse tradant ipsi, DEO calumniam struentes. Miror sanè, & obstupesco, qui nam miseri CHRISTO et doctrina illius neglecta, Mahometem secuti sint. Huius enim lex, quam Alchoranum uocant, hoc idem tradit, quod hoc per Angelum matri Iesu annunciatum sit, & quod spiritu sancto sit sanctificata, & uirtute diuina conceperit, neq; naturæ efficacia, & Christum ex sanctissima uirgine omniũm que mulierum castissima esse genitum. In capite enim Æneſſan dicit: O sodales libri, id est ô fideles, nihil de deo citra ueritatẽ dicite, quoniã Christus Iesus filius est Mariæ, apostolus Dei, & Dei sermo, quem huic Virgini indidit per spiritum sanctum. Ergitur cum Deum nominauerit, & sermonem Dei, & sanctum spiritum (trinitatem nimirum, quæ tribus personis constat) nõ tamen miser hic animæ oculos aperuit, ut trinitatis lumen

men intueretur, nec immeritò. Quemadmodum enim qui in utero materno priusquàm in lucem edantur fœtus delitescũt, uitam quidam habent, inutilem uero & irrationalem, animamq; quæ bonum à malo nequit dtscernere: & ante legitimum tempus editi, nõ homines, sed abortus sunt. Sic etiam omnis impius, qui non regeneratus est per aquam & spiritum, ideſt per sanctum baptisimum, cœlestem lucem uidere non potest, & ueritatis cognitionem. Quapropter occlusis animæ suæ oculis, miser hic in tenebris derelictus est, ut & pater eius diabolus. Spiritus sancti enim indesinenter in Alcorano meminit. Dicit enim in capite Empia, sub persona dei, Quoniam in Maria produximus ex spiritu sancto. Nec omnino dicere potest, Deum hæc de angelo quopiam dixisse. Et de Christo quidem talia. De Mahomete uero tale nihil dicit. uerum quod orphanus fuerit, & erro, à Deo collectus. Præterea Christum sermonem Dei nominat, ut modò diximus, & animam dei, atq; prophetam omnium prophetarum maximum: Mahometem uero prophetam dicit simpliciter. Item Christum ex Abraham, Isaac & Iacob genitum testantur, qui promissiones habuerunt: Mahomet uerò ex Ismaele est, qui ex domo Abrahæ unà cum matre sua ancilla Agar electus est. Ad hæc Christus nunquam peccauit (sermo enim dei, & illius spiritus, peccare non potest) Mahomet uerò idololatra fuit, homicida, prædo, & intemperãs, multisq; alijs peccatis adobrutus, propter quæ, ut ipse fatetur, Deus sui misertus est. Item, Christus horrenda & stupenda edidit miracula, ut etiam in capite Helmaida demonstratum est, quod Christus cæcos illuminauerit, leprosos mundauerit, mortuos suscitarit, aliaq; fecerit infinita: Mahomet uero nullum in Alcorani probationem miraculum edidit, præter illud de luna expositum, quod manifeste falsum est: & alia quædam fœda, quæ propter summam ipsorum infamiam silentio præterierunt. Præterea iuxta Euangelij & ipsius ueritatis testimonium Christus crucifixus est, mortuus & sepultus, resurrexit, & assumptus ad dextram patris sedet: iuxta Alcorani uero sententiam, ceu honoraturi eum dicunt, quòd non mortuus sit, assumptus tamen dicitur. Et ecce quomodo Euangelica ueritate, & ipsius Mahometis fallacijs demonstratur, Christum uiuere. Mahomet uero hic, ut & omnes illius assectæ fatentur mortuum esse, at non resurrexisse. Oportet igitur propter hæc omnia Christum adorare, nec Mahometi adhærere. Quomodo enim Dei oracula homini, diabolo per omnia simili, concrederentur? Et si uoles, collatis utrisq;



proprietates horum cognoscamus. Diabolus elatus est & arrogans, similiter & Mahomet. Quis enim Mahomete maior est, qui cœlis superatis, ut ipse de se dixit, & omnibus angelicis potestatibus, cum deo collocutus est, & intercessor patronusq; angelorum, qui ceciderunt, factus, quin etiam totius mundi aduocatus? Diabolus homicida est, & Mahomet legibus suis non morigeros morti adiudicauit. Diabolus seductor est, & Mahomet uoluptatibus concessis, & ceu esca hamo affixa stultiores sibi conciliauit. Diabolus mendax est, non tamen in tantum quãtum Mahomet, ut per totum Alcoranum clare ostenditur. Diabolus supputridus est, & hypocrita: & quis hoc magis quàm Mahomet, qui humilitate simulata animi sublimitatem amplexus est? Diabolus uetitorum consultor est, quod imprimis facit Mahomet: nihil enim sani, nihil commodi, nihil deo placens, sed omnia deo legiq; diuinæ contraria docuit. Diabolus dei nulla religione tenetur: & per omnia illi similis perditionis filius Mahomet. Deum enim adorat & prædicat sphæricum, uel globosum, & frigidissimum. Deum inquam adorat, qui nec genitus est, nec generat: non intelligens infelix, quòd corpus, non deũ adoret. Sphæra enim corporis species, & frigiditas corporis qualitas est. Quod uero deum uocat nec generãtem, nec generatum, nec corpus adorat, nec deum incorporeum uerum: sed deum colit, quem impiorum fingũt somnia. Ridiculum enim omnino est, solem aliquem celebrare lumine carentem, & fontem aquis destitutum, & mentem ratione nulla præditam. Pereat itaque deus huiusmodi. Christianorum uero deus unus est, qui ante omnia de omnibus, in omnibus, & super omnia est in nomine patris, filij & spiritus sancti creditus & honoratus, unitas in trinitate, & trinitas in unitate inconfuse unita, & inseparatim distincta, eadem inquam unitas et trinitas omnipotens: pater principio carens, non modò tempore incircumscriptus, sed omni modo etiam causa carens: solus ipse causa, radix, & fons diuinitatis, quæ in filio & spiritu sancto cernitur: qui precor propitius nobis sit, & omnibus Christianis in die iudicij, interceßione benedictæ dominæ nostræ deiparæ & uirginis mariæ, omniumq; Sanctorum,

Amen.

CONFVTATIONVM FINIS.

# HISTORIAE DE SARACENORVM

SIVE TVRCARVM ORIGINE, MORIBVS, NEquitia, religione, rebus gestis: itemq; de ordinatione politiæ eorundem domi & foris, & disciplina ac ordine militiæ Turcicæ, deq; itineribus in Turciam.

Vnà cum uitis omnium Turcicorum imperatorum ad nostra usque tempora, aliisq; lectu dignissimis, hocq; præsertim seculo cognitu utilissimis, ac ualde necessarijs.

Quorum catalogum proxima statim pagella indicabit.

ACCESSERVNT HVIC EDITIONI QVAEDAM IN *priore omissa, necdum edita, ut uersa pagina lector cognoscet.*

CATALOGVS EORVM QVAE TERTIO
hoc Tomo continentur.

MARTINI Lutheri epistola ad pium lectorem.
De moribus, religione, conditionibus & nequitia Turcorum, Septemcastrensi quodam autore incerto.
Epistola Pij Papæ II. ad Morbisanum Turcarũ priucipem, qua & ostensis Mahumetanæ sectæ erroribus, ipsum admonet, ut relicta illa, ueram solidamq; legis Euangelicæ eruditionem amplexetur.
Morbisani Turcarum principis ad Pium Papam responsio.
Ordinatio politiæ Turcarum domi & foris, incerto autore.
Turcicarum rerum commentarius Pauli Iouij episcopi Nucerini, ad Carolum V. imperatorem Augustum.
Ordo ac disciplina Turcicæ militiæ, eodem Paulo Iouio autore.
Ioannis Lodouici Viuis, de cõditione uitę Christianorum sub Turca, libellus.
Quibus itineribus Turci sint aggrediendi, Felicis Petantij Cancellarij Segniæ ad Vladislaum Hungariæ & Boemiæ regem liber.
Iacobi Sadoleti episcopi Carpentoractis de regno Hungariæ ab hostibus Turcis oppresso & capto, Homilia.

HIS IAM ACCESSERVNT,

*Prognoma, siue præsagium Mehumetanorũ, de Christianorum calamitatibus, & suæ gentis interitu, ex Persica lingua in latinam conuersum, Bartholomæo Georgieuits autore.*
*Epistola exhortatoria contra infideles, ad Illustriß. Maximilianum Archiducem Austriæ, eodem autore.*
*Eiusdem libellus, de afflictione tam captiuorum, quàm etiam sub Turcæ tributo uiuentium Christianorum. Item de ritu, & ceremonijs, domi militiæq; ab ea gente usurpari solitis.*

ITEM,

*De origine Turcarum, & Ottomani successorumq; eius imperio.*
*De Turcicæ gentis moribus & institutis.*
*Mahumedes pseudopropheta.*
*Tamerlanus Parthus.*
*Constantinopolis à Mahumede secundò expugnata.*
*Castellum nouum Dalmatiæ, ab Aeneobarbo obsessum, captum, ac direptum.*
*Omnia à Christophoro Richerio Gallo, Thorigneo Senone, Christianiss. Gallorum Regis Francisci cubiculario, in Commentarios relata, regiq; ipsi dedicata.*

# PROOEMIVM IN TRACTATVM DE MORIBVS, CONDITIONIBVS, & nequitia Turcorum.

*Tametsi author huius libri de religione ac moribus Turcorũ nomen suum modestè supprimit: patriam tamen indicat, & quo tempore ad quæ loca perductus sit, quaq; occasione perspexerit res Turcorum. Vt appareat ex omnibus circumstantijs, eum mereri fidem in hac historia. Mihi equidem uidetur beneuolo Domini consilio adolescens illo ingenio, illoq; animo præditus, ex regione Septem castrensi abductus, & per 22. annos in exilio conseruatus, uelut Daniel quispiam, & in eas domos introductus, ubi exactissimè posset cognoscere omnẽ Turcicam institutionẽ, quã ecclesiæ Christianæ exponeret, ut percepta cõditione Christianorum sub Turcica seruitute, extimularentur homines ad uitam componendam ex uerbo Dei ad omnem pietatem, ne unquam tradantur in manus istorum hostium. Nec offendat lectorem pium, quòd sermo non habet exactam elegantiam Latinis sermonis, quum intelligi plane possit. Et multa leguntur barbarissima oratione scripta, quæ tamen parem fructum afferre non possunt lectoribus.*



IMMANISSIMA persequutionum genera, non tam humana quàm diabolica, tribulatiões & angustias, & terrores nouissimorũ temporum, quæ humano generi futura prædicta sunt, & adhuc quotidie annũciantur, in serie tam ueteris quàm noui testamenti, in horrendis draconum & bestiarũ figuris, & stupendis cœlorum & elementorum motibus, & cœlestium spirituũ tam insolitis actibus & gestibus, hactenus in codicibus legebamus. Nunc autem non multis exemplaribus opus est, cum manifestis experientijs, luce clarius doceamur, ea in foribus nostris adesse, & ceruicib. nostris incessanter et indubitanter incumbere. Nisi fortè non uidemus illam cruentissimam beluam, inimicum crucis Christi, draconem crudelissimum (sectam dico & cateruam Turcorum infidelissimorũ) demolitis cunctis partibus orientalib. & afflactu suo, populi Christiani multitudine infinita, uenenо suæ infidelitatis infecta, finibus Italiæ appropinquare, & ad ruinã Romanæ ecclesiæ, quam solam hactenus intactam reliquerat, totis uiribus inhiare.

O quis nõ doleat super tot & tantarũ animarũ morte, quas quotidie apertis faucib. insatiabiliter deuorat, et suę damnationis heredes facit? O pernicioſa et crudelis nimis persecutio. O à seculis inauditũ scelus. Nõ em̃ in corpora, sicut cęteri persecutores, sed & in animas sæuit. Et dũ corpora exterius fouendo, sub pietatis specie non occidit, interius fidẽ auferẽdo, animas sua diabolica astutia occidere intendit. Huius rei testimoniũ innumerabilis multitudo fidelium esse potest, quorũ multi promptissimi essent pro fide Christi & suarum animarũ salute, in fide Christi mori, quos tamẽ cõseruando à morte corporali, & ductos in captiuitatẽ, per successum tẽporis, suo infectos ueneno, fidẽ Christi turpiter renegare facit. Huius rei ueritatẽ & in meipso expertus didici, qui cum multo mentis gaudio expectabã mortẽ pro fide Christi subire, et tamẽ (ut inferius declarabo) de igne semiuiuus extractus, et uitę redditus, per successum temporis detentus in manibus eorũ, ueneno erroris eorum quasi infectus, de fide Christi non modicũ dubitaui. Et nisi misericordia Dei mihi adfuisset, & me custodisset, turpiter eam negassem. Igitur meæ intentionis in hoc tractatu est, ea quæ de actibus, cõditionibus, moribus, & nequitijs Turcorum, experientia me docuit, memorię & scriptis recõmendare: ut si secunda uice (quod Deus auertat, licet adhuc satis timeam) me iam senẽ in manus eorũ incidere cõtingat, ab eorum erroribus melius quàm iuuenis

feci, me custodire ualeam. Et credo, quòd etiã multũ utilitatis possit cõferre, si unusquisq; fideliũ istis tẽporibus talia audire, legere, studere conaretur, eo quòd sicut liquidè constat, multi, imò innumerabiles Christiani, fidẽ Christi renegant, ignorantes, imò nõ credentes ea quæ de eorũ astutia dicuntur, do nec illaqueati docentur experientia, quod prius intelligere neglexerunt.

PROLOGVS.

NVNC autem meæ infelicitatis historiã præponere uolo, quomodo scilicet & quando captus fui à Turcis, & ductus in eorum captiuitatem, ut ex his etiã illis quæ dicturus sum, unusquisq; certius fidem faciat, dum me non fabulas seu fictícia, sed expertã in meipso ueritatẽ narrare simpliciter deprehenderit. Vnde cũ Anno Domini *M.CCCCXXVI. in obitu Imperatoris Romanorum Sigismundi, magna inter Hungaros & Alemannos exorta fuisset dissensio de faciẽdo rege, eo quòd Imperator legitimũ successorẽ sibi non reliquisset: Turcus magnus, qui uocabat Moratbeg, pater illius qui nũc regnat, uidelicet Mechemetbeg, cũ magna exercitus multitudine partes illas intrauit. dicebat enim habuisse trecenta milia equitũ, ea intẽtione ut totã Hungariã deuastaret: q̃d fecisset, nisi cuiusdã fluuij inundatio (Deo sic disponente) sibi impedimento fuisset. Illa itaq; intentione frustratus, direxit aciem ad prouinciam ultramontanã, quę Septem castra uocatur, & omnia sibi occurrentia crudeliter deuastauit & demolitus est, nullo sibi impedimento obstante. Ea tempestate ego iuuenis XV, uel XVI annorũ, eiusdem prouinciæ, anno præcedente recesserã de loco *ciuitatis meę, & uenerã in quoddã castellũ, seu ciuitatulã, nomine Schebesch secũdũ Hungaros, in Teutonico uerò *Mulenbach, studendi gratia. Quæ q̃dẽ ciuitas tũc erat satis populosa, nõ multũ tamẽ bene munita. Ad quã cũ Turcus uenisset, & castris positis expugnare cœpisset, dux Valachorũ, qui cũ Turco uenerat, propter antiquã (quã prius contraxerat cũ ciuibus ipsius ciuitatis) amicitiam, uenit ad murũ, & sedata pugna, uocatis ciuib. persuasit, ut suis cõsilijs cõsentirent, & cũ Turco nõ pugnarẽt, eo quòd nequaq; ciuitatis munitio esset sufficiens ad resistendũ (hoc enim eius erat cõsiliũ, ut ciuitatẽ Turco cũ pace darent) & ipse à Turco impetrare uellet, q̃d Maiores ciuitatis usq; ad terrã suã secũ ipse duceret, & postea quãdo placeret eis, recedere, uel etiã stare possent: reliquũ uerò uulgus sine aliquo rerũ uel personæ detrimẽto Turcus in terra suã duceret, illicq; data ipsis terra ad possidendũ, deinde ad placitũ recedere uel habitare in opportunitate tẽporis, in pace possent. Quę omnia, ut p̃miserat, impleta uidimus. Impetratæ igit̃ sunt cũ hoc pacto inducię usq; in crastinũ, ut unusq̃sq; posset se disponere cũ reb. et familia cũ pace exituri. Quidã uir nobilis cũ fratre suo æquè strenuo uiro, qui prius fuerat Castellanus, & cũ Turcis multũ cõflixerat, huiusmodi cõsilio & pacto nequaq; acquiescens, dixit se prius cẽties uelle mori, quàm se & uxorẽ suã & filios in manus Turcorũ tradere. Persuasit etiã q̃ plurib. alijs. Et electa una de turrib. quã introiuit, & per totã illã noctẽ arma & uictualia intulit, & fortiter muniuit. Cũ his igitur & ego turrim intraui, & expectabã cũ magno desiderio magis mortẽ q̃ uitã. Facto itaq; mane, Turcus magnus in propria persona ad portã ciuitatis uenit, & omnes exeũtes unũquemq; cũ familia sua, iussit scribi. & deputatis custodib. in terrã suã duci, sine aliq̃ rerũ uel personę nomẽto. Ciues q̃q; et maiores duci Valachorũ, eodẽ modo ducẽdos in suã terrã cõcessit. Cũ igit̃ uniuersus exercitus eius de hac pręda nullã partẽ habere potuisset, cũ maximo impetu et intolerabili furia unanimiter ad turrim, in q̃ eramus,

*1436. in obitũ Sigismundus Imperator.*

*Septem castra.*

*natiuitatis.*

*Muelenbag*

eramus, ſpe aliquid lucrandi cucurrerũt. Quanta autem & qualis hæc fuerit tempeſtas, lingua nulla ſufficeret exprimere. Tanta erat denſitas ſagittarũ et lapidum, quòd denſitatem pluuię uel grandinis excedere uideretur. Tantus erat clamor pugnantium, & fragor armorũ, & ſtrepitus currentium, ut cœlũ & terra concuti uiderentur in momento. Et quia turris multũ decliuis erat, immediatè tectũ ſagittis & lapidibus contriuerũt: propter fortitudinẽ tamẽ murorum nequaquã poterãt præualere. Cũ igitur tardior eſſet hora, ut puta ſolis declinans poſt meridiẽ, & nihil ꝓfeciſſent, inito cõſilio, aliįs pugnantib. aliį ad deferendum ligna cucurrerunt, & ſtruem lignorũ quaſi ipſi turri ęquauerunt. Submiſſo igitur igne, nos quaſi ſicut decoquuntur panes in furno, decoxerunt. Et iam quaſi omnibus mortuis, cum uidiſſent amplius neminẽ in turri moueri, diſtrahentes ignem irruerũt per oſtium, ut ſi fortè aliquos ſemiuiuos inueniſſent, refocillatos extraherẽt. Me quoq; eodẽ modo extrahẽtes, mercatoribus uenditũ tradiderunt, qui me cum cæteris captiuis poſitum in catena, trãſito Danubio, uſq; in* Adrianopolim, ubi eſt ſedes ipſius Turci magni, deduxerunt. De anno autẽ Domini prædicto, uſq; ad annum Domini M. CCCC. LVIII. incluſiuè, illius duriſsimæ captiuitatis grauiſsima onera & intolerabiles anguſtias, non ſine corporis & animæ periculo, ſuſtinui: & tandem Deo auxiliante, ut infrà oſtendam, liberatus ſuperaui.

declinatus

Edrenopolim
Adrianopolis ſedes Turci.

# QVOMODO TVRCI TERRAM ET REGIONEM ORIENTALEM INCOEPERUNT poſſidere & inhabitare. Cap. I.

SECVNDVM omnes hiſtorias ſcribentes apertè conſtat, quòd lex Mahometi, & ſecta Sarracenorũ incœpit circa annũ Domini ſexcenteſimũ, ſub Bonifacio quinto, & Heraclio Imperatore. Floruit autem circa annũ Domini octingenteſimũ, ſub Leone quarto, & Ludouico Imperatore. Tũc enim Sarraceni ad tantum creuerũt numerũ & multitudinẽ & crudelitatem cõtra Eccleſiam, ut iam dudũ capto imperio Hieroſolymitano, Romam uenientes, eã obſederint, & omnia quæ extra munitionẽ inuenta ſunt, crudeliter cõbuſſerũt: eccleſiã quoq; ſancti Petri ſtabulum equorũ fecerũt, & funditus deſtruxerũt: Italiamq; et Siciliã deuaſtantes, in terrã ſuã redierunt. Fructũ autẽ omnis malicię & nequitiæ in ſignis & ꝓdigijs mẽdacibus (quib. nunc innumerabilib. abundant) incœpit facere circa annũ Domini M. CCLXXX. Tunc igiť, Deo permittente, Soltanus magnus egreſſus de plaga meridiana, proceſsit cõtra orientẽ, & obtinuit omnem regionẽ & munitionẽ uſq; ad mare. Cum igitur uidiſſet terrã ſpacioſam & multũ aptam ad inhabitandũ, diuiſit eã in ſeptẽ partes: & dimiſsis ibi ſeptẽ de principib. ſuis, unicuiq; partem unã cõmendauit, & tradidit iure hæreditario poſsidendam. Quorum primus habebat nomen Othmanbeg, ſecundus Ermenbeg, tertius Germenbeg, quartus Czarchanbeg, quintus Andinbeg, ſextus Mentheſsebeg, ſeptimus Karamanbeg. Cum igitur procedẽte tẽpore unuſquiſq; terram ſuam incoleret, gubernaret, & in pace poſsideret, ille qui uocabatur Othmanbeg, incœpit terram ſuã & fines eius dilatare, & eius qui iuxta eum erat à parte orientis, terram inuadere. Cui cum ille reſiſtere non poſſet, relicta terra ſua fugit, & ad illum qui Karamanbeg dictus eſt, ſe contulit.

Ortus Mahometi.

Ludouicus Imperator.

Soltanus.

Othmanbeg.

Igitur

Igitur Othmanbeg illius terra obtenta, conuertit se ad inuadendum terrã illius qui iuxta eum erat alia* parte, & eo, *ut priore, expulso, transijt ad tertiũ, & ad quartũ, & ad quintum. Et sic omnium aliorũ terras ipse solus obtinuit, excepta solum illius qui Karamanbeg dictus est. Et hoc ideo, quia isti qui à facie eius fugerant, eidẽ auxilio erant: tum etiã, quia terra ipsius multũ ad expugnandũ difficilis erat, tũ etiam (ut magis credendum est) Deo sic placuit. Sic enim olim* in terra Chanaan aliquas gẽtes deus inuictas dimisit, in quib. exerceretur Israel: sic etiã illi facere uoluit. Nam usq; in hodiernum diẽ inuictus perseuerat, & multas insidias & obstacula ei præbet. Nisi enim cũ eo pacem Turcus habuerit, nequaquam audet se contra alium ad bellum mouere. Quod si fecerit, immediatè ille terras suas inuaderet. Ter enim, me adhuc ibi dẽ existẽte, descendit, & illius terras inuasit, & multa uastauit, combussit, & diripuit. Ille etiam cũ cõtra eum pluries ascenderit, tamẽ modicum profecit. Vna autem uice cum tanta furia & indignatione ad eũ exterminandum cum magna multitudine exercitus perrexit, inter quos (ut dicebat) erãt xx. milia peditũ, portantes secures & alia instrumenta, ea intentione, ut terrã illius penitus euerteret, incisis arboribꝫ & uineis, ita quod amplius inhabitari nõ posset: & tamen reuersus cõposita pace, omnia intacta reliquit. Vnde ex hoc potest haberi certa coniectura, & cõmune prouerbium habetur inter eos quod Karamãbeg stabit in ęternum. Illi igitur Othmanbeg (& posteri eius, qui ab eo nomẽ acceperunt, & Othmanogli dicti sunt, id est, filij Othman) usq; hodie est rex & dominus totius Turciæ, & in tantũ profecit, & quotidie ꝓficit, ut nõ solum in oriente, uerumetiam in occidẽte iam eius timor habeatur. Et licet ipsum Tartarus magnus de orientalibus procedẽs semel superauerit, ut solitus erat dominus meus narrare, quia adhuc ultra mare nihil obtinuerat, & ideò non habebat potentiam resistendi: tamen istis tẽporib. tantæ est potentiæ, ut eo potẽtior nõ inueniatur, nec audiatur in orientali plaga. Cæterũ omne regnũ ultramarinũ adhuc usq; hodie in septem regiones diuisum, uocabulis priorum inhabitatorum nuncupatur scilicet Othmaneli, Ermeneli, Germaneli, Czarchaneli, Andingeli, Mentheschelí, Karamaneli.

*latere prioris modo*

*in deserto*

*Prouerbium de Karamanbeg.*

*Othmanogli.*

*Tartarus.*

## QVOMODO MVLTIPLICATA SIT SECTA *Turcorum, & quomodo hoc nomen Turcus acceperit.* Cap. II.

DE secta autem Turcorum, hoc quod in pręcedenti capitulo tactum est, quod uidelicet hæc secta fructum maliciæ suæ, à culpa Christianorum Christi fidem negantiũ, consecuta sit, eo ordine quo nunc quotidie apertissimè conspicitur fieri, eodem etiam ordine tunc factum fuisse, nulli dubiũ esse potest. Vnde sicut dictum est, cum Sarraceni uel Mahometistæ incœpissent Christianos persequi, & terras eorũ occupare, multi ex Christianis, uolentes declinare persecutionẽ eorũ, seipsos eis sponte tradiderũt. Et hoc patet, quia adhuc usq; hodie multa castella & oppida sũt in Turcia, de illis antiquis Grẽcis sub dominio Turci, quę se tunc sponte tradiderunt, ideoq; intacta permanserunt. Vnde factum est, ut ipsi Christiani eis auxilio fierẽt ad persequendos alios, seu cęteros Christianos. Et sic eorum culpa cœpit secta Turcorũ crescere, propter censuras Ecclesiasticas, quas nõ timebant incurrere. Et quia ipsi Christiani erãt, incœperũt sub quadã pietatis specie deuictis Christianis parcere, & eos in seruos & ancillas sibi retinere. Et ex tũc incœpit illa impia auiditas possidẽdi seruos & ancillas, quę usq; hodie in ipsa secta perdurat. Tandem ista secta illius pietatis culpa in tantũ excreuit, ut malicia Christianorũ

in

in persequendis cæteris Christianis, excederet malitiam infidelium, & in hoc eorum magistri fierent & prælati, & in culpa discipulos haberent, quos ad perdendum animas magistros ipsi habuerant.

Et ex tunc intrauit ille nouus & spiritualis Mahometus, nuncius Antichristi: & cœperunt iam ipsi non Saraceni, sed Theorici, id est, spirituales, nomen habere, eo quòd in attrahendis Christianis ad suam maliciam, & auertendis à fide Christi, & societate Ecclesiæ, quasi supernaturalem uiderentur habere efficaciam. *Turci theorici*

Cum igitur Ecclesia eos corrigere per publicas censuras decreuisset, ipsi culpam suam excusare, & seipsos iustificare cœperunt dicentes, se Ecclesiæ in hoc multum seruire, eo quòd Christianos ab incursu Sarracenorum custodirent. Et tunc addita est eis secunda malicia, scilicet ficta humilitas, † hoc est sui ipsius, sub specie humilitatis, contra Ecclesiam erectio, cuius * primum est exterior apparentia in moribus, & exemplaritas simulata, & religionis ficta ostentatio. Et ex hoc hypocritæ nomen & rem sibi non immeritò uindicauerunt. † *& sui ipsius* * *præmium*

Cum igitur procedenti tempore, crescente culpa eorum & malicia, Ecclesia uideret eos obstinatos, brachio seculari armata contra eos processit. Sed ipsi non cognoscentes, sed defendentes culpam suam friuolam, Ecclesiæ publicè restiterunt. Et habita contra eam uictoria, terras Christianorum inuaserunt, & more tyrannico omnia deuastantes, totum Orientem obtinuerũt. Et ex tunc hostes Ecclesiæ & inimici Dei facti, ab unitate Ecclesiæ diuisi, ipsi humani generis inimico se subdiderunt. Cuius demum auxilio & potentia freti, etiam uirtutibus & falsis miraculis clarere inceperunt: ut scilicet præmium suæ desperationis consecuti, & in obstinatione omnium malorum confirmati, citius & facilius ualerent imperio diaboli parere, & ad eius libitum animarum perditionem operari. Et ex hac sanctitatis specie etiam tertium nomen acceperunt, ut scilicet idolum uocarentur & essent. *Falsis miraculis clarere Turcos.*

Sed quod tale fuisset initium huius sectæ, apparet in figura Apocalypsis decimo tertio, ubi ultimæ persecutionis forma ponitur in figura bestiæ ascendentis de terra, habentis duo cornua similia agni, & loquentis sicut draco. Ista enim bestia ascendit de terra, quia à soliditate & firmitate catholicæ fidei orta. Habet duo cornua similia agni, maliciam inuidiæ sub specie pietatis, & nequitiam superbiæ sub specie humilitatis & obedientiæ consecuta. Loquitur sicut draco, quia opera falsorum miraculorum uirtute diabolica se facere ostendit. *Locus ex Apoc. 13.*

Nunc demum uide, quomodo ecclesia Antichristi per omnia similitudinem tenet Ecclesiæ Christi, licet peruerso modo. Illa enim pro fundamento suo habet opus sanctissimæ Trinitatis, unicuicq; personæ proprium attribuens. Nam prælatura ecclesiastica, est opus Trinitatis attributum patri. Exemplaritas, quæ per incarnationem & obedientiam fuit, est opus Trinitatis attributum filio. Miraculorum autem operatio, est opus Trinitatis attributum spiritui sancto. Ad hæc enim tria omnia reducuntur, quæ ad salutem animæ pertinent. Ad ista etiam tria, quæ de principio ecclesiæ Antichristi suprà diximus, reducuntur omnia etiam quæ de necessitate fiunt ad damnationem totius hominis.

QVAM TER-

## QVAM TERRIBILIS, QVAMQVE TIMENDA sit secta Turcorum. Cap. III.

CVm tam multa, imò ferè omnia huius temporis accidentia & occurrentia nobis persuadeant, nos debere esse solicitos, & doceant finem mundi timere, præsertim cum nobis certum sit quòd nos simus in quos fines seculorum deuenerunt: sacra quoque scriptura utriusque testamenti, præsertim ipsa Apocalypsis, hoc ipsum nobis persuadet. Illæq; terribiles & horribiles figuræ Danielis & Ezechielis: quæ nobis non tam ad sciendum & intelligendum, quàm ad timendum de ultimorum temporum periculis scriptis mandatæ sunt. quorum etsi materia descriptionis terribilis sit, effectus tamen multo terribilior sine dubio credendus est. Dispositio quoque huius mundi, eius senectutem & propinquum iam finem nobis apertè demonstrat: scilicet in omni statu pronitas ad malum, difficultas ad bonum, auiditas prælaturæ, tarditas obedientiæ, artium quoque curiositas, ædificiorum uaria superfluitas, & in scientijs præsumpta nouitas, & in omnibus denique rebus superaddita antiquitati noua uanitas. Sed inter hæc omnia illa cruenta bestia (sectam dico Turcorum) nos multum solicitare deberet, cuius continuum augmentum, assiduitas præliorum & persecutionum, diuturnitas durationis, non aliud quàm aliquod grande discrimen & scandalum, tribulationesq; & miserias extremas denunciat. De quibus tamen omnibus quasi nihil curamus, non ob aliud certè, nisi quia abscondita sunt ab oculis nostris, testante abbate Ioachim, super illud Apocalypsis decimo tertio: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea? ita dicente: Heu heu, quot esse arbitror natos in mundo, qui tantæ huius calamitatis angustias non euadent? & nunc abscondita sunt ab oculis eorum. Infœlices matres quæ tales genuerunt, & ubera quæ lactauerunt filios: miseri parentes, qui pro talibus thesaurizant, nescientes quòd cogitet Dominus malum super diuites terræ. Audite, audite obsecro uos omnes qui diligitis natos uestros, audite omnes, qui paruulos delicatè nutritis. Docete filios uestros habitare in syluis, uiuere in deserto de radicibus herbarum: delicias affluentes derelinquere, & carnis epulas deuitare, ut discant commorari cum feris, donec pertranseat indignatio ista. Hæc ille. Certè credo, quòd sicut tempore Noe incredulos aquæ diluuij repentè occupauerunt, sic istis temporibus faciet incautos magna quindicta & uniuersalis indignatio diuina, ineuitabilis & sempiterna. Istam quoque extremam necessitatem Saluator in Euangelio docet declinare & fugere, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Et sequitur: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. & dicit notanter, Postquam occiderit, nõ determinans. Non enim illa persecutio occidit modo humano, sed diabolico. Communis enim modus occidendi est, corpus & animam ab inuicem separare: inhumanus autem, imò diabolicus est, animam occidere, & ad inficiendum alios suo fœtore homines, quasi cadauer putridum, eam in corpore uiuo sepelire. Sicut enim in electis exterior exemplaritas uirtutis ad profectum animarũ est bonus odor CHRISTI, animæ sanctæ in corpore degentis: sic nimirum in reprobis, simulatio uirtutis exterior ad decipiendum animas, est fœtor animæ in corpore uiuo existentis. Hæc sunt sepulchra dealbata, quorum fœtor infidelitatis totum orientem infecit, & nunc se incipit trãsfundere in occidentem. Sed terribile est ualde quod sequitur: Habet potestatem mittere in gehennam. O inaudita malitia, ô nequitia excedens omnem diaboli astutiã. Quis enim crederet, diabolum posse cogere homines ad faciendum malum? Ista tamen malitiosa secta non cum uiolentia, sed longi temporis cõsuetudine uoluntatẽ libertatis aufert, animi firmitatẽ frangit,

*Figuræ Danielis & Ezechielis.*

*Signa finis mũdi.*

*Ioachim Abbas.*

*Apocal. 13.*

*Matthæi 10.*

*Matthæi 23.*

cordis

cordis constantiam uincit, & in tantam cæcitatem perducit rationem hominis, ut fidem, pro qua prius paratus erat mori, postea infectus & deuictus turpiter negare cogatur. Quis huius potestatis malitiam ualet euadere? tantæ enim est † uio- *† uehementiæ*
lentiæ & crudelitatis, ut anima in corpore existente, utrunq; hominem occidat, & mittat in gehennam. Quomodo enim uiuere dicendus est, qui toties mortis periculo expositus, aut pecunijs uenditus, toties sui iuris proprietatem amisit? Aut quomodo uiuere dicendus, qui mortem toties desiderauit & quæsiuit? Certè si mihi creditur experto, tot mortibus interij, quot inter Turcos uixi dies. Sed non satis dixi. Si enim ouis in manibus lupi uiuere per horam non potest, inter quos est solum inimicitia naturalis: quomodo Christianus in manibus Turci uiuere potest, inter quos etiam est inimicitia supernaturalis, uel spiritualis? Hoc malum persuadeo unicuiq; Christiano, quantum possibile est, declinare: ab hoc fœtore unumquenq; fidelem longè esse consulo. Tanta est enim eius intentio, ut ad intima cordis penetret, nec etiam ipsius animæ præcordia infecta derelinquat.

## QVOMODO DIFFERANT INTER SE, *persecutio corporum & persecutio animorum.* Cap. IIII.

VT autem uideamus quomodo differant ecclesiæ prima persecutio, & ista ultima, non incongruè applicari potest figura Apocalypsis 13. Ibi enim fit mentio de duabus bestijs, quarum prima de mari ascendisse dicitur, altera de terra. Et illius quæ de mari ascendit, terribilis quidem aspectus, non tamen terribilis describitur in facto. Sed illa quæ de terra, licet non terribilis multum in aspectu, tamen multum terribilis in facto describitur. Et quia sicut cultus diuinus dupliciter consideratur, scilicet accidentaliter & essentialiter: sic ad eius persecutionem duplex modus persequēdi necessarius fuit. Sicut in his duabus bestijs patet. Fuit igitur primò cultus ueri Dei impugnatus ab idololatria in accidētalibus, & ideo omnia de prima bestia ad exteriora pertinent. Consistit enim cultus diuinus accidentaliter in compositione morum, in humilitate & paupertate, continentia, castitate, frugalitate, sobrietate, pietate, uigilijs & orationibus, oblationibus, sacrificijs, eleemosynis, peregrinationibus, ecclesiarum ædificationibus, & custodijs, & his similibus, quæ corporaliter exercentur. Contra talia armauit se gentilitas cum exteriori & materiali apparatu. Vnde in prima bestia describuntur decem cornua cum decē diadematibus, & septem capita, cum nominibus blasphemiæ. In quibus decem cornibus potest designari omnis potentia, quæ consistit in rebus terrenis acquirendis, gubernandis, dispensandis, expendendis, custodiendis cum omni sufficientia, in omni pompa quæ ad hoc pertinent. Per diademata eorum efficacia in omni pompa & gloria, & ornatu, quem consecuti fuerant Romani gentiles in dominio totius orbis, accipi potest. Per septem capita non incongruè omnis industria, prudentia, astutia, qua pollebant ad subijciendū sibi populum & regendum, designari potest. Nomina autem blasphemiæ, quid aliud, nisi patrocinium, adiutorium, & fauor, quem habebant à dęmonibus, quos colebant super malitijs contra ecclesiam perpetrandis, dici possunt? Et sic breuiter in istius bestiæ figura, continetur omnis illius primæ persecutionis malicia contra ecclesiam, ad euacuandum cultum Dei. Sed hoc quod dicitur de capite quasi occiso in mortem, cuius tamen plaga mortis curata est, significatur, quod illius persecutionis malitiosa intentio, nequaquam effectū habuit. Quia dum ad euacuandum cultum ueri dei, Martyrum corpora immanissimis subegit supplicijs, & eos uarijs mortibus interfecit, non solum nihil obfuit persecutio illa: sed quantū ad meritum uitæ æternæ animabus & corporibus sanctorū magnum obsequium præstauit. Et propter hoc plaga mortis eius curata est, eo quòd per orationes ecclesiæ

*Apoca. 13.*

*Cultus dei duplex, eiusdēq; item duplex impugnatio.*

*Bestiæ primæ typus.*

*Cur plaga mortis eius curata.*

impedita est, ne culpa eius ad ultimum excessum attingeret, ut scilicet inimicus Dei fieret, & plaga eius incurabilis fieret, quia tunc ecclesiæ orationes ei auxilium esse contra diabolum non possent. Vnde factum est, ut gentilitas propter fidem Christi impugnatam, demum meretur præmium suæ persecutionis accipere.

Secunda autem persecutio, quia diuini cultus essentialia impugnare debuit, armis se spiritualibus munuit. Diuinus enim cultus essentialiter in anima & suis potentijs consistit. Et ergo non immeritò istius secundæ bestiæ duo cornua similia agni describuntur, in quibus simulatio uirtutis & sanctitatis exprimitur, contra duas potentias animę. Et quod loquebatur sicut draco, per quod falsorũ mira culorum & uirtutũ operatio, contra tertiam potentiam animæ designatur. Quod autem ignem de cœlo descendere fecit in terram, illud inordinatum desiderium supernaturalium experientiarum, quæ solent istis temporibus abundare in mentibus simplicium, & curiositas ad perscrutandum secreta Dei, possumus non incongruè accipere. De imagine autem & charactere bestiæ talem interpretationem formare licet. Nam qui propter bona quæ facit, reuelationes uel uisiones spirituales expectat, uel consequitur, characterem bestiæ in dextera & in fronte portat. Et sicut prima persecutio totum mundum sua culpa participem fecit, sicut patet in Romanis, qui per totum mundum idololatriam dilatauerunt: sic persecutio secunda suæ malitiæ peste, quasi neminem non infectum relinquit. Quis enim simplicium uel idiotarum, sentiens in se aliquid uel modicum deuotionis, non statim desiderat habere reuelationes, uisiones, uel scire secreta Dei? Sed de desiderio inordinato & appetitu dignitatis ecclesiasticæ & honorũ quid dicam? Est ne inueniendus aliquis, qui sibi oblatum quodcunq; beneficium ecclesiasticum, non sine omni mora & sine omni scrupulo ignorantiæ, uel insufficientiæ immediatè non acceptet? Sed de his qui talia tyrannicè inuadunt, uel pro pecunia emunt, uel alijs illicitis modis sibi usurpare non timent, nihil audeo dicere, nisi hoc quod in ista figura ponitur: ut ne quis posset emere uel uendere, nisi qui habeat characterem bestię. quasi digito demonstrans præsentem ecclesię statum, in quo nihil reperitur, quod à uitio simoniæ sit alienum. Sed nunc in hoc concludendum est, quod licet inter Turcos personaliter non sint, omnes tamen reprobi, mentaliter ab eorum consortio in culpa non sunt disiuncti.

*Bestiæ secundæ explicatio.*

*Bestiæ character.*

*Romanorum idololatria.*

*Simonia in ecclesia.*

## DE SOLICITVDINE, QVAM HABENT *Turci ad inuestigandum & rapiendum Christianos.*

*Cap. V.*

CVm igitur, sicut in præcedenti capite dictum est, illæ duæ persecutiones diuersæ sint, imò oppositæ conditionis, necesse est ut media, quibus exercendæ sunt, diuersa & opposita existant. Primi igitur persecutores non multum laborabant ad inueniendos ipsos Christianos, eo quòd ipsi se eis ultrò offerebant. Tunc enim maioris meriti erant, qui se ultrò persecutoribus offerebant, quàm quos ipsi deprehendebant, uel quærentes inueniebant. Persecutores uerò animarum fugere & declinare, ad salutem necessarium esse, Euãgelium docet, dum eosdem significando dicit: Ostendam autem uobis quem timeatis. Non enim sine culpa esset, ad periculum animæ se ultrò exponere. Ideo nunc de Turcorum industria, uersutia, & nequitia, quam inuenerunt docente eos instinctu diabolico, ad inuestigandos & capiendos Christianos, uidendum est. Vnde Turcus magnus ultra exercitum suum uniuersalem, semper tenet unum exercitum particularem, xx. uel xxx. milia uirorum astutissimorum magis quàm fortium, cui præficit unum de omnibus peritissimis, quos in suo exercitu habet. Qui quasi latrunculi quidã magis nocte quàm in die operantur. Isti nullo anno intermisso,

*Matth. 10.*

*Turcorum uersutia ad capiendos Christianos.*

*Exercitus particularis Turci.*

semel

semel ad minus ad prædam exeunt, aliquando etiam in uno anno bis uel ter, secundum quod commoditas se offert, exire cõtendunt. Et hoc occultè & cum tanto silentio, quod uicini eorum uix possunt eorũ recessum percipere, propter caussam inferius dicendam. Qui quia opus totum cum cursu perficitur, necesse est ut equos suos & proprias personas, cum † certa industria & disciplina sciant ad hæc habilitare & disponere, ita quod etiam si contingat eos per unam totam hebdomadam die noctuq; currere, nihil tamen molestiæ uel ipsi uel equi eorum, ex impetu illius cursus patiantur. Vnde tempore quo ipsis uacat, seipsos & equos suos sic gubernant & nutriunt, ut bene impinguentur & fortificentur. Cum autem intendunt exire, septem uel octo dies ante exitũ suum sibi & equis suis cum una certa disciplina, potus & cibi scilicet restrictione, & quodam moderato exercitio apponunt diligentiam, ut corpulentia & pondus corporale tollatur: & sic sagina interior in medullis remanens, eos habiles & aptos ad cursum reddat. & anteq; exeunt, diuulgant se ad uiam & locum ire, ad quem tamen non intendunt: & hoc propter decipiendos, si aliqui fuerint, exploratores. Et non uadunt, nisi habeant unum aut duos fideles conductores, qui uias & semitas terræ, quò ituri sunt, optimè cognoscant. & cum tanto impetu & uelocitate currunt, quod in spacio unius noctis trium uel quatuor dierum uias pertranseunt. Et hoc ideo, ut si aliqui eos senserint, nullatenus tamen eos præuenire, ad prodendum aduentum eorum possint. De cognoscendis equorum naturis & conditionibus, tantam habent industriam, ut uideantur omnem physicæ artis peritiam ad plenum consecuti. Ad unicum enim respectum, omnes eius defectus & profectus, & cuius sit utilitatis, ætatis & uaḃris, immediatè discernunt. Omitto autem, quomodo non de frigore hyemis, neque calore æstatis, neq; aliquo incommodo aeris uel temporis curant, & quomodo non fastidiunt nec abhorrent asperitatem locorum, longitudinem uiarum: & quod magis mirum est, quomodo non portant de cibo & potu, uel armis uel uestimentis, quod eis posset esse impedimento, sed modicis imò pauciss imis contenti, ad longissima locorum spacia transcurrunt, nec aliqualiter desistunt, donec aliquos incautos inuadant, & satiati † domum redeant. Sed de his rebus hic breuiter dicere uolo, quod ea quæ de eis narrantur, prorsus incredibilia sunt. Nam, ut uerum dicam, nisi me experientia docuisset, & oculis propriis aspexissem, nullatenus quæ de eis audiui, credere potuissem. In hoc autem concludere uolo, quod si eorum astutiæ & actus scriberentur, libri essent compilandi plures. Quis autem cogitare possit, quanto tremore & stupore concutiantur illi, quos sic incautè & inopinatè inuadũt? Certè si ferrea, uel etiam adamantina essent corda, resoluuntur, & totis uiribus destituuntur. Quid enim faceret, uel quò se uertere deberet, qui subitò & inopinatè inimicum suum mortalem, extracto gladio ante se conspiceret? Certè hoc auditu non mediocriter formidabile, sed multum terribile est, sicut ego experientia didici, & propriis oculis uidi. Sed quo fine omnia talia fiunt? non ad aliud sanè, nisi ut incautè & sine sanguinis effusione & occisione hominum, capere, & uiuos possint conseruare corporaliter, quos spiritualiter intendunt occidere. Nisi enim diabolus eis auxilio esset & consilio, nequaquam talia attentare præsumerent, neq; perficere possent. Reputãt enim pro magno damno, si unus homo occidatur. Vnde etiam Turcus magnus, cum sit potentissimus, & multas terras & insulas posset ui armorum capere, tamen ita cauet occisionem hominum, quod potius uult eos habere uiuos & tributarios, quàm cum effusione sanguinis capiendo possidere. Vnde nullo modo occidere uolunt homines, nisi extrema necessitate compellantur, scilicet quando se defendunt, uel fugiunt: sed omnino conantur, ut uiuos capiant. Sic de uno homine duplex rapina perficitur. Turcus enim intendit, uendendo † pro

*cætera Disciplina militaris Turcorũ.*

*Profectionum celeritas.*

*Industria Turcorũ in cognoscendis equis.*

*Turci patientissimi malorũ*

*reuertantur*

*Capere uiuos quàm occidere maius studium Turcis.*

*per corpora suæ necessitati*

corpore suæ cupiditati satisfacere: diabolus autem, fidem auferendo, animam secum in gehennam miserabiliter perducere.

## QVOMODO CAPTOS CONSERVENT, emant & uendant. Cap. VI.

*Emptores & uenditores hominum.*

VT autem facilius & commodius possint captiui conseruari, habent deputatos mercatores per omnes ciuitates ad emendum & uendendũ homines, qui sicut & mercatores aliarum rerum habent priuilegia à rege, ut possint captiuos quoscunq; & à quocunq; captos emere, uendere, impignorare, redimere, secundum statuta regalia, super hoc decreta, sine alicuius uel aliorum impedimento. Neq; hanc emptionẽ solum in ciuitatibus exercent, sed etiam uadunt in campum cum exercitu, portãtes catenas, ut emant captiuos de manibus rapientium. Illi enim qui rapiunt, quia gubernare non possunt, statim uendunt, & pro maiori uel minori precio, secundum copiam uel inopiam captiuorum. Nam aliquando in tanta multitudine capiuntur, ut unus homo (ut audiui ab eis) pro uno pileo uendatur. Illi igitur mercatores eos emunt & gubernant, mittentes eos in catenas æreas, decem uel duodecim in unam catenam. Non est aũt medicus, neq; physicus, qui ualeat istis mercatoribus comparari, in cognoscendis complexionibus & conditionibus hominum. Immediatè enim ut in faciem alicuius inspexerint, cuius sit ualoris, artis, uel fortunæ, cognoscunt. Non solum autem magnos uel prouectæ ætatis, sed etiam paruulos & pueros adhuc in lacte matris, uel etiam eos quos solent proijcere illi qui rapiunt, ne sint eis oneri, inuentos portant in saccis, & nutriunt cum magna diligentia & mirabili industria. Præterea in omnibus ciuitatibus, sicut ad cætera mercimonia, sic etiam ad homines emendos & uendendos habetur forum proprium, & loca ad hoc legitimè deputata. Ad hunc locum & forum, pauperes captiui cum catenis & funibus ligati, quasi oues ad occisionem ducuntur. Ibi examinantur, denudantur. Ibi rationalis creatura, ad imaginem Dei facta, sicut animal irrationale, uilissimo precio uenditur & comparatur. Ibi (quod pudendum dictu) masculorum & fœminarum pudenda coram omnibus contrectantur, & manifestè ostenduntur. Nudi etiam compelluntur coram omnibus incedere, currere, ambulare, & saltare: ut manifestè appareat, utrum infirmus uel sanus, masculus uel fœmina, senex an iuuenis, uirgo an corrupta sit. Et si quos uiderint erubescere, circa illos magis instant, impellendo, uirgis cædendo, colaphizando, ut sic coactè faciant, quod sponte erubuerint coram omnibus facere. Sed de hoc modicum dixi. Ibi uenditur filius, inspiciente & dolente matre. Ibi emitur mater, in confusionem & despectum filij. Ibi marito erubescente, uxor ut scortum deluditur, & alij uiro traditur. Ibi paruulus à sinu matris rapitur, & commotis totis uisceribus mater ab eo alienatur. Ibi non defertur dignitati, nec parcitur statui. Ibi sacerdos & plebeius una pecunia taxantur. Ibi miles & rusticus una statera ponderantur. Initium autem malorum hoc, uide quid sequatur. Emitur & educitur, & unius uilissimi rustici & turpissimi uillani seruitio, uilissimum mancipium perpetuis carceribus condemnatur, nulla amplius est spes libertatis uel requiei, nullũ prorsus solatiũ aut consolatio. Sed & in maioris desolationis opprobriũ, totius domus & omniũ quę in ea sunt onera, suis humeris imponuntur. Et si defectus euenerit, uidebis sicut asinũ uerberibus subijci, & inter uerbera crucis & passionis Christi improperiũ sibi irrogari. De intolerabilibus laboribus taceo, de fame & siti, & nuditatis opprobrio nihil dico: sed hoc solum adiungere uolo, quod & tanta & tam amara est illius seruitutis animæ & spiritus afflictio, quod & mors ei æquiparari nequaquam possit. Quid enim faciet misera anima, cum se cõsiderat ab omni bono impeditam, & omni malo expositam?

*Captiuorũ uenditio & emporia.*

*Attende.*

*Durißima captiuorum seruitus apud Turcos.*

*Attende.*

Videt sibi dominari inimicũ crucis Christi, uidet se oppressam tantis laboribus & uarijs

& uarijs occupationibus: considerat se separatam ab ouili Christi, & traditam in manus & fauces luporum. Denicq; uidet se inclusam perpetuis carceribus, & omni spe frustratam libertatis. Demum uidet se derelictam à Deo, & traditam in manus diaboli. Certè si optio daretur, magis eligeret mori, quàm uiuere. O quàm multi huius calamitatis discrimen non ferentes, in baratrum desperationis ceciderunt. O quàm multi se multis modis morti exponentes, fugerunt, & in montibus & syluis fame & siti perierunt: uel quod extremum malum est, sibijpsis manus inijcientes, uel laqueo sibi uitam extorserunt, uel seipsos in flumen proijcientes, uitam simul corporis & animæ perdiderunt.

## DE AVIDITATE TVRCORVM POSSIDENDI *seruos & ancillas, & de fuga seruorum & liberatione.* Cap. VII.

TAnta est inter eos auiditas possidendi seruos & ancillas, ut in tota Turcia una omniũ uniuersalis habeatur ista opinio, quod quicunq; potuerit possidere unum seruum uel ancillam, egestatem amplius non uidebit. Nec eos fallit ista opinio. nam pro certo credo, quod propter hoc maledictio Dei intrat in domum eius, ut frustratus totaliter spe fœlicitatis æternæ, gaudeat felicitate terrena. Nam & ex tunc tanta insatiabilitas cor eius occupat, ut cum unum possederit seruum uel ancillam, immediatè ad habendum secundum toto cordis desiderio aspiret. Et sic deinceps de secundo ad tertium, de tertio ad quartum: & sic crescente culpa, in infinitum se extendit concupiscentia. Ita quod multi inueniantur, qui uillas de seruis & ancillis constituunt, & seruum cum ancilla coniugio iungentes, domos efficiunt, quatenus ex eis nascentibus filijs & filiabus, suo insatiabili desiderio aliqualiter satis fiat. In tota enim Turcia uix domus inuenitur, quæ uno ad minus seruo uel ancilla careat. Vnde fit ut quantumcunq; in numero & in copia multiplicentur, nunquam tamen ualor uel precium decrescit, imò potius augetur. Et exinde etiam ipsorum raptorum, & etiam mercatorum exercitatur solertia, dum conspiciunt suorum mercimoniorum precium & ualorem ex copia non minui, sed potius augeri. Et sicut dominorum magna est auiditas seruos possidendi, ita & seruorũ est magnum desiderium manus eorum euadẽdi. Nam nihil aliud inter se tractant, non aliud cogitant & loquuntur, nisi quomodo & quò fugiant & euadere possint. Sed cum ipsi domini eorum perpendunt & considerant hoc ex assidua & mutua collocutione, statim incipiũt eis negare copiam alimentorum, ne ex superfluitate sibi ad fugam uiaticum præparare poterint.

*Opinio Turcorum de possidendis seruis.*

Fugiunt multis modis, nihilominus nihil proficiunt. nam uix aliquis fuga euadere potest, maximè de his qui ultra mare ducuntur. Inuenerunt enim ipsi Turci multos & uarios modos eos impediendi, requirendi, & inueniendi. Cum igitur post fugam inuenti fuerint & reducti, duplicatur eis miseria: & si secundò fugerint & fuerint inuenti, iam non est locus ueniæ, sed sine aliqua misericordia uerberantur, cruciantur, & affliguntur. Si autem fugiendo perseuerauerint, uendantur, uel etiam uarijs necessitatibus à fuga coercentur. Nam alij eis cibo & potu negato, & uestimentis, permittunt mori. Alij massam ferri in pedibus apponunt. Alij colla catenis constringunt. Alij combustis neruis claudos eos reddunt. Alij abscisis auribus & naso, inutiles & deformes reddunt, & notabiles. Alij etiam crudeliter gladijs occidunt, & interimunt. Sed huic incommodo quoddam remedium inuentũ est, quod tamen non omnes, sed solùm sapientiores & † maiores eorum obseruant. Vt enim eos à fuga compescere, & stabiles reddere possint, inducunt eos ad accipiendum pactum libertatis. Quod cum facere contenti fuerint, ducunt eos ad iudicẽ ordinarium loci illius, & conueniunt cum eis pro certo termino tẽporis, & quantitate pecuniæ, & firmato super hoc pacto coram iudice

*Captiuos in Turcia difficilimè effugere posse.*

*mitiores*

*Pactum libertatis.*

& testibus, & chirographo confecto, reddunt eos securos de libertate habenda. Cum igitur hoc quod in pacto est, persoluerit, iudex cum authoritate Imperiali perpetua donat libertate, cum instrumento solenni, quod nemini aliquatenus licet infringere. Per istum modum & ego liberatus fui. Hæc autem libertas præteritis temporibus erat uniuersalis & larga, ita quod potuissent ad libitum in Turcia stare, uel reuerti ad patriam. Istis autem temporibus restricta est, ita quod liberatis non licet reuerti ad patriam, sed solùm manere in Turcia. Et ergo post habitam libertatem, magna est difficultas posse exire, eo quòd in omnibus locis, siue portibus maris, siue alibi, interdictum habetur à rege, quod nequaquam dedi-

*Euadendi duo modi.*

ti libertati, permittantur ad patriam reuerti. Sunt & alij quàm plures modi euadendi, inter quos sunt duo etiam magis usitati. Quorum prior est, quod illi qui possunt habere commoditatem acquirendi pecuniam, possunt à sacerdotibus, peregrinis, & uagantibus huiusmodi literas emere, & sic occultè recedere. Secundus est, quia sunt quidam fures, sub specie mercatorum illorum qui uendunt homines, euntes de terra in terrã, qui cum inuenerint seruos uel ancillas fugere uolentes, recipiunt eos furtim, & uendunt ad loca remotiora: & si quos inuenerint magis aptos, faciunt cum eis pactum, & postquam ter aut quater isto modo uenderint, liberos cum literis permittunt abire. De illis autem qui liberantur, pauciſsimi ad patriam reuertuntur, quia iam ibi familiaritatem contraxerunt: uel etiam propter difficultatem recedendi, ut suprà diximus.

## DE HIS QVI NON INVITI NEC COACTI, *sed sponte huic periculo se obtulerunt, uel ingerunt.* Cap. VIII.

SEd si de his, qui quotidie inuiti, deuicti & coacti abducuntur, secta illa fulcimentum & augmentũ recipiat, tamen culpa eorum in immensum excedit facinus illorum, qui tanq; arida ligna huic insatiabili incendio, sine contradictione seipsos exponere non desistunt. Sed isti dum sponte se quotidie in tanta multitudine ad negandum fidem ingerunt, non solum sibi, sed etiam cæteris incitamentum ruinæ fiunt. De quorum generatione ad plagam Aquilonis quatuor uel quinq; magna regna sunt sita, quorum terras licet Turcus ipsis deuictis, longo antè tempore possederit, tamen eos propter amplitudinẽ & latitudinem nequaq;

*Bosna.* cum Turcis adhuc implere potuit. Quorum hæc sunt nomina: Bosna, Arnant,
*Arnant.* Laz, Slauonia, Albonia. Vnde usq; hodie gentes illæ terram suam sub dominio
*Laz.* ipsius Turci inhabitant: sed propter tributa annualia, & onera grauia, & multas
*Slauonia.* incõmoditates, quas patiuntur, ita depauperati sunt, quod uix se nutrire possunt.
*Albania.* Vnde fit, ut egestate compulsi, annuatim tempore laboris ueniant, & per ciui

*Ecce Gog & Magog.*

tates Turcorum dispergantur, ut inopiæ suæ, more mercenariorum, & aliquatenus ualeant cũ sudore laboris subleuamen inuenire. Et hi, si intẽperies aeris non obstiterit, in tanta ueniunt multitudine, quod iam nõ pro alia mercede, sed solùm pro uictu laborare contenti sunt. Et istis faciliter persuadetur, ut non recedant. Ideo quod illius idiomatis & generationis tanta iam ibi creuerit multitudo, & ma-

*Edrenopolis Andrianopolis ciuitas regia.*

ximè in ciuitate regia, quæ † Adrianopolis dicitur, quòd ferè omnes masculi & fœminæ, parui & magni, hoc idioma loqui didicerunt. Nam in curia ipsius regis uix aliquando idioma Turcorum auditur, eo quòd tota curia & maior pars magnatorum ex renegatis illius idiomatis congregata existat. Præterea Turcus ma-

*Ex præda captiuorum rex Turcorum decimas accipit.*

gnus ab omni præda & rapina captiuorũ decimas suas habet, & cum senserit copiam esse illorũ, præcipit ut omnes iuuenes à xx. annis & infrà, pro parte decimę, quæ ad eum spectat, sibi offerãtur. Sed & per omnem terram sui dominij adhuc multi sunt de Græcis antiquis, & alijs nationibus, qui castella & oppida plurima inhabitant, & ab omnibus statutis & oneribus aliorum dominorum liberi & exempti, ipsius regis seruitijs intendunt, & ad eius curiam pertinent. Horum filios

à uiginti

à uiginti annis & infrà ætatis, missis nuncijs de quinquẽnio ad quinquennium sibi adducere præcipit, & iubet, ut distributi per curias magnatium suorum, in moribus & ritibus & in armis erudiantur & exerceantur. Qui dum circa xx. annos uel amplius ætatis peruenerint, reductos ad curiam suam, in stipendium suum eos recipit, & sibi famulari facit. Tales eorum lingua Gingitscheri uocantur. *Gingitscheri.*
Et habentur aliquando in curia regis xxx. uel xl. millia. Portant quædam insignia in uestimentis, & maximè in capite. Portant enim pileos, uel mitras albas, quibus nemo audet uti, nisi sit de curia regis. *Insignia aulicorum.*
Et ex illis habentur electi sagittarij, v. uel vi. milium, qui arcum sinistra manu trahunt, & uocantur Czolaclar, id est sinistrarij. *Czolaclar.*
Isti habent arcus tantæ fortitudinis, quod sagittæ eorum omne scutum & loricam penetrãt. Et immediate incedunt ante regem. Et dum rex procedit ad campum, his omnibus quasi quodam castro utitur. non enim se mouet ad pugnam. Et si omnem exercitum suum frangi contingat, nihilominus ipse cum suo exercitu uictoriam non amittit. Sicut audiuimus factum in isto magno trium dierum & noctium conflictu, quem habuit cum rege Poloniæ, ubi licet exercitus suus communis totaliter dispersus fuisset, & uictus, tamen ipse finaliter cum suo exercitu uictoriam obtinuit. *Conflictus Turcorũ cum rege Poloniæ.*
Ex istis iam dictis seruis suis, secundum uirtutem expertam in eis, promouentur ad officia regni sui. Vnde fit, ut omnes sui magnates & principes totius regni, quasi quidam officiales, & non domini uel possessores sint à rege constituti: & per consequens ipse solus dominus & possessor, & legitimus dispensator, distributor & gubernator sit totius regni. *Turcus magnus solus imperat.*
Cæteri uero executores, officiales, & administratores secundum suam uoluntatem & imperium? Habet autem inter alios dominos, duos maiores, qui omnibus alijs præsunt. Vnum citra mare, & alium ultra mare, qui secundum suum imperium & uoluntatem habent omnia negocia regni expedire: qui uocantur Beglerbegi, quasi domini dominorum. Et exinde procedit, quod in regno suo, quamuis sit innumerabilis multitudo, non potest oriri aliquid contradictionis uel repugnantiæ, sed quasi uir unus in omnibus, & per omnia uniti, ad unicum eius imperium respiciunt, subijciuntur, & indefesse famulantur, & sine authoritate eius nemo aliquid intendit præsumere. Si autem aliquis, siue magnum, siue paruum attentauerit, eo facto priuatus omni beneficio, & reuocatus ad curiam, priori seruituti subijcitur, si non fuerit maior pœna infligenda: sin autem † ad libitum eum occidit, & carceri deputat, uendit, & in seruitutem redigit, sine alicuius contradictionis respectu, uel personæ. *Beglerbegi.* *Obedientia & cõcordia Turcorum.* *ad libidinem*
Nunc uero ex hoc quisq; cognoscere potest, quod illorum reproborum & iniquorum concordia, nõ ex aliquo commodo accidentali, uel exteriori procedit, cum sint illius crudelissimi tyranni seruitio & regimini taliter & cum tanto timore mancipati. Sed ex quodam essentiali & interiori fundamento & caussa, quæ est desperatio de bono, & obstinatio in malo: ad quam suis culpis exigentibus deuenerunt, quasi inebriati, et quodam instinctu diabolico constricti & adunati à furore iusti iudicis, cuius calicem indignationis biberunt, ut in finem maliciæ & totius peruersitatis possint sine intermissione & impedimento currere, & locum suo domino diabolo & Antichristo præparare. Qui cum eorum malæ intentionis mẽsuram impleuerit, & omnium reproborum & iniquorum in se personam recipiens, maliciam, qua dei ecclesiam impugnauerunt, ad plenum perfecerit, ita ut se ab omnibus pro Deo adorari faciat: tunc interficiet eum Dominus IESVS spiritu oris sui, ut ipse cum suis membris † seruitutem sentiat punientis, qui patientiam Dei contempserunt, tamdiu ad pœnitentiam expectantis, &c. *Vnde ista concordia oriatur* *2. Thess. 2.* *seueritatem*

## DE MOTIVIS, PERSVADENTIBVS ISTAM sectam † præferendam fidei Christianæ, & de multiplici genere eorum. Cap. IX.

& præferentibus

MOtiua autem istam sectam, & hunc errorem persuadentia, sunt in duplici specie, scilicet naturalia & supernaturalia. Naturalia iterum duplicia, scilicet uniuersalia & particularia. Vniuersalia sunt duplicia: alia cõiecturæ, alia experientiæ. Coniecturæ sunt, quæ contingunt à remotis, & solũ ex auditu: experientiæ uerò, quæ ex uisu & sensu percipiuntur. De motiuis cõiecturæ, dicit Abbas Ioachim, super illud Apocalypsis 13. Et uniuersa terra admirata est post bestiam. Licet illud in die suo complẽdum sit, iam tamen non desunt plurimi, qui admirentur, & quasi titubare incipiunt dicentes: Quod esse creditur hoc iudicium, quòd tãta multitudo aduersatur fidei, & quod ita præualere permittitur cõtra populũ Christianum? Putas tot millia hominũ damnãdi sunt, quasi unus homo? putas sine causa permittit Deus, illos in tantam excrescere infinitatem?

Apocal. 13.

Scandalum infirmorum.

Hæc dicentes, miseri ceciderunt à fide, nescientes id quod scriptũ est: Quàm
„ magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes
„ tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Cum exorti fuerint peccatores ut fœnum, & apparauerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in seculum seculi: Tu aũt altissimus in æternum Domine. Hoc uerò nesciunt stulti, qui admirantur post bestiã, & † deserunt fidem Christi, inclinantes se bestiali potestati, & transeuntes ad immundiciam eius, & ipsius se perfidiæ hæredes faciunt. Hæc ille. Hic Abbas Ioachim ponit quatuor motiua coniecturæ. Primo enim sic audientes potentiam ipsius Turci, & uictorias eius contra Christianos, & multa mala quæ facit quotidie, admirantur & dicunt: Quomodo tanta multitudo contrariatur fidei? quasi dicerent, Cum ipsa ueritas semper præualeat errori, & magis est amata & desiderata ab omnibus, non est possibile, quod tam multi eam impugnent. Ergo ubi multitudo, ibi ueritas. Secundo sic: Quomodo possunt præualere ueritati, cũ Deus semper sit adiutor ueritatis, uel ipsam tenentiũ? Ergo qui præualent, tenent ueritatem. Tertio sic: Quomodo possibile est, quod possent sic multiplicari & crescere, cum omnis error sit sine fundamento, & sic non potest multiplicari? Ergo, &c. Quarto sic: Quomodo Deus permittit, ut tanta multitudo transeat in perditionem, cum ipse uult omnes homines saluos fieri? Ergo, &c. Istis motiuis uel conceptibus respondet & ipse Abbas Ioachim, per dicta Psalmistæ dicentis: Quàm magnificata sunt, &c. quasi diceret: Cum ipsa natura pro modico grano conseruando & nutriendo, in immensum faciat multiplicare paleam & stipulam, & tamen in hoc non errat: quid mirum, si Deus propter salutem paucorum iustorum, multos reprobos patitur & supportat? Sed hoc non considerant insipientes, qui pro suis phantasijs & cogitationibus, uolunt iudicare de diuinis operibus incomprehensibilibus.

Deseruerunt

Abbas Ioachim.

Psal. 91.

Motiua experientiæ sunt duplicia, scilicet uniuersalia & particularia. De uniuersalibus motiuis experientiæ notãdum, quod tentationes quæ fiunt per experientiam uisus, uehementius se ingerunt quàm illæ quæ per auditum & coniecturam percipiuntur, de quibus iam breuiter dictum est. De his autem quæ per uisum & experientiam fiunt, nunc diligentius est insistendum. Vnde pro fundamento ipsius materiæ hic aduertendum est, quod in moribus exterioribus æqualiter se habent boni & mali, licet inæquali intentione: quia sicut bonis omnia cooperantur in bonum, ita econuerso, omnia malis in malum. Vnde si boni bonis polleant moribus, ad exemplum uirtutis facit: si autem prauis, ad custodiam uirtutis interioris uel humilitatis facit. Reprobi autem bonis moribus

moribus ad decipiendum, malis autem ad corrumpendū animas fidelium utuntur. Vnde de primo dicitur: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. De secundo autem: Corrumpunt bonos mores, colloquia praua. Quis enim, non dico simplex tantum, sed etiam sapiens quisq; non moueretur prima fronte, uidēdo tantam compositionē morum in ipsis infidelibus? Omnem enim leuitatem, in quibuscunq; actibus eorum & gestis, uestitu & apparatu, detestantur sicut ignem, & abominantur sicut pestem. Videntes enim leuitatem Christianorum in uestitu & equitatu, & alijs quibuscunq;: derident, & eos capras & simias uocant. Honestissimū enim modum, imò religiosissimum habent in uestitu, tam mares quàm fœminæ, tam maiores quàm minores, tam curiales etiam quàm ipsi rustici & uillani. Et ita cōmunem & simplicem, ut omnino nihil indecentiæ uel inhonestatis, seu superfluitatis uel curiositatis, uel leuitatis possit in eis deprehendi uel notari. De his autem qui religiosiores et deuotiores habentur, quid dicam? Tantum enim simplicitatis & conformitatis & singularis apparentiæ & exemplaritatis ostendunt in actibus, gestis, & motibus & uestimentis, ut eos aliquem modū regularis obseruantiæ crederes professos. In equitatu etiam & alijs apparatibus, non solum simplices, sed etiam ipsi magnates, in tantum deuitant omnem strepitum & rumorem, ut nullo modo aliquis equitet equum, qui non sit castratus. In uno enim exercitu centū mille equorū, non audiretur unus minimus rumor uel strepitus alicuius equi. In sellis & in frenis nulla prorsus curiositas, nulla uanitas uel superfluitas habetur. In omni apparatu equorum simplicissimum tenent modū. Nullus armatus incedit, dum ad campum exeunt, sed omnia arma eorum in sarcinis deferuntur camelorū & mulorum. Nullus discurrit, nullus cum equo saltat uel tempestat, ut est moris Christianorum. Ipsi denicq; magnates & principes ita simpliciter se habent in omnibus, ut ab alijs discerni non possint. Vidi regem euntem ad ecclesiam per longum spaciū à palatio suo cum duobus iuuenibus. Et hoc uidi etiam, ad balneum euntem facere. Nec reuertentem de ecclesia ad palatium aliquis fuit ausus comitari, nec in platea sibi aliquis ausus est occurrere, uel clamare, sicut solēt facere et dicere, Viuat Rex, & huiusmodi. Vidi etiam in ecclesia orantem, non in cathedra uel solio regali, sed super terram, substrato tapecio, ad modum cæterorum sedentem, nec circa eum aliquod ornamentum suspensum, uel ostensum, seu extensum. Nihil omnino singularitatis in uestimentis uel in equo utitur, quo possit † ab alijs cognosci. Vidi eum in exequijs matris suæ, nec possibile fuisset me eum cognoscere potuisse, nisi mihi ostensus fuisset. Habet strictissimè interdictum, ne aliquis eum comitetur, uel ei in uia occurrat, † nisi sua licentia speciali. Omitto multa quæ de eo audiui, quomodo sit affabilis in collocutione, maturus & benignus in iudicio, largus in eleemosynis, & in alijs actibus suis beneuolus. Vnde fratres Christiani in Pera, dixerunt mihi eum intrasse ecclesiam eorum, & sedisse in choro, ad uidendum cæremonias & modum officij. Vnde etiam ipsi missam coram eo, ipso sic uolente, celebrauerunt, & hostiam nō consecratam in eleuatione demonstrauerunt, uolentes eius curiositati satisfacere, nec tamen margaritas porcis prodere. Qui etiam dum cum eis de lege & ritu Christianorum colloquium habuisset, & audisset, quod episcopi præessent ecclesijs, uoluit ut ad consolationem Christianorum aliquem episcopum adducerent, cui ad omnia suo statui necessaria, promisit se fauorem & auxilium sine defectu præstiturum. Quis autem, audiens uictorias, bella, & exercitus multitudinem, gloriam & magnificentiam, talem in eo posset simplicitatem suspicari, uel auditam non admirari?

*Psal. 54.*
*1. Corint. 15.*
*Cōpositio morum in Turcis.*
*Qualis uestitus Turcorū.*
*Vestitus religiosorum.*
*Turci ut untur equis castratis*
*Nullum discrimen personarum inter Turcos.*
*Turcorum regis simplex cultus.*
*Præ*
*sine*

De

Mundicia Turcorum.

MOtiua particularia sunt duplicia, scilicet extrinseca & intrinseca. Extrinseca sunt ea quæ pertinent in primis ad mundiciam. Tantam enim in omnibus exterioribus ostendunt se diligere mundiciam, ut quasi omnia quibus utuntur, suspecta habeantur eis de immundicia. Nam in domibus eorum, ubi ipsi comedunt, nullatenus permittunt, ut habeantur pulli, uel quod intrent canes. Et si casu canis uel pullus tangeret scutellã uel ollam, ex ea amplius nullatenus comederent. Quando uolunt comedere pullum, prius eum sex uel septem diebus faciunt ligatum teneri, & purum granum ad comedendũ ei tribui. Si quodcunq; animal moreretur cui non fuisset incisa gula cum gladio uel ferro, & effusus sanguis totaliter, nullo modo ad comedendum de carnibus eius contingerent. De mundicia autem corporali tanta est cura, maximè illis qui frequentant orationem, quòd in uestibus & in corpore minimam maculam non sustinent. De lotionibus autem, quæ orationem præcedere debent, infrà dicetur, cap. 13. Ea de causa non bibunt uinum, nec carnes porcinas comedunt: quia ut ipsi dicunt, hominem immundũ reddunt. Nullo modo etiam post quãcunq; pollutionem naturalem, aliquẽ secũ permittit loqui, uel se permittit ab aliquo (quantum possibile est) uideri, nisi prius totaliter corpore in aqua mersus, uel aqua perfusus. Vnde propter hoc in ciuitatibus continuis utuntur balneis. Vbi autem non habentur balnea, aliquem secretum locum ad hoc præparatum habent in domibus suis, ut statim possint aqua perfundi antequã domum exeant. Nam pollutũ quemq; Tschumup uocant, per quod notant immundiciã, quæ multũ execrabilis habet apud eos. Motiua intrinseca sunt, quæ ad appetitum & desiderium pertinent. Vnde primo occurrit magna simplicitas eorũ, quam habent in ædificijs eorum. Nullam enim omnino delectationem habent in ædificandis & cõstruendis ædificijs, siue domibus. Et licet sint ditissimi in auro & argẽto, & in pecunijs, tamen omnem superfluitatem & curiositatem ita detestantur, ut paupertatem crederes eos esse professos. Raro est domus aliqua in ciuitatib. de lapidibus, nisi magnorum dominorum, & ecclesiarum, & balneorum, sed sunt communiter de lignis & terra constructæ. Miro etiam modo scandalizantur de Christianis, propter ædificiorum superfluitatem, hi qui ea uiderũt. Cum autem narratur his qui non uiderunt, detestantur, dicentes. Putãt se illi pessimi pagani semper uiuere posse?

Turci uinũ nõ bibũt, nec carnes porcinas edunt.

Lotiones frequẽtissimæ apud Turcos, ut olim apud Iudæos.

Aedificia Turcorum qualia.

In ædificiorũ luxum.

Denicq; ipsi magni domini, quãdo nõ fit conuocatio ad campũ, in æstate exeunt ad loca amœna, & nõ curantes de domibus, habitãt in papilionibus, & insistunt continuis uenationibus & solatijs. Præterea est quædã generatio inter eos, non ad aliud nisi ad nutriendã & custodiẽda pecora operã dans, tenens modũ antiquorũ patrũ: & isti sunt innumerabilis multitudinis, ita ut dispersi per totã Turciam, uix sufficiat eos capere terra præ multitudine pecorũ & bestiarũ. Nõ enim curãt de domibus uel ædificijs, sed circumeuntes terrã, secũdum commoditatem quam exigũt ipsa pascua & aliæ utilitates pecorũ. In hyeme enim ad loca inferiora & calida descendunt, in æstate uerò ad superiora ascendũt loca. Sũt etiam ditissimi & potẽtissimi in tãtum, ut eorum unus cũ familia sua et diuitijs unũ exercitũ armare & expedire possit, & tamen habitãt in uilissimis tentorijs & tugurijs, demõstrantes se nõ esse incolas huius mũdi, sed peregrinos. Et hoc agũt ex quodã instinctu naturali, quod Christiani propter Christũ et fidẽ eius facere deberẽt ex uoto. Nunc secundò occurrit simplicitas quã habent in hoc, quod picturas seu sculpturas omniũ imaginum sic abhorrent & detestantur, ut Christianos qui in his tantum delectantur, idololatras & cultores dæmonum uocent, & in ueritate esse credant. Vnde dum essem in Chio, & ambasiatoribus Turcorum, pro

Turci picturas & sculpturas detestantur.

recipiendo

recipiendo tributo, illuc uenientibus, introductis in ecclesiam nostram, uolebam persuadere de imaginibus, nequaquã acquiescentes. sed omnibus rationibus refutatis, hoc solum affirmabãt, perseuerantes in obstinacia sua: Vos idola colitis. Ludentes etiã pro pecunia, quocunq; modo uel genere ludendi, ita persequuntur, quòd inuentos multis ignominijs afficiunt & puniunt. *Ludentes pro pecunia puniunt*

De illa autem superstitione maxima Christianorum, præsertim in partibus Italiæ, de pingendis & sculpendis armis suis, & scribendis nominibus suis & signis, in tantum generatio Turcorũ est aliena, ut ne uestigium quidem inter eos de hoc possit uideri. *Titulorum & insignioriũ uanitas.*

Nec utuntur sigillis in literis siue regalibus, siue cuiuscunq; alterius, neq; aliquo alio signo quantumcunq; minimo: sed immediatè fidem faciunt, audito solo nomine epistolam mittentis, uel etiam inspecto stilo scribentis. *Nõ obsignant literas.*

Omnia ergo talia & similia, quæ habent notam superfluitatis uel superstitionis, ipsi uana & inutilia, & non necessaria reputantes, abhorrent. Hæc etiam est causa, quòd usum campanarum nequaquam admittunt, nec etiam permittunt ut Christiani inter eos commorantes utantur. *Non utuntur campanis.*

De simplicitate autem quam habent in sedendo, quid dicam? non enim solum ipsi rustici, uel homines plebei, sed & omnes Principes, magnates, uel cuiuscunque dignitatis uel conditionis existant, ipse quoque Imperator eorum, siue ad comedendum, siue quodcunque aliud faciendum, non requirit scamnum uel sedile, uel quodcunq; fulcimentum aliud ad sedendum, sed modo puerorum, honestissima tamen & quadam decentissima compositione, recumbit super terram, deferens ipsi naturæ omnibus æqualiter disponenti. *Simplicitas Turcorũ quã obseruãt in sedendo.*

Mensa eorum, ut plurimum est facta de corio communi attonso, uel etiam de corio ceruino non attonso, rotunditatem præferens, quatuor uel quinq; palmarum latitudinis, habens circulos per circuitum ferreos, quibus introducta corrigia per modum bursæ clauditur, & aperitur, & portatur. Nullus intrat domum, uel ecclesiam, uel alium locum, in quo intendit sedere, nisi discalciatus. Vnde apud eos inhonestũ habetur, ut calciatus sedeat aliquis. Et ut hoc competentius fiat, utuntur quodam genere planellarum (quod lingua eorum Bathmag dicitur) præsertim fœminæ, quod faciliter potest deponi, & iterum recipi. *Quales mensæ Turcorum.*

Et communiter in domibus, siue in ecclesijs, locus ubi sedetur, stratus habetur tapetijs laneis, uel scirpeis, & iunceis: uel etiam, ubi necessitas requirit, habentur tabulata eleuata à terra propter humiditatem uel immundiciam locorum. *Inhonestum apud Turcos, aliquem calciatũ sedere, &c.*

Sed de hoc non taceam, licet cum uerecundia dicam, quàm honeste se habeant extra domum, uel in conspectu populi, sicut solet contingere in campo, ad secreta naturæ perficienda. Vnde ipsi utuntur uestimentis & femoralibus multum largis & longis, in anteriori parte apertis. Et sic etiã in medio exercitus, curuatus ad terram, & reiectis ab intus retrorsum uestimentis, prius detractis †inferius femoralibus, sine aliqua nudatione corporis perficit opus naturæ, ita ut †nec possit deprehendi, uel suspicari quid faciat. Hoc etiam apud eos multum cauetur, ne ad faciendum huiusmodi opus facietenus quis se ad meridiẽ uertat, quò ipsi se solent uertere adorantes. Insuper si quis stando & erectus, modo Christianorum, urinaret uel mingeret, pro hæretico uel excommunicato ab omnibus iudicaretur. *interius*

*uix*

*Turcos uersa facie ad meridiem orare.*

## DE IIS MOTIVIS QVAE ALIOS ATTRAHVNT, *& etiam ipsos in suo errore multum confirmant.* Cap. XI.

Sunt & aliqua motiua alia, quæ non solum alios attrahunt, sed etiam ipsos in suo errore non mediocriter confortant & confirmant: & sunt quatuor. Primum est feruor maximus, quẽ habent ad illius sectæ defensionẽ & propugnationem. Vnde quãdo fit cõmotio ad congregandũ exercitũ, cũ tanta prõptitudine et celeritate cõcurrunt & conueniũt, ut crederes nõ ad bellũ sed ad nuptias inuitari. imò *Turcos tanta alacritate cõcurrere ad bellum, ac si inuitati essent ad nuptias.*

imò uix possunt expectare donec ueniat tempus exeũdi, sed & ipsi præueniunt. Sed & si quãdoq; contigerit eos à bello uacare, magno afficiuntur tædio. Et non solum illi qui scripti sunt, sed plures illis quasi motu proprio ad hoc currunt & festinant. Et propterea non multum laborat Turcus ad congregandum exercitum suum, sed solum missis nuncijs ad præsidentes, designat diem & tempus. Et illi immediate faciũt præconizare in ciuitatibus & oppidis, & sic in spacio unius mensis conueniunt in ordine, secundum quòd scripti sunt, pedestres seorsum ab equestribus, unusquisq; cum suo Præsidente, eodem ordine quo & in campo solent castra ponere, & ad pugnam procedere. Nec etiam utuntur uexillis, sed ipsi Campiductores pro signo habent lanceam altam, in cuius summitate habent dependentes pilos alicuius coloris, per quod omnes ad eum pertinentes, possunt eum cognoscere. Et unusquisque illorum Campiductorum utitur uno tympano magno cum fistula, ad conuocandum suos. & ad concitandum & prouocandum, quando necesse est, ad pugnam. Et illi uocantur Czumbastchi. & unicuiq; eorum subijciuntur Centuriones, plus uel minus, secundum quod requirit exercitus. Et sunt ad minus quatuor, ad maius autem decem. Et isti uocãtur Tscheribaschi, quorum unusquisq; præest centum equestribus, qui uocantur Czinghori. Iste etiam ordo in pedestribus obseruatur. Cum igitur reuertuntur de pugna, unusquisq; siue magnus, siue paruus, se præsentat Registrario, qui est unus de magnatibus, ut si aliquis defuerit, loco suo alius scribi possit. Si autem Turcus uiderit contra se grauari bellum, statim missis nuncijs per totum regnum, quartum uel quintum, cum expensis remanentium, cogit exire. Et iste exercitus uocatur Escherihor. Et per istum modum infinitum potest congregare exercitũ. Itaq; hoc edicto per nuncios publicato, cum tanto † furore prosequuntur & faciunt, ut unus pro alio se offerat: & ille qui remanet, iniuriam sibi fieri credat. Insuper dicũt se felices fore, si nõ in domo inter lachrymas & suspiria mulierularũ, sed in campo inter hastas & sagittas hostium possint mori. Et de eis qui sic moriuntur, non solum non dolent, sed eos sanctos & uictores prædicant & extollunt.

*Quomodo rex Turcorũ congreget exercitum.*

*Turcos nõ uti uexillis.*

*feruore*

*Beatos existimari qui ab hostibus occiduntur.*

Secundũ est, uictoria eorũ continua cõtra Christianos: quod aliquos multum mouet, ut in octauo capite dictum est: sed minus sapienter, ut infrà de interpretatione motiuorum patebit. Hoc etiam eos multum confortat & confirmat in ipsa secta. Vnde etiam uictores se nominant, & gloriantur, quasi uictores totius mundi. Orant etiam pro uictoribus specialiter in omnibus congregationibus suis, præsertim in continuis post comestionem gratiarũ actionibus. Superbiunt insuper, & Christianos fœminas despiciendo nominant, & se uiros earum. Et ut ad hoc magis ac magis incitentur, antecessorũ uictorias describunt, decantant, laudant, & præconizant.

*Continua Turcorũ uictoria cõtra Christianos.*

*Turci iactãt se uictores mũdi.*

*Turci Christianos fœminas, se uiros uocãt.*

Tertium est, eorum maxima & continua augmentatio, non solum ab his qui inuiti ac uicti abducuntur, uel qui sponte se offerunt, ut dictum est suprà in capite septimo, sed etiam de his qui inter eos generantur. Vnde unusquisq; eorum secundũ legem potest habere duodecim legitimas uxores, ancillas quot & quantum placet sine numero & cõputatione. Et secundum eandem legem, omnes filij & filiæ ancillarũ habentur æqualiter per omnia hæredes cum uxorum filijs. Vnde mercatores eorum, aut etiã alij domini potentes & diuites, in qualibet ciuitate ubi habent practicare, habent unã domum & uxorẽ, filios & filias. Et per istum modum aliqui usq; ad duodecimũ numerum perducunt numerũ uxorum. Pauci tamen inueniuntur qui duas uxores in una domo teneant, propter iurgium & inquietudinem earum. Habent etiam secundum eandem legem libertatem recipiendi, dimittendi, tenendi & non tenendi uxorem, quando sibi placet, sine aliquo respectu. Vnde ligamen matrimonij, quod ipsi Kebni uocant, in potestate

*Vnusquisque turcorũ potest habere XII. uxores legitimas.*

*Libertas Turcorũ dimittendi uxores.*

dicunt

dicunt esse ipsius uiri, & non uxoris. Et licet quisq; possit hoc soluere ad libitum, non potest tamen ligare, nisi authoritate ipsius Sacerdotis.

Quartum, est multitudo ad eos † conuersorum, non solùm simplicium, sed etiam sapientum, & de omni genere & conditione & dignitate hominum. Vnde religiosis & sacerdotibus Christianorum ad eos conuersis, meliorem prouisionem faciunt, ut sint exemplum conuersionis aliorum. Vnde uidi quendam fratrem ordinis Minorum, qui magnam prouisionem de camera regis habebat, eo quòd fidem abnegauerat. Audiui etiam de uno fratre Prædicatorum, qui fidem abnegauerat: qui dum contra Christianos in quodam nauigio cum Turcis transiisset, instante fortuna maris, cæteris ereptis nauigijs, ipse mercedem suæ perfidiæ, submerso nauigio solo in quo ipse erat, æternam perditionem non immeritò suscipere meruit. Turci neminem cogunt fidem suam negare, nec multum instant de hoc alicui persuadendo, nec magnam æstimationem faciunt de his qui negant. Vnde uidi quendam, qui in curia cuiusdam magni domini puer literis deditus, & tandem optimus sacerdos & plebanus, † habens uxorem & filios, mortuo domino sine expressione libertatis, ab æmulis uenditioni cum filijs suis exposita, nec dimissum, nisi se ad placitum hæredum domini sui liberasset.

*conuertentium*

*Multos cõuerti ad Turcos.*

*Hoc autor dicit pro tempore suo.*

*factus est habens*

## DE HONESTATE FOEMINARVM *ipsorum Turcorum.* Cap. XII.

HOc autem quod nunc dicere uolo, si quis credere noluerit, in dictamine rectæ rationis se ipsum interroget: tunc ipse mihi testis erit, quòd à ueritate ua cuum nullatenus esse poterit. Si enim in rectæ rationis iudicio à capite procedit, quicquid in corpore fuerit, quomodo non dicatur procedere à uirorum impudicitia, uel lasciuia, quicquid in moribus uxorum inhonestum uel indecens reperitur? cum teste scriptura, Vir mulieris caput esse comprobetur. Certè mihi magna admiratio oritur, quando honestatẽ, quam uidi in fœmineo sexu inter Turcos, considero: & impudicissimos ornatus, & damnatos mores fœminarũ inter Christianos conspicio. Sed quia hoc quod ibi uidi, ita uniuersaliter in omni loco Turciæ ueritatẽ habet, ut penitus aliud fieri non uiderim in omnibus ciuitatibus seu locis quæ perlustraui: hoc autem quod inter Christianos uideo, non ita commune & uniuersale est, ut uniuersali indigeat reprehẽsione, sed solùm quorundam, non uirorum certè, sed effœminatorum hominum, qui ita in carnalitate submersam habent rationem, ut nequaquam discernere queant, quid communi proximorũ saluti expediat, sed solummodo † hæc intẽdunt, ut suis impudicissimis cordibus & oculis satisfaciant in cultu meretriceo uxorũ suarum. Nec propter hoc excusabiles sunt ipsæ uxores, quia uiris suis hoc optimè placere sciunt. Nec uiris coguntur obedire in hoc quod obest saluti: alioqui hoc in ipsis implebitur quod scriptum est, Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in uia, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Virorum quoque culpa earum culpam excedit, dum earum effrenatã impudicitiam freno discretionis non dirigunt. O execranda, imò diabolica impudicitia, quæ quia non potest singulorum membris se supponere polluendam, cõtendit tamen singulorum se oculis & affectibus ingerere prostituendam. Certè sunt multo fœliciores prostitutæ in lupanaribus latentes, istis impudicissimis fœminis, ad perdendas animas totam ciuitatem circumeuntibus. Sed ô talium mulierum omnium infœlicissimum genus. Credis te tenere iura matrimonij, qui toties adulterium cõmittis, quoties collum tuum & pectus nudatum, oculos nutantes, faciem placidam, ceruicem erectam, capillos defluentes, oculis impudicorum obiecisti? Sed tu ô uir huius impudicissimæ uxoris, non tuæ solùm, sed omnium: ô prostibulum Sathanæ, qui talem foues & nutris laqueum

*ad hoc*

*Ecclesiastici 9.*

*Inuehitur autor in peruersos mores, & inhonestum habitum Christianarum fœminarum.*

queum diaboli, non existimas te redditurum rationem de tot malis, dicente scri-
Matth.5. ptura: Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est cum ea
in corde suo. Sed nunc ad id redeamus, de quo est intentio sermonis nostri. Cer-
Turcos ducere multas uxores non propter libidinis ardorem, &c. tè uiros non immeritò dixerim ipsos Turcos, qui dum quilibet eorum duodecim uxores habere sibi licere dicit, in nullam specialiter earum amorem suum se inordinatè transfundere ostendit: sed omnibus æqualiter, ad concipiendæ & nutriendæ prolis necessitatē utitur. Et dum unum uirum duodecim fœminis præferri secundum legē suam docēt, illius infœlicissimi generis utilitatē, & creatoris sententiam qua mulieri dixit, Sub potestate uiri eris, confirmant: Eosq; qui fœminas si-
Genesis 3. Ruffiani. bi dominari patiuntur propter libidinis ardorem, non uiros, sed Ruffianos pessimos, ipsiusq; diaboli adiutores ad perdendas animas, non immeritò esse censendos. Pro magna enim infamia reputaretur uiro apud eos, si uxor sua in conspectu uirorum, siue in domo propria, siue extra domum discooperta facie apparere
Vestitus mulierum Turcorū. uideretur. Fœminæ insuper eorum simplicissimo modo utuntur in uestitu, sine nota alicuius curiositatis, uel superfluitatis. In capite utuntur mitris superpositis uelis, ita ut inuoluta diligenter & decenter mitra, extremitas ueli dependens, remaneat ad dexterā faciei: quam si domū exire, uel in domo corā uiris apparere contingat, statim circūducere & totā faciem uelare, exceptis solis oculis, possint. Sed hoc de omnibus, etiam uillanis & simplicioribus dico. In ciuitatibus uerò magnum nephas putaretur, si uxor alicuius notabilis extra domū, nisi tota facie cum subtili serico ita uelata, ut ipsa alios uidere, à nemine aūt facies eius uideri possit, exire compertū fuisset. Nunquā audet fœmina, ubi est congregatio uirorum, comparere, & forū adire. Vendere aliquid uel emere fœminā apud eos omnino illicitum est. In ecclesia maiori locum longè à uiris habent separatum, & sic secretum, quòd nemo possit introspicere, uel aliquo modo intrare. Et illū non omnes,
Dies Veneris apud Turcos solennis. sed solùm magnorum dominorum uxores, & nunquam amplius, nisi in die Veneris, ad unicā orationis meridianæ horam, quæ apud eos solennis est, decet aliquo modo intrare. Collocutio uiri cum muliere in publico ita rara est, ut si inter eos per annum esses, uix semel experiri posses. Mulierem sedere cum marito, uel equitare, ab omnibus habetur pro monstro. Etiam in domibus propriis, uiri cum uxore nunquā in actibus & motibus, uel collocutione, minimum indicium lasciuiæ uel inhonestatis deprehēdi potest. Et tanta est maturitas uirorum, etiam in domibus propriis, ut timor & reuerentia ab omni familia eis exhibeatur: præ-
uigorem sertim autem erga uxores † rigorem nunquam relaxant. Magni autem domini, quia cum uxoribus suis esse semper non possunt, eunuchos ad custodiam earum deputatos habent, qui cum summa diligentia ita eas custodiunt, ut conditionem uiri cuiuscunq; penitus ignorare uideantur, nisi mariti sui. Reliqua causa breui-
quindecim tatis transeo. Hoc autem quod in domo patroni mei ultimi (in qua † ad uiginti annos fui continuè) à fœminis expertus uidi, longum esset enarrare per singula: nihilominus tamē nō permittit me tacere omnino operis magnitudo. Nam uxor filij eius quæ annos uiginti in domo eadē transegerat, habens filios & filias, nunquam uisa est presente patre mariti aperto ore uel discooperta facie comedisse, uel
Rigor reuerentiæ qui seruatur à fœminis Turcorum. locuta fuisse. Et hunc rigorē reuerentiæ à prima die qua hanc eandē domū intrauerat, nunquam relaxauit, nec in posterum aliquando relaxare decet. Et ista est omnium una generalis cōsuetudo in simili statu degentium apud eos. Est etiam aliud quod strictissimè obseruant. Facto enim desponsationis pacto inter filium unius & filiā alterius, nunquam amplius sponsus aliquo modo audet parentibus uel propinquis sponsæ colloqui uel apparere, usq; in diem nuptiarum, sed declinat, & fugit erubescendo præsentiam eorum, quantum est possibile. Hoc idem

obser-

obseruatur ab ipsa sponsa respectu parentum & propinquorum sponsi sui, &c.

## DE MOTIVIS SVPERNATVRALIBVS ET SPIRITVALIBUS, & primò de professione & lege Turcorum. Cap. XIII.

PRofessio, super quam fundata est lex Turcorũ, ista est, Layl Lahahillal lach mehemmet erczullach. Hoc uult dicere secundum communem opinionem exponentiũ, Deus est † uerax, & Mahometus est propheta eius maior. Omnium opinionum difficultas in isto professionis modo consistit. Si enim se unius Dei cultorem esse persuadere potuerit, uenenum sui erroris sub specie pietatis facili- ter diffundit. Hic est lapis offensionis, ad quem multi impingentes, in laqueum perditionis animarum inciderunt. Hæc est illa mola asinaria, quæ multorum collis appensa, in baratrũ desperationis eos demersit. Dum enim simplices audiunt eos idola execrari, & omnem formam uel imaginẽ sicut gehennæ incendium refutare, & unius Dei cultum tam constanter profiteri & prædicare, non manet amplius de eis suspicionis locus. Sed & quidam de sapientibus causam durationis illius sectæ super alias sectas & hæreses, illam dixerunt esse: quia idola detestatur, & unum Deum colit. Sed hoc multum improuidè dictum uidebitur, si de reproborum duratione, quid scriptura commemoret, diligẽter inspiciatur. Deus enim reprobos ideo patiẽter expectat, ut in die iudicij eos in plenitudine peccatorũ puniat. Quos autem hic citius tollit, nec permittit ex sententia agere, hoc utiq; ideo facit, ut in pœnis cum eis mitius agatur. Culpa igitur, clementiam expectãtis contemnentium reproborum, dum ad infinitum tendit, quid agit, nisi ut furorem iusti iudicis contra se grassantis sine remedio & fine, seuerius in pœnis uindicẽ ipsa expectet & recipiat? Quomodo autem hæc professio interpretanda sit, in cap. 17. dicetur. Quid autem contineat lex huius professionis, hic uidendum est. Communis opinio ferè omnium Turcorum talis est de lege eorum. Dicunt enim primum prophetam magnum, cui data fuit lex primitus, à Deo fuisse missum, id est Moysen, cui datus est liber Tefrit, quẽ nos Pentateuchon uocamus, & omnem hominem qui eo tempore ipsam legem obseruasset, saluatum esse. Cum autem per successum temporis humana malitia & negligentia hanc legem corrupisset, in huius præuaricationis remedium electus est secũdus propheta magnus Daijt, quẽ nos Dauid dicimus, cui datus est liber Czabur, quẽ nos Psalteriũ uocamus.

*uerus Mahumeticæ fidei summa.*

*Esaiæ 8.*

*Matth. 18.*

*Quare deus impios tam patiens est.*

*Opinio Turcorũ de lege sua.*

*Moyses.*

*Dauid.*

Quo prioris modo seruato, & corrupto, tertius propheta magnus subiunctus est Iesse, id est IESVS, cui tertia lex cum libro Ingil, quem nos Euangelium dicimus, missa est, quæ suis temporibus omnibus causa salutis fuit. Ea tandem præcedentium modo euacuata, quartus electus est Mahometus, qui legem cum libro qui Alcoranus dictus est, à Deo accepit. quæ (euacuatis omnibus antè habitis) sola necessitatem salutis, donec alia superuenerit, plenè & indubitanter ab eis prædicatur & dicitur habere. Hæc igitur lex Alcorani, primo in præcepto habet, ut omnis utriusq; sexus, dum ad prouectam peruenerit ætatem, extra limites matrimonij uitam non ducat. Deinde omnes pari † distinctione ad orationẽ subijcit, quæ quinq; uicibus in die, quinq; ad hanc deputatis horis & temporibus, perficitur. Tempus primæ orationis est, ortus Solis. non computando horam, sed accipiendo tempus grosso modo: eo quòd ipsi nullam artem habent computãdi, sed solùm instinctu naturali de tempore iudicant. Ista ergo oratio prima per quatuor Erket & duo Czalamat perficitur. Erket est geminata inclinatio, cum totidẽ prostrationibus: Czalamat autem est ipsa secreta oratio, quã facit sedẽdo post quodlibet Erket, cum salutatione à dextris & à sinistris, & impressione pacis, quam utraque manu in faciem obducendo facit. Tempus secundæ orationis est circa meridiem, quæ decem Erket & quinque Czalamat continet. Tertia oratio in

*Iesvs.*

*Mahometus.*

*Lex Alcorani.*

*destrictione*

*Orãdi modus.*

*Turci ignari artis computandi.*

declinatione ſolis tẽpore ueſpertino fit, & ipſa octo Erket & quatuor Czalamat habet, &c. Quarta oratio quinq; Erket & tria Czalamat continens, tempus circa occaſum ſolis ſibi uendicat. Quinta & ultima reliquarum prolixior, quinde-

*Orationum diuerſæ appellationes.*

cim Erket & octo Czalamat habet, & poſt cœnam tardiori hora celebratur. Prima oratio eorum lingua Dagnanias dicitur, ſecunda Orlenanias, tertia Kindinanias, quarta Achſamnanias, quinta Iaczinanias. Has † horas unuſquiſque

*orationes*

cum parochiano ſuo, & in eccleſia propria tenetur orare, niſi legitima cauſa interueniente: tunc autẽ in omni loco hoc licitè facere poteſt. In obſeruatione temporis eadem eſt diſpenſatio, ut ſcilicet uno tempore ſuppleat quod alio omiſſum eſt. Die autem Veneris, quæ apud eos celebris eſt, attentius orant, non tamen abſtinent aut uacant à quocunque labore. In ciuitatibus habetur una ſolemnis

*Alij meſquitas uocant.*

& principalis eccleſia, quæ † Enemeſgit dicitur, ad quam in die Veneris omnes conueniunt, tam ipſe rex quando præſens eſt, quàm alij principes. Et oratione meridiana ſolenniter peracta,

*Ordo, honeſtas, ſilentium, deuotio Turcorum in eccleſia, &c.*

fit prædicatio, & eleemoſynarum regalium elargitio. De ordine autem, honeſtate, ſilentio, & deuotione, quæ omnia obſeruant in eccleſia, longum foret enarrare per ſingula. Hoc tamen breuiter dico, quòd quando in Turcorum eccleſia, eorum ſilentium, & Chriſtianorum in ſua eccleſia tempore orationis tumultum conſidero, magna mihi generatur admiratio, de tanta ordinis permutatione, unde ſcilicet in illis tanta deuotio, & in iſtis tanta indeuotio eſſe poſsit: cum tamen contrarium eſſe debere, cauſa & ratio ipſa requirat. Habent & inquiſitores, qui accuſatos de omiſsione orationis multis afficiunt ignominijs. Circumducunt enim eos, tabulã cum caudis uulpinis collo appendentes, & non ſine taxa pecuniæ dimittunt, maximè ſi hancora tionis negligentiã in quadrageſima eorũ admiſerint. Habent etiam triplicẽ lotionem, qua ſe ad orationem præparant. Prima eſt perfuſio totius corporis cum aqua ita diligenter, ut non remaneat locus, quantus eſt punctus unius acus, intactus ab aqua, alioquin inualida eſſet lotio iſta. Et propter hoc ſolent frequenter & diligẽtiſsimè radere pilos in omni parte corporis, excepta barba in uiris, & capite in mulieribus, quorum pilos multo ſtudio lauant, & cum pectinibus frequẽter † diſcriminant, ut aqua penetrare poſsit. Incidunt diligentiſsimè inſuper ungues manuum & pedum. Et propter hanc eandem cauſam, reor eos uti circumciſione, ut inferius dicetur in capite uigeſimoprimo. Et hæc lotio, ut ſuprà dictum eſt in capite decimo, poſt quantamcunque pollutionis maculam neceſſaria eſt, & uocatur Zcoagir gmeg. Secunda lotio uocatur Tachriat, & eſt neceſſaria, quandocunque opus naturæ exercetur, uel etiam aliquid uentoſitatis emittitur: tunc enim in aliquo loco ſecreto pudenda & poſteriora abluenda ſunt. Tertia lotio uocatur Aptan, uel Abdas, & eſt neceſſaria in quinque ſenſuum organis, incipiendo à manibus: quibus lotis cum brachijs uſque ad cubitum, procedit ad os & nares, deinde abluta tota facie cum oculis, tranſit ad aures, &

*Inquiſitores hæreticæ prauitatis.*

*Quadrageſima Turcorũ.*

*Lotiones quibus ſe Turci præparant ad orandum.*

*diſcriminant*

*Circunciſio Turcorum.*

*Operæprecium uidetur ut huc apponam præconium, quo uocãtur homines ad templum uice campanæris, ut Ioannes Theſaurarius regis Franciæ, qui annos quatuor inter eos captiuus fuit, retulit. Quælibet meſquita habet unum ſacerdotẽ, quẽ uocatur Foqui, & unũ miniſtrũ qui uocatur Muetden, quod ſonat præconem, qui ſupplet defectum campanarum. Eius officium eſt, ut hora precationis turrim meſquitæ quadratam, in qualibet parte ſui feneſtram magnam habentem, aſcendat, ad quamlibet partẽ clamet alta uoce, obturatis auribus cum digitis, ut uox fortius reſonet, uerba ſuæ linguæ, quæ illud nobis ſonant: Nil aliud poſſe niſi Deus et Mahometus eius nũcius. Venite ad orationem faciendã in releuationẽ peccatorũ noſtrorũ. Et poſtea ſubdit, Legalib Ille Halla: id eſt Non alius eſt uictor niſi ſolus Deus. Quæ uerba omnes milites Sarraceni portant in ſcutis ſuis. Præterea ſubijcit, Deus eſt omnipotens.*

manu

manu cum aqua superducta capiti, descendit ad pedes, & cruribus usque ad tibias ablutis perficitur. Hanc lotionem in omni loco licitum est peragere, & non est necessarium, ut præcedat unamquamque orationem, nisi fortè aliqua immundicia hoc exigente. Si autem post primam orationē poterit caueri omnis immundicia, eadem die ad omnes orationes non requiritur alia lotio. Aliqui tamen pro deuotione, & pro maiori cautela eam frequentare solent. Habent & unam lunationem inter duodecim lunationes anni communis, in qua ieiunant. Et quia annus solaris non concordat in mensibus cum anno lunari sine emboliſmo, & ipsi hanc computationem ignorantes, computant duodecim lunationes pro anno: ideo mensis ieiunij eorum nunc in hyeme, nunc in æstate contingit. In ipso autem ieiunij die abstinent ab omni genere cibi & potus. In nocte autem omni genere ciborū, & quoties placet, utūtur. Habent & unum pascha in fine ieiunij, in quo uisitant memorias mortuorum suorum, ibidem orantes, & quæ secum portauerunt comedentes, & inuicem osculantes, dicunt, Baaram glutioczong: hoc est, ueniat tibi bonum pascha. Et hæc omnia obseruant etiam in secundo paschate, quod in sexagesima die post primum celebrant, eo quòd tunc uel in ipso die peregrini eorū in † Meche celebrant, & peragunt tritum peregrinationis suæ.

*Ieiunium Turcorum.*

*Turci ieiunantes non edunt in die.*

*Pascha Turcorum.*

*Mekye*

Nam magna multitudo de secta illa, non solùm de genere Turcorū, sed etiam de omni generatione quæ illi sectæ deseruit, scilicet Arabes, Sarraceni, & Tartari, annuatim uisitant memoriam & sepulchrum Mahometi, in loco qui ab eis in eorum idiomate † Meche nominatur, & est ultra Hierusalem ad sexaginta dietas. Et non possunt transire illuc, nisi cum camelis, eo quòd arenosa & aridissima est uia illa. Vnde & Soltanus habet ad hoc præparatos camelos pro peregrinis ducendis. Habentur autem & † Christiani peregrini, qui sepulchrum Mahometi uisitauerunt in magna reuerentia & reputatione, & uocantur † Hatschilat, & utuntur multis priuilegijs. Vnde & in iudicio unius eorum testimonium pro tribus aliorū testimonijs acceptatur, & pro eis specialis fit oratio, sicut pro uictoribus. Et propter eos duo habentur genera hospitaliorum in omni loco: unum in uijs, & aliud in ciuitatibus. Hoc quod in uijs, uocatur Czeuuenczcreij. Et est ædificatio magna in locis, ubi non inueniuntur habitatores sufficientes ad recipiendum uiatores & peregrinos. Hoc quod in ciuitatibus est, uocatur Ymarat, quæ sunt ecclesiæ magnæ ædificatæ à regibus & principibus, & donatæ multis possessionibus, ita ut omni die potest fieri bina refectio aduenientium, & primò peregrinorum, secundò studentium ad hoc scriptorum. Quibus refectis, si quid superfuerit, omnibus indifferenter præsentibus distribuitur. Et hoc quotidie, tempore prandij & tempore cœnæ. Sacerdotes autem & studentes, qui ibi scripti habentur, pro refectione obligantur ibi peragere † speciale officium pro anima illius qui hoc fundauit & instituit. Habent insuper gymnasia magna & multa, in quibus docentur quædam leges ciuiles æditæ à regibus, pro gubernando regno. In quibus qui magis proficiunt, promouentur ad beneficia, ad iudicandum scilicet, & regendum populum. Et habent duplicem gradum: minores, qui Minetschuz uocantur, maiores uerò Muderis. Minus docti uocantur Tamsman, quibus sufficit ut Alcoranum bene sciant, & ceremonias quæ ad orationem & cultum legis pertinent. Et secundum hoc habentur prouisiones eorum. Nisi enim sint iudices, uel registrarij, uel iurisconsulti, qui Calife dicuntur: qui sibi uacare non possunt, non habentur aliæ prouisiones, nisi quòd sint liberi & exempti à seruitute & oneribus communis populi. Sacerdotes enim eorum non habent occupationem circa curam animarum, in audientia confessionum, & ministratione sacramentorum, & uisitatione infirmorum, uel sepultura

*Sepulchrum Mahometi uisitatur.*

*Mekye*

*isti Hatschilai*

*Hospitalia pro peregrinis.*

*Sacerdotes.*

*spirituale Studentes.*

*Iurisconsulti.*

*Qualis religio, tales sacerdotes.*

mortuorum. Nec habent magnam curam ecclesiarum cum reliquijs & paramentis, & sacrorum uasorum & altarium, de quibus omnibus nihil habetur apud eos. Non enim possunt pollui ecclesię eorum, uel perdere sanctitatem, quam non enim sunt consecutæ. Nullam † etiam differentiam sacerdotes eorum à communi populo, nec ecclesiæ eorum à domibus communibus habent. Orationum numerum possunt sacerdotes, ut alij, sine omissione laboris implere: non enim uacant meditationibus, uel studijs literarum, sed solatio uxoris, & filiorũ, & communis familiæ, iumentorum & possessionum, mercantiæ & usuræ, locis & uenationibus, auibus & canibus uenatorijs. De quibus omnibus & similibus, nihil est eis illicitum facere, nec prohibitum. Qualis enim lex, tales & sacerdotes: & qualis cultus, tales ministri. De his quæ dicenda essent, excederent mensuram calami & chartæ: sed hæc breuissimè perstrinxi, ut darem occasionem reliqua inquirendi, & diligentius perscrutandi. Pudet enim & tædet me dicere, quæ in particulari de his uidi & audiui.

*Quibus rebus uacent sacerdotes Turcorũ.*

## DE MOTIVIS SVPERNATVRALIBVS & religiosis. Cap. XIIII.

*Signa & prodigia bifariam mendacia dici.*

SAnctus Augustinus de Ciuitate Dei libro uigesimo, capite decimo nono, de signis & prodigijs mendacibus loquens, dicit, quòd signa & prodigia duobus modis dicuntur mendacia. Vno modo, quia decipiuntur sensus hominum uirtute & arte diabolica, ut credatur fieri quod in ueritate non fit, ut sunt phantasmata. Secundo modo, quia tradunt credentes ad mendacium, ut scilicet credant fieri uirtute diuina, quod diabolus facit. Vel ut credant sibi fieri pro salute, quod ad damnationem fieri constat. Vnde quòd ignis de cœlo descendit, & combussit familiam & pecora ipsius Iob, non erat mendacium, licet fieret operatione diabolica, Deo permittente. Istis igitur modis credendum est unicuique fideli, prodigia & signa innumerabilia mendaciter fieri per religiosos ipsorum perfidorum Turcorum, tam in uita eorum quàm etiam post mortem. Nam tanta est potentia diaboli in eis, ut uideantur potius diaboli incarnati, quàm homines. Secundum enim differentiam quam habent in habitu exteriori, latet etiam ipsa diabolica uirtus in eis. Quidam enim ex eis præferunt maximam patientiam, & isti exterius non portant aliquem habitum, sed nudi incedunt, solùm cooperientes uirilia. Et in ista specie religionis inueniuntur aliqui tantæ perfectionis, ut quasi impassibiles sint, ut nihil exterioris impressionis sentire ualeant. Nam in maximis frigoribus hyemis ipsi nudato toto corpore incedunt, & non sentiunt. Et hoc similiter in caloribus æstatis. Isti suæ probationis rationes & patientiæ ueritatem ostendunt in uarijs stigmatibus combustionum, & cicatricibus incisionum corporum suorum. Nam si quis probare uoluerit, facit sibi apponi ignem, uel incidere carnẽ cum gladio: quæ omnia tantũ sentit, ac si lapidi ignẽ apponeres, uel lignum gladio incideres. Alij ex eis magnã præferunt uirtutẽ abstinentiæ: de illis dicebatur, quòd ad tantã perfectionẽ perueniunt aliqui, ut rarissimè cibũ & potũ sumant. Aliqui autẽ & magis perfectè, sine omni potu & cibo corporali uiuunt. Alij ita magnã paupertatẽ habent, ut omnino nihil de terrenis rebus cogitare aut curare dicãtur, nec in crastinũ aliquid retinere. Alij perpetuũ silentiũ tenẽt, & mutorũ nomine Czamutlar nũcupati, nullã cum hominib. cõuersationẽ agũt, ne ad loquendũ prouocentur. Quorũ unum solũ uidere potui, non sine admiratione. Alij uisionibus, alij reuelationibus uarijs sunt donati. Alij raptus, alij ecstases supernaturales habẽt. Et secũdũ hoc nullus est inter eos qui nõ cõsequatur aliquid experientię spiritualis, per quod possit haberi certa cõiectura & euidens iudiciũ, quòd sit de numero & ordine Dermsschler. Hoc enim est nomẽ omniũ in tali statu degen-

*Signa & prodigia innumerabilia fieri per religiosos Turcorum.*

*Si obseruantia stricta, ut uocant, sanctũ facit, hi certè omnium sunt optimi sancti, et sanctiores ipsis Carthusianis.*

*Hi plus quàm Pythagorici sunt.*

*Portẽtosa quorundã Turcorũ abstinentia.*

tu degentiũ. Et ſecundum uarietatem ipſarum experientiarũ ſpiritualiũ uel ſupernaturaliũ, etiam differunt in habitu, & in modo uiuẽdi. Nam unuſquiſq; portat ſignum ſuæ profeſſionis. Si enim uideris aliquem in capite deferre pennas, denotat eum meditationibus & reuelationibus deditum eſſe. Si portat habitum conſutum † uariorum colorum pecijs, ſignificat paupertatem. Illi qui inaures portant in auribus, ſignificant ſeipſos obedientes eſſe in ſpiritu, propter raptus frequentiam. Portantes catenas in collo uel in brachijs, denotant uiolentiam uel uehementiam, quam habent in ecſtaſi. De patientibus ſuperius dictum eſt, qui nudi ambulant, & ſic de alijs multis. Varios etiam modos tenent uiuendi. Illi enim qui minus † periti ſunt in ſpiritualibus, ſcilicet in raptibus & alijs, communem uitam ducunt, & habitant inter homines. Alij uero ſeorſum habitant, congregati per modum uillæ. Alij etiam ſolitarij in nemoribus & ſolitudinibus uitam ducunt. Alij in ciuitatibus hoſpitalitatem exercentes, quorum domus † Teche uocantur. Recipiunt hoſpites ſaltem ad quieſcendum, ſi non habent unde reficiant. Alij ex mendicitate continua uiuunt. Alij in ciuitatibus portantes aquam cum utribus, de meliori aqua quæ ibi reperitur: & circumeuntes ciuitatem, omnibus præbent ad bibendum recentem aquam, & nihil mercedis petunt, ſed ſolum ſponte oblatum recipiunt. Alij habitantes circa ſepulchra nominatorum ſanctorum, & cuſtodientes, & de uotis & oblationibus populi uiuentes. Vtrum autem omnes uxores habeant, percipere non potui, eo maxime, quia de lege Turcorum, quæ hoc præcipit, ipſi non curant propter opinionem ipſorum ab alijs differentem, de quo infrà dicetur cap. 20. Non enim obſeruãt alias cæremonias legis, in orationibus, & lotionibus, & alijs ſimilibus. Quapropter etiam qui forma aliarum uirtutum in eis ſupernaturaliter exercetur, ut dictum eſt, credendum eſt, quod etiam prodigium continentiæ non debet deeſſe. Illud uero magnum portentum, de quo magnus inter eos eſt rumor (ſcilicet plures conceptos eſſe & natos ſine uirili ſemine, qui Nefes ogli dicuntur, de quibus etiam in ſequenti capitulo fit mentio) credendum eſt, fieri per fœminas non corruptas carnali corruptione. Poteſt tamen eſſe, quod ipſæ matres talium, ſint uxores religioſorum, & propter prodigium continentiæ eorum, naſcantur eis filij modo non naturali: ſed modo alio diabolicæ diſpenſationis, hominibus occulto. Vnde propter hoc ipſis Turcis non uidetur inſolitum, quando Chriſtiani dicunt, imò ipſimet dicunt, & confitentur, Chriſtum ex Maria conceptum, & natum ſine humano ſemine. Quocunq; igitur hoc modo fiat, licet ſit inſolitum & mirabile auditu, non tamen impoſſibile uidebitur diabolicæ potentiæ, ſi cætera eius opera inſpiciantur, quæ in eis & per eos operatur. Agunt & ipſi religioſi eorum quaſdam feſtiuitates, uel propter uota populi eis oblata, uel propter prædeceſſorum ſuorũ memorias, uel etiam propter communem populi neceſſitatem, ſcilicet pro pluuia impetranda, uel ſerenitate, & huiuſmodi. Tunc conueniunt, & congregantur omnes qui ſunt in locis propinquioribus, & fit primo omnium cõmunis refectio. occidunt enim animalia, ſi habent: ſi autem non habent, faciunt de leguminibus, uel riſo ſecundum facultatem ſuam cibaria, qualia poſſunt. Et completa refectione, ille qui primus eſt inter eos accepto tympano facit modulationẽ, & reſurgentes cæteri per ordinem, incipiunt ludere. Vocatur autem feſtiuitas eorum Machia, ac ludus Czamach, qui fit quadam totius corporis regulata & bene modificata agitatione, cum honeſtis & dignis & ualde decentibus omnium membrorum motibus, ſecundum modulationẽ menſuræ inſtrumenti muſici, ad hoc conuenienter aptatæ, & in fine per modum uertiginis, quodam motu uelociſſimo,

*Religioſorum Turcorũ quot ſectæ.*

*uarium*

*impediti*

*Tekije*

*Religioſi Turcorum per omnia ſimiles noſtris Phariſæis.*

*Plures concipi et naſci ſine uirili ſemine.*

*Feſtiuitates.*

*Quo modo feſtiuitates Turci celebrant.*

*Ludus Czamach.*

& circulari rotatione, uel reuolutione, in qua tota uis ipſius ludi conſiſtit. Nam feruentiores eorum, in tanta uelocitate reuoluuntur, ut non poſſit, utrum ſit homo uel ſtatua, diſcerni ab intuentibus. Et oſtendunt ſe in hoc quaſi ſupernaturalem agilitatem corporũ habere. Et licet aliquis poſsit eos imitari in cæteris ipſius ludi geſtibus, in iſto tamen reuolutionis actu, nemo eos quamtumcunq; aptus et agilis fuerit, poteſt aliquatenus imitari. Poſtquam igitur ſinguli luſerunt, ſurgunt omnes ſimul, & confuſo ordine ludunt, emittentes quaſdam imprecationis uoces, pro ſalute eorum qui eis uota ſua uel eleemoſynas elargiti ſunt. Vtuntur etiam quibuſdam † carminibus, à prædeceſſoribus ſuis ſibi traditis, qui eos dum in raptu uel in extaſi erant, in ſpiritu locuti ſunt, qui ſuauis ſunt facundiæ, & rhythmatice prolati, & faciliter mente retinentur, ſed ſecundũ materiã de qua tractant, uel longiores, uel breuiores exiſtunt. Alij enim ſex uerſus, alij octo uel decem, alij plus, alij minus continent. Et trahunt omnes cærimonias legis Turcorum & ritus ad ſenſum ſpiritualem: quorum ego magnam habui copiam, tam in ſcriptis quàm in mente: & delectabar in eis, eo quòd magis Chriſtianam religionem confirmant quàm Turcorum. Vnde ſacerdotes eorum non accipiunt eos ad authoritatem dicentes, illos qui eos dixerunt, non intellexiſſe quid dicerent, quia in raptu uel extaſi poſiti, & extra ſenſum conſtituti erant, dum eos dicerent. Quando igitur ipſi religioſi ſunt inter homines, unuſquiſq; ſuæ perfectionis uel profeſsionis ſignum oſtendere conatur: & inter cæteros actus ſuæ oſtenſionis, nullus eſt tam prouocatiuus deuotionis uel feruoris, ſicut ipſe ludus eorum ſuprà dictus. Nec caret † myſterio: nam & ſancti prophetæ antiquitus huiuſmodi ludis utebantur in ſuis feſtiuis officijs. Sicut habetur de Dauid, quod ludebat ante arcam Domini, & de multis alijs ueteris teſtamenti. Dum enim quidam eorum in domo noſtra hoſpitaretur, poſt cœnam ſurrexit, & præcinxit ſe, & incœpit ludere: & dum ſe reuolueret, audiebantur quædam uoces ex ipſo ſonantes, ita quod omnes qui in domo erant, attoniti ex admiratione, uix poterant à lachrymis continere. Alia uice quidam eorum, dum eſſemus in cœna, repente raptum incurrit, & totaliter extra ſe, uſu omnium ſenſuum deſtitutus, quaſi mortuus ſedebat, nihil mouebatur uel ſentiebat. Sæpius autem apud eos hoſpitantes, de ſermonibus ſuprà dictis, conſolationem præbebant audientibus. Sunt enim tantæ exemplaritatis in omnibus eorum dictis & factis, in moribus & motibus tantam præferentes religionis oſtenſionem, ut non homines, ſed angeli uideantur eſſe. Nam in facie eorum quandam ſpiritualis repreſentationis notam habent, ut ſi nunquam amplius uidiſſes eum, quod ſolius uultus intuitione eum ſtatim cognoſcere poſſes. Sed quia ſatis de exteriori apparentia eorum locuti ſumus, nunc ultimo uideamus, ſi poſſumus, fructus, per quos eſſe cognoſcẽdos tales interius Saluator dicit Matthæi 8. Si quis enim uoluerit dicta eorum & facta priuatim & in particulari perſcutari, tantam in eis inueniet ambitionem propriæ reputationis, & tantum ſpiritualis ſuperbiæ uenenum, ut hoc quod dicitur, Angelũ ſathanæ ſe transformare in angelum lucis, proprie de ipſis poſſit intelligi. Nam ipſi dicunt ſe præ cæteris à Deo electos, & quaſi amicos Dei, ſe ab omnibus deberere honorari. Dicunt, ſe gratiam Dei † ſpecialiter ab alijs & præ alijs cõſecutos, ita ut nemo poſſit ſaluari, niſi mediãte gratia eorũ. Et propter hoc dicũt, uota & eleemoſynas totius populi deberi ſibi. Vnde ſi etiã eos aliquis in modico offenderit, ſtatim uindicãdo, indignationẽ Dei ſibi imprecantur. Quidam enim eorũ, dum ad hoſpitandũ ueniſſet in domũ cuiuſdam diuitis in partibus illis ubi ego eram, nõ longe diſtans à uilla noſtra erat domus eiuſdẽ diuitis, qui dum circa pecora occupatus cum familia, quia tẽpus erat pluuiale, non attendiſſet

*ſermonibus Carmina.*

*miniſterio*

2. Reg. 6.

*Tam magnam eße ſanctitatis ſpeciem in religioſis Turcorum, ut nõ homines, ſed angeli uideantur eße.*

*Ex fructibus eorũ agnoſcetis eos.*

2. Cor. 11.

*ſpiritualiter*

attendisset hospiti secundum uoluntatem eius: ille immediate de domo exiens, uociferando & imprecando eis indignationem Dei, recessit. Eodem anno in tantum uindicta Dei secuta est, ut in domo illa nec de hominibus, nec de pecoribus aliquid remanserit, quin omnia interierint. Et hoc de multis alijs audiui factum. unde multum cauetur ab omnibus, ne in aliquo offendantur. † Ex hoc considera re potes, quod iste non sunt conditiones amicorum Dei, quæ uult omnes homines saluos fieri: sed ipsius diaboli, qui non quærit nisi perdere. De hac autem materia, adhuc aliqua sum dicturus in sequenti capitulo. Hoc solum addere uolo, quod omnem malitiam & uersutiam diabolicæ fraudis, omnes denique nequitias artis eius, ad perdendas animas, plenissime in istis reprobis reperiri nullatenus dubito.

*Patientia iusti ciariorum.*

*Fideliter igitur conf. istæ, &c.*

*1. Timo. 2. Iohan. 8.*

## ITEM DE MOTIVIS SVPERNATVRALIbus, prodigijs, & signis mendacibus. Cap. XV.

INter cæteros huius sectæ, qui post mortem signis & prodigijs mendacibus claruerunt, & adhuc quotidie clarent, est unus principalis qui magnæ reputationis & ueneration is habetur in tota Turcia, cui nomen Sedichasi, quod interpretatur sanctus uictor, uel uictoriosus inter sanctos, cuius sepulchrum sacrum est inter fines Othmani & Karomani. Et licet isti duo frequenter inter se discordias habeant, & unus inuadat terras alterius, nemo tamen est ausus aliquando appropinquare sepulchro eius, uel terris ei propinquis aliquid mali inferre: quia sicut sæpe expertum est, qui ausi fuerunt facere hoc, magnam in eos secutam eius ultionem fuisse. Et illa est inter eos omnium communis opinio, nunquam aliquem fuisse fraudatum desiderio suo, de his qui implorant eius auxilium in quacunque necessitate, permaxime autem in bellorum factis & negocijs præliorum. Et hoc probat magna multitudo uotorum, in omni genere animalium & aliarum rerum & pecuniarum, quæ annuatim à rege & principibus, & totius† uulgi multitudine communiter ad eius sepulchrum deferuntur. Maxima nanque fama & æstimatio habetur de eo, non solum inter Turcos, sed etiam in omnibus huius sectæ nationibus. De his autem signis & prodigijs hoc dicere uolo, quod maior celebritas habetur de eo inter omnes Mahometistas, quam habeatur de sancto Antonio inter Christianos. Et est alius uocatus Hatschipettesch, qui interpretat quasi adiutorium peregrinationis, qui etiam multum inuocatur & ueneratur, maximè à peregrinis, qui eius auxilijs frequenter expediri dicuntur. Alius dicitur Ascik passa, qui ab amore nomen habet, & dicitur quasi patronus amoris, qui in matrimonio existentibus, sicut in partus periculo, uel habendæ prolis desiderio, uel discordantibus marito cum uxore, & pluribus talibus necessitatibus opem ferre dicitur. † Alius Van passa, discordantibus patrocinij concordiæ confert: de quo dicebatur, quod quærentibus se nunc iuuenis, nunc senex apparebat. Scheych passa, conturbatis & tribulatis solatio esse solet. In illis autem partibus ubi ego steti, multi fuerunt olim, qui pro Sanctis habebantur: quorum nomina nesciuntur: nihilominus sepulchra eorum habentur in magna ueneratione. nam si pro pluuia habenda, uel serenitate consequenda, uel pro quacunque alia necessitate solicitudo incumberet, conueniunt super sepulchra eorum, & uota sua & orationes facientes, magnam spem exauditionis suæ reportant. Quibus ego sæpius interfui cum eis, causa habendi aliquid boni de his quæ portant ibi ad comedendum. Inter illos autē duo sunt, quorum nomina sciuntur: quorum unus Goi, uel Mirtschin, alter Bartschum passa nuncupatur: quorum mira gesta narrabantur in eisdē partibus, maxime circa custodiā & conseruationem pecorum & aliorum animalium.

*Sedichasi sepulchrum.*

*populi communitate*

*Signa & prodigia, &c.*

*Dij auxiliares Turcorum.*

*Aliuan passa*

animaliũ. Sed præcipue illius qui dicitur Goi, uel Mirtschin, de quo ipsa mea do
*Deus pecorũ.* mina sæpissime mihi narrabat, quod magna beneficia eius cõsecuta fuisset circa
custodiam suorũ uitulorũ: unde annuatim ei certam quãtitatem butyri uouebat,
& reddebat. Addidit etiam dicens: Si quando obliuiscor uel neglexero uotũ red-
dere, statim damnum aliquod incurro. Sed & mihi persuadebat, ut eum inuoca-
rem, dum in pascendis ouibus lupum haberem infestum. Sed nec silentio præ-
tereundum existimo, quod dominus meus sæpissime solitus erat narrare. Dice-
bat enim, quod cum una dierum unus taurus suus de armẽto de sero cæteris ue-
nientibus pecudibus defuisset, statim ut in illis partibus moris est, conuocatis om
nibus uicinis, per modum uenantium unusquisq; cum pharetra, & arcu, & cani- 10
bus, ipso sero transeuntes ad propinquiora loca syluarum, nullum penitus inue-
nientes indicium, reuersi sunt. In crastino, eodem quo prius modo perlustrantes
omnia loca pascuarum, nihil omnino profecerunt. Die tertia cum iam adue spe-
rascente die fatigati, et omni spe frustrati essent, in reuersiõe subito inopinatè do-
minus meus conuersus ad semetipsum, mente quoddam uotum concepit, scilicet
quod pro amore sancti Goi, uel Mirtschin, si iumentum repertum fuisset, unum
*Pahlama.* panem calidum, quem ipsi † Pasiama uocant, butyro superposito, cum peregrinis
comedere uellet. Adhuc eo ista cogitante, subito concursus cum clamore excitan-
tur, & ecce taurus hærens cornibus in quadam arbore furcata inuenitur: & eo mi
rabilius, quia per triduum locum eundem inquirendo pertransierat, nec possibi- 20
*Dei auxiliares* le fuisset à feris saluum potuisse taurum remanere. Cum dominus meus uotum
quod concœperat omnibus retulisset, omnes in stuporem conuersi, Deo gratias
agentes, & merita & nomen Goi, uel Mirtschin extollẽtes, cum lætitia & gaudio
reuertentes, non solum de tauro inuento, sed etiam miraculo, quod experti sunt.
Est & alius, cui nomẽ Chidirelles, qui uiatoribus præcipue necessitatem patien
tibus, solet esse auxilio: cuius est tãta existimatio in tota Turcia, ut uix aliquis in-
ueniatur, qui in necessitate auxilium eius nõ senserit, uel à sentiente narrare non
audierit. Iste solet apparere in forma uiatoris, griseum equum insidẽtis: & statim
uiatori necessitatem patienti subuenire solet, siue eum inuocauerit, siue etiã eius
nomen ignorans, se deo commẽdauerit, ut à pluribus narrantibus compertũ est. 30
Sed & alterius prodigium narrare me compellit euidens ueritas, quod narraba-
tur ab his qui de eius cognatione adhuc superstites erant. Fuerunt enim quo-
*Superstitionẽ* dam tempore religiosi loci illius, qui nobis uicinus erat, diffamati per † suspicio-
nem de quodam tradimẽto contra regẽ facto, super quo nimis indignatus Rex,
omnes eos igne comburi mandauit. Ille autem qui inter eos prior erat, dum pro
excusatione & satisfactione sua & suorum, nequaquam eum placare potuisset, fa
*Memorabile* cta contestatione suæ & suorum innocentiæ coram Deo, ipse coram Rege pri-
*prodigium.* or ardentem comburendus intrauit furnum, & quousque totum incendium cir-
ca eum refriguit, omnino ab igne illæsus remanens, furorẽ Regis mitigauit, secũ
cum suis à periculo mortis eripuit, & posteritati suæ, necnon & uniuersæ gen- 40
ti illius sectæ exemplum solenne dereliquit. Cuius planellæ, quæ cum ipso in
furno ab incendio intactæ remanserant, pro testimonio ueritatis adhuc hodie in
eisdem partibus repositæ habentur. Taceo de innumeris gestis, quæ au-
diui ab uno qui adhuc uiuus est in corpore, non longe à partibus illis ubi ego
eram, qui tantæ erat famæ, ut quasi in omni loco, ubi esset conuentio uel con-
gregatio hominum, de ipso talis erat rumor, quod de omnibus rebus occultis
tam manifesta indicia dabat, & maximè de rebus perditis, uel furtim abla-
tis, quod omnes latrones & fures illius terræ propter eum exterminati erant,
nec aliquis audebat apparere. Et licet multas insidias ei fecissent, tamen omnino

nihil

nihil nocere poterant. Et quod multo mirabilius est, pluribus ad se uenientibus, prius ipse occulta mētis eorum coram eis declarauit, quàm ipsi ea sibi retulissent. Quem & ego propter famæ magnitudinem uidere decreueram, post adeptam libertatem: nihilominus præpeditus recedendi solicitudine, quæ mihi tunc instabat, & anxietate difficultatis in exeundo & euadēdo. Ista & alia multa, quę audieram, neglexi uidere: & fortè Deo sic disponente, quod magis credo: quia talia uidere & curiosius perscrutari, sine dubio magnū detrimentum fidei possit inferre.

*Qui ueritatē nō suscipiunt, ut salui fiant, mendacio credunt, ut damnentur. 2. Thessalon 2.*

De his autem qui Neffes ogli dicūtur, sicut suprà dixi, quorum semper duo uel tres in illa ciuitate magna, quæ Prusczia uocatur, dicūtur haberi: quorum capilli, uel de uestimentis eorū aliquid receptum, omnem infirmitatem depellere dicebatur: dicere plura causa breuitatis omitto. Dicuntur enim tales prodigiosè nasci, id est sine uiríli semine: & per cōsequēs, tota eorū uita & actio supernaturalis & mirabilis credēda est. de quo etiā in præcedēti capite aliquid, uel modicū dictū extat.

*Prusczia.*

## VTRVM MOTIVA ALIQVA SINT SVFFICIENTIA *ad auferendum Christiano fidem.* Cap. XVI.

SI autē aliquis mihi diceret, Quid te mouit, quod tu de fide Christi dubitares? & fortè negasses, nisi misericordia Dei te cōseruasset? Breuiter respondendo, ad historiam meæ infelicitatis, quā in Prologo narrare incœpi, ea quæ huic quæstioni congruere uidentur, adiungam. Nam cùm à primis meis emptoribus ductus fuissem † Adrianopolim, me emptum mercatores ultramarini, in quadam ciuitate quæ Burgama uocatur, cuidam uillano reuendiderunt: cuius mihi crudelitas ad hoc profuit, ut celeriùs agerē pro libertate consequenda, insuper horrorē illius sectæ mihi inducens, & fide Christi me consolidans. & licet longè me abductum conspicerem, nihilominus de dei adiutorio non desperās, fugam inire non distuli. Cum igitur post primam fugam mihi inuento, & ad † domum reducto, furorem conceptum reprimens pepercisset, minando si secundò fugerem, duplicis uindictæ me expectare rigorē: me, qui magis mori quàm uiuere optabam, nō solum non terruit, sed etiam ad secundam fugam citius agēdam prouocauit. De his autem quæ mihi post fugam secundam fecerit, hoc solùm dico, quòd non solum ea quæ minatus fuerat, perfecit, sed omnia quæ citra mortem fieri possint sine aliqua misericordia crudeliter peregit. Necà uinculis absoluisset me, nisi duæ sorores eius carnales pro me interuenissent, fidemq; iussissent, me amplius nō fugiturū. Hæc omnia continēs, nec iam dubius de crudelissima morte, si post tertiā fugam me reperissent, non longè pòst cuidam de mercatoribus simulatis, de quibus mentionem superius feci, me sponte tradidi, qui me de ipso liberatum, in spacio quatuor mensium, de loco ad locum tribus uendidit uicibus, & tandem in locis remotissimis dimisit. Interea quinq; anni in isto medio transierunt. Dum igitur omnes modos fugiendi, cum maximis periculis & immensis laboribus probassem, post ultimam fugam, quæ erat octaua in ordine fugarum, quam feci in domo ultimi domini, quasi omni spe libertatis frustratus, & à Deo derelictus, cœpi intra me cogitare, & fatigatus atque fractus quodammodo, in animo hæsitare & dicere: Vere si placuisset deo illa religio, quam hactenus tenuisti, utique te non dereliquisset isto modo, sed auxilio fuisset tibi, ut liberatus ad eam reuerti potuisses. Sed quia omnem liberandi uiam tibi obstruxit, fortè magis sibi placet, ut illa derelicta isti sectæ adhæreas, & in ea saluus fias. Et ex tunc neglectis orationibus & psalmis, quos ibi scripseram & frequentaueram, incœpi addiscere orationes & ceremonias eorum, & frequentare diligenter quantum potui, & quantum permisit onus seruitutis: & hoc magis nocte & occultè quàm de die. Cœpiq; inter cętera doctrinas religiosorum (de quibus superius mentionem feci)

*Edrenopolim*

*dominum*

*Fides autoritatē tentata.*

feci) diligentius ruminare, quæ ceremonias & legis ritum ad sensum spiritualem trahunt, & quodammodo religionẽ Christi approbant & confirmant. Frequens igitur illarũ ruminatio fuit apud me. Tandem elapsus in hac mea fluctuatione, sex uel septem mensibus, subito una dierum, deo auxiliante, mentem meam mutauit, ita ut dimissis omnibus sectæ illius ritibus, incœpi pristinas orationes meas resumere, & fidem catholicam quasi perditam & recuperatam drachmam fortius amare, & constantius tenere, & diligentius quàm prius feceram custodire. Illos igitur quindecim annos, quos ibi postea transegi usque ad libertatem, ita firmatus permansi, ut nullum motiuum, siue interius, siue exterius me perturbare potuit. Omnia enim quæ posthac audiebam, uel uidebam, nihil aliud quàm deliramenta & illusiones diaboli interpretatus sum. De ista igitur modica fluctuatione in tantum profeci, ut si cẽtum annis inter eos manere debuissem, nullatenus motus fuissem: nec de religione Christiana aliquid dubij admisissem, auxiliante mihi diuina clementia. Ex hoc igitur exemplo unusquisq; perpendere potest conclusionem quæstionis nostræ, quòd omnia motiua possunt quidem animum fidelis Christiani, deo ad profectum suum hoc permittẽte, aliqualiter perturbare: à fide autem Christi auertere nullatenus possunt, nec spem salutis adimere. Mea enim perturbatio non fuit propter desperationẽ salutis, sed libertatis. Credebam enim deo placere, ut legem illam tanquam remedium salutis amplecterer, ex quo ab alia me separaui. & ideo quia illã dimisi, cœpi aliam amplecti, & in ea salutem quærere. Non sic impij renegati, non sic faciunt. non enim alicuius seducti motiui fallacia, sed propria iniquitate & malitia inducti, fidem negant: nec ob illam obseruandam, istam abijciunt: sed sicut istam non nisi fictè tenuerũt, sic nec illam intendunt obseruare. Sed quia in ista quæ strictioris est obseruãtiæ, sentiunt sibi ad perpetrandum malitiã suam obstare remorsum conscientiæ, ad illam quæ largior est, se conferunt, ut libertatem malitiæ habentes, uelamen damnatæ suæ conscientiæ, ad ducendam uitam in omni genere uitiorum, possint pertingere ad finem totius diabolicæ nequitiæ, ad quem sectæ illius error plenissimè perducit. Nequaquam enim Deus ueritatis auctor, permittit aliquem, spem salutis habentem, derelicta ueritatis uia, errori adhærere. Nam si aliquis Christi fidem, per motiua inductus, uel tribulatione & angustijs coactus, negare deberet: multo magis ego negassem, quia ea tantum expertus sum, quantum possibile est aliquem posse experiri. Nec reperiri possibile est unquam aliquem Christianum fidem negasse, cum nõ solum fortes & uirilis ætatis, sed etiam teneras uirgines & pueros, examinatos exquisitissimis tormentis, fidem Christi usque ad mortem constantissimè confessos, firmiter tenuisse, quotidie legere & prædicare audiamus. Viso igitur exemplo, audiamus etiam quid dicat autoritas Abbatis Ioachim, super isto uerbo: Quis similis bestiæ? &c. Multi, inquit, qui habitant in terra illa, in die illo terribili frangẽtur & dissoluentur à compage fidei, percussi timore. Non enim uidebitur illos posse sustinere flagella, qui positi in pace ecclesiæ, nequeũt uel leuissimam contumeliam pati. Dicant ergo, quis similis bestiæ? &c. Prius desperabunt de uictoria, quàm perueniatur ad bellum: & territi à uoce bestiæ, perdent fidem, quam inaniter & fictè pacis tempore tenuerunt. Et Ioannes in Canonica sua: Multi à nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si ex nobis fuissent, nobiscum utique permansissent. manifestè ostendens, quòd fidem Christi quidam perceperunt, sed eam operibus non impleuerunt. Ad idem testis est Apostolus Paulus, qui dicit: Quis nos separabit à charitate Dei? &c.

*Fides autoris rursum firmata.*

*Electis cooperantur omnia in salutem, impijs in perniciem.*

Apocal. 13.

1. Ioannis 2.

Rom. 8.

Dein-

## DE INTERPRETATIONE MOTIuorum. Cap. XVII.

VIso, quod nequaquam aliqua motiua sunt sufficientia ad auferendũ fidem, nunc quomodo interpretanda sunt cuilibet fideli, quo possumus modo meliori, uideamus. Quia igitur ecclesia Antichristi, quasi quoddam ædificium dispositа est, cuius si fundamentum quomodo à ueritate uacuum est, uisum fuerit, totius structuræ uidere ruinam in promptu erit. Profitentur enim (ut suprà dictum est) dicentes † Laalla, hahillalach, Mehemet erczullach. Vnde & in primis considerandum est, quod non præponit aliquid, neq; supponit, sed absolutè pronunciando dicit, Deus est unus. In isto professionis modo, à se cultum Dei usurpatum ad aliorum profectum, suam uerò perniciem, manifestè ostendunt. Ea enim quæ ad ueræ religionis profectũ & sufficientiam pertinent, omnia hic deficiunt. Fideles enim se uerè Dei cultũ habere ostendunt, dum in sua professione dicunt Credo. In quo habitus fidei ostenditur, per quam Deo, quem colunt, se subditos esse pronunciant. In hoc autem quod subditur, In Deum, &c. ostenditur habitus charitatis & amoris, per quem Deo, quem colunt, uniri, & cum eo corpus unum effici se declarant. In omnibus autẽ alijs quę sequuntur, scilicet mysterium trinitatis, creationis & redemptionis, habitus spei comprehenditur, per quam totius salutis se posse perfectè consequi efficaciam demonstrant. Quid autem isti nephandissimi Turci sibi uolunt, cum dicunt, Deus unus est, nisi hoc Luciferi patris eorum, quando dixit, Super cœlos ascendã, & similis ero altissimo, † Nam diabolus etiam sciebat unum esse Deum. Sed fortè dicunt, intelligendam esse pronunciationem cum additamento, ut scilicet dicatur, Vnus est Deus quem colo, quem adoro, &c. Sed tunc quando detestandæ blasphemię ex eadem pronunciatione resultent, uideamus. In primis eorum principes & prælati, Deum se colere dicunt, cuius non solùm cultum uerum, quantum possunt impugnant, sed etiam se ab omnibus, dum eos sibi mancipando subijciunt, coli pro Deo uolunt: & sic non immeritò Deum patrem blasphemant, dum beneficium potestatis acceptum ab eo, in suam iniuriam & inimicitiã retorquent. Sacerdotes uerò eorum, dum sapientiæ donum se habere simulant, & fidelium animabus occultè insidiantur, nonne filium Dei, qui Dei sapientia est, Deum se colere dicentes, blasphemant? & cultum ueri Dei oppugnantes, & doctrinam totius peruersitatis docentes, animas fidelium secum in perditionem ducunt? Sed fortè nec minoris nequitiæ Deriuischzler, qui & simulati religiosi eorum qui spiritum diabolicum præferentes, cum simulata ostensione uirtutum, dum colere se Deum dicunt, spiritum sanctum (qui ueritatis inspirator est & doctor) blasphemant, & ad euacuandum ueri Dei cultum, cum toto malignitatis spiritu anhelare præsumunt. Videat nunc uerus Dei cultor, quomodo hæc diabolica secta, super summam totius maliciæ consistit fundata. Præcedentium enim persecutorum Ecclesiæ Dei, aliqui eam impugnauerunt: reliqui uerò in expugnando eam laborauerunt: cæteri autem ad euacuandum cultum Dei operam dederunt. Sed hi omnes ecclesiæ precibus adiuti, ad effectum suæ maliciæ peruenire permissi non sunt. Et propter hoc usq; nunc diabolus, Ecclesiæ precibus impeditus, quasi ligatus in Apocalypsi describitur. Ista autem secta quasi caput omnium præteritarum, ad effectum maliciæ in tantum peruenit, ut iam Ecclesiæ preces ei auxilio, in his quæ ad salutem pertinent, nequaquam esse possint. Et ideo diabolus quasi solutus à uinculis, & expeditus sine omni impedimento, ad omnem artem suæ nequitię se conuertit in tantum, ut nunc quidem in mysterio adorari se in reproborũ persona faciat: elapso autẽ non multo tempore, etiã in persona propria hoc facere eum dubiũ non

*Illaylach Hyllaylach mehemmet*

*Cultus fideliũ.*

*Esaiæ 14.*

*† malignitatis mysterium uel le in executionem mittere?*

*Mahometi secta reliquarum omniũ caput.*

*Offensionis diuinæ triplex in hac secta argumentum.*

est. Tria igitur indicia odij diuini, in ista secta super omnes alias præteritas, considerare debemus. Primum est, quòd Deus permisit, ut cultores Dei nomen usurpare sibi præsumerent: quod quantum Deus odiat, apparet in hoc, quòd potius 1 uoluit ut idola colerentur, quàm quòd à reprobis coleretur Deus, cuius mysterium

*Idololatria minor hypocrisi.*

ignorant. Minor est enim culpa idololatriæ, quàm Deum fictè colere. Vnde plures idololatræ fidē Christi receperunt. de fictis autem Deum colentibus, ut suprà dictum est, nunq; aliquis ad fidem Christi reperitur cōuersus. Et si aliquis conuersus inueniretur, magis pro miraculo homini haberetur factū, quàm per uiam ordinis naturalis, maximè istis temporibus. Pro quo notandum, quòd offensio diuina in triplici gradu habetur. Primus est iniuriæ, & est omnium extra Dei gratiam existentiū. Sicut sunt infideles, & peccato mortali obnoxij, qui auersionem Dei incurrunt. Et isti possunt ex facultate liberi arbitrij sui, ad Deum conuersionem acquirere pœnitendo. Secundus gradus offensionis est illorum, qui peccata peccatis addendo, contemptum Dei incurrunt: ut sunt hæretici & hypocritæ, & Deum fictè colentes, & huiusmodi, qui honori diuino detrahētes, iram Dei merentur, quā per se placare non possunt, quibus necessarij sunt intercessores. Tertius gradus est illorū, qui ad contemptū Dei, despectum addunt. & hoc est genus desperatorū, qui ad gloriā Dei aspirantes, gloriātur cum malè fecerint: super quorum animabus diabolus potestatē inuincibilē accipiens, usq; ad indignationem Dei eos perducit. Et tales modo ordinario nequaq; amplius, neq; per se neq; per alicuius intercessionē, ad Deū conuerti possunt. Absoluta tamen potētia diuinæ pietatis, quę infinita est, hoc facere potest. Et licet igitur prioribus temporibus, de huius sectę reprobis plures fidē Christi receperint, sicut legitur de sancto Vincentio ordinis nostri, qui plures Sarracenorū conuerterit: tamen modernis temporibus, secundū meam coniecturā, credo, quòd culpa eorū excreuit in tantū, quòd de secundo gradu offensionis diuinæ ad tertiū iam producti, per diabolī iuuincibilem potestatē, indignationē Dei contra se sic prouocauerunt, ut iam nec per se, nec per alicuius intercessionē, ad statū salutis possint reuocari. Et si factum fuerit in aliquo, pro miraculo habendum existimo, sicut etiam infrà in cap. 20. dicetur.

*S. Vincentius.*

2 Secundum indicium odij diuini, est simulatio sanctitatis, & prodigiorum & signorum mendacium ostensio. Cum enim iusti ad deferendū honorem debitum, omnium bonorum largitionem à Deo cognoscentes, nihil supernaturalis experientiæ desiderent, optent, uel consequantur, non immeritò diuinæ indignationis & odij indicium esse dicendū credo, quòd reprobi tantis signis & prodigijs mendacibus clarent, quæ consecuti sunt ex inordinato desiderio, & appetitu uanæ laudis & gloriæ, ad deprauandum uera signa & prodigia sanctorum, & ad detrahendum diuino honori, & ad euacuandum diuini cultus mysteria & sacramenta, & ad suæ cæterorumq; damnationis cumulum.

*Deriuatio*

Tertium indicium odij diuini, est longæua † duratio super cæteras sectas, de quo etiam superius in 13. capite dictum est, & paulo antè in isto capitulo. Nulla enim sectarum permissa est, de iniuria diuina ad contemptū, & de contemptu ad despectum peruenire, sicut huic sectæ creditur factum. Sed necdum finis. Nam licet in contemptu satis profecerit, despectus tamen initium iam incipit facere, ut suprà dixi. Poterit tamen iam de profectu aliquid coniecturari, uiso initio, ut in sequenti cap. dicetur. Licet ergo Deus ista tria iam dicta patienter dissimulet, firmiter tamen credendum est, quòd ei tantum sunt in odio, ut tandem propter finalem malitiam eorum, quasi coactus & constrictus, ad iudicium uenturus sit. Cum enim cultus Dei, propter quem omnia creata sunt, euacuatus fuerit, non immeritò omnis creatura commouebitur, & iustum iudicem ad ultionem inimicorum inuitabit. Sed euacuationem diuini cultus cum audieris, de accidentalibus,

bus, & non de essentialibus dictum intellige. quia licet nullus inueniatur locus ad exercendum cęremonias, quæ ad cultus diuini solennitatem pertinent, & hoc Deo permittente, & reproborum malicia exigente, ut scilicet credant contra Deum se iam prævaluisse, & cultum eius totum euacuasse, tamen usq; in finem seculi nunquam deficiet, imò semper proficiet cultus diuinus in essentialibus, ita ut electi temporis nouissimi, perfectionem omnium præteritorum Sanctorum habebunt summatim, licet paucissimi latitātes in cauernis & speluncis, exhibebunt tamen cultum dignissimum Deo uiuo & uero. De hoc autem quod superius replicaui, quomodo scilicet reprobi nō possunt adiuuari orationib. ecclesiæ: notandum, quòd Martyriū est species pœnitētiæ, quæ uolūtariè assumitur & toleratur, & per disciplinā regularē, sicut cætera opera pœnitentiæ, perficitur. Vnde plures sancti licet persecutoris gladium non senserint, tamen propter uoluntatē patiendi, & pœnitentiæ suæ asperitatem, corona martyrij non sunt priuati. Vnde persecutores martyrum, eis magnum † obsequium præstiterunt, & quasi quidam adiutores, uel etiam causa, ad tantā gloriam perueniendi extiterunt. Et propter hoc etiam cultus diuinus, quasi eorum adiutorio, ad culmen magnę perfectionis perductus est. Et ideo non solum ipsi Martyres, sed ipsa etiā ecclesia uniuersalis, qua si multū obligata, dum pro eis oraret, sicut pro alijs debitoribus, exaudita est: ita ut magna pars eorum ad fidem conuersa est, & tandem tota gentilitas cultrix ueri Dei effecta est. Opus autem iustificationis, quia non ad humanam, sed ad diuinam iusticiam pertinet, non perficitur disciplina regulari, sed cœlesti: nec eius pœna est uoluntariè assumpta uel tolerata, sed inflicta secundum modum & uoluntatem Dei iustificantis. Persecutor autem, & anima iustificata, habent se per modum instrumenti, & non per modum agentis & patientis. Inde est ut debitum quod interuenire potuit, quamuis modicū, beneficio temporalis seruitij, quod à iustificatis, persecutoribus suis exhibetur, compensationē recipit. Et dum ecclesia orans dicit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: nihil eis prodesse potest quibus ecclesia nihil debet, nec culpa eorum à iustificatis, quibus nihil nocere potuerunt, nec aliquid profuerūt: sed à renegatis, quos ad suum errorem traxerunt, & damnationem, augmentum recipit. Et sic remoto impedimento, quod ecclesiæ orationibus fiebat, diabolus quasi solutus à uinculis, & potestate accepta, de humana natura intendit se uindicare, sicut manifestè apparet in reprobis, in quibus quotidie tam magnum profectum facit, in perdendis animabus, in illa secta. Sed quomodo meritoriū sit opus iustificationis, cum non sit uoluntariū, in 13. cap. patebit, cum de cōditione & † ueritate disciplinæ dicet cœlestis, quę ipsa naturalia, artificialiter operādo, quasi supernaturalia efficit.

*Electi temporis nouissimi.*

*Martyrium.*

*exequium præstauerunt*

*Impij persequendo pietatem, eam promouent.*

*Iustificationis opus cœlestis disciplinæ, nō humanæ.*

*Malos homines & seductores, proficere in peius, seducere, et seduci.*

*uirtute*

## DE PROFECTV MAGNO FVTVRO HVIVS SECTAE, *qui ex fundamento eius consideratur.* Cap. XVIII.

SI igitur, ut in præcedenti capite dictum est, ista secta despectus diuini initium fecit, & indignationem Dei contra se prouocauit, quasi clibanum succensum ad consumendum, & diabolus diuinæ uindictæ administrator, quasi leo solutus à cauea, succinctus cum omni malignitatis suæ potestate & præparatus: quis poterit stare ad uidendum furoris illius ardorem æternum? aut huius executoris tyrannidē sustinere? Certè intolerabilis nimis erit furoris illius aspectus, & executoris illius tempestas tam horribilis, ut cœlum superius, & terra inferius contremiscent, sidera cuncta nutabunda pauebunt, maris pelagiq; fundamenta concutientur, & omnis creatura, turbato creatore, immēso tremore turbata illius crudelissimi exactoris, tantam super se acceptam potestatem cernens, ut non esse ullum modum uel locum euadendi, insolitis motibus exagitata, in seipsa tabefacta,

deficiet. Non igitur ô fidelis anima te moueant, quæ hactenus audisti & uidisti, & experta es in initio tantorum malorum. Sed dispone animum tuum in omni spe & fiducia, exerce mentem tuam in omnibus operibus charitatis, cõfirma cor tuum in fide Christi, ut te non moueant terribilia quę futura sunt, in quorũ †operatione solatium apparebunt ea quæ hactenus magna putasti. Audisti fortè, & experientia didicisti Turcorum magna prælia & uictorias, & mirata es: sed scias quòd initium malorũ sunt ista. Nam modicum expecta, uidebis in hac secta tantam tyrannidem & uictoriarũ magnitudinem futuram, quòd nec Alexandri magni, & Romanorũ uictoriæ, qui sibi totum mundum subiugauerunt, ualeant eis comparari. Non enim, sicut in illorũ tyrannorũ bellis, solùm corporũ erit occisio: sed animarum simul & corporum æternalis, per quatuor † climata mundi erit uniuersalis perditio. Item uidisti nõ sine admiratione feruorem maximũ Turcorum ad propugnandũ & dilatandũ sectam illam. Sed maiora uidebis. Nam in tantum extendetur audacia & præsumptio eorum in futuro, ut flamma ipsius diabolici spiritus incẽsi, totũ genus humanũ in stuporem uertent, ipsam quoq; curiam cœlestem in admirationem sui mittent. Item miraris multiplicationem eorum: sed multiplicatio eorum futura, si quanta sit considerasses, præsens eorum multiplicatio tibi uiluisset. In tanta enim erunt multitudine futuri, ut aeris atomos & pulue rem terræ, arenam quoq; maris excedere uideantur, & more locustarum totius terræ superficiem implebunt. Item dicis, quomodo tam multi ad eos conuertuntur: expecta, & uidebis de omnibus gentibus, populis, & nationibus, & linguis eis adhærentes uniuersaliter, ut uix pauci cultores Dei in speluncis & cauernis terræ remanebunt, ad obseruationem & conseruationem cultus Dei uiui. Miracula & prodigia mendacia, quæ nunc inter eos fiunt, non sunt nisi quędã semina malicíæ, demonstrantia qualis futura sit illa messis diabolicę operationis, quando ipse satanas in humanam formam transformatus, ad omnia opera nequitiæ, ad quæ à reprobis fuerit inuitatus, ita se promptissimè offeret, ut nihil malignitatis studij remaneat, quod non ad plenum impleatur. Videbis mortuos resuscitari, omnis generis morbos curari, secreta cordium reuelari, & abscondita à seculo thesaurorum loca reperiri, & nihil ex omni genere maleficiorũ † fore, quod non consequutum à reprobis fuerit. Tanta pręterea erit simulatæ sanctitatis & religionis ostensio futura, ut sanctorum patrum quorumcunq;, & ipsorum apostolorum sanctitatem, uidebuntur excedere. De ipsorum morum & aliarum uirtutum simulatione futura, hoc solum dico, quòd tanta erit in uniuerso populo de eis fama & æstimatio, ut eorum similes à principio mundi usq; ad finem, non credãtur posse reperiri. Quid enim eis poterit deesse de omni genere simulatæ uirtutis, quos ipse malignus spiritus inhabitando mirabiles exhibebit in aspectu, & mirabiles in facto, ita ut ab omnibus pro dijs colendi censeantur? Hæc igitur pauca de istius malæ arboris pessimo fructu futuro, sic interpretatus sum per coniecturam, eo quòd in radice eius, quam tam firmiter fixit, amaritudinẽ ita gustãdo probaui, & expertus sum, quòd nõ solum talia quæ dixi, sed in infinitũ plura, quę nec lingua potest exprimere, nec intellectus capere, sine dubio credo ex ea processura. Sed nec quisquam sapiens est, uolens quotidianum defectum Christianitatis, & illius sectæ continuum augmentum, diligenter & fideliter considerare, qui non ita hoc futurum esse suspicabitur. In tanta enim uelocitate uidemus cultus diuini diligentiam inter Christianos continuè deficere, & omnem uanitatem ac teporem fidei, & torporem charitatis, & maliciam uitiorum augeri, ut bene consideranti non sit dubium, quin illa diabolica potestas iam initium fecerit, & non elapso multo temporis spacio ita se diffundet & extendet in mentibus humanis, ut in omni statu

*comparatione*

*Turcorum uictoriæ.*

*elementa*

*Ista ut prædicta sunt ab authore ante centum annos, ita hodię gerũtur.*

*Miracula Saracenorum.*

*permanere*

*Ista omnia prædixit Paulus futura. 2. Thes. 2.*

*Christus cum suis infirmus, diabolus cum suis potens.*

uix

uix aliquæ reliquiæ Christianæ religionis in ueritate poterunt reperiri. Et licet foris solo nomine aliquid apparentiæ remaneat, tamen interius non iam Christus, sed satanas totũ occupabit, ut non iam Christiani, sed potius antichristiani non immeritò dici possint: & tunc negabit mihi aliquis esse opus aliquo motiuo, cum uiderit ipsos Christianos ex propria malicia iam, antequam ueniat Turcus, Christum abnegasse. Quis ergo antiqui hostis potestatem ac potentiam, qualis in opere futura sit, non uideat, si in tam breui temporis spacio talia perpetrauit? Faciant igitur fidẽ ea quę uidemus, his quę futura diximus, & timere nos faciant, ne incautè incidamus in manus eius, de quibus euadendi nulla remanebit facilitas.

## DE RELIQVORVM MOTIVORVM interpretatione. Cap. XIX.

VIso autẽ in superioribus de interpretatione fundamenti, quod est ipsa professio, nunc de reliquorum motiuorum interpretatione consequenter dicendum est. Et pro introductione istius materiæ notandum, quòd omnia quæ de interpretatione motiuorum dicta uel dicenda sunt, ad simplices, qui de exterioribus mouẽtur & iudicant, pertinent. Spiritualis autem homo, qui omnia iudicat, & à nemine iudicatur, huiusmodi interpretationibus non indiget. Nam omnia quæ in exterioribus geruntur bonis & malis, communia sunt, quorum iudicium & differentia in intentione consistit. Qua agnita, uniuscuiusq; opus, ad quem finem tendat, faciliter iudicatur. Si igitur secundum intentionem uolumus iudicare, uidebimus Deum in Christianis, & diabolum in Turcis inuicem pugnantes. Sed ab initio mundi semper maliciam diaboli Deus in caput suum retorsit: & quantum acrius & crudelius ecclesiam suam persecutus est, tantũ Deus eam per maliciam eius ad † cultum gloriæ & meriti prouexit maioris. Quia autẽ ab initio mundi, nunquam fuit persecutio similis huic in malicia & diabolica astutia, certissimè & indubitãter credendũ est, nunq; ex aliqua persecutione tantũ fructum meritorũ Ecclesiam Dei reportasse, sicut ex illius sectæ consequitur persecutione.

1. Corinth. 2.

† culmen

Veniamus igitur ad aliqualem practicam, & uideamus quę sit differentia inter intentionem Dei & diaboli, in uictorijs istius sectæ. Diabolus enim Christianos in ipsis Turcis persequẽdo, captiuando, tribulando, & in uarias anxietates & calamitates mittendo, incarcerando, emptioni & uenditioni exponendo, confusionibus & ærumnis innumeris, supplicijs & miserijs affligendo, intendit cultũ Dei omnino euacuare, & salutem humani generis impedire, nec non propter potestatem magnam quam nunc accepit, credit se etiam de Deo posse uindicare. Sed intentio Dei longè aliter se habet. Deus enim intendit cultum suum non extinguere, sed multiplicare. Merito enim gratiæ, quo prius ecclesiam suam decorauit, nunc meritum gloriæ addere intendit, & Ecclesiam suam tanq; sponsam ornare, & eam sine ruga & nota alicuius offensionis sibi exhibere, ut digna sit thalamo & amplexibus suis. Et hoc per istum modũ. Intendit enim uoluntatem humanam mortificare, & carnalem affectum in spiritualẽ mutare, & de corde humano omnem peccandi auferre consensum. Videamus adhuc magis in particulari. Primo peccator punitur intentione pœnitendi, & per istam pœnitentiam omnis culpa peccati deletur. Secundo punitur in sensu, & aufertur pœna peccati. Quare autem iam tertio punitur in † sensu, nisi ut uirtus † inducatur pro uitio. Quarto igitur loco, quo modo actus ipse per pœnitentiã non sit meritorius, quando non de culpa nec de pœna, sed de uirtute procedit? Quis ergo non miretur, quomodo in uno eodemq; opere culpa peccati & pœna deleatur, & uirtus cum merito inducatur? Sed hoc mirum non erit, si uirtus disciplinæ cœlestis diligenter inspiciatur, de qua paulo inferius dicetur. Quãta autẽ & qualia sint necessaria ad ista perficienda,

*Intentio Dei & diaboli in uictorijs Turcorum.*

† consensu

*indicatur*

ficienda, solus ipse summus artifex scit, qui ad tam mirabile opus tam mirandum instrumentum fabricauit. Gloriantur igitur Turci de uictoria: multo magis Christianus glorietur, qui per hanc uictoriam de ipsius diaboli potestate eripitur, & in libertatem filiorũ Dei transfertur, per quam ipse Turcus diabolicæ seruituti mancipatur, libertatem in æternum amplius non adepturus. De interpretatione seruoris notandum, quòd ipse inimicus humani generis, incendium odij & liuoris excitat in cordibus reproborum, & solicitat sine intermissione ad persequendũ fideles. Sed econtrà Deus in electis suis, flammas illius sanctissimæ charitatis, qua inimicus diligetur, accendit, ut eis cum diligentia seruiant, honorent, obediant, & domos eorum gubernent, filios & filias nutriant, & seipsos sine præiudicio seruitijs eorũ impendant, & quasi sui ipsius obliti, uerba & uerbera contemnant. Insuper illatas sibi iniurias pro nihilo reputent, panes suos die ac nocte cum lachrymis, & potũ cum fletu miscentes, quasi à Deo derelicti, capita reprobis inclinent, coram eis ingeniculent, & fatigati iniurijs obsecrent. Nec tamen lassis datur ulla requies, sed de agro reuertenti labor uineæ indicitur: & cum omnia opera nihil omittendo perfecerit, uix panis siccus cum aqua, ad refocillandũ potius quàm ad comedendũ, ad instar canis extra domũ uel retro portã porrigitur: & ut festinãter se expediat, cum indignatione præcipitur: & ne tempus ocioſe transeat, quàm citius ad omissum opus non tam destinatur quam expellitur. Hæc & innumerabilia his similia, spiritusſancti feruore accensi fideles Christiani, inimicis suis seruiendo tolerant, ut ualeant ad meritum æternæ gloriæ finaliter peruenire. De multiplicationis interpretatione notandũ, quòd reprobi multiplicantur in numero, & deficiunt in merito. Electi autẽ deficientes numero, in tantum multiplicantur merito, ut quasi stellæ cœli, numerari non possint. Quot enim in anima & in corpore sunt species individuæ, tot sunt eorum materiæ merendi. Cœlestis enim disciplina non coarctatur loco uel tempore, sed omnia simul complectitur, principium medium & finem in una eademq; operatione coniungens, præsens præteritum & futurũ in uno momẽto cõstituens, de imis ad summa nõ discurrẽdo, sed discernẽdo, nõ interueniente mora ascendit & descendit ad ima de summis. Insuper eadẽ cœlestis disciplina, intentionẽ, sensum & cõsensum actũq; in eadẽ operatione nõ diuidit. In substantia esse & non esse, in memoria scire & nescire, in potentia posse & non posse, in uoluntate uelle & non uelle, ita cõiungit, ut quod in uno deficit, in alio supplet, nihil defectuosum, nihil incompletum relinquens, sed & prospera & aduersa, læta & tristia, amara & dulcia, denique bona & mala, & quæcunq; in humanis passionibus interuenire possunt, omnia ad meritum cooperantur. Quæ igitur potest esse cõparatio, de multiplicatione numerosa reproborum, ad multiplicationem tantorum meritorum? Prorsus nulla. Sed nunc de miraculorũ & prodigiorũ mendacium interpretatione aliquid uideamus. Pro quo notandũ, quòd ipse diabolus, quos motiuis exterioribus & materialibus illaqueare nõ potest, quia curiosi sunt & sagaces, ijs necesse habet ut prodigiorum mendacium laqueos injiciat. Vnicuiq; enim escam deceptionis secundum suum appetitũ uenator studiosus curat proponere. Sed frustra iacitur ante oculos pennatorum rete illius diabolicæ tentationis. sagittæ enim reproborũ repercussę fidei scuto, in corda eorum intrant, & oculos mentis eorum in tantum excęcant, ut diabolicas illusiones, diuinas consolationes credant. Et dum propter hoc seipsos reputantes, cæteris se præferre præsumunt, quid aliud nisi illius antiqui hostis militiæ se ad singulare certamen, cõtra ecclesiã Dei, primicerios & duces ostendunt?

*Impij uincentes uincuntur, Pij uicti uincũt*

*Pij propter & per Deum omnia mala constantissimè uincunt.*

*2. Thess. 2.*

Iusti autẽ, dum tantã nequitiam diabolicæ fraudis, cum adiutorio diuino euasse tunt, pro maxima eis uictoria ascribitur, & quasi singularis certaminis culmen adepti,

adepti, in persona uniuersalis ecclesiæ tam militantis quàm triumphantis, gloriosæ uictoriæ primã coronam accidentalis præmij obtinebunt. Præterea reprobi pro consolatione ista momentanea, quantas æternæ damnationis desolationes sint accepturi, ipsi tunc experti uidebũt. Quod autẽ iustis in hac cõsolatione subtrahitur, centuplum in consolationis æternæ præmio reddetur. Videamus nunc desolationis modũ. In tantum enim alieni ab omni cõsolatione sunt, in omnibus modis desolationis præsentis uitæ, quòd non solum infra ipsam naturam, sed & contra naturã uitam agere uideantur. Et omnis reputationis species sic eis aufertur, ut possint esse in derisum & in despectum, & in opprobriũ omnibus, quasi iam nõ cum uiuis sed cum mortuis deputati, despecti & dejecti, quasi lutũ & stercus execrati, & ab omnib. quasi terra, quę pedibus calcatur, reputati, & nõ solum ab hominibus, sed etiã à proprijs passionibus ita deuicti, ut se ipsos iam nõ homines, sed bestias reputent. Et confusi in semetipsis, ita ut etiam corã hominibus apparere non audeant, sed quantũ possunt declinant, ne ab hominibus uideantur: sed & in tantum rubore perfusi, ut se hominũ conspectui indignos in ueritate credant. Insuper etiam quod maius est, ad maiorem eorum confusionem, Deo permittente, sæpius contingit, ut in medio hominum, quorum præ uerecundia aspectum declinare uolunt, inuiti deputentur. Et si de eis aliquid uel modicum reputationis haberi ab aliquibus permittitur, hoc non ad materiam consolationis, sed ne in baratrum desperationis ueniant, ad extremæ dejectionis aliqualem releuationem eis conceditur. Quis ergo tantæ desolationis † acerbitatem digne poterit æstimare? De simulatione sanctitatis & religionis istorum hypocritarum notandum, quòd diabolus peccata istorum reproborum, superducto sanctitatis & religionis colore, ne ad lucem ueniant, & arguantur, abscondit, & in ipsis ipse habitando, exterius à se & ab alijs, ad suorum & aliorum perniciem, sanctos & bonos reputari eos facit. Sed & hoc cumulo damnationis eorum accedit, quòd dum seipsos reputando & iustificando, alios iudicant coram hominibus, coram Deo alios iustificãdo, se ipsos condemnant. Et dum minima aliorũ, sine termino & mensura, aggrauãt: sua magna apud iustũ iudicẽ, qua pœna digna sint, ostendũt. Ecõtra iusti, quasi ab omni creatura notati, ita uiles et modicę cõditionis sunt, ut eorũ non solũ actiones, sed & cogitationes habeanẽ in notitia & reprehensione. Ipse enim instinctus naturæ, eos specialiter arguere uidẽ, dum ea quæ omnibus communia sunt, † is subtrahere uidẽ. Sæpe enim dum uigilare uellent, somnus occupat: & dum dormire uellẽt, somnus fugit. Et sic de alijs. Influentiæ etiam naturales, dum eis duriores alij se reddũt, quasi pane quẽ comedũt, eos indignos notãt. Alia quoq; necessaria, dum eorũ usibus subtrahunt, quasi omnibus reprobis & peccatoribus deteriores, quatuor elemẽtis, quę bonis & malis famulantur, ipsos uti non debere, ostendũt. Omnes etiã spiritus uitales & substantiæ abstractæ et cõcretæ, eorũ desolationi & cõfusioni arridere uidẽtur. Sunt etiã super cæteros infirmi, debiles, ignobiles, deformes, timidi, pusillanimes, materiales, idiotę, & omnib. alijs defectibus abũdantes. Cum igitur eorũ peccata & defectus ita detecti & manifestati, ad notitiã omnis creaturæ ad increpandũ & arguendum sint perducti, merito in iudicio Dei in obliuionẽ uenire debent, & excusationem recipere, hocq; ipsa diuina iustitia exigente, ut hi qui hic præ cæteris opprobrijs & confusionibus saturati sunt, ibi torrẽte uoluptatis & libertate domus Dei, specialiter inebriari debent. De apparẽtia simplicitatis & morũ maturitate Turcorum dicere, & interpretationẽ facere uolentes, notabimus, quòd omnia exteriora efficaciam & uirtutẽ ab interioribus hominis trahere solẽt. Mores enim exteriores, si ab affectu uitioso immũdo & carnali processerint, quantũcunq; cõpositi fuerint, scandalũ præstãt. Si autẽ ab effectu mũdo & uirtuoso processerint mores quantumcunq;

*Is ordo est Dei in iustificando primũ dãnat, deinde iustificat suos, &c.*

*inde culpæ retributionis cõsolatione suæ æstimare digne poterit qualitatẽ? Nemo prorsus.*

*eis*

*Conditiones piorum.*

tumcunq; incompositi & uitiosi, in proximis tamen ædificationem operantur.

*Mores reproborum & electorum.*

Mores igitur reproborum, quamuis oculis intuentium placere uideantur, tamen propter uenenum, quod in affectu latet, quasi mola asinaria seipsos & proximos in foueam desperationis mittunt. Et è contrà mores electorũ, cũ quibus uitiosi & molestijs passionũ deformes, tamen propter affectus puritatẽ, cœlestis disciplina eos attenuatos & alleuiatos, quasi quasdã pẽnas efficit, quibus electi, ad instar aquilarum in sublime subuecti, ut omnes huius uiæ uanitates & errores, scrupulos & uitæ discrimina, sine omni offensione trãsire usq; ad finẽ, & non deficere possint.

## DE MOTIVIS RETRAHENTIBVS *ab errore Turcorum.* Cap. XX.

*Tria genera Christianorũ, qui captiui tenentur à Turcis.*

IN captiuitate Turcorum tria genera hominum Christianorum inueniuntur Primum est illorum, qui in pura simplicitate uitã agunt, nec aliquid de factis eorum curant, nec intelligunt. Isti eos infideles esse sciunt simpliciter, & ideo eos & ritus eorum, quantum captiuitas ipsa & seruitutis iugum permittit, deuitant & declinant, & timent ne ab erroribus eorum decipiantur, & religionem Christi conantur obseruare, quantum sciunt & possunt. Et iste modus securior est. Sicut ego quosdã uidi, qui in simplicitate sua firmiter permanentes, & in amore fidei Christianæ, mores & actus eorum execrantes, post multam fugam & labores patienter toleratos, tandem in fide Christi mortuos, quos etiam martyres effectos æstimo. Alios etiam liberos effectos recessisse. Secundum genus est illorum, qui curiose circa facta eorum intelligenda & perscrutanda (licet pericula quæ interuenire possunt, nõ aduertant) incautè se ingerunt. Isti licet magno periculo se exponant, tamen si deo adiuuante, ad perscrutandũ eorum secreta eis tempus suffecerit, & intellectus ad inuestigationem, & ad interpretationem † ratio, maiorem fructum securitatis reportant, non solum sibi, sed etiam alijs profuturum. De quorum sorte, ego quoq; non modicum laborauí, nec sine periculo, ut latentem errorem in specie religionis explorare possem & deprehendere. Nec me defraudauit diuina gratia intentione mea, sed omnia cooperata sunt mihi in bonum.

*ratiocinatio*

Tertium genus est illorum, qui medium tenent, qui dum incautè considerantes, facta eorum penetrare nequeunt, & interpretari: isti decipiuntur, errorem eorum credentes ueritatem, fidem, quam fictè tenuerunt, perdunt, & errori eorum adhęrentes, non solum sibi, sed etiam alijs detrimenti & discriminis exemplum fiunt. Talium infinitus est numerus. Qui quantũ in ista secta sint multiplicati, & qualiter principatum & regimen & totius regni gubernationem consecuti sint, suprà in septimo capite plenius dictum est. Si autem in aliquo eorum qui negant, aliquid esset constantiæ mentis, & non ita repente crederent motiuis, persuadentibus istam sectam, sed diligentius insisterent perscrutando, inuenirent proculdubio multa retrahentia ab isto errore, & sufficiens argumentum eius infidelitatis præstantia. Quorum tria sunt principalia. Primum est diuisio seu discordia animarum. Et licet magnam concordiam & unitatem uideantur habere exterius, & habeant de facto ad persequendum cultum Christi, & dilatandum sectam suam, & ad perpetrandum omne malum: tamen in his quæ ad salutem pertinent, & ad agnitionem ueritatis, tanta est inter eos diuersitas opinionum, & diuisio animorum, & peruersitas uoluntatum, ut nulli possit dubium esse, quin ista secta non

*Diabolum authorẽ esse Turcicæ sectæ.*

à Deo, sed à diabolo habuerit initium. Omnia enim quæ pro lege utuntur, non sunt nisi quædam adinuentiones ad libitum inuentæ, & per consuetudinem introductæ, nihil mysterij, nihil ueritatis continentes, imò plenæ blasphemijs & superstitionibus, & diabolicæ fraudis effectibus.

Vtunt enim, imò potius abutunt, ipso Alkorano, ad perpetrandũ omnia genera sce-

ra scelerum, scilicet furta, homicidia, fornicationes, adulteria, stupra, latrocinia, & his similia. Quæ si omnia quæ audiui, uidi, & expertus sum, narrare uellem, tædium generarent, & nauseam audientibus. Sortilegijs & incantationibus & diuinationibus ita infecti, deturbati & corrupti sunt, ut uix sit uetula, quæ non habeat earum aliquam artem & scientiam. De lege autem eorum, & Alcorano, uel Mahometo, tanta est inter eos discrepantia dicendorũ, & narrationis diuersitas, ut si centum de eis, de huiusmodi interrogati fuerint, nullus eorum respondebit ad propositum alterius. Sacerdotes eorum, licet magnam ostendant religionem corã hominibus, in occulto tamen pleni sunt omni nequitia, ita ut de omnibus sceleribus se intromittant, & scribant literas pro pecunia, pro quacunque caussa uel negocio fuerint requisiti. Scribunt multis literas libertatis, ut suprà dixi capite quinto, pro pecunia, ut possint fugere & euadere manus dominorũ suorum. Scribunt & alias literas his qui præliantur, ut gladius uel sagitta non possit eis nocere, & talia multa. Et istæ literæ uocãtur Haymayly. Et hoc licet fieri soleat ab omnibus, tamen præcipuè ab illis qui negant, multi decipiuntur. qui recepta pecunia, fugiunt de loco ad locum, ut nequitia eorum nõ deprehendatur. Istis & alijs innumeris modis, repleti sunt figmentis & dolositatibus, ut quotquot diabolicæ fraudes excogitari possint, in tot partes erroris inueniantur diuisi. Inter alias particulares diuisiones, quę sunt de cęremonijs legis, & ritu & institutionibus, & cultu, & obseruationibus, quæ inter eos habentur, quatuor sunt opiniones solennes, de facto saluationis inter se distinctæ, quarũ quamlibet una generatio illius sectæ tenet firmiter, & sequitur, ita ut non solum una nõ consentiat alteri, uerum etiam una alteram persequatur ui armorũ, & munitionibus castrorum, ut multoties perturbato uniuerso regno, nisi rex manus apponat, nequaquã sedari possent. Prima generatio est sacerdotum, qui habentur inter eos in magna reuerentia, quasi rectores populi, & executores, & dispensatores legis, doctores, & iudices, & præsidentes in beneficijs spiritualibus, & ecclesijs & gymnasijs. Quorũ opinio est, quòd nemo potest saluari, nisi in lege Mahometi. Et hoc docẽt & persuadent omnibus. Et licet hoc probare non possint aliqua ratione, uel authoritate, uel exemplo, tamen conantur contradicentibus, omni quo possunt modo resistere. Et hi multos habent sibi de populo consentientes, præcipue ex principibus & magnatibus. Secunda generatio est illorũ, qui Dermschler dicuntur, & sunt religiosi, qui equidem ab eis in multa ueneratione habentur, quasi sanctorum superstites & successores, & quasi totius regni conseruatores, & amici Dei & Mahometi. de quibus plenius in decimotertio capite dictum est. Quorum opinio est, quòd lex nihil prodest, sed gratia Dei est qua oportet omnem hominem saluari, quæ sine merito & lege sufficiens est ad salutem, quam ipsi Rachmatallach nominant. Nec illi suam opinionem in aliqua fundant ratione, uel authoritate: sed prodigijs & signis ea probare conantur, ut suprà in cap. 14. & 15. patuit. Et isti etiam multos habent fautores, & sibi consentientes. Et præcipue de illis qui magis spirituales, deuoti & humiles in eorum uita existunt. Tertia generatio est illorũ, qui Czofilar dicunt, quasi meditatiui, uel etiam spiritualibus exercitijs dediti. Et ipsi habentur in magna reputatione, quasi successores prophetarũ & patrum, qui hanc sectam fundauerunt, & se maioris dicunt esse authoritatis quàm cæteros. Nec illi fundamentũ aliquod suæ opinionis habent, nisi quod eis dicunt sic ab antiquo traditũ. Et istorũ opinio est, quòd unusquisq; debet saluari per meritũ, & hoc sufficit ad salutẽ sine gratia & lege: & hoc ipsi Pereketallach uocant. Isti multũ sunt solliciti ad orationes particulares, & exercitia spiritualia in uigilijs & meditationibus. nunq; enim cessant ab oratione cõtinua, quam ipsi Czikaraitmach uocãt. De nocte enim cõueniũt, & circulariter sedẽtes, incipiũt dicere,

*Qualis arbor, tales fructus.*

*Sarracenorum de Alcorano & Mahumeto diſſenſio.*

*Sacerdotes.*

*Sacerdotes Turcici honorantur à ſuis.*

*Religioſi.*

*Meditatiui ſpiritualib. exercitijs dediti.*

*Euchetæ Turcorum.*

Layla

Layla illalach repetendo cum cõmotione capitum, per aliquod ſpacium temporis. Et poſt hæc dicunt Lahu, iterum eodem modo repetendo. Deinde ultimo dicunt, Hu Hu, iterũ repetendo, ita quòd quaſi exanimes effecti, cadunt & obdormiunt. Et iſti etiam ſuæ opinionis multos habent fautores, maximè de his qui de antiquitate uel nobilitate generis gloriantur, qui Effieler Embieler dicuntur. Hi igitur autentici habentur, quia genus eorum alterius nationis commixtionem non accepit, nec ab origine primorum fundatorum illius ſectæ receſſit.

Iſtæ igitur tres generationes cum ſuis opinionibus omni populo manifeſtæ ſunt, & plures inter ſe tam in priuato quàm in publico diſſenſiones gerunt, nihilominus eo quòd æqualiter æſtimatæ ſunt ab omni populo, nulla poteſt præuale re alteri, ſed continuo ad pacem & concordiam reducuntur. Quarta autem generatio, eorum lingua Horiſe dicitur, quod hæreſim ſonat: quorum opinio eſt, quòd unuſquiſq; ſaluatur in lege ſua, & unicuiq; genti ſeu nationi lex data eſt à Deo, in qua ſaluari debet: & æqualiter omnes leges bonæ ſunt eas obſeruãtibus, nec aliqua eſt præferenda quaſi melior aliis. Et iſti à Turcis ſuſpecti habentur, & quaſi habent pro ſchiſmaticis: & ſi inuenti fuerint, cõburuntur. Et ideo opinionem ſuam non manifeſte, ſed occultè tenent. Huius generationis unum reperi, dum eſſem in Chio, qui intrabat eccleſiã Chriſtianorũ, et ſignabat ſe ſigno crucis, & aſpergebat ſe aqua benedicta, & dicebat manifeſtè: Veſtra lex eſt ita bona, ſicut noſtra. quod nullus alterius opinionis Turcus pro uita ſua faceret. Tantis igitur diuiſionibus repertis & expertis, & in ueritate in hac ſecta cõpertis: quis in iudicio rectæ rationis eam nõ omni ueritate uacuã, imò nõ diabolicã, & omni ſuperſtitione plenã, & ſine aliquo fundamento æſtimaret, & merito contemneret?

*Turci hæreticos cõburunt.*

## DE SECVNDO ET TERTIO MOTIVIS RETRAHENTIBUS *ab errore Turcorum, quæ ſunt Ignorantia & obſtinatio.* Cap. XXI.

*Ignorãtia Turcorum.*

SEcundum motiuum, per quod habetur euidens argumentũ infidelitatis huius ſectæ, eſt ignorantia. Licet enim maximæ ſint aſtutiæ ad omne opus malũ perficiendũ, & in rebus naturalibus magnã & quaſi ſupernaturalẽ habeant practicam & experientiã, tamen in his quæ ad ſalutem pertinent, & ad res ſpirituales cognoſcendas, tam ſtolidi tamq; inepti ſunt, ut uideantur ad modũ beſtiarũ uſu rationis carere, & quaſi ſaxa indurati nihil ſpiritualis intelligentiæ poſſe capere.

*Artes liberales non docentur in Turcia.*

Nulla enim ars penitus de liberalibus reperitur doceri in gymnaſijs eorum. De omnibus aliis ſcientijs ita ſunt alieni, ut nec nomina earum inueniant, uel cognoſcantur ab eis. Quid enim de factis Dei? quid de myſterijs & ſacramentis? quid de nobilitate animæ uel ſalute eius, intelligere poterunt, qui de cæremonijs legis ſuæ & inſtitutis nullam ſciunt dare rationẽ? Si enim diceretur alicui, quare nõ bibis uinũ, uel quare nõ comedis carnes porcinas? & ſic de aliis: penitus obmuteſceret, uel aliquid mendacij uel fictionis reſponderet, uel, ut in capitulo nono dictũ eſt, immundiciam cauſaret. De lotionibus autem quibus utuntur, ut ſupra in cap. 13. dictum eſt, & inclinationibus, & aliis cęremonijs, tantã habent æſtimationem, ut credant ualere ea ad conferendũ gratiam, & remiſſionem peccatorum, & præmiũ uitæ æternæ. De peccatis & calibus conſcientiæ, & quomodo per peccatum anima maculetur, & quomodo per pœnitentiam iterum purgetur, quomodo deniq; Deus offendatur, & quomodo placetur: inſuper de uitijs & uirtutibus, nullũ in eis nec minimũ indiciũ cognitionis uel ſciẽtiæ habetur. Humilitatẽ laudãt, & cæteras uirtutes: ſuperbiã & cętera uitia uituperãt, nõ culpã uel meritũ: ſed ſolũ ipſas naturales paſsiones cõſiderantes, non culpã. Solum enim crimina, quibus concordia communitatis, uel commodum turbatur priuatę conuerſationis, ſicut furtũ uel homicidium, & cætera, talia iudicio condemnant & puniunt. De reliquis facinoribus manifeſtis & occultis, magnis & paruis, nulla fit mentio

*Quæ crimina Turci puniãt.*

nec

nec cõfessio, nec pœnitentia, nec absolutio, nec correctio, nec finalis emendatio.

Vtuntur etiam circumcisione, non in remedium alicuius culpæ uel peccati, eo quòd de originali peccato penitus apud eos ignoratr quid sit, sed solum pro quadam superstitione. Vnde pro magno improperio habetur, quãdo dicitur alicui, Czunetsz, id est sine circumcisione. Et hoc idem ipsi frequẽter improperant cæteris, dicentes: Vos incircumcisi. Sed mihi uidetur, quòd potius utuntur circumcisione propter hoc, ut lotio, qua se aqua perfundunt, non sit inualida, remanente aliqua siccitate, sub ista pellicula præputij, sicut superius in 10. & 13. cap. dictum est. Propterea etiam diligenter incîdunt ungues, & radunt pilos. Sed quocunq; modo fiat, certum est, quod nõ nisi superstitiose utuntur. Nam filij eorum, frequenter sine circumcisione moriuntur, nullã solicitudinẽ ut circumcidantur adhibent: quod utiq; nõ permitterent fieri, si saluti crederent obesse uel prodesse.

*Turci circumciduntur.*

*Quare Turci utuntur circũcisione, et tam diligenter incîdant ungues et radant pilos.*

Cum igitur de hoc, uel de quibuscunq; alijs, interrogati fuerunt, ne ignorantia eorum notari possit, inuoluunt sententias, & quodam obscuro modo loquentes, uelamen obducũt excusationis. Et hoc sacerdotes faciunt, cum de rebus spiritualibus, uel de uita æterna interrogati fuerint. Seculares uerò, quando de hoc inter eos sermo oritur, uarijs truffis & insolentijs prouocati, deridẽtes & subsannãtes, alij dicunt, Forte habebimus pulchras uxores: alij autẽ, Forte multa suauia habebimus ad manducandũ & bibendũ, dicunt, & huiusmodi. Si aliquis autem seriò forte aliquid dicere uoluerit, nihil omnino dignũ ad propositũ dicere poterit, eo quòd omnino nihil rationi consonum in libris eorum de hoc uel alijs reperiri potest. Et ideo unusquisq; eorum, siue sacerdos, siue idiota secundũ propriam phantasiam de hoc blasphemat & obloquitur. Multa de Antichristo, quem ipsi Tethschel uocant, & de resurrectione mortuorum, & extremo iudicio, & de inferno, & purgatorio, friuola & absurda, & ad libitum inuenta, fabulantur & garriunt. Et inter cætera dicunt, Post iudicium Mahometus omnes liberabit de inferno, cuiuscunq; sectæ uel religionis fuerint, neminem relinquendo, propter magnam potentiam & auctoritatem suam, quam habet apud Deum. De alijs innumeris fabulis, & mendacijs quæ de rebus spiritualibus uersant inter eos, causa breuitatis dicere plus nolo. Hoc tantũ adijcere uolo, quòd nequitia eorũ, sicut in cæteris omnibus, uelamine simulationis obtegit & abscondit. Ita & ignorantia sacerdotũ eorum, uelut cuprum auratũ, sub auri nomine & æstimationis uigore obtecta latet. Nam quicquid dicunt, quid'ue præcipiunt, ita uolunt ab omnib. obseruari, quasi præceptũ Dei, ut nemo audeat uel in minimo contradictionem uel resistentiam facere. Tertium motiuũ, per quod habetur euidens argumentum infidelitatis huius sectæ, est obstinatio. Quis autem dubitat, ueram fidem, libertatem uoluntatis augere, & nõ minuere? Vnde in Euangelio fideles docibiles dicti sunt, eo quòd rationes nõ spernunt, sed probant, & malum per rationes reprobant, & bona probãtes quæcunq; nõ recusant, de malis quoq; bona eliciunt, & aduersa ad suam utilitatẽ retorquent. Et hæc omnia fiunt in libertate fidei, per quam omnia cooperantur in bonũ, his qui secundũ propositũ uocati sunt sancti.

*Turci de Antichristo multa dicunt.*

*Sacerdotes Turcorum ignari.*

*Obstinatio Turcorum.*

Non autẽ perfidia Turcorũ sic agit, sed more bestiarũ, sectã suã non rationib. seu argumẽtis, sed gladijs & armis defendere contendunt, eo quòd in lege sua sic se habere dicũt in præcepto. Tantam enim pertinaciã & obstinationẽ inhærẽdo sectæ suæ habent, quòd quasi usum rationis uidenẽ amisisse, & ad nihil aliud se posse moueri uel flecti ex necessitate ostendunt. Nam quicquid uiderint, audierint, uel senserint, q̃d hãc sectã nõ cõmendat, immediate quasi phrenetici, amentes, execrantes abhorrẽt, fugiuntq; tanq; mortale uenenũ. Nec sunt alicuius spiritualis impressionis capaces, nec aliqua species ueritatis eis motiuũ prẽstare potest.

*Turci fidẽ suã nõ scripturis, sed gladijs & armis defendunt.*

Et

Et quamuis hoc uniuersaliter de omnibus fiat, tamen præ omnibus alijs, illi re-
*Renegati Christiani.* negati Christiani & desperati, sic erroribus excæcatã habẽt conscientiã, quòd uideantur ligati catenis igneis diaboli, quas nullatenus disrumpere ualeant. Vnde quendam eorum in familiari collocutione interrogaui, Quare (inquiens) rogo propter Deum, hoc feciſti? aut quid te mouit? nihil aliud respondere potuit, nisi, Maledicta dies in qua hoc feci. & ego, Quare ergo non reuerteris ad fidẽ Christi? Et ille retorto collo, & auerso uultu, Non possum, inquit, nõ possum: nihil aliud adijciens. Est & aliud nõ minus de obstinatione eorũ notandũ. Creditur enim pro certo, quòd non sit aliquod genus nationis, de quo ad fidem Christi non inueniantur aliqui cõuersi. De ista autẽ peruersa generatione, aliquẽ prouectæ ætatis ad fidẽ Christi posse cõuerti, quasi pro impossibili habetur, tamẽ ut suprà in cap. 16. dictum est, si fieret, magis pro miraculo habendũ esset. Nam cum in primis annis Sixti quarti, legatio, quæ cõtra Turcos missa fuerat per mare plurimos eorum Romã detulisset, quorum meliores Papæ præsentati, reliqui aliorũ prælatorum curijs deputati, omnes ferè baptizati sunt: quorũ aliquos ego familiares habui, qui magnam deuotionem ad fidem Christi ostendentes, me interpretante, etiam confessionẽ & communionem petierunt, quorum unius quidem confessionem accepi. Ei autem qui curam eius habebat sacerdoti, communionem differre persuasi. mihi enim multum difficile uidebatur, ueram fuisse conuersionem eorum: sicut postmodũ rei probauit euentus. Nam post aliquos annos, omnes inuenta occasione & commoditate, fugerunt: licet etiam qui in curia Papæ erant, bonam habuissent prouisionem. In hoc apertè ostendentes, se ad baptismum ficte accessisse. Vnde de opinione quam prius habui, nunc indubitatam sententiam de eis proferre possum, quod impossibile sit, aliquẽ Turcum fidẽ Christi recipere.

*Impoßibile esse Turcũ aliquẽ recipere fidẽ Christianã.*

## DE QVODAM NOTABILI FACTO, QVOD contigit in Turcia, ad probationem suprà dictorum. Cap. XXII.

*Factũ notabile*

NVnc ad supradictorũ clariorem notitiam & probationem, non puto prætereundum quoddã factum notabile, quod me existente in Turcia contigit. Quod eo certius credendum uenit, quia non occultè, sed per totam Turciam promulgatum est, & non alicui priuate, sed ipsi † terrarũ regi, & toti regno eius euenisse narrabatur. Illius enim regis, qui Mirathbeg est dictus, pater illius qui nunc regnat, non pòst multo tempore, quo nos in captiuitatem adduxerunt, facta est quædam contentio inter sacerdotes qui Tamsmani dicuntur, & religiosos qui Demrschler nuncupantur, cuius quæstionis talis erat tenor: Vtrum uota & eleemosynæ & oblationes cõmunis populi, iure debeantur ipsis sacerdotibus, uel ipsis religiosis? Dicebant enim sacerdotes: Nos sumus curam populi habentes, in cõsiliando, in iudicando, in regendo, & docendo, legem tribuendo & obseruando, & totius populi onus portando. Quia igitur ministeriũ nostrum magis est necessariũ populo & uniuerso regno, merito uota populi nobis debentur.

*Turcarum*

*Talis fuit contentio inter nostros clericos & monachos mendicantes.*

Econuerso isti dicebãt, nos sumus successores & uicem gerentes illorum, qui fundamentũ sunt legis & gratiæ, & qui pro populo coram deo assistẽtes, omnes necessitates eius suis meritis & intercessione supplentes, totius regni mala & pericula auertẽtes, & bona cooperãtes, qui omni facultate & studio deficiente humano, succurrũt & auxiliantur. Et ergo nobis potius eleemosynæ & uota populi iure debentur. Cumq; ita cõtenderent, & nullam quæstio determinationẽ acciperet, in hoc omnes consenserunt, ut causa Regis arbitrio cõmitteretur, & quicquid ab eo determinatũ & iudicatum fuisset, sine omni cõtradictione ratum ab omnibus haberetur. Cum itaq; Rex audita causa, rationes utriusq; partis diligẽtius perualueret in animo, cœpit æstimare, quòd ministerium sacerdotum regno magis

necessarium

necessarium esset, propter rationes supradictas: & quod propterea uota populi, in recompensationem retributionis magis ad eos pertinerent. Sed dum ista uoluntatis conceptio Regis ad religiosorum peruenisset notitiam, illico Regem adierunt, & petierunt, ne istam sententiam diffinitiuè proferret, donec ipsi inter se diligentius de hac re conferre possent, ne anticipatio sententiæ in tam ardua causa, perplexitatem animorum generaret futuram. Quibus dum rex annuisset, & septem dierum inducias interposuisset, una nocte, transactis aliquibus diebus, Regi in stratu suo requiescenti, subito magna commotio uiscerum, quasi instaret necessitas naturæ, exoritur: qui cum festinatione surgens, ad locum explendæ necessitatis peruenit. Cum igitur cum quodam impetu super sedes se iactasset, subitò tabula sub eo rumpitur, & deorsum cadēs Rex, in medio loci super quandam partem muri, uel ut dicebatur, super quodam ligno suspensus remanens, ad infima non descendit. Cum autem uociferaret, & nemo auxilium præstare posset, eo quòd omnes portæ seris firmatæ inuentæ sunt: tandem fatigatus, quasi unius horæ spacio laborans, & nihil proficiens, subitò uenit in mentem eius, ut aliquem sanctorū inuocaret. Quod cum fecisset, mox in loco lumen apparuit, & quiddam in forma religiosorum apparens, sic eum alloquitur: O domine rex, ubi sunt illi quos tibi & regno tuo tam necessarios æstimasti? Quare in ista necessitate tibi non subueniunt? Illo autem præ timore & terrore uisionis nihil respondente, ille adiecit: O rex noli timere. scire te uolo, quòd illi tibi & regno tuo magis necessarij sunt, qui in extremis necessitatibus auxilium præstare possunt: & cum defecerit uirtus humana, tunc inuocantibus se, uirtus eorum maximè se ostendit, & succurrit uniuersis. Et cum hoc dixisset, ipso Rege sine aliqua molestia proprio lecto restituto, ab oculis eius euanuit. Et sic Rex ad sese reuersus, quid sibi acciderit animo reuoluens, licet ex † prodigio cum admiratione suspensus, tamen quia de difficultate quæstionis certificatus & instructus, multum contentus erat. Facto igitur mane omnibus conuocatis, rem per ordinem exponit, & iubet, ut citò omnes religiosi, qui tunc inueniri poterant, coram eo adducerentur. Quo facto, ipse sedens in solio suo, iuxta se habens uas plenum pecunijs, singulos religiosorum ad se accedere fecit, diligentius unumquemq; intuens, cognoscere uolens illum qui sibi apparuerat, unicuiq; de pecunia quantum pugillus capere poterat, elargiendo. Cumq; singuli pertransissent, & de suprà dicto nihil notitiæ interuenisset, & ipse Rex de hoc miraretur, ille qui inter eos maior erat, accessit, & dixit ei: Noueris rex, quòd ille qui tibi apparuit, unus quidē uisus est, sed in persona omnium nostrūm hoc factum esse non dubites, eo quòd omnium nostrūm caussa in communi tractabatur. Ex tali igitur uisione, imò (ut melius dicam) diabolica illusione, Rex ille in tantam dementiam & alienationem animi perductus est, ut filio suo paruulo uix adhuc decem annorum in sede regni relicto, ipse ad quandam ciuitatē, quę † Manassa dicitur, secesserit, & cum alijs religiosis, quorū ibi est magna multitudo, uitam ducere decreuit. Transacto autem in hoc suo proposito aliquo temporis spacio, & filio sedente in solio regali, quædam turbatio magna non sine sanguinis effusione inter Curiales exorta est, intantum ut turbationem totius regni nōnulli timuissent futuram, si citius non fuisset remedium adhibitum. Nam illi qui Gingitscheri dicuntur, quorum in curia regia magna est multitudo, contempto puero regis, sibi unum qui eis præesset elegerunt, ut se possent opponere contra omnes qui eis non cōsentirent. Quod dum principes & magnates perpenderunt, regem, patrem uidelicet pueri adeuntes, non tam precibus quàm minis persuaserunt, ut regni totius discrimen, quod imminebat, auerteret, & futuro malo antequam in augmentum ueniret, se opponeret. Sic igitur, licet reluctantem,

*Quanta diaboli illusio. prodigiorum admir.*

*Maniassa Rex Turcorum factus monachus.*

*Seditio orta inter Curiales Turci.*

ad ſedem priſtinam reduxerunt, & uſque ad mortem regnare coegerunt. Factum iſtud in tanto fuit rumore per totam Turciam, ut à ſingulis ferè nihil aliud tunc tractaretur. Ego etiam, licet à pluribus in communi locutione audiuiſſem, tamen ſpecialiter & priuatim ab uno religioſorum, qui tunc perſonaliter interfuerat, diligentius ſingula cognoui, qui etiam quantum pecuniæ de manu regis tunc accepiſſet, & quantum gratiæ & fauoris unuſquiſq; conſecutus fuiſſet à rege, & plura alia quæ tunc contigerant, narrauit. Eſt & aliud factum non mediocre, quod non ſuperfluè ad prædicta addendum putaui, quod regis illius qui nunc regnat, filij illius de quo nunc dictum eſt, temporibus contigiſſe narrabatur. Eſt enim in partibus Orientalibus quidam magnus Tartarus, qui Demyrleng dicitur, de quo etiam ſuperius mentio facta eſt, qui quodam tempore ad mortem regis Turcorum, ſtimulante odio, aſpirans, quoſdam ſui generis in omni nequitia artis diabolicæ famoſos & expertos, precibus & precio induxit, plura eis tribuens, ſed multo ampliora promittens, ſi caput Turci inimici ſui ſibi deferrent. Qui dum exequendi facinoris commoditatem & modum pluribus temporibus quæſiſſent, & in omnibus rei difficultas occurreret: & quia ipſi multæ artis diabolicæ, magicæ quoque & necromantiæ non modicam habentes peritiam cogitauerunt aliquid nouitatis prætendere, ut ſub hoc prætextu dum regi curioſo fuiſſent præſentati, & ipſi non poſſe ſe artem & ludum nouitatis ſuæ exercere, niſi omnibus excluſis, dicerent, ad ſui propoſiti commodum & executionem uenire poſſent. Sed rex auiſatus per quoſdam, qui illos ſuſpectos habuerant, eorum machinamenta cautus præuenit. Nam dum inuitati à rege, in habitu & forma religioſorum exterius, armis uerò intus bene muniti, antequam ad ipſum regẽ intraſſent, capti, & pœnis ſubacti: hoc malum quod in regem cogitauerunt, ipſi à rege interempti, experti ſunt. Præterea omne ferè nephas publicum exercentes in ciuitatibus, in uijs & nemoribus, & ſtratis publicis, bono communi & paci inſidiantes, criminoſiq;, & omnia genera flagitiorum ſectantes, narrabantur eiſdem temporibus in habitu & forma religioſorum latitare. Quibus omnibus rex permotus, & permaximè ſupradictorũ nequitia commotus, emiſſo publico edicto, omnes religioſos de regno ſuo expellere ac perturbare fecit: & inuentum quenquam in habitu religionis, publicæ pœnæ & cuſtodiæ ſubactum, rebus omnibus & uita priuari mandauit. Tantam autem execrationem & deteſtationem illius generationis regis animum tunc occupauit, ut non ſolum nomen illud audire non poterat, ſed etiam quoſlibet qui in habitu pauperum ſibi ubicunq; occurriſſent, nullatenus ſine perturbatione poterat intueri. Vnde qui eum comitabantur uel præcedebant in locis quibus erat tranſiturus, nequaquam pauperem aliquem ſinebant apparere. Et ſi quis incautè apparuiſſet, perturbationis eius ſæuitiam in contumelijs & uerberibus experiebatur. Huius rei tanto ſecurior teſtimonium perhibere poſſum, quanto eam uerius non ſine timore & periculo in meipſo expertus didici. Vna enim dierum diluculo poſt ortum ſolis, contra aulam regis propter frigus, ad ſolem, cum pluribus alijs diuerſi generis & habitus hominibus & pauperibus, ſedendo ad ſpectaculum curiæ & principum, quorum multi ad regem, qua de cauſa neſcio, tunc uenerant, tranſacta hora iam ſexta, incautè remanſimus. Recedente igitur uniuerſa curia, inopinatè uidimus de curia regis exeuntes equeſtres, præcedente præcone cum baculo, & ſubſequentibus duobus iuuenibus, & regem ad balneum (quod retro nos erat) iturum. Viſis igitur nobis, mox ipſe rex cum magno ſtrepitu uocem emiſit. Tunc præco cum uelociſsimo curſu uenit ad expellendum nos à facie regis. Et illos quidem qui ad uiam, quò iturus erat, fugerant, non credo uer-

*Magnus Tamerlan.*

*Religioſi omnes è Turcia expulſi.*

bera

bera euadere potuisse: me autem, qui ad aliam partem fugi, licet tunc uix euadere potui, timoris tamen magnitudo in futurum cautiorem me reddidit, ut ante conspectum eius, maximè cum alijs pauperibus nequaquam ultra comparerem in uia, in qua erat transiturus. Ex his igitur exemplis, unusquisq; fideliter considerans, poterit perpendere omnia, quæ de ista secta dicta sunt, ueritatem habere, maximè circa diuisionem, obstinationem, & ignorantiam.

## DE RECOMMENDATIONE RELIgionis Christianæ. Cap. XXIII.

DE secta Turcorum in superioribus sub breuissimo compendio dictum est, quomodo uidelicet omni fundamẽto ueritatis careant. De nequitia quoq; Turcorum & malitia, quibus Christianos persequuntur, & de motiuis eam ueram persuadentibus, & de his quæ ab ea retrahunt: & de omnium motiuorum illorum declaratione & interpretatione, cum quibusdam exemplis. Nunc in isto finali capite de recommendatione religionis sanctissimæ Christianorũ, paucissimis uerbis aliquid dicere debitum æstimo, ut de eiusdem ueritate, cum illius sectæ erroribus comparatione facta, quilibet fidelis, quam eligere, quamq; detestari debeat, luce clarius intelligere possit. Licet igitur sanctissimam & dignissimam religionem Christianæ legis, nulla lingua sufficienter possit extollere, & si cut debitum esset, magnificare, tamen quantã ad præsentis materiæ exigentiam, breuissimè in septem causis principaliter eam intendo commendatam habere: scilicet in fundamenti eius firmitate & necessitate, in cultus eius dignitate, in sacramentorum eius sanctitate, in uirtutum eius nobilitate, in scientiæ eius sublimitate, in meritorum eius qualitate, in præmiorum eius quantitate. *Epilogus.* *Christianæ religionis commendatio ex septem causis.*

Sanctissima religio Christiana mysterium sanctæ & indiuiduæ trinitatis pro fundamento habet, cuius ab initio mundi tanta necessitas fuit, ut sine eius agnitione nulla penitus esset causa salutis, & uia uel modus placandi iram Dei. Vnde sicut in ueteri testamento nemini prorsus dabatur spes ueniæ uel clementiæ Dei, nisi mysterium sanctæ trinitatis ei fuisset uel in ænigmate, uel in aliquo signo uel figura demonstratum: sic & in nouo testamento nemini penitus est spes amicitiæ Dei, nisi mysterio sanctę trinitatis ueraciter sit imbutus, & per characteris impressionem substantialiter ei informatus. Habuit & ab initio hoc ipsum sanctissimæ trinitatis fundamentum, tantam in mentibus fidelium firmitatis efficaciam, quod ille antiquus humani generis hostis, cum omnibus artibus dolositatis suæ, ipsiusq; carnis illecebræ, & mundi fraudulenti inuidiæ, super ædificatam ei fidei, spei, & charitatis structuram nunqua deijcere potuerunt, nec usque in finem hoc ipsum aliquatenus facere poterunt, licet in nouissimis temporibus, nostris scilicet & futuris, maxima sit ipsius diaboli potestas, &c. Fremat igitur in reprobis Mahometus, sæuiat quantum poterit in Antichristo diabolus, nullum fructum nequitiæ suæ reportabit, sed quantumcunque malitiæ excogitare poterit, electis Dei ad gloriam, sibi autem & suis complicibus ad æternæ damnationis augmentum redundabit. I. *Mysterium sanctæ trinitatis.* *Maxima iam diaboli potestas.*

Cultus sanctissimæ religionis Christianæ tantæ est dignitatis, ut in principali actu suo, ipsos mortales homines ualeat quodammodo ipsis supernis ciuibus coæquare. Nam licet illi æterno Deo ineffabiles laudes & diuina obsequia indefesse reddant, tamen diuinæ maiestatis oculis non minus placere cõprobantur debitæ seruitutis officia & gratuita obsequia, nec non ipsa laudũ sacrificia, quæ ueri cultores in spiritu & ueritate, de donis & muneribus desuper eis datis, in ecclesia militanti quotidie offerunt. In cæteris etiam quæ in eis geruntur, excedit in dignitate omnes actus humanos, quantũcunq; dignos & præcipuos. Si enim inII. *Dignitas cultus Christianæ religionis.*

ſpiciatur ſacræ doctrinæ procedendi grauitas, tractantium maturitas, materia-
*ministrorum* rum cõformitas, fundamentorum ſoliditas, doctorum auctoritas, † myſteriorum ſublimitas, ſacramentorum ſanctitas, ſententiarum firmitas, uerborum tenacitas, argumentorum inconcuſſa ueritas, rationum ſecuritas, dubiorum clara dilucidatio, errorum omnium confutatio, contemplatio diuinorum, deuotio officiorum, miniſtrorum nobilitas, prælatorum dignitas, ſubditorum ſimplicitas, efficacia docendorum, ſufficientia omnium ad ſalutem pertinentium: inſuper abundantia gratiarum, uirtutum redolentia, denique omnium diuinarum & humanarum rerum magiſterium, & fidelium animarum conſolatio ſingularis, omniumque ſpiritualium chariſmatum copia & plenitudo, aliarumque rerum ſummum faſtigium & excellentia infinita, credo quòd ſi omnes humanorum actuum excellentiæ fuerint exhibitæ, parti huic extremæ non ualeant comparari.

III. *Sacramentorum ſanctitas, & efficacia.*

Sacramentorum ſanctitas huius ſanctæ religionis tanta eſt, ut in creatura rationali, non ſolum interioris hominis ſubſtantiam diuino uſui aptam reddere, ſed etiam tantarum ei gratiarũ redundantiam infundere ſufficit, ut & ſecundum exterioris hominis facultatem, ad utilitatem proximorum, de effluentia gratiarum, in colloquendo, in conuerſando, in docendo & exhortando, in conſulendo, in neceſsitatibus ſpiritualibus & temporalibus ſubueniendo: & in alijs operibus pietatis ſeruiendo, fructum ſalutis ualeat operari, & ſingulorum animos ad amorem Dei prouocare, Si autem maioris deſiderij corda flagrantia inuenerit, tantam habet efficaciam & potentiam, præcipuè ſanctitas ſacratiſsimæ Euchariſtiæ, ut utriuſque hominis naturis, ſublata uitiorum & terrenorum ſarcina, adhuc in terra poſitis, illius cœleſtis patriæ guſtum fruitionis ualeat conferre. Adhuc etiam ipſorum quatuor elementorum, ſolis quoque & lunæ dignitatem & nobilitatem, cæterarumque creaturarum decus & ornatum, in multiplici idolorum & dæmoniorum cultura perditum & amiſſum recuperare, & priſtino ualori reſtituere: id quoque quod in uariarum inſenſatarum rerum nephando obſequio, à reprobis à principio mundi infideliter exhibito, neglectum uel deformatum eſt, in uſum uerorum cultorum, ad honorem & laudem creatoris, & gloriam ipſius ſummi Dei, renouare pleniſsimè & reintegrare ſua efficacia poteſt. Hoc quoque quod in quorumcunque blaſphemorum uſu maledictum eſt, uel maledicendum, uſque in finem mundi, erit ipſis impijs ad damnationis cumulum, electis uerò ad multiplicem meritorum fructum, cooperari finaliter & exhibere poteſt.

IIII. *Virtutum nobilitas in Chriſtiana religione.*

Virtutum nobilitas, quibus animæ ſanctæ in Chriſtianitatis religione exercentur, ad uitæ ſpiritualis profectum, ſecundum modum & formam uirtutum naturalium, ad uitæ ſenſibilis perfectionem regulantur. Spiritus enim ſenſibilis, de capite in membra corporis diffunditur, & ſecundũ diſpoſitionem organorũ formatactum in operationẽ. Eodem modo ipſa diuina gratia in anima rationali reſidens, ſecundũ diſpoſitionem uoluntatũ & effectuum humanorum, format effectus ſpiritualis uitæ. Vide quàm nobilem fructum fidei, ex affectu tam bene diſpoſito, ſancto Abrahæ patriarchæ diuina gratia produxit, qui propter excellentiam ipſius fidei, quam in Deum habuit, filio ſuo non tam charo quàm raro, imò primogenito & unigenito, non curauit parcere. Fructus autem ſpei in affectu

*Abraham patriarcha.*

*Noe.* Noe ſancti qualis fuit? qui uniuerſo orbe corrupto, ſolus in fabricatione archæ laborare, tempore tam longo nõ faſtidiuit. Quid charitatis fructus in ſancto Moyſe? qui amore ſuperno ardens, filium filiæ Pharaonis ſe negauit: & percuſſo Aegyptio, Hebræum liberans, iram Pharaonis incurrere non timuit. Sed hæc quaſi quædam ſemina, in ſanctis patribus ueteris teſtamenti pertranſiens, ſi ad ampliſsimam meſſem ſanctorum noui teſtamenti accedere, & quid in ſingulorum

*Moyſes.*

*Sancti noui Teſtamenti.*

purificatæ

purificatæ mentis affectu diuina gratia, tam de theologicis quàm cardinalibus & moralibus uirtutum speciebus, fructus produxerit, scire quis & intelligere uoluerit, Christianorum librarias percurrat: & cum, quasi † finitimam legendarũ multitudinem huius materiæ inspexerit, reperiet proculdubio magis admirandam quàm inuestigandam huius religionis uirtutum nobilitatem. Hoc autem non tam mirabile quàm ineffabile, quod in affectu spirituali electorum nouissimi temporis operandum uenit, diligentiori studio & deuotioni relinquo. In hoc concludere uolo, quod quicquid ordinis, quicquid perfectionis & decoris, quid' ue dignitatis & excellentiæ in uniuerso orbe à principio usq; in finem reperiri potuit, totum ab huius sanctissimę religionis uirtutum nobilitate processit. Quibus sublatis, nullus ordo, sed sempiternus horror & error permanebit. † *infinitam*

Sublimitatem scientiæ huius religionis intelligendam, nullum conuenientioris similitudinis modum inuenio, quàm sicut de Paradiso exeuntia quatuor flumina totum mundum irrigarunt: sic nimirum quatuor Euangeliorũ scientia & doctrina, de religione Christiana, quasi de Paradiso cœlesti egrediens, uniuersam humanã naturam, diu aridam & sterilem, salutis fœtu fœcundauit. Ille enim magister cœlestis qui dixit, Vos uocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim: ueniens in terris scholas tenuit, sanctã catholicã ecclesiam instituit, & scientiæ sublimitatẽ, quam in ea docuit, & posteris docendam dereliquit, manifestè ostendit, quando dixit: Omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. O' admirandum mysterium, ea quæ in cœlo empyreo, & in consistorio sanctæ trinitatis tractantur, hominibus in terra manifestantur. O' immensa dignitas religionis Christianæ, quæ in scientia angelos, archangelos, & reliquos ordines beatorum spirituum transcendit, & ad ipsorum Cherubim & Seraphim arcana consilia accedit. Et quid mirum, si hæc scientia de hominibus deos, de mortalibus immortales facere possit, quæ talem ac tantum doctorem habuit. Huius sanctissimæ scientiæ sublimitatem, profunditatem, longitudinem & latitudinem, intellectus nõ capit humanus, nec lingua exprimit, sed fide percipitur, spe retinetur, & charitate perficitur. Huius scientiæ scholam qui intrauerit, quamuis indoctus, doctissimus euadit. Quicunq; autem eam ingredi aut negligit aut cõtemnit, quamuis doctissimus, ignorantiæ suæ tamen cæcitatem in æternum lugebit.

V. *Sublimitas Christianæ scientiæ.* *Iohan. 13.* *Iohan. 15.* *Dignitas religionis Christianæ.* *Scientia Christianorum sola fide percipitur*

De meritorum qualitate huius sanctissimæ Christianæ religionis, argumentari aut dubitare ipsis infidelibus & hæreticis derelinquo, quorum quidam Christum non uerum Deum, alij non uerum hominẽ, reliqui solum prophetam fuisse blasphemarunt. Nemo autem fidelium qui Christũ filium Dei, & uerum filium hominis, de spiritu sancto cõceptum, de Maria uirgine natum, inter homines 33. annis conuersatum, & post infinitos labores, post miraculorum & doctrinarum insignia, à Iudæis captum, ligatum, flagellatum, consputum, irrisum, illusum, spinis coronatum, & infinitis doloribus & confusionis opprobrijs, iniurijs & blasphemijs satiatum, tandem inter latrones affixum cruci, & pro salute humani generis acerbissima morte finitum, credunt, confitentur, & supplíciter adorant, de eius infinito merito dubitare permittitur. Quod autem infinitum est, ultrà multiplicari non potest. Superfluũ tamen non est, si glorioſæ uirginis Mariæ, omnium sanctorum, apostolorum, martyrum, confessorum, atq; uirginum merita, quibus Christiana religio dotata est, addere uoluero.

VI. *Merita Christianæ religionis.*

De quantitate præmiorũ quid dicendum putamus: Non'ne iustum est, ut secundum laborẽ requies, secundũ dolores gaudium, & secundũ confusionem gloria retribuatur? Firmiter igitur credamus, & nullatenus dubitemus, huic sanctissimæ religioni, pro infinito labore æternæ requiei solatiũ, pro tantarũ passionum

VII. *Quantitas præmiorum.* *Præmia piorum.*

doloribus ſempiterni gaudij refrigerium, pro confuſionũ & opprobriorum immenſitate conſolationẽ gloriæ ſine fine manſuræ in retributionis præmiũ, à iuſto & æterno iudice, in ſuo diſtricto & extremo iudicio exhiberi. Fœlix igitur, imò fœlicior & fœliciſsima anima, quæ huius ſanctiſsimæ religionis fundamẽti firmitate fundata, cultus eius dignitate mancipata, ſacramentorũ quoq; eius ſanctitate conſecrata, uirtutum nobilitate decorata, & ſcientiæ eius ſublimitate tam fideliter & excellenter imbuta, ut per eius infinita merita, ad præmiorũ eius tam ſublimia faſtigia finaliter ualeat peruenire. Quod nobis præſtare dignetur IESVS CHRISTVS Dominus noſter: qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat Deus, in ſecula ſeculorum: Amen. Qui de ſecta Turcorum magna & admiranda ſcire deſideras, pauca quæ hic inculto ſermone & incompoſitis uerbis dicta ſunt, rogo ne ſpernas. Nã ſi ſingula bene inſpecta & intellecta fuerint, de multis & magnis debitę inquiſitionis materiam, & rei ueritatis ſeriem, nequaquam tibi negabunt.

FINIS.

## ORATIO TESTIMONIALIS EORVM *quæ dicta ſunt.*

SI in rerum humanarũ dubijs, maiori experientiæ fides adhibetur potior, nulla minorem mihi, de conditione & ritu Turcorũ loquenti, fidem debere cenſeo, qui eorũ truculentiſsimæ captiuitatis & horrendæ perſecutionis, per integros uiginti annos, terribiles tempeſtatum ſpiritualiũ turbines, & immenſa pericula corporis & animæ pertuli. Et ut poſſem euadere, præcipuè periculũ animæ, & conſeruare fidem Chriſti, octo ſolennes fugas peregi, quarum quælibet hominẽ non ſolum in perturbationem mittere, uerumetiam in deſperationis foueam deijcere, ſufficiens materia exiſtere potuiſſet. Quater quoq; poſt fugam precio redemptus: ſepties pro pecunia uenditus, & totidem emptus fui. Præterea in tantum conuerſationis eorum conſortio aſtrictus fui, ut maternam linguam oblitus, eorum Barbarici idiomatis loquela ad plenum eruditus, nec non literaturæ eorum tam extraneæ & peruerſæ non mediocriter inſtructus, adeò ut Sacerdos eorum unus de maioribus, ad beneficium eccleſiæ ſuæ non modicis redditibus dotatum, quod ipſe mihi obtulit, me ſufficientem & idoneum æſtimaret. Porrò religioſorum eorum moribus & rituí ſic me conformaui, ut ſermonum ſpiritualium, quibus ipſi in collationibus ſuis & propoſitionibus populi utũtur, tantam haberem experientiam & copiam tam in ſcriptis quàm in mente, ut non ſolũ uicini noſtri, qui me frequenter audiebant in congregationibus ſuis, uerumetiã de alijs locis me proponentẽ audire deſiderabant, ipſorum quoq; religioſorũ plurimi, quos proponerent populo, à me didicere ſermones. Denicq; domino meo ita charus eram, ut ſæpius in collocutione plurium, plus quàm filium ſuum, quem unicum habebat, me diligere aſſereret: & propter hoc poſt adeptam libertatẽ, promiſsionibus & precibus me omnibus modis retinere attentabat. Sed quia ſciebat me ualde auidum ad diſcendum literas, per excuſationem, qua me finxi ad ſtudium ire & reuerti, deceptus, me dimiſit, non tamen ſine totius familię ſuę deſolatione, rogãs, & per nomen Dei & Mahometi me adiurans, ut quantotius redirem. Et fortè adhuc reuerſurum à ſtudio expectat, ut uidelicet de meo ſacerdotio, & ſui deſiderij impletione, duplex ſibi gaudium, quod multum optauerat, accreſcat. Demum in fine, quod ualde paucis ductis in eorum captiuitatem contingere poteſt, cum litera Imperiali authoritate confecta, & authenticorum teſtium ſolenni uallata teſtimonio, Deo mihi adiutorium præſtante & miſericordiam, non ſolum illius duriſsimæ captiuitatis nexibus ſolutus, uerumetiam illius cruentiſsimæ ſectæ diabolica infectione ſolutus, liber exiui.

*Quot fugas peregerit author.*

Detur

Detur igitur maioris experientiæ testimoniũ, cum euidenti ratione: & ego meis postpositis, suis assertionibus indubitanter cum cæteris fidem adhibebo.

## ISTI SVNT DVO SERMONES in uulgari Turcorum.

CAffil olma aths goesingi, halinga bakoeleni, gore ruenelititma doenuede, yasu clerung deleni goer, nitscheler uatir duesse beni, girnulam tsthyeã ues suebemi Czuem uekleritsassa beni tsthur beni olã guer. Kym ach iduep kilir za ri kuenethdur ellinde uuari. Gutsthmisth yatir kari giri mizkij nueri guueleni. goer czorma hallyn kynczene uuarma yeramanczine Kymczini goes deczini uul sub gyeni iulani goer. Hantz Mehekmimet mustafa? huekym ittikaftã kaffa. Doenne kyme kildi bassa, aldanibẽ galani goer, Aldanma maladanuara kulu keyla, haka iar, Seuigile bile uuara baki iotasch olani goer. Ionus bij czusteritsat tar balka moriffer satar Gendiczine hadar dutar czoledigi ialani goer.

Iana isthim goner osim bon oelim angitstac, olim endestherczin host, uulura ra dantsthag. Oliczeris belli beangissi itsthimis olor eam, tenesthir ustine Konp, halkunginde iuunt sthad, hitsch hilmeczen ben nitge iden, hanke ianna, czaffaridẽ, yacaffis don geemgidẽ, bachsis atta binnitstheg. Gelle bãga kauum gardasth olaczim degi ioltatsth. Kim olaczar bãga haltast ben czinin do egalisthag, galã ben amalimla hernitgeczij halimla. Gide kauũ guuele, guele, esdẽ iãga donitstheg. Sãga aidirẽ ai passa, nelergelliczor bassa. Kimingiczidẽ bagir pisssche, Kim schraba anitsthag, yarrin cziaczar guria tschumla galeik derle. Kime inir czeuuan herle, kiming iczidẽ iantschag amal uuer unda tsthoap amalsisa olor hedep, schol bisschia olmaczhezzep, bunda azat olitsthhag. Ionus emdi kiliarak ut anmeaczin dogri bak. Tschumla galeik derle atli atilia czaijt litschag.

## INTERPRETATIO SERMONVM prædictorum in Latino.

NOLI esse incautus, aperi oculos, & considera conditionem tuam, quia mortalis es. Et noli iniquè agere in hoc seculo, sed de commissis pœnitentiam agere cura. Considera multitudinem morientium, & dispositionem eorum in sepulchris, & deformitatem, quomodo pleni uermibus & serpentibus, facies deturbatæ, phlegmate pleni, omni putredine & fœtore. Iusti in hoc seculo cum timore uixerunt, & cum dolore mortui, & non comparent. Et miseri peccatores rident & consolantur, credentes se mortem euadere posse. Noli igitur argumentum quærere ab aliquo, uel rationem. Nec contrariũ dicẽtibus uolueris credere. Quotidiana morientium experientia & conditio de hoc te certum reddant. Vbi est † Mahomet Mustafa? qui fuit tantæ authoritatis, ut cœlo & terræ imperare uideretur. Et si huic mors non pepercit, quem non seducat mundana uanitas? Non ergo blandiantur temporalia & caduca, sed exerce te in cultu diuino, & associare spiritualibus rebus, quæ tibi in extremis possunt esse refugium. Ionus has sentẽtias copulat, uendens populis mercimonia spiritualia, cuius sermonum uarietate meliora facta testimonio esse possunt. Timor mortis exterius, sed magis interius, eius me conturbat memoria. Sed quia omnibus cõmune mori scio, aliqualẽ mentis releuationẽ habeo. Certũ est quòd omnes morimur, sed horã mortis tunc solũ experiemur, quando super feretrum positi, incipimus coram oculis omnium lauari. Quid faciam? aut quò me uertam nescio, quãdo omnia mihi prius chara me solũ derelinquunt. Tunc pannus quo inuoluar, & tabula cũ qua efferar, mihi ex omnibus remanebũt. Sed fortè amici mei & proximi cõpatientes usq; ad tumulũ erũt mihi socij.

† Mehemet Mustafa.

Quem uero consortem habebo, quãdo solus in terra tumulatus restabo? Tunc
*quando illi* manebunt mecũ merita & mea sancta desideria, † ò non illi, qui tristes se sociauerunt, gaudendo redibũt ad propria. Sed tibi dico frater chare, cõsidera qualis morientium differentia: alij enim æstuabunt incendio, alij uerò satiati gaudebunt refrigerio. Tandẽ instante ultimo examine, omnes iterũ habent resurgere. Tunc alios gratia spiritus obumbrabit, alios ignis æterni incendij concremabit. Non uerba, sed merita ibi respondebunt: qui non habent merita, magnã necessitatem habebunt. Illi aũt tunc securi erunt, qui de hac uita sine impedimẽto & liberi exierunt. Ionus ergo age nunc de tali prouisione, ut tunc apparere possis sine confusione, quãdo singulorũ nomina & merita toti mũdo erũt manifesta & cognita.

## HAEC EST OPINIO ABBATIS *Ioachim, de secta Mahometi.*

*Danielis 7.* QVANTVM autem secta Mahometi debeat durare, habetur Danielis 7. ubi declaratum fuit Danieli ab angelo de bestia magna, quæ dissimilis erat cæteris, in hunc modum: Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autẽ regnũ sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usq; in seculum, & in se-
*Apocal. 12.* culum seculorum. Quod tractans Abbas Ioachim super illo loco Apocal. 12. Et iratus est draco in mulierem, sic dixit: Si historias ecclesiasticas diligentius notamus, cum iam moderata esset persecutio Arriana, & etiam in quibusdam deleta,
*Persecutio Arriana.* inchoante Cosdroẽ rege Persarũ, qui in persecutione orientali præcessit Maho-
*Cosroës rex Persarum.* met & successores eius, persecutio istius sectæ secuta est tam immanis, ut reuera non hominũ, sed bestiæ cuiusdam terribilis esse uideretur, præsertim cum ipsius error non aliqua ratione humana uidetur esse munitus, sed solũ detestando furore mendacij, & tyrannica armorũ potestate defensus. Quantum uerò inualuerit in breui, & quam citò profecerit in malitia sua, haud dubiũ propter peccata, testatur desolatio ecclesiarum Syriæ, & Phœnicis, Palestinæ pariter & Aegypti, necnon & Aphricæ, & Mauritaniæ, & insularum maris, in quibus abolito Chri-
*Mahomet.* sti nomine, ipsius Mahomet detestanda traditio, quasi magni prophetæ Domini, & præconis altissimi prædicatur. Heu si tanta mala faciet Antichristus, quan-
*Mahomet præcursor Antichristi.* ta iste fecit in mẽdacio suo. Vt enim Moses legislator lõgè antè præcessit Christũ, ita & iste lator mendacij parauit itinera Antichristi. Ac ne cui immanitas huius bestiæ uideatur esse similis aliarum bestiarum, Iudæi quidem pugnauerunt contra fidem Christi: sed tamen eis renitẽtibus & inuitis, ædificatæ sunt ecclesiæ Hierosolymis, & non post multos dies absorpti sunt à Romanis, ita ut ex tunc quo ad eos, finẽ acciperet & persecutio ecclesiarũ & regnum ipsorum. Pagani pugnauerunt contra Christum, sed quotidie uincebantur à militibus eius, ita ut in diebus Syluestri Papæ penè redderent arma, & eidem Christi uicario sceptrũ regni assignarẽt. Gothi & Vuandali, & Longobardi, & alij hæretici partim deleti sunt ab exercitu Romanorum, partim ad catholicam fidem conuersi. Hæc uerò quarta bestia ita indomabilis fuit, ut licet apparuerit ad tẽpus humiliata, & quasi mortua, quàm iterũ magnificata sit, & ad deuorandum parata, plus timere est quàm
*Danielis 7.* exprimere. Hæc igitur est illa bestia, quam sanctus Daniel quartã nominat, terribilem nimis. Ioannes uerò tam eam quàm tres alias comprehendit sub una ha-
*Apocal. 13.* bente septem capita, & in uno eorum cornua decem. Et infrà paulo pòst idem Abbas Ioachim ita dicit: Per hanc bestiam diabolus meridianam incolentes eremum uiros solitarios impugnauit. Et per hanc talia facturus est, & ex parte iam facit, qualia non est permissus in temporibus alijs, nec etiam quando sanctos martyres laniare ictibus uarijs sineretur.

Appendix

## APPENDIX, DE CHRISTIANORVM *decem nationibus, siue sectis.*

NOTANDVM quòd gentes Christianorum diuiduntur in decem nationes: uidelicet Latinos, Græcos, Indos, Iacobitas, Nestorinos, Moronitas, Armenos, Georgianos, Surianos, & Mozarabes.

Latini. Prima natio est Latinorum, qui habent Imperatorem Almaniæ, & reges multos, uidelicet reges Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ. Et isti sunt de natione Hispanica. In natione Gallica est unus rex Francorum, & multi duces & comites. In natione uero Italiæ est rex Siciliæ, Neapolitanus, multi duces, comites, marchiones, ac cõmunitatis magnæ, uidelicet Venetiarum, Florentiæ, Senarũ, & Ianuæ. In Germanica autem natione præter imperatorem qui debet esse Almanus, sunt reges multi, uidelicet rex Angliæ, Scotiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daciæ, Frisiæ, Suediæ, Noruegiæ, Dalmatiæ, & multi marchiones, Iantgrauij, duces, comites, &c. Item in insula Cypri, rex Cypri. Omnes prædicti sunt obedientes Romanæ ecclesiæ.

Græci. Secunda natio est Græcorum, qui habent patriarcham Constantinopolitanensem, archiepiscopos, episcopos, abbates, &c. in spiritualibus. In temporalibus uerò imperatorẽ, duces, & comites, &c. Pauci tamen numero sunt nunc, quia Agareni & Turci occupauerunt & inuaserunt maximam partem Græciæ. Et isti nõ obediunt ecclesiæ Romanæ, & habent errores multos, qui sunt condemnati per ecclesiam: quia dicunt, quòd spiritussanctus nõ procedit à filio, sed a patre solum. Etiam dicunt, quòd non est purgatorium.

Indi. Presbyter Ioannes. Tertia natio est Indorum, quorum princeps est Presbyter Ioannes, cuius potestas excedit omnes Christianos. Nam habet sub se septuaginta duos reges. & quando dictus dominus Presbyter Ioannes equitat, semper facit ante se portari crucem ligneam. Quando tendit ad bellum, facit portari duodecim cruces de auro & lapidibus preciosis factas, pro uexillo. In illius terra est corpus beati Thomæ apostoli in maxima ueneratione.

Corpus Thomæ apostoli.

Iacobitæ. Quarta natio est Iacobitarum, à Iacobo hæretico, discipulo patriarchæ Alexandrini Iacobitæ dicti sunt. Hi in partibus orientis occupant magnam partem Asiæ, terram Mambræ, quæ est propinqua Aegypto, & terram Aethiopiæ usq; ad Indiam plus quàm quadraginta regna. Hi circumcidũtur & baptizantur, cum ferro ignito characterem crucis imprimunt in frontibus & in alijs partibus corporis, ut in pectore, uel in brachijs. Hi confitentur soli Deo, & non sacerdotibus Iudæorum & Agarenorum. Et dicunt, in Christo esse tantum naturam diuinam. Aliqui eorum loquuntur lingua Chaldaica, aliqui lingua Arabica, alij uerò alijs linguis, secundum diuersitatem nationum. Et isti fuerunt condemnati in concilio Cedensi.

Nestorini. Quinta natio est Nestorinorũ, à Nestorino hæretico, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, sic dicti Nestorini. Hi soli ponunt in Christo duas personas, unam diuinam, aliam uerò humanã. Et negant beatam uirginem Mariam esse matrem Dei, sed bene hominis Iesu. Hi utuntur lingua Chaldaica in suis scripturis, & conficiunt corpus Christi in fermento. Hi inhabitant Tartariam, & maiorem Indiam: & sunt multi numero. Terra eorum continet tantum, sicut Almania & Italia. Et isti hæretici fuerunt condemnati in tertia synodo Ephesina, & fuerunt diuisi ab ecclesia Romana, & permanserunt in pertinacia.

Moronitæ. Sexta natio est Moronitarum. Moronitæ, à quodã hæretico Morone dicti sunt. Hi unũ intellectũ & unam uoluntatẽ in Christo tantũ ponunt. Hi habitant iuxta Lybiam,

Hi Primatem suum quē (ipsi) licet vocant summū in obedientia habent, ejus obedient tantam quam alteri Papæ. Ipsi dicunt Ecclesiam Christi Graecis implacabiliter errare. Infantibus duorum mensium Eucharistiam tribuunt.

circa montes Sinai

Lybiam in prouincia Phœnice in magno numero, uiri bellatores, in prælijs edocti & experti, specialiter utūtur arcub. & sagittis. Hi more Latinorū campanis, & eorum episcopi annulis, mitris & baculis pastoralibus utuntur. In scripturis litera Chaldaica, & in uulgari Arabica utuntur lingua. Hi aliquando fuerunt sub obedientia Romanæ ecclesiæ. Nam eorum Patriarcha interfuit concilio generali Lateranensi, celebrato Romæ sub Innocentio tertio. Sed postea recesserunt ab ecclesia Romana. Hi primò fuerunt condemnati in synodo Constantina, & postea uenerunt ad obedientiam Romanæ ecclesiæ. Et iterum reuersi sunt ad propriam eorum opinionem, in qua perseuerant hodierno tempore.

*Armenij.* Septima natio est Armeniorum, qui habitant in regno Armeniæ prope Antiochiam. Hi proprium idioma & linguam communē omnibus habent, & scripturas sanctas, & officium ecclesiæ cantāt, & dicūt in uulgari lingua, ita quòd ab omnibus secularibus tam uiris q̄ fœminis intelligantur. Habent suū primatem, quem uocant Catholicum, cui obediunt sicut nos Papæ, cum magna deuotione & reuerentia. Quadragesimam ieiunant cum magna deuotione, in qua non comedunt pisces, nec bibunt uinum. In diebus autem Veneris comedunt carnes.

*Georgiani.* Octaua natio est Georgianorū. à beato Georgio, quē habēt in prælijs in patronum, dicti sunt Georgiani, & habitant in partibus orienalibus. Et est populus pulcher, fortis, & delicioſus: Medis, Persis, & Syris, in quorū confinibus commorantur, ualde formidolosi. Et utuntur lingua Græca, utūtur sacramētis more Græcorum. Clerici habent coronas in capitibus eorum rotūdas, seculares uerò quadratas. Quando ueniunt ad sanctum sepulchrum, non soluunt Sarracenis tributum, & ingrediuntur Hierusalem cum uexillis erectis, quia Sarraceni eos timent.

Eorum fœminæ utuntur armis sicut uiri, barbas & crines etiam habent sicut uiri, utuntur pileis altis in capitibus ad altitudinem cubiti. Quando scribūt Soltano, statim conceditur eis quod petunt.

*Suriani.* Nona natio est Surianorū. sic dicti Suriani, à ciuitate Sur, quæ est eminentior ciuitas in Suria, uel Assyria. Hi utuntur in sermone uulgari, lingua Saracenica: in scripturis diuinis & officijs missæ, lingua Græca. Habent episcopos, & consuetudinem Græcorum seruant, & eis obediunt in omnibus. Conficiunt in fermento, & habent opiniones Græcorum contra Latinos. Hos sequuntur aliqui

*Samaritani.* Christiani, qui in terra sancta uocantur Samaritani, primò conuersi tempore apostolorum, sed ipsi non bene sapiunt in catholica fide.

*Mozarabes.* Decima natio est Mozarabum. hi Mozarabes fuerunt olim multi numero in partibus Aphricæ & Hispaniæ, sed modò sunt pauci. Sunt autem dicti Mozarabes, quia modus Christianorum de Arabia in multis tenebant. Isti utuntur in officijs diuinis lingua Latina, & obediunt ecclesiæ Romanæ, & prælatis Latinorū. Conficiunt in azymo, ut Latini, sed in multis discrepant à Latinis. quia cum dies naturalis diuidatur in uiginti quatuor horas diei & noctis, tot officia habēt siue horas, et psalmos ac hymnos certasq̄ orationes habent, & nimis prolixas, quas non dicunt more Latinorum. nam & quod Latini dicunt in principio, ipsi dicunt in fine, uel in medio. Sacramentum eucharistiæ diuidunt aliqui in septem partes, aliqui in decem. Et est hæc natio ualde deuota. In matrimonio uerò non coniunguntur, nisi personis suæ gentis, siue nationis, inter quos fœmina amisso primo marito, nunquam coniungitur alteri, sed permanet in castitate perpetua.

## DIVERSITATIS HVIVS INTER *Christianos causæ.*

*Prima causſa.* CAussa uerò tantæ diuisionis inter Christianos fuit, quòd ab antiquis temporibus Christiani fuerunt astricti, ne celebrarent Concilia generalia.

Ideo

Ideo insurgentibus hæreticis, in diuersis mundi partibus, non fuit qui remedium apponeret. Secunda causa fuit negligentia summorum Pontificum, quia non curauerunt nuncios mittere ad Christianos in erroribus positos: quia si hoc fecissent, multos, aut omnes ad unam fidem & obedientiam Romanæ ecclesiæ reduxissent. *Secunda.*

FINIS.

# PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI ILLVSTRI MORBISANO TVRCARVM principi, timorem diuini nominis & amorem.

SCRIPTVRI ad te aliqua pro tua salute & gloria, procq; communi multarũ gentium cõsolatione & pace: hortamur, ut benignè audias uerba nostra, nec prius dãnes quàm iudices, nec prius iudices cq; singula diligenter intelligas. Accipe quæ scribimus in bonam partẽ, & usq; in finẽ patienter audi: si bona sunt quę suademus, amplectere: sin mala, respue, & in ignem mitte. Neq; idcirco epistolam reijcias, quia Christiani hominis est, & eius Christiani qui cæteris præest. Non enim te odio persequimur, neq; tuo insidiamur capiti, quamuis nostræ religionis hostis existas, & armis Christianam urgeas plebem. Operibus tuis, non tibi sumus offensi. Diligimus, iubente Domino, inimicos nostros, & pro persecutoribus nostris oramus: sapientibus & insipientibus debitores sumus, & omnes cupimus fieri saluos, Græcos, Latinos, Iudæos, Saracenos, omnibus optamus bona. Sed scimus uera bona neminẽ asse qui posse, qui extra euangeliũ degit, & à Christo domino nostro est alienus. Noli autẽ aures claudere, aut oculos auertere, cum Christum nominamus, quem Mahumetea lex iniqua natũ & uirum sanctũ, & prophetam magnum, & uirginis filium, & miraculis clarũ dicit. Multa tibi per eum & maxima bona euenient, si ei credideris, & eius sacris initiari uolueris. Horresces hæc cum primùm accipies, sed audienda est tota lex, deinde iudicium promendum. Audi quò tẽdimus. Multa tibi & tuis progenitoribus cum Christianis bella fuerunt, multus sanguis effusus est, multæ urbes deletæ, sacræ ædes incensæ, raptæ uirgines, uiolatæ matronæ, uastati agri, scelera perpetrata sunt quæcunq; in mentẽ uenire possunt, dum Turca & Christianus, uter imperet, gladio contendit: tibi (ut fama & opera ipsa loquuntur) ingens desiderium est Christianos sub iugum mittere, & imperium Latini nominis obtinere. Et sunt fortasse qui hoc facile suadẽt, & omnia tuis armis peruia dicunt. & alij tuas uires amplificantes, Christianas attenuant: alij in diuisionibus & odijs quæ gentem nostram excedunt, spem collocant, haud difficile existimantes eos uinci ab exteris posse, qui domi desident. Nos nõ ita ignarum te credimus nostrarũ rerum, quin scias quanta est Christianæ gentis potentia, quàm ualida Hispania, quàm bellicosa Gallia, quàm populosa Germania, quàm fortis Britannia, quàm audax Polonia, quàm strenua Hungaria, cq; diues & animosa & bellicarum perita rerũ Italia: sola Hungaria diu progenitores tuos & teipsum fatigauit. Octogesimum iam annum aduersus Hungaros Turcarum signa feruntur, & adhuc circa Samũ ac Danubium hæret una gens, quę te tuasq; uires agitat. Quid facias si tibi cum Italis, aut Gallis, aut Germanis res fuerit, amplissimis & robustissimis populis? Fortasse non deest, qui dicat, Iustinianũ imperatorẽ Constantinopoli sedentẽ, misso in Italiã Belisario cum parua manu militũ perdi-

*Matthæi 5. Rom. 1.*

*Extra euangelium & Christũ nulla salus.*

*Iustinianus imperator.*

perditam Romam, & reliqua loca usque ad alpes recuperasse, nec te Iustiniano
*Adulatores regum assidua pestis.* minorem esse. Caue ne te fallant adulatores, domestica regum & assidua pestis.
Facile principes magna de se loquentibus aurem præstant, atq; idcirco sæpe decipiuntur. Rarus est uerò, qui non se maiorē credat. Iustinianus uniuersæ Græciæ & Illyrici & Asiæ & Lybiæ dominus erat, & Italiam non acquisiuit, sed recens perditam recuperauit, & à Gothis gente barbara, non ab Italis abstulit: nondum amor imperij Romani in mētibus Italis refrigerat, neq; ullus erat qui barbaricum iugum æquo animo ferret. Cuncti arma pro imperio, & pro patria magnis animis susceperant, nec tam Belisarius Italis libertatem restituit, quàm Itali suum decus uendicarunt. Tui progenitores nunquam aut possederunt Italiam, aut uiderunt, nec tibi ius ullum in ea est. Quòd si pergas Italiam inuadere, senties tibi cum uiris bellū esse. Fatemur, res claras maiores tui egere, nec tua minora sunt opera, qui Constantinopolim expugnasti, & Peram è regione Genuensium coloniā, & Peloponnesum, magna ex parte in deditionem accepisti, & in Rastia & Valachia non parum agri adeptus es, & sæpe tuos hostes fudisti. Et hoc anno Sy
*Mithridatis* nopem uetustam urbem † Metis Eupatoris patriam & eius tyrannum cepisti, & Trapezunte direpta, incolas eius & imperatorem in captiuitatem abduxisti: & Iannem Cassanum prælio congredi ausum superasti. Magna hæc tibi uidentur,
*Pontifica* nec nos parua dicimus. At Iulius Cæsar cum de uictoria † Pontica triumpharet, in curru quo uehebatur, hæc uerba iussit inscribi: Veni, uidi, uici. Imbelles eas gentes & parui momenti existimans, quas Pompeius paulo antè domuerat, &
*Itali.* tu hac æstate superasti. Alia est Italorum natura, aliæ uires, alia ingenia, alij animi. Nesciūt subesse, qui soliti sunt præesse. Et nunc tota Italia armata est, equis & hominibus plena: nec pecunia caret, quæ neruus belli dicitur. Non pugnabis contra fœminas, aut Italiam, aut Hungariam, aut aliam in occidenti prouinciam ingressus. Ferro hic res geritur, non Asiaticis fudibus. Chalybeus thorax pectora tegit, equi simul & homines tecti pugnant, ordines seruant, nec uano metu pauent. Fortior sit necesse est, & manu promptior, & animo præstantior, qui eos
*Christianis diffidijs Turca ne confidat.* loco depellat. Nec Christiana dissidia desiderio tuo conducere putes, haud in his cōfidas. unientur Christiani omnes, si quando te audiant interiora Christianitatis accedere. nec tu melius Christianorū paci cōsulere potes, quàm ualidis & magnis copijs Christianitatē inuadens: cessabunt priuata odia, ubi publica senserunt, & coniunctis uiribus aduersus communem hostē arma sumentur. Nec tu necesse arbitreris ad propulsandas tuas incursiones, ad cōprimendum tuum impetū, tuasq; uires elidendas totam Christianitatem uniendam esse, quod fatemur difficile esse. Sed una ex quatuor nationibus satis fuerit, superq; satis, tuas copias profligare. Atq; ut de alijs taceamus, cōplures esse in tuo palatio arbitramur, qui terrā Italiam lustrauerunt, & uires & ingenia noscunt. Ipsos audi atq; interroga, an æquari tuis uiribus Italia possit, an uinci tuis armis, an tuo imperio subijci. Plus negotij Romanis fuit Italiā acquirere, quàm orbi reliquo frena im-
*Italorum factiones.* ponere. Diceret aliquis, quod suprà tetigimus, intestina odia, quæ nostrā gentem exagitāt, introitū tibi in Italiā posse præbere: & si unus principū te excludat, alterum inclusurū, daturumq; aditū. Sunt diuisiones sanè & inimicitiæ & simultates inter Italos, plures & graues & periculosæ, & utinam non essent: sed nullus est qui dominū pati non Christianū uelit, omnes in fide orthodoxa mori uolunt. Nulli animus est à religione recedere. Non hic inuenies, quod tui maiores apud Græcos: qui contēdentibus de imperio duobus, nūc uni, nūc alteri minus potenti auxilia ministrauêre, donec ambos eneruatos et exhaustos eiecêre, et sibi principatum arripuêre. Aliæ sunt Italiæ potētiæ, alij regum oculi, alia ciuitatū consilia.

Vene-

Venetorũ reſpublica ſapientia diues, & auro, Chriſto deuota, ut noſtra fert opinio, prius euertetur funditus, quàm hoſtem religionis in Italiã patiatur intrare. Atq; hæc quidẽ per ſeſe quando ſtatuerit, nullis adiuta uicinis, tuas opes euertet. tantum terra mariq; poteſt. An Florentiæ urbis magnificentiam ignoras, & uires, & opes, & quantus eſt in ea religionis cultus, quanta erga Ieſum reuerentia, quantus amor? Credis ne fieri poſſe, ut hæc ciuitas Italiam diuerſæ religionis hominibus aperiri ſinat? Sunt aliæ multæ urbes inſignes, multi principes clari & magni. Nihil de regno Siciliæ dicimus, quod armis hac tempeſtate concutitur. non poſſumus multa nobis de illo promittere: licet tamẽ hoc aſſerere, quòd quanquam duo reges de ipſo litigent, & bello decertent, maluerit tamen uterq; regno priuari, quàm tuis auxilijs uictoria potiri. quòd ſi ad te alter cõfugerit, totius Italiæ in ſe odia concitauerit. In Gallia Ciſalpina, quæ & ipſa pars eſt Italiæ, dux Mediolanenſis in armis excellit, & potentia par regibus habetur. Nec paruæ ſunt ducis Mutinæ uires: aut Genuenſis, qui Liguribus præ eſt marinis. Non cõtemnendus ducis Sabaudiæ, opulentus & ualidus in Italia principatus. Adeſt Marchio Mantuanus. Sunt & alij complures urbium domini, quibus nihil poteſt eſſe moleſtius, quàm nobilem Italiam uanæ ſuperſtitionis ritu fœdari. De nobis & eccleſiæ Romanæ ciuitatibus & prouincijs tacemus, quoniam noſtram tibi poſſeſsionem haud ignotam eſſe confidimus, quibus ſola cura eſt ſeruandæ & ampliandæ fidei Domini noſtri Ieſu. Hæc ſi accepiſti ab alijs, gaudemus, ueritatem enim accepiſti: ſi minus, hortamur hæc diſcutias, & uerum inueſtiges. inuenies nihil nos eſſe mẽtitos. non ſolium Sibyllæ, ut quidam ait, ſed Euangelij paginam recitamus. Difficile eſt, atque adeò difficile, ut impoſsibile dici queat, te tua in lege permanentem uoti compotem fieri. Si, ut aiunt, imperium Chriſtianorum deſideras, dicens quàm plurimos tibi Chriſtianos ſubeſſe, & de reliquis idem ſperas, non eſt par ratio. Pauciſsimi ſub tuo imperio Chriſtiani ſunt, qui ad ueritatem ambulent euangelij. Omnes aliquo ſunt errore imbuti, quamuis Chriſtum colant, Armeni, Iacobitæ, Maronei, & alia quædam nomina. Græci à Romanæ eccleſiæ unitate aberant: cũ tu Conſtantinopolim inuaſiſti, neq; adhuc decretum Florentinum acceperant, & in errore ſtabãt, neq; de ſancto ſpiritu, neq; de purgatorio igne, conſona rectæ fidei ſentientes. Pauci fortaſſe inopes ueri Chriſtiani, neceſsitate, non uoluntate tibi obediunt. At urbes Italiæ potẽtiſsimas, non eſt tuum cogere, ualidiores ſunt, quàm tuis queant exercitibus ſuperari. Noſti quę acciderunt, cum Taurinum inuaſiſti, quod noſtra ætas Belgradum uocat. Pauci cruce ſignati innumerabiles tuas copias proſtrauerunt. Non eſt de Italis ſperanda uictoria, quibus aduerſa fuit in Hungaris pugna. Quocirca ut eò tandem ueniamus quò noſtra feſtinat oratio, & id dicamus quod ad ſcribendum compulit, tuamq; gloriã & tuam ſalutem tibi denicq; oſtendamus: adhibe his paucis animũ. Si uis inter Chriſtianos tuum imperium propagare, & nomen tuum quàm glorioſum efficere, non auro, nõ armis, non exercitibus, nõ claſsibus opus eſt. Parua res omnium qui hodie uiuunt, maximũ et potentiſsimum & clariſsimũ te reddere poteſt. Quęris quę ſit? Nõ eſt inuentu difficilis, neque procul quęrenda, ubicq; gentiũ reperitur: id eſt, aquę pauxillũ quo baptizeris. & ad Chriſtianorum ſacra te conferas, & credas euangelio. Hæc ſi feceris, non erit in orbe princeps qui te gloria ſuperet, aut ęquare potentia ualeat. Nos te Grę corum & Orientis imperatorem appellabimus; & quod modò ui occu-

*Veneti.*

*Florentia.*

*Siciliæ regnũ.*

*Mutinæ dux.*
*Genuenſis.*
*Sabaudus.*
*Mantuanus marchio.*

*Chriſtiani ſub Turca.*

*Belgradi oppugnatio.*

*Ad baptiſmum hortatur.*

pas, & cum iniuria tenes, possidebis iure. Christiani te omnes uenerabuntur, & suarum litiũ iudicẽ facient. Oppressi undiq; ad te ueluti cõmune patrociniũ cõfugient, & toto ferè orbe ad te prouocabitur. Multi sponte sua sese tibi subijciẽt, & tribunalia tua sequentur, et tributa præstabũt. Licebit tibi surgentes extinguere tyrannides, iuuare bonos, oppugnare malos, nec Romana ecclesia te arguet recta uia uadentem. Eadem erit erga te charitas primę sedis, quę in cęteros reges: et tanto maior, quãto eris ipse sublimior. Facile hoc pacto sine sanguine, sine armis multa poteris nãcisci regna. Vladislaus Lituaniæ princeps, Vituldi frater, cum aspiraret ad regnũ Poloniæ, essetq; infidelis, ut uoti sui compos fieret, effectus fuit Christianus, et deinde etiã regnum obtinuit. Cuius nunc filius Casmirus regnat. alter filius, qui etiam apud Hungaros regnauit, in bello contra genitorem tuũ gesto superatus occubuit. Quid reris de te fiet, Christianis initiato sacris? Magnus erit ad te cõcursus, & felicitatis genus existimabitur Christianis, se inter subiectos uos anumerari. quippe ut arbitramur, si Christianus fuisses, mortuo Ladislao Hũgariæ ac Bohemiæ rege, nemo præter te sua regna fuisset adeptus. Sperassent Hungari post diuurna bellorum mala, sub tuo regimine pacẽ. et illos Bohemi secuti fuissent. Sed cũ esses nostræ religionis hostis, elegerũt Hungari uiri fortes et fidelissimi, religionẽ potius cũ bello retinere, ẽq; ea pdita, pacẽ cõsequi. Quot sũt hodie in Epiro, in Pelopõneso, in Macedonia, in reliqua Græcia, in Dalmatia, in insulis Aegei, Carpathij et Ionij maris, qui tuũ imperiũ non alia de causa refugiunt, nisi quia alienus es à Christi ritu: et hi modò ad nos, modò ad alios recurrunt, opemq; petũt, extrema omnia subituri, priusquã te circuncisum et alienigenã dominum ferant. Et nos eis aliquando argento, aliquãdo frumento, aliquando rebus alijs subuenimus. Quòd si baptizatus esses, et nobiscũ ambulares in domo Domini cũ consensu, nec illi tuum imperiũ tanto tẽpore formidarent, nec nos eis aduersus te ferremus opẽ: sed tuum potius brachiũ in eos imploraremus, qui iura ecclesiæ Romanæ nõnunquã usurpant, et contra matrẽ suã cornua erigũt. Et sicut nostri antecessores Stephanus, Adrianus, Leo, aduersus Haistulphum, & Desideriũ gentis Longobardę reges, Pipinũ et Carolũ Magnum accersiuerunt, et liberati de manu tyrannica, imperiũ à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt: Ita et nos in ecclesiæ necessitatibus, tuo patrocinio uteremur, et uicem redderemus accepti beneficij. O quanta esset abundãtia pacis, quãta Christianæ plebis exultatio, quanta iubilatio in omni terra, redirent Augusti tẽpora, et quæ poetæ uocãt, aurea secula renouarẽtur: habitaret pardus cũ agno, et uitulus cũ leone, gladij uerterẽtur in falces, in uomeres ac ligones rediret omne ferrũ, excolerẽtur agri, euelleretur aspera domus, terra mitesceret, uici repararentur, et urbes resurgerent, templa deo sacrata quæ ceciderunt emergerent, collapsa monasteria et plena uiris religiosis, diuinis omnia laudib. personarent. O quãta esset tua gloria, qua pacem orbi reddidisses. O quanta tibi redundaret felicitas, qui ad æterni pastoris ouile cunctas redegeris oues. O quantũ te omnes amarẽt, obseruarẽt, et extollerent, qui communis omniũ pacis et salutis fuisses autor. Diceret aliquis, hanc pacẽ, hanc unionem, hãc cõmunem lętitiã, haberi posse sub tua lege. Errat qui hoc censet: multos reges, multos populos unitos esse oportet, priusq; tuã legẽ ubiq; disemines. Nec si unies corpora, unies et animos: sciunt Christiani suam legem sanctam esse et ueram et salutarem, nec dimoueri ab ea possunt, quamuis aliqui aut libidine ducti, aut auaritia tracti, aut uoluptate

Vladislaus Poloniæ rex.

Casmirus.

Haistulphus et Desiderius reges.

Esa. 12

Christianorum lex sancta, uera, salutaris.

luptate illecti, aut metu mortis attoniti, aut cruciatu superati, nonnunquam circuncidantur, & in tuos ritus cõcidant, quorum si corda posses inspicere, intelligeres neminem esse qui libenter consultoq; recesserit ab Euangelio. Ostendimus suprà, quantũ præcellant Christianæ gentis uires, & quàm difficile sit, tot nationes Christum colẽtes euincere. Non est quod pacẽ speres sub lege Mahumetea, in qua non est salus: (difficultatis experimentũ ipse uides, qui etsi multis Christianis, hisq; non omnino ueris imperas, minimè tamen eis tuam legem persuadere potes, minus persuadebitur ueris) quæ non in argumentationum rationibus, sed in solo ferro fundata est, ut quæ uincere disputãdo non sperat, sed uinci formidat. Non sunt Christiani qui uel bello superari possint, uel disputationib. decipi, quando et armis excellunt, & rationibus munitissimi sunt, non solũ diuinæ scripturę, sed etiã Philosophicæ. Impossibile est sub lege Mahumetea unionem fieri, sub Christiana facile fieri potest. Et id magna ex parte in tua uoluntate cõsistit. Tu unus si annuas, Turcę omnes annuẽt: nec Syri, aut Aegyptij, aut Arabes aut Libyes aduersabuntur. Tecum quicquid est intra Hellespontum & Euphraten, & quicquid possides in Europa, conuertetur. Quid faciet baculus Aegyptiorum arundineus, quãdo Christianum te uiderit effectũ? Quid imbellis Arabs? Quid nudus Afer? Omnibus his Aethiopes imminent, qui Presbytero Ioanni parentes, quòd Christianus est, non poterunt & illis & reliquis Christianis obsistere. Noli cursum retinere. possunt Aethiopes & congregatam aquam dimittere, que rumpat aggeres, & totam inundet Aegyptum, atq; submergat, cum sidus apparet arcturi. Hispani & Siculi facilè Mauritaniam inuadunt, & Cathalani cum Genuensibus. Scis quantũ ualeant occiduę classes, et quãtus est terror uel Syrijs, uel Alexandrinis, uel cæteris Orientalibus, quando Christianę triremes ad eos nauigant. Tua certè autoritas & animi magnitudo, & in bellis felicitas apud omnes admirationi est, qui Mahumeteam sequũtur legem. quod si te nobis adiunxeris, breui totus Oriens reuertetur ad Christum. Vna tantum uoluntas pacare orbem potest: & ea tua est, si ad baptismi gratiã se cõuertat: in te, crudelibus bellis imponere finem, & tantum præstare mortalibus bonum, quantum effari non possumus. Quæret aliquis, quomodo quiesceret orbis Turcis ad Christum cõuersis, quando nec ipsi Christiani inter se concordes existunt, & multa per Italiam, Germaniam, Galliam, & reliquas prouincias desæuiunt bella? Diximus: dissidere inter sese nostræ gentis homines, non negamus, & pluribus in locis ferro contenditur. Diuino olim consilio sub Octauiano propter reuerentiã Saluatoris, qui tunc secundũ carnem natus est, ea pax in orbe fuit, quæ nec anteanec postea uisa est. Difficile est, & propemodum impossibile, quiescere in terris omnia, ubi homines sunt affectib. subiecti reprobis. Illũ ambitio exagitat, hũc cupiditas trahit, libido alium impellit. Multa est inter mortales belli materia: sed nõ sunt tam atrocia inter Christianos prælia q; inter Turcas & Christianos. Christianus cum Christiano de agri possessione, de regno, de imperio, de gloria contendit: cum Turca de religione, de libertate, de uita. Inter Christianos qui bello uincũtur, positis armis, nec uitam, nec libertatem amittũt, & multis etiã patrimonia dimittuntur, principes imperio priuantur, inferiores domum mutant, reliqui tenent. In prelijs quæ geruntur aut cum Turcis, aut cum Saracenis, qui succumbunt, si uitam nõ amittunt, in seruitutem rediguntur, & multi etiã religioni renũciare cogũtur. Hæc acerbissima sunt, et immanissima bella: quæ

*Lex Mahumetica in ferro fundata.*

*Presbyter Ioannes.*

*Affectuũ prauitas omnis dissidij in orbe causa.*

si tollantur (quod in te situm esse mõstrauimus) pax maxima exoritur, & uniuersalis quies. Nam reliqua bella huic cõparata, faciem quodammodo pacis habent et ocij: nec illa tam multa erunt, quãdo unus asit, qui solo nutu compescere possit iniurias, qualiter te futurũ non ambigimus, si cum tua potentia Christianus efficiaris. Vides ne quãtum tibi laudis affert baptismi lauacrum? quantum cum Christo sublimis & conspicuus redderis? Quis prohibet aquam? Quid metuis? Voces fortasse aulicorũ times tuorum, quorum non dubitamus dicturos tibi aliquos: Quid cogitas, quid agis, quorsum te tua uoluntas trahit? uis baptizari? uis Christianus fieri? nescis quod periculum adis, omnes te Turcæ deserẽt: & ubi existimas fieri magnus, fies nullus. ex Turcis natus, Turcas deseres: inter Turcas creuisti, Turcarum te manus extulit, Turcę Asiam & Græciam gubernãt, Turcæ exercitibus prę sunt: qui si uel minimã famã tuæ mutationis acceperint, é uestigio sumptis armis, te deiecto, imperatorem aliũ suscipient: tu nudus & expulsus si euaseris, apud Christianos mendicabis panẽ. Nam quis Turca est, quem sue religionis pœniteat? moriemur omnes, priusq; nostri prophetę iugum excutiamus. Non sunt parua quæ isti obijciunt. adhibẽda est & huic parti medela, quam nemo te ipso melius inuenerit. Nosti tuos homines. & quib. prouincias commiseris, non ignoras quanta sit cuiq; fides, & quis animus, non te latet. Non fit sine periculo magnũ facinus et memorabile. Vilia sunt quę paruo emuntur. Diligẽtia hic & labore opus est, peruestigãda sunt amicorum consilia, noscenda subditorũ ingenia: & his utendũ est, quos fidos et prudentes uideris. Seruiunt tibi non pauci ex Christianis nati, qui quamuis circuncisi sunt, non tamen Christianũ nomẽ oderunt. His exercitus, his præfecturas reddere potes, qui tui sint amantissimi: & ita regnũ ordinare, ut quando uelis, præstò sint omnia. Tui subditi magna ex parte Græci sunt & Armeni (ut diximus) Iacobitæ: qui etsi aliquid erroris habent, Christiano tamen nomine censentur: nec aliud magis cupiũt, q; te similem eis esse, et illum Deum colere quẽ colunt ipsi. sperarent meliori se loco futuros, qui nunc mancipia quàm uilissima sunt, tributa exoluunt grauia, iniurijs afficiuntur quotidianis, ad bellũ ducuntur inuiti, & inermes cædibus exponuntur, priuantur liberis et uxoribus: miserrima res est, postquã filios educauerunt, eos perdũt, rapiuntur in palatiũ, pueri circunciduntur, & Mahumetę ritibus imbuuntur. uidẽt infelices parentes non modò corpora liberorum, uerùm animas etiam ire perditũ: et angustiati inter tot calamitates plorare non possunt, ma ora mala timentes. Nemo horum te diligit, neque enim natura fert, ut eos amemus, à quibus patimur mala. Quod si te Christianũ cernerent, mirũ in modũ diligerent, felicitatẽ tuam cuperẽt, et omnibus studijs tuam gloriam quærerent, & filios suos & seipsos q; libentissimè tibi donarent. Magna est horũ multitudo, & pro sua religione constantia. quod si prudenter eos tractaueris, nihil tibi de rebellione Turcarum uerẽdum erit, qui medios inter Christianos sese uidentes, tuæ potius uolũtati cõsentient, fortunas & dignitates seruaturi, q; mortis periculo se subijciant. Non suademus rem nouam aut insuetã, tutũ est iter quod ostẽdimus, multi hoc et magni reges ingressi sunt. Apud Francos ex gentili & idolatra Christianus effectus est Clodoueus, et simul cum eo regni proceres baptizari non recusarunt. Apud Hungaros Stephanus nostris initiatus sacris, omnem illã gẽtem Christo acquisiuit. apud Vesogotos, qui longo tẽpore in Hispania regnauerũt, & usq; in hæc tẽpora eiusdẽ gẽtis sanguis imperat. Richardus Lemu gildi filius, suadente Leandro Hispalensi episcopo, Arrianæ renunciauit hæresi, & cum omni

*Adulatorum uoces dehortantiũ ne fiat Christianus.*

*Turcæ subditi Christiani.*

*Regum aliquot exẽpla, qui ex gentibus Christiani sunt facti.*

omni gente ſua catholicã fidem cõplexus eſt. Apud Longobardos Agilulphus, ſuaſu coniugis Theudelindæ, reliquit idola, & cũ omni populo Chriſtianæ ſeſe legi ſubiecit. Apud Hyberos, qui ſunt in Aſia, imperante Conſtantino maiore, rex gentis cũ coniuge, et omni nobilitate atq; plebe, ad prędicationẽ unius captiuæ mulieris, relicta idolorum inſania, baptizatus eſt. Sed quid moramur, et nõ exemplũ illud adducimus, quod omniũ eſt maximũ? Cõſtantinus ipſe imperator ac monarcha uiã aperuit, quã tu & tui ſimiles ingredi abſq; ulla cũctatione poſſetis. omnes qui eum præceſſerant imperatores, excepto Philippo, gentiles fuere: Iouẽ, Mercuriũ Apollinẽ, Herculẽ, & alia quæ ſunt monſtroſa nomina, tanquã deos colebant. Senatui & omni Romano populo, ſtultitia Chriſtus erat. Proponebantur paſsim edicta quæ Chriſtianos cõprehendi iubebant: & niſi ſacrificarẽt idolis, crudelibus modis interfici. Nihil uilius erat nomine Chriſtiano, infame genus & maleficum habebatur omniũ qui Chriſto crederent. Sub Nerone, ſub Domitiano, ſub Diocletiano crudeliſsima in Chriſtianos deſæuit perſecutio. At Cõſtãtinus acceptis imperij faſcibus, poſtquã perſuaſus eſt à Syluestro, prædeceſſore noſtro, in ſimulacris dæmonia coli, et unũ tantũ Deũ eſſe cũ patre & ſpiritu ſancto Chriſtum Ieſum, & in euangelica tantummodo lege ſalutem inueniri: non eſt cunctatus Chriſti fidem amplecti: non dixit, Senatus mihi aduerſus erit, reſiſtet populus, copiarũ duces alienabũtur, imperio deijciar. ſed alto animo iactãs in Deo ſpẽ ſuã, legẽ edidit, qua publicè Chriſtũ coli iuſsit, et eam fidem teneri ab omnib. imperio ſubiectis, quã beati apoſtoli Petrus et Paulus Roman. tradidiſſent. nec propterea ſiniſtri aliquid ſibi accidit: ſed tunc potiſsimũ excellẽs et glorioſus euaſit, cũ in uexillis ſuis crux Domini Ieſu appoſita reſplenduit. Viderat per quietem in aere ſignũ crucis, et uocem audierat dicentẽ: In hoc Cõſtantine uinces. Parauit uexilla crucis, erexit, ciuilib. bellis finẽ impoſuit, ſuperauit hoſtes, Barbaros afflixit, imperiũ ampliauit, pacem ſubditis dedit, eccleſias aperuit, cõcilia ſacerdotũ celebrauit, hęreſes eliminauit, lucẽ quã acceperat ab Euãgelio, cunctis gentib. cõmunicauit. Magnificus et excelſus ſuper omnes Cæſares inuentus, Gręcis et Latinis noſtris celebratus. imperauit annos ſupra triginta, ſedẽ imperij apud Byzantiũ erexit: et ampliatis ciuitatis mœnibus, multisq; tũ publicis, tum priuatis ędificijs magnificè conſtructis, de ſuo nomine Conſtantinopolim appellauit. & plenus dierũ, apud Nicomediã edito teſtamento, quo filios imperij ſucceſſores reliquit, ut Chriſtianũ decet, ſacramentis eccleſiæ receptis, è uita diſceſsit. Quid erat quod ille amplius in terra poſſet optare? imperio potitus eſt omniũ maximo, uita & ei longa fuit, & paucis obnoxia ſ. morbis, inimicos humiliatos uidit: et quod hominib. duhciſsimũ eſſe ſolet, hęredes ampliſsimæ fortunæ filios dimiſit. Necalienũ fuerit, tantũ imperatorẽ, qui Chriſtianã fidẽ tantopere ampliauerit, in alio ſeculo cũ Chriſto regnare, ut eſt, credere cui ſeruiuit in hoc dum uiueret. Quod ſi omnib. qui patriã auxerint, iuuerint, defenderint, certũ eſt eſſe in cœlo diſſinitum locũ, in quo beati quo ſempiterno fruãtur, ſicut philoſophi doctiſsimi tradiderunt: multo id certius de illis ſperandum eſt, qui pro lege Domini uel ſeruanda uel augenda ſummis ſtudijs contenderunt, ſicut de Conſtãtino oſtenſum eſt quẽ ſicut in terra felicẽ fuiſſe dicimus, ita &, in cœlo beatũ credimus. Eadẽ proculdubio euẽtura tibi eſſe cõfidimus, ſi nobiſcũ ſapiẽs Chriſtũ colas, & magnũ Conſtantinũ imiteris: quemadmodũ Romani cum ſuo imperatore Chriſtiani ſunt effecti, ita et Turcę unà tecũ baptizabũtur, eritq; tuũ regnũ ſuper omnia quę ſunt in orbe, & nomen tuum nulla ſilebit ętas, Latinæ te

*Conſtantinus Imperator.*

*Vox cœlitus ad Cõſtantinũ edita.*

*Conſtantini laus.*

næ te literæ & Græcæ & barbaræ celebrabũt, nemo inter mortales erit, qui te potentia aut gloria præcedat. Magna sunt hęc quę promittimus, maiora quæ sequuntur. De regno, de potentia huius seculi, de gloria humana sumus locuti. Caduca hęc & incerta sunt, et fluxa: omnes morimur, omnia nata occidunt, & omnia orta senescunt, breuis est humanæ prosperitatis cursus, citò regnum deficit, nulla potentia longa est, gloria quoq; clari nominis, quamuis de maximis rebus diu perseueret, finitur tamen aliquando, & cum tẽpore deficit. Nihil est inter mortales nõ mortale, conterit omnia tempus. Esto duret per multa secula nomen, quę dulcedo post obitũ laudis? aut damnatus est homo in altera uita, & nihil ei prodest fama quę remansit: aut saluatus est, & ea non eget, beatitudine donatus æterna, quæ omni ex parte plenissima est. Filios ac nepotes præclara maiorũ nomina iuuãt, & nobis quoq; dũ uiuimus, dulce est talẽ hęreditatẽ posse relinquere, quę sit posteritati solatiũ. est id quidẽ aliquo modo bonũ, sed meliora quærẽda sunt & stabilia bona, quæ uerè nostra sint, neq; unquã nos deserant. Philosophi, quos Peripateticos uocauit antiquitas, tria bonorũ genera posuerunt: et alia esse animi dixerunt, alia corporis, alia externa. Stoici ea dũtaxat bona existimarunt, quæ animũ excolerent. hoc facit iustitia, prudentia, moderatio, fortitudo, & quæ sunt aliæ in animo dotes. Egregiã corporis formã, roboris multitudinem, nobilitatẽ, clientelas, opes, inter bona nõ acceperũt: quæ neq; sunt in potestate nostra, neq; possessori felicitatẽ præstant. Sed neq; illæ quatuor uirtutes, quæ principales existimantur, tranquillam homini mentem reddunt: nisi aduniantur aliæ tres, quas theologicas appellant, & in animo sitæ sunt, Spes, fides, charitas. Tristis est et in anxietate moratur, & torpet & angitur, & nihil boni operatur, qui spe futuræ uitæ priuatus est. Sine fide impossibile est placere Deo, qui est ultimum hominis bonũ, & finis in quem tendimus. Charitas diuino amore feruet, curiosa est animæ nostræ, & proximo consulit, quem iubet lex, ut tanquam nosipsos diligamus. Si ergo animi bona cupimus, & mortalibus uirtutibus opus est & theologicis, neq; in his ulla est nobis cum tua lege contentio. alia sunt, in quibus discrepamus. Fatebitur tua lex & uitam æternam in altero seculo reperiri, & his itineribus ad eã peruenirí. Dicet fidem necessariã esse, uerùm non eam fidem quã nos recipimus amplectetur. Laudabit charitatem, sed alia eius officia esse dicet, quàm Christianus. Sine spe non posse benè homini esse fatebitur: sed spei finem longè diuersum à nostro recipiet. Pax erit in nominibus, bellũ in rebus. Faceſſat nunc hæc contentio, & quomodo uera & æterna bona, ex fide Christi consequi possis, & animæ tuæ consulere, quæ immortalis est, ostendamus. Et si enim huius seculi quæ dicuntur bona cõcupiscis, & inter mortales magnus uideri uis, non tamen animæ tuę oblitũ te credimus, nec ex illorum numero censemus, qui cũ Epicuro & alijs quibusdã delirãtibus philosophis, extingui animã simul cũ corpore putauerunt. Nec rursus te sine Deo esse cẽsemus, sicut olim de† Gallicis in Hispania traditũ est, qui nullum colebant Deũ: & de Pythagora, quẽ ferũt dicere solitũ esse, non liquere sibi an Deus aliquis esset. Quæ disputatio adeò impia iudicata est, ut ab Athenienſibus autor eius eiectus sit, & libri in quibus ea cõtinebãtur exusti. Posidonius scripsit, Epicurũ de Deo nihil sensisse, sed ea quę de dijs locutus est, inuidię depellẽdæ causa dixisse. Stultorũ hæc est assertio, sicut in Propheta legimus: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Haud equidẽ te adeò rudem existimamus, ut cœlũ credas rectore carere, & hanc pulcherri-

*Res terrenæ omnes fluxæ.*

*Bonorum tria genera.*

*Virtutes theologicæ tres.*

*Heb. 11*

*Lex Mahumeti quatenus ab Euangelio diuersa.*

*Callecis.*

*Pythagoras.*

*Epicurus.*

mam

mam mundi machinã casu emersisse, & omnia fieri fortuitò: sed arbitramur te Deum unum cõfiteri, & in eum credere, qui cœlum creauit, & terram, & omnia quæ in eis sunt, & quæ creauit non negligit. Nec te ignorare censemus, incorruptibiles esse animas hominum: et cum è nostris corporibus migrant, in alias regiones transferri, & bonas læta sortiri loca, malas ad supplicium rapi: quod non solum in Euangelio nostro scriptum est, & in prophetis, sed tua quoq; lex idem docet, quãuis in hoc mundo tẽporalia quæ putantur bona, casu quodam fortuito euenire non rectè arbitramur. Socrates & Plato & Aristoteles, philosophorum principes, de mundi regimine, de immortalitate animarũ, de Deo, eadem crediderunt quæ Christiani: quamuis aliqua nouæ legis arcana, quæ nondum edita erant, ignorauerunt. Platonis in epistolis hæc uerba leguntur: Credendũ est aũt semper ueteribus sacrisq; sermonibus, nobis asserentibus animã esse immortalẽ, iudicesq; habere, ac pœnas dare maximas, cũ à corpore fuerit separata, quod intelligẽdum, cum malè uixerit. Non est hic locus apud te altius examinãdus, qui pro tua lege Deum esse intelligis, qui omnia uidet, & omnia iudicat: & animas corporea mole solutas, pro suis operibus in alio seculo uel præmia recepturas, uel supplicia, non dubitas. Quæ cum ita sint, stultum cognoscis terrenis rebus ita aliquem inhærere, ut cœlestia negligat: & dum corpori studet, animam perdat. Breue est omne quod uiuimus æuum, etiamsi Mathusalem aut Nestoris annos possimus attingere. quicquid æternitati comparatur, momentaneum est. Quotusquisq; hodie reperitur, qui cẽtesimũ uideat autumnum? Quotus qui octogesimũ impleat annum? Vita hominis (ut inquit propheta) in ipsis septuaginta annis in potentatibus: aliquando ad octoginta protenditur, ulterius labor & dolor. Quotus iterum ex eis qui nascũtur, ad perfectã peruadit ætatem? quàm multi moriuntur infantes? quot pueros extinguunt morbi, paucissimi iuuentutem superant. Angustissima est uita hominis, & incerta, mille instant in omnes horas pericula, mille mortis fauces uitę nostrę insidiantur: minima res cursum nostrũ interrumpit. Alieno hic arbitrio sumus, uocat nos Deus quando uult & ubi uult: & cũ minimè credimus, tunc citamur. Peremptoria monitio est, nec licet prouocare, aut cõtrà niti: parendũ est altissimo Domino, & uillicationis ratio reddenda. Sapiũt, qui ita uitam instituunt, ut uocati, alacri animo abeant, et corã iudice, qui nihil ignorat, impauidi consistant, in die illa tremenda & amara ualde, in qua nihil amplius mereri licet, & omnis spes ac metus ex his quæ acta sunt pendet, nec supplicare iuuat, neq; negare. Est igitur de anima curandũ, quę post hanc uitam, aliã habet uitã, in qua uel dolet, uel gaudet. Quid prodest homini, si uniuersum mundũ lucretur (inquit in Euangelio Dominus) animę uerò suę detrimentũ patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? Viuimus, ac sapimus, ac Deo similes sumus: hæc melior pars nostri est reb. omnib. pretiosior. dimisso corpore, in alias regiones ingredit. Corpus in terra iacet, & in puluerẽ conuertitur, & usq; ad ultimũ maximũq; iudicij sensu carebit: tunc uerò pro meritis quæ illi cũ anima fuere cõmunia, uel ad gloriam uel ad pœnam resurget. Quid Nino prodest latè per Asiam imperasse? quid Semiramidi eius uxori? quid Dionysio, quid Herculi ad Indos usq; penetrasse? quid Idamthirso, Scythiæ atque Asiæ iugum imposuisse? quid Nabuchodonosor, ad Gades usq; perrexisse? quid Osiridi, dimissa Aegypto, per Syriam & Asiam in Thraciã duxisse copias? quid Agamemnoni, Iliũ exusisse? quid Cyro Persarum imperium constituisse? quid

*Platonis pia sententia.*

*Vitæ humanæ breuitas.*

*Vita hæc ad futuram instituenda.*

*Matt. 16.*

Alexandro Magno illud euertisse, & usq; ad Hispalim in Orientem, & ad Iaxartem fluuium septentrionem uersus arma tulisse? quid Hannibali, Italiam uexasse? quid Scipionibus, Carthaginem deleuisse? quid Pompeio, orientales reges debellasse? quid Iulio Cæsari, subacta Gallia Romanum imperium inuasisse? quid Hunnorum regi Attilæ, Pannonia Germaniaq; pro trita, Aquileiam in Italia subuertisse? quid Tamerlamo, tot Asiæ Syriæq; urbes incendisse, atq; auum tuum prælio superasse? quid genitori tuo Amirato, sæpe de Græcis, sæpe de Hungaris triumphasse? quid cæteris regibus atque imperatoribus, res magnas et claras gessisse prodest, si absq; cognitione ueri Dei mortui sunt, & nũc eorũ animę apud inferos cruciantur? laudãtur hic, & ardent illic? Quæ famæ uoluptas in cruciatu esse potest? quæ dulcedo gloriæ in doloribus? Dura uox est eorum qui uel in tauro Phalaridis beatitudinem esse dicunt. Non bene cohabitant dolor ac uoluptas, nec ullus est in felicitate mœror. In cœlo plena felicitas est, apud inferos plena miseria; cũ eò uentũ est, nihil iuuat gloria quę præcessit, & fama seculi. Studendum igitur est, ut post obitum qui per omnes se horas infert, certus & incertus, animabus nostris benè consulamus. Præueniendus est pijs operibus dies mortis, & omnes actus nostri ita dirigendi, ut Deo placeamus. Ipse est enim finis omnium, & summum bonum ad quod aspiramus: & ipsa beatitudo, cuius cupiditas omnibus mortalibus ineſt. Quærendum est iter ad eam. Id recta fides ostendit & operatio iustitiæ: quia nec iustitia sine fide, nec fides sine iustitia sufficit. Iustus ex fide uiuit, ut scriptum est: & sine fide nemo acceptus Deo. Tua lex, ut aiunt, in sua quemq; religione saluari hominem cẽset, si alioquin castè iusteq; uiuat, nisi Mahumetæa traditione relicta, ad aliam transierit. Dicunt & in tua lege scriptum esse (est enim sibijpsi sæpe contraria) nulli salutem patere, nisi in ea. Nos contrà sentimus, & certi sumus, uitã uitæ soli Christiano, si bene agat, apertam esse. Ait enim ueritas nostra in Euangelio, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Tu ergo si futurum credis seculum, si uis fieri saluus, si animæ tuæ bene consultum cupis, ut fidem Romanæ ecclesiæ (extra quam non est salus) & baptismum recipias, oportet. His duabus clauibus, fide & baptismo, aperiuntur paradisi portæ. Illis tamen qui appositè ad fidem uiuunt, nihil proderunt: nam fides sine operibus mortua est. Euangelio præbendæ sunt aures, & Christi doctrina sequenda, quæ nullum fallit. Diceres, nolle tuæ legi nostram præponere, aut Mathumetẽ relinquere prophetam magnum. Rogauimus ab initio, ut benignè audires: itidem nunc petimus. & nunc maximè attentis auribus, & pia mente opus est, & iudicio recto, quando ad radicem arboris infructuosæ admouemus securim. Audi seriem rerum, nosce historiam fidei, præbe aures uero, cui perraro est in altis sedilibus locus. Callisthenem philosophum crudelibus modis lacerum, in custodiam rapuit Alexander, qui uera loquens, diuinum cultum homini denegauit: et Clytum Philippi laudes commemorantem lancea transfodit. Timent homines exempla, & uidentes melius adulatoribus succedere quàm recta monẽtib. ad nugas se conuertũt, & quæ placeant loquuntur. Antigonus aliquando unus ex successorib. Alexãdri, qui regnauit in Asia, inter uenandũ mutata ueste, relictis comitibus, errabundus apud agrestes homines, in uili tugurio pernoctauit incognitus: & cõbibens, de seipso tanquam de altero percunctatus astantes, omnia quæ fecerat mala, ab eis audiuit. Manè quæsitus, atq; inuentus, cũ uestem allatam & regiũ ornatũ uidisset: Date (inquit) purpurã, quam ut primũ indui, uerum de me, nisi hac nocte, nunquam audiui. Et

*Deus summum bonum.*

Rom. 1

*Mahumeti lex in plerisq; sibi contraria.*

*Veritati rarus in principum aulis locus.*

*Antigonus.*

ui. Et Augustus mortuo Varo, idcirco seipsum supra modũ dolere aiebat, quia non esset à quo uerum audiret. Ad pauperes philosophos relegata est inquisitio ueri, qui propterea sapientiæ amatores uocantur, quia ueritati seruiunt, & nolunt decipi. Turpe est cuiq; homini errare, maximè regi; qui si per seipsum non satis intelligit, propè habet magistros quos interroget; tantum placeat audire, nec pudeat discere quod ignorat. Tria sunt hominũ genera, ut inquit Hesiodus. Primi & optimi sunt, qui per sese omnia noscunt. His proximi, qui recta monentibus auscultãt. Tertij prorsus dãnandi sunt, qui neq; ipsi uident, neq; uidentibus credũt. Sed nulla in re periculosius erratur, quàm in his quæ pertinent ad fidem, neq; utilius inuenitur uerum. Recte ad Antipatrum de Alexandro scribit Aristoteles, monens, ne pro tot exercitibus, uictorijsq; & subiugatione orbis terrarum glorietur: sed cogiter, quod si quis de Deo rectè cognoscat, non minori gloria dignus est, quàm ipse pro tantis rebus gestis, tantaq; potentia. Et in Ethicis: Sapientem inquit esse amicissimum Deo. Sapiens autem nemo existimandus est, qui à recta side est alienus. In his uerò quę sunt fidei, neq; tuus legiser satis intellexit, neq; tu in hanc usq; diem satis didicisti. An uerò recta monentem audire & sequi uelis, futurus dies ostẽdet. Si uerò hæc quæ ad te scribimus audieris, signum erit ad discendum parati. Si feceris quæ monemus, eris proculdubio sapiẽs. Nemo hominum sapientiam contemnit, nemo odit, nemo est qui nolit esse sapiens. Verùm primus sapientiæ gradus est, nolle errare, & uerum quàm libentissime audire: maximè in his rebus, unde homini est salus, sicut est religio, quæ ordinatur ad æternam uitam. Audi ergo uerum circa religionem. Si non scribimus uerum, argue scribentes, & despice tanquam stultos. Sed noli falsum dicere, nisi cognoueris falsum esse. Et narrabimus breuissimè ab initio mundi, usq; ad obitum Saluatoris Christi nostri, legis arcana. Deinde aliqua de tua lege dicemus, eaq; conferemus adinuicem, & quantum interest ostendemus, conabimurq; quãtum ex alto dabitur, lucem tibi ostendere, per quam possis ad eam lucem peruenire, quæ illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mundum. Cum creasset Deus in principio cœlum, & terram, & maria, & lucem, et solem, et lunam, et alia sidera, et plantas, et herbas, et uolucres, et pisces, et quadrupedum genus inexterminabile (ut scribitur Sapientiæ secundo) ac reptilia, & alia animantia, postremò Adam creauit, & insufflauit in eum spiraculum uitæ, & posuit eum in paradiso deliciarum, & fecit adiutorium simile sibi Euam, ex costa eius eductam. Et data licentia qua possent cæterarum plantationum degustare fructus, ut abstinerent à plantario prudentiæ, imperauit. Et ambos cum præuaricati essent, ex paradiso deiecit, atq; in eis humanum genus morte damnauit, i usitq; laboriosam uitam & ęrumnis plenam agere. Ab his propagata creatura rationalis, cum rursus animo rebelli diuinam maiestatem contemneret, & in uitia quoq; prolaberetur, aquarum diluuio deleta est. Noe cum cõiuge & sex alijs animabus in arca saluatus est, & ab his omnes homines qui modò sunt, & post diluuium fuerunt, originem ducunt. Tres filij Noe, Sem, Cam et Iaphet, redeuntib. aquis in locũ suũ, humanam gentem reparanerunt, adeò ut traditum sit, priusquam Noe moreretur, quatuor milia hominũ ex suis et filiorum lumbis exiuisse. ex quibus etiam iniqui emerserunt, Nemrot filius Cam, & qui cum eo in contumeliam Domini turrim Babel ædificare cœperunt. In ea diuisum est labium uniuersæ terræ, & confusione impeditum opus. Secuta est peccatum pessimum Pentapolitana submersio, et Abraam & Lot inuenti religiosi: in semine Abraã benedictæ sunt gentes, & circumcisionis

*Augustus.*

*Philosophi appellatio.*

*Sapiens Deo amicissimus.*

*Legis diuinæ mysteria à condito orbe repetita.*

*Gen. 2*

*Diluuiũ Noe.*

*Turris Babel.*

Abraham. Isaac. Iacob. Ioseph. Moses Iosue.

cisionis pactum cum eo percussum est. Fuit enim iustus, & placuit Deo in operibus suis, cum filium Isaac diuino imperio immolare non detrectasset. Nec̄ Isaac patris uiam deseruit: cui natus est Iacob, qui alio nomine dictus est Israel, & huic duodecim filij fuerūt, à quib. duodecim tribus emanarunt. Is cognito quòd Ioseph, quem putabat extinctum, magnus & potens esset in Aegypto, cum reliquis filijs ad eum migrauit. Multiplicatum est illic Iudæorum semen, & in gentem magnā cum creuissent Israelitæ, surrexit̄ rex alius, qui Ioseph & opera eius ignoraret, grauissimis laboribus oppressi sunt, & contumelijs innumerabilibus affecti. Et miserante Deo, per manus Moysi & Aaron seruitutē effugerūt, & sicco uestigio rubro mari traiecto, per annos quadraginta cibo cœlesti uitam in deserto egerunt. Et circa montem Sinai diuinā legē in tabulis lapideis acceperunt. Acquisita est terra promissionis, sed non tota in manu Moysi. Pòst obitū eius mirabilia fuerunt opera Iosue, & aliorum Iudicum: inter quos etiā prophetæ claruerunt, uiri excellentissimi. Successerunt deinde reges & alij prophetę in populo Dei, & nō sine cœlesti munimine conseruata est gens Hebræa: & prophetæ quidem interpretati legem, salubria tradidere præcepta, uirtutem extollentes, & uitia effulminantes, & multa per illos scripta sunt diuinitus reuelata, quæ de futuris notitiam præbuere. Non tamen pauca perpessi sunt aduersa Iudæi, cum legem Domini contemneret, et in traditionibus patrum non permanerent.

Iudææ gentis aduersa.

Ceperunt eos Chaldæi, & in seruitutē redegerunt. Et nunc Syri, nunc Arabes, nunc Aegyptij in eos arma uerterunt. Multæ fuerunt eorū tribulationes, multæ calamitates ac miseriæ: sed de omnibus liberauit eos Dominus, cū ad Deū clamauerūt, & tota mente redierunt: quia cor contritum et humiliatum non despicit diuina maiestas. Hęc ut arbitramur communia tibi nobis̄q; sunt, & in Alchorano Mahumetæo magna ex parte continentur. Verax igitur & tuo et nostro iudicio lex Iudæorum, uerax Moyses & Dauid & Salomon et Isaias & Ieremias & Iezechiel & Daniel, et ueraces omnes prophetæ Domini: uera Iudæorum fides, qui ante Christum in lege permanserunt: mendaces omnes gentes, quæ coluerunt idola. Notus ante Christum solum in Iudęa Deus. Nihil huc us̄q; cōtendimus. Cōcedis hæc nisi fallimur omnia. In his quæ sequūtur, discordia erit. Sed nos in luce ambulamus, neque offendimus ad lapidē pedes nostros: & ne de cætero tu quoq; offendas magnopere cupimus: et ultro ne decipiaris, lumen offerimus. Tu creatura Dei es, et ouis eius: sed errabunda extra caulas in alienis pascuis, procul ab ouili dominico, letiferū capis cibū, et pestifera aleris herba. Nos boni pastoris exemplo, qui relictis nonagintanouem ouibus in deserto, unam quę ab errauerat, secuti sumus, te& quærimus, et in uiam salutis optamus reducere. Dolemus te uirum excellentem nobilitate, moribus illustrem, gestarum rerum gloria clarum, imperio magno prędituū, et pluribus naturæ dotibus eminentem, non incedere in uijs Domini, non nosse mādata eius, non esse in lege sua. Cōpatimur tibi, et tuorum subditorū infelicitatem deploramus qui tecum pereunt. Nec te credimus libenter errare, cuius naturam bonam esse confidimus. Ignorantia ueri te retinet: Tui te parentes, et seipsos, per ignorantiā decepere. cum progenitoribus laberis. Sed timenda est scriptura,

1. Cor. 14.

quæ ait: Ignorans ignorabitur. Quod si cæteris in rebus prę cipuam curam, exactam diligentiam, summum studiū adhibeas, ne quis fallat te, circa religionem potissimè curandū est ne fallaris, in qua tanto cautiorē te esse oportet, quāto in ea cū maiori periculo delinquitur. Cæterarū rerum ignorantia

hæc quæ

Legi diuinæ & Mahumeticæ quatenus conueniat.

hæc quæ sunt temporalia in hoc seculo, adimere potest. Religionis error alterius uitæ bona, id est animæ felicitatem deperdit. Quod ne tibi accidat, si nobis aures & fidem præstiteris, facile adiumento erimus. Audisti ea quæ de ueteri testamento diximus, nunc de nouo agendum est, in quo plurimum discordamus. Audi quæ subiungimus, sic & tuæ legis tenebras odio habebis, ut speramus, & nostræ legis lucem amabis. Duo in ueteri testamento uaticinia reperiuntur, quorum alterum est: Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, siue (ut Chaldęi dicunt) Messias. alterum est, quod ait: Cum uenerit sanctus sanctorum, cessabit unctio uestra. His uaticiniis prædictum est, in aduentu Christi Iudæos & regnum amissuros esse, & sacerdotium, sicut & factum est. Regnum quod Iudęorum fuerat, Idumæi acceperunt. Regnante namq; primo Herode Antipatris filio, genere Idumæo, & alienigena, Christus ex Maria uirgine natus est Dei filius, uerus Deus, & uerus homo, qui sacerdotium Iudęorum ad Christianos transtulit: Petro sibi successore delecto, in quem pontificis maximè potestatem transfudit, neq; ulterius apud Iudæos pastoralis ouium cura permansit, dicente Domino ad Petrum: Pasce oues meas. Pastor ipse bonus, & pontifex magnus, Christus: pastores deinceps & pontifices Christianos, non Iudęos esse constituit, quamuis Petrus & alij plures ex Iudęis, non amplius Iudęi, suum summum pontificium acceperunt. Atque in hunc modum Iudaica cessauit unctio, et translatum est sacerdotiũ. Quo facto, & lex ipsa trãslata est, dicente Apostolo: Quia translato sacerdotio, necesse est ut legis etiam translatio fiat. Deus igitur, qui multifariè multisq; modis olim patribus in prophetis locutus fuerat, nouissimè per filium suum, quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit et secula, allocutus homines nouam legem edidit, et nouas dedit præcepta, quibus seruatis uitam mererentur æternam. In tempore igitur, quod in altissimo individuæ trinitatis consilio ab æterno fuerat definitum, regnante apud Hebræos Herode, imperante apud Romanos Augusto, quiescente mundo, & aduentum Domini mirabili & inaudita prioribus seculis pace honorante, missus est Gabriel angelus de cœlo, qui Mariæ felicem conceptionem & sacratissimum partum annunciaret. Sed antè præcursor natus est Ioannes, qui pœnitentiam prædicaret, & uiam Domino præpararet. Concepit uirgo de spiritu sancto, ut prædixerat angelus, & seruata dignitate uirginitatis, filium simul & dominum peperit. Natus est Christus Saluator octauo Calendas Ianuarias, & in ipsis Calendis circuncisus est, & iuxta uocem angelicam Iesus appellatus, quia salutem attulit humano generi. Plurima de infantia Saluatoris scripta sunt, nec dubium est, quin omnis eius ætas signis & miraculis plena fuerit. Sed Ecclesiæ nostræ grauitas & acre iudicium, ea tantum recipit, quæ certa sunt, Apocrypha prætermittit. Duodecimus Saluatoris annus memoriam habet, quia templum ingressus, cum legis doctoribus disputauit, & aliqua ex parte splendorem suæ diuinitatis ostendit. Sed circa tricesimum annum, fulgor ille plenius emicuit. Tunc enim baptizatus est à Iohanne, & Iohannem ipse baptizauit, & paterna uox audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Conuertit aquam in uinum, & innumerabilibus coruscauit miraculis. Elegit sibi discipulos, quos uocamus Apostolos. Et circumiens regiones, & mentes hominum & corpora sanauit agro-

Gene. 49

*Iudæi et regno, & sacerdotio, nascente Christo spoliati.*

Heb. 7 & 1

*Christi incarnatio.*

Luc. 1

*Christi natiuitas.*

*Christi miracula.*

tantium

*Christi doctrina.*

tantiũ: & faciẽs ipſe quæ docebat, toto triennio prædicauit euangeliũ, per Iudæã & uicinas prouincias beatiſsima uox eius intonuit. Quæ uita hominũ eſſe deberet, oſtẽdit excellẽtiſsimè, & præcepta tum uetera innouãuit, tũ noua prioribus multũ utiliora inſtituit: abdita & obſcura, quæ erat in ueteri lege, multa reuelauit, & obſcuros prophetarum aperuit ſenſus, & quæ de ſe prædicta fuerant, palàm expoſuit: myſterium ſanctę trinitatis oſtendit, & unitatem in trinitate monſtrauit, docens tum patrem, tum filium, tum ſpiritum ſanctum diuinis honoribus proſequendũ, & hos tres unũ eſſe Deum. Prædixit non modò mortẽ ſuam, uerùm etiam genus mortis: & quòd tertia die reſurgeret, & quòd aſcenſurus in cœlum, rediturus eſſet in fine ſeculi iudicare uiuos & mortuos. Comprehenſus eſt ſicut ipſe uoluit, & traditus Pi- 10
*Mors.*

lato præſidi, qui eum neci daret. Teſtes in eum citati ſunt, nec eſt inuenta mortis cauſa: quia peccatũ non fecit, nec repertus eſt dolus in ore eius. Maximum crimen obiecerunt, quia filium Dei ſe fecit, & regem dixit: & propter ueritatem occiſus eſt, crucifixus atq; ſepultus: & iuxta uerbum ſuum reſurrexit à mortuis: & quadraginta diebus cum diſcipulis commoratus, cum eos confirmaſſet & corroboraſſet, atq; in orbem ire iuſsiſſet, euãgelium diſſeminaturos, tandẽ uidẽtibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. aſcendit ad cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris, & inde uẽturus eſt

*Reſurrectio, & aſcenſio.*

*Spiritus Sanctus.*

iudicare uiuos & mortuos, & redditurus unicuiq; ſecundũ opera ſua. Interea ſpiritus ſanctus ab eo miſſus, omnia ſuggerit eccleſię quę neceſſaria ſunt ad uitam æternam. Hæc nos Chriſtiani firmiter credimus, hæc eſt fides noſtra, quam cunctis gentibus prædicamus, & impartiri omnibus cupimus. Hæc ab apoſtolis & eorum ſucceſſoribus per fideles manus immutilata & incorrupta ad nos uſq; delata ſunt. Hæc uos Turcæ & Saraceni magna ex

*Saracenorũ de Chriſto opiniones.*

parte negatis: etſi enim Chriſtum ex uirgine natum, & ſanctũ uirumet Dei flatum, & prophetã magnũ et mirabiliũ operum effectorem, et adhuc uiuentẽ cõfitemini: Deũ tamen, et filiũ Dei eſſe inficiamini, nec ſibi nec ſancto ſpiritui diuinitatem conceditis, & trinitatem perſonarum in diuinis reſpuitis, & Chriſti mortem deridetis, quem translatum, et alium ſibi ſimilem loco 30
ſuo interfectũ arbitramini, nec eius aduentum in extremo iudicio expectatis, & alia non pauca Chriſtianæ legis reijcitis: & plurima creditis, quæ apud noſtros riſu digna uidentur, quæ nõ dimittimus intacta. At quæ nos credimus, non ſolum ex noua lege, ſed ex ueteri inuitamur. Vos Mahumeti & Alcorano eius, fidem tantũmodo adhibetis, & hominem mortuum, ſine conteſte, ſine ratione, ſine miraculis ſequimini. Nos uiuo credimus, uiuit enim ueſtro teſtimonio Chriſtus: nos Deo præſtamus aures, & ſignis, et rationibus ſacris ducimur teſtimonijs. Quod ſi nos audies, monſtrabimus breuiter noſtræ legis ſplendidam lucem, & tuæ obſcuram caliginem detegemus. Sed opus eſt pijs & attentis auribus, quando fidei ſublimitas attingitur, & 40
magni Dei panduntur arcana. Sæpe iocis et inanib. fabulis te præſentem

*Fidei arcana pijs & attẽtis auribus percipienda.*

adhibuiſti, & leuiores audiſti narrationes: non eſt cur hæc grauia cõtemnas, aut ea noſſe recuſes, ex quibus tua pendet ſalus. Nõ eſt anima nobilis cui nõ inſit ueritatis amor, nõ eſt homo qui nolit ſaluus fieri. Audi ergo qui genero ſus es, audi quæ te ſaluare poſſunt. Quid eſt inter Chriſtianos Turcaſq; controuerſiæ, in quo ſimul contendimus? quæ diſsidij cauſa? Sanè non alius diſcordiæ fomes eſt, niſi quia circa diuinitatem non eadem ſapimus, de patre, de filio, et ſpiritu ſancto contendimus: hoc eſt præcipuum diſsidiũ. quo ſublato, facile omnia componentur. Attingemus hæc, et quæ ſit inter nos de diuinitate

uinitate dissensio, latius exponemus. Nos in Deo tres dicimus personas esse, patrem, & filium, & spiritum sanctum: uos unam tantum, quam nec patrem nec filium nec spiritum sanctum dicitis, sed Deum tantummodo appellatis, & hunc unicum esse dicitis creatorem cœli & tertæ, & omniũ quæ in eis sunt. Nulla est de unitate contentio. non latent nos uerba Moysi, dicentis in exordio legis: Audi Israel, dominus deus tuus unus est. Et rursus in lege scriptũ est: Ego sum dominus deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, non erũt tibi dij alij præter me. Et rursus: Ego sum, qui sum. Et si quęsierint nomẽ meum, uade, & dic eis, Qui est, misit me ad uos. Et in cantico Exodi dicitur: Dominus omnipotens nomen eius. Quæ testimonia unum esse Deũ, & unum dominum, manifestè declarant, & unam potestatem, & unam naturã. Nam Deus naturæ, dominus potestatis est nomen. Fatemur idem quod uos, de unitate diuinitatis. Hic amicitia est atq; concordia, uobis unus Deus est, & nobis unus. Dicitis principiũ omniũ rerum esse Deum, nos idem affirmamus. In quo igitur dissentimus? Multa sunt quæ de Deo aliter Christiani dicũt, aliter Saraceni seu Turcæ. Vos Deum corporeum dicitis, nos incorporeum. Vos fortuita esse quæ hic in terra geruntur arbitramini, nec curare de his Deum: nos gubernare eum, qui creauit omnia, non dubitamus. Vos Deum patrẽ in diuinitate negatis: nos patrem & filium cognoscimus. Vos spiritum sanctum ex diuina maiestate rejcitis: nos ponimus & ueneramur. Mittamus alia, hæc aggrediamur in quibus plus ponderis est. Nos Christum Dei filium dicimus, uos negatis. Cur negatis? Sanè quia nec uxorem habet Deus, ex qua filium procreare posset. Quod si uxorem fuerit, filiosq; genuerit, mundus qui unius imperio regitur, in plures diuisus dominos, diu stare non posset. In unitate cõcordia est, quæ seruet imperia: in pluritate discordia, quę maxima regna subuertit. Sed quis tã rudis, tam uecors, tam demens Christianus est, qui generare Deum ex connubio et permixtione fœminæ arbitretur? Non sumus adeò hebetes Christiani, ut tantũ nefas admittamus. Saracenis fu deri hoc possit, qui Deo & corpus & caput & manus, & cætera membra concedunt. Nos Deum spiritum esse asserimus, incorporeum, immortalem, æternum, et incõprehensibilem: qui dum seipsum intelligit, in mente sua uerbũ cõcipit, quod nos filiũ Dei esse dicimus: nec aliud est in deo seipsum nosse atq; intelligere, quàm deum esse, nihil est enim in Deo, nisi Deus. Deum autem cuius est uerbũ nominamus patrẽ: & processum ipsius uerbi, generationẽ filij dicimus. Nec ueritas hæc de uerbo Dei apud Christianos tantũ illuxit: gentiles philosophi ante Christi aduentum eadem quæ nos asserimus, nonnulli affirmarunt, siquidem Platonici philosophi in suis libris apertissimè dixerunt, quod in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud Deum, & Deus erat uerbum: hoc erat in principio apud deum. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et reliqua fermè omnia comprobant de uerbo Dei, quæ Ioannes in Euangelio suo tradit, usq; ad incarnationem uerbi, quam ignorarunt: quia nondum natus erat Christus, & alta legis mysteria absconderat Deus à sapientib. huius seculi, quæ reuelauit paruulis. Quod igitur Platonici uerbum Dei nominant, et Deum esse dicunt, nos filium uocamus ex Deo genitũ, & Deum esse fatemur: nec ruinã mundi ex filij generatione timemus, quando unus duntaxat filius est. Et pater & filius unum sunt, una potestas, una uoluntas, una maiestas, nec uerbum conceptũ ab intellectu concipiẽte discordat. Obscura hæc uerba uidebuntur: at si uoles, pręsto erunt qui lumen afferant,

*Quænam Saracenis & Christianis de diuinitate dissensiõ*

*Exod. 20*

*Dei unitas.*

*Christus Dei filius.*

*Deus spiritus.*

*Platonicorũ de Deo sententia.*

ſerant, & apertiſsima omnia reddant. Et tu ſolem hũc corporeũ cernis, qui noctem abiens, & diem efficit rediens: hic à ſeipſo lucis producit radios.

*Solis ad diuinitatem comparatio.*

Hæc productio, generatio quædã eſt in ſole: & radij ſolis, filij ſolis eius non inconuenienter uocantur. Quæ ſimilitudo quamuis multifariè eſt inepta: nã ſolis plures ſæpe uidimus radios, Deo unicus tantũ eſt filius: in eo tamen conuenit, quia una eſt & ſolis & radiorum ſubſtantia, & una eſt patris & filij diuinitas atq; eſſentia: quamuis comparatio corporalium rerũ nulla ſatis cũ diuinis quadrare poteſt. Sed accipe teſtimonia, & qui ratione non capis, cede autoritati. Vetus teſtamentũ & Iudeis et Chriſtianis et Saracenis commune eſt, Eructauit (inquit Dauid ex perſona Dei) cor meũ uerbũ bonum. Hoc eſt, quod dei filiũ dicimus, & unigenitum patris æterni, non ex carnali cõiugio, aut humano cõplexu, ſed ex corde Dei, id eſt intellectu productũ aſſerimus. & rurſus: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie dicit, quia Deo nec heri præterijt, nec cras imminet. Sed hodie ſemper adeſt, cui præſentia ſunt omnia. Iterum, Ante luciferũ (inquit) genui te: ut intelligas: quia non loquitur de Salomone Dauid, ſed Deus pater de filio Deo, quia ante luciferum nemo fuit. Et in libro Prouerbiorũ legimus, Sapientiã dei, quæ dei filius eſt dicentem: Nondũ erant abyſſi, & ego iam cõcepta eram. Ante montes & colles ego parturiebar. Nunquã enim pater ſine filio fuit, nec ſine patre filius. Et hoc eſt, quod in euãgelio inquit Ioannes: In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deũ, & deus erat uerbum. Quę myſteria profunda & alta cũ non intelligeret Arrius, nec Mahumetes comprehẽderet, negare maluerunt ueritatẽ dei, quàm ſuam ignorantiã cõfiteri: & ſuas ineptias imprudenter ingerere, quàm aliorũ ſapientiã humiliter diſcere. Stulta hæc & dãnoſa pertinacia eſt. Deo enim et prophetis eius oportet credere: et ſi quid eſt cuius rationẽ nõ capimus, debemus cũ Paulo dicere: O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ dei, q̃ incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Fatentur iuriſconſulti, non omniũ quæ à maioribus ſuis inſtituta ſunt, rationẽ reddi poſſe, & tamen legi parendũ eſſe, quia non ſine cauſa cõdita fuerit: quãto minus arcana dei licet cognoſcere? Plurimæ ſunt occultæ cauſæ, ad quas nulla potuit curioſitas hominũ peruenire: quia ſicut oculi noctuę ad ſolẽ, ita & noſter intuitus ad ea quæ ſunt diuinitatis. Nõ eſt ergo mirandũ, ſi neq; generationẽ filij, neq; ſpiritus ſancti proceſsionẽ, neq; trinitatẽ in diuinitate, intellexit carnaliter homo, uel Arrius uel Mahumetes. Sed illud in eis dãnabile ac deteſtabile fuit, q̃ ſacrę ſcripturę. diuinisq; teſtimonijs non acquieuerunt. nam quid opus eſt argumẽtis, ubi deus ipſe loquitur? De Pythagoricis traditũ eſt, quod in diſputando ſoliti erant dicere, Ipſe ait. Ipſe autẽ erat Pythagoras, tanquã eius autoritati non liceret aduerſari: quanto minus deo, qui uerax eſt, & omnis homo mendax? Sed negabis hæc eſſe Dei, quæ afferimus, teſtimonia. De his poſterius dicemus. Nũc de ſpiritu ſancto agendũ eſt, cui tua lex diuinos honores abrogat. Non eſt huiuſmodi erroris Mahumetes inuentor. Arrij & Neſtorij & Macedonij hæc olim demẽtia fuit, quos ſacra patrũ cõcilia dãnauerunt: ſed eorũ uirus apud Aegyptios et Arabes aliquandiu latuit: et poſtremò, autore Mahumete & magiſtro eius Sergio, latè diffuſum eſt. Ne mouearis, dum uera loquimur. Caue ne ſequaris cæcos, diſce ſpiritũ ſanctum eſſe deũ, & tertiã in trinitate fore perſonam. Diximus paulo antè, deum patrẽ dum ſe cognoſcit, uerbũ concipere, & filium gignere. Nunc quod ſequitur, adijcimus cognitioni annexam eſſe appetitiuam quandã operationem, cuius principium uoluntas

*Prouer. 8*

*Arrius.*

*Arcana Dei incõprehenſibilia*

*Pythagoras.*

*Spiritus ſanctus.*

eſt

est:inter operationes uerò,quas uolūtas producit,præcipua est amare. Ad-
hibe hic aures,& mentem erige. In Deo perfectam & absolutã fateri cogni-
tionem oportet,& amorẽ pari modo,cuius processus per appetitiuã opera
tionem exprimitur,sicut & uerbi generatio per intellectiuam:& alia est o-
peratio qua intelligit,alia qua appetit. Intellectiua ex his complet,quę sunt
quodam modo in ipso intelligente:nam sicut sensibilia in sensu,ita intelligi
bilia in intellectu dicimus esse. Appetitiua autẽ complementum accipit se-
cundum quendam ordinem uel motum ad eas res,quæ obiiciuntur appeti-
tui,& occultum quoddam principium sui motus habet. Ea uerò quæ princi *Spiritus*
pio feruntur arcano,spiritus nomen acceperunt.nã & uentos spiritus esse
dicimus,& in scripturis,procellarum spiritus appellantur,quia non appa-
ret afflationis spiritus initium. Respirationem etiam & arteriarum motum
ab intrinseco & occulto principio manantem,uocamus spiritum:atq; hoc
modo congruenti quadam similitudine, quantum diuina humanis uerbis
indicari possunt,diuinus ipse amor à patre filioq; procedens,spiritus dictus
est. In nobis duplici ex causa procedit amor. Aliquãdo ex corporea,& ma- *Amor in nobis*
teriali natura: & is plerunq; immundus est,& menti noxius. aliquando ex *duplici ex cau-*
ipsa proprietate spiritualis naturæ,cum bona intelligibilia & rationi conue *sa.*
nientia adamamus:& hic purus est amor,& laudabilis,& animæ salutaris.
In deo corporalis amor seu materialis locum non habet,sed ille tantum re-
peritur,qui simplex est & nitidissimus et purissimus,quem spiritum sanctũ
appellamus. Nec nos intellectuali & sancto amore quicquã prosequimur,
nisi quod intellectu concipimus. Conceptio autẽ (ut diximus) quæ fit ab in
tellectu,uerbum est,atq; ita necesse est amorẽ ex uerbo exoriri. Amat enim *Verbum dei,*
deus quod de seipso intelligit,id est,uerbũ quod concipit intelligendo. Ver *qui et filius.*
bum autem dei,dicimus filium dei,qui & ipse patrem nouit et amat:atq; ita
fit,ut amor ipse,cui sanctus spiritus est nomẽ,ex patre filioq; procedat,sitq;
cum patre et filio pariter deus. Nam sicut diuinũ intelligere essentiæ diuini
tatis est,ita et amare. Et sicut deus se semper intelligit,ita et se semperamat:et
omnia amat,suam bonitatẽ dum amat. Rursusq; sicut dei filius,qui est uer-
bum dei in natura diuina subsistẽs,patri coæternus,perfectus et unus Deus
est,ita et spiritus sanctus deus est patri et filio coæqualis,et coæternus. Et
quia omne quod subsistit in natura intelligibili,apud nos persona dicitur, *Persona.*
apud Græcos ὑπόστασις consequens est,ut tres personas in diuinitate pona *ὑπόστασις.*
mus,quia tres sunt subsistẽtes,pater & uerbum & spiritus sanctus. neq; has
personas dicimus esse per essentiam diuersas,sed per solas relationes distin- *Personarum in*
ctas,quæ ex processione uerbi & amoris proueniunt. Atq; in hunc modum *trinitate distin-*
Christiana religio diuinitus illustrata,distinctas tres personas confitetur in *ctio.*
diuinis,non tres deos. sicut Mahumetes falso opinatus est: sed patrem,& fi
lium,& spiritum sanctum,unum esse ab æterno deum asserimus:nec tamen
ipsum patrem qui filius est,nec filium qui pater est,nec spiritum sanctum,
qui pater est aut filius. Vna est enim patris & filij & spiritus sancti essentia,
in qua non est aliud pater,aliud filius,aliud spiritus sanctus:quamuis in per-
sonis alium patrem,alium filium, alium spiritum sanctum,diuina docente
autoritate,dicamus. Nec similitudo in his quæ creata sunt summæ deest tri-
nitati. Inuisibilia Dei (sicut Apostolus ait) per ea quæ facta sunt intellecta
conspiciuntur. Sempiterna quoq; uirtus eius ac diuinitas relucet, quippe in
anima nostra,quæ diuinæ trinitatis est imago. Est enim anima nostra sub-
stantia quædã incorporea,& ratione prædita,& actus quidẽ sine forma or-

ganici corporis, quæ dū corpus mouet & regit, sui meminit, se intelligit, & se diligit: quibus in rebus quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ & amoris. Tria hæc ad seipsa referuntur, quia non est amor sine memoria, nec memoria sine notitia. Nam quis meminit aut amat quod nescit. Inseparabilia sunt hæc à semetipsis, & tamē quodlibet eorum, & simul omnia una essentia sunt, & una uita in anima una. Differunt tamen, quia memoria nō est intelligentia uel uoluntas, nec intelligentia uoluntas siue amor. Quod si hæc diligenter inspicias, inuenies summę illius trinitatis atq; unitatis uestigium, et imaginem quandam quamuis imparem. Quicunq; enim sempiternā & incōmutabilem naturam, per memoriam reminiscitur, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem. Profectò reperit in seipso summæ trinitatis imaginē, non tamē omnino similem, sed qualemcunq;, ita ut in simlitudine magna inueniatur dissimilitudo. Etsi enim homo meminit, intelligit & diligit, non tamē memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed sunt hæc in eo & in una substantia, non sicut accidentia in subiectis, quę possunt abesse, sed substantialiter existunt in anima. & unus homo est qui habet hęc tria, non ipse est hæc tria. In simplici uerò natura, quæ Deus est, quamuis unus sit deus, tres tamen personæ sunt, ut dictum est, & ipse deus est hæ tres personæ. Sed illud satis ad rem nostram est, quia tria hæc aliquo modo unū sunt. Reperitur & sub alijs nominibus, & alio modo in nostra natura illius summæ & ineffabilis trinitatis imago. Nā mens et notitia eius et amor tria quædā sunt: mens enim nouit se, & amat se: nec amare se potest, nisi etiā nouerit se. Duo quædā sunt, mens, & notitia eius: duo etiā sunt, mēs et amor eius. Cū se nouit mens, & se amat, manet trinitas: scilicet, mens, amor, et notitia. Et hæc tria, quāuis distincta inuicē sint, unū tantū esse dicuntur, quia in anima substantialiter existunt: & est ipsa mens quasi parēs, et notitia eius quasi proles eius. Mens enim cū se cognoscit, notitiā sui gignit, et est sola parens suę notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, dū mens cognoscit se, diligit se: non enim posset se diligere, nisi cognosceret se: amat enim placitā prolem notitiam suā. Et ita amor quidā complexus est parentis & prolis: nec minor est proles parente, cum tantam se nouerit mens quanta est. nec minor est amor parente & prole, id est mente, et notitia. Considerat hęc rationalis homo, & uidens tria in una essentia concurrere, extendit se ad tōtemplationem creatoris, et intelligit unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate, et unū deum colit, unam essentiā, et unum principium, sicut et patriarchæ et prophetæ atq; apostoli tradiderūt. Sed audiamus iam tandem ipsos, & diuinæ legis autoritatē & testimonia in mediū afferamus, sine quibus uana est omnis argumentatio. Deum patrē, omnes sacræ literæ confitentur, et Dei nomen paternitatem ad omnia refert. Et si filiū dicimus, non possumus patrē negare. De filio adducta sunt testimonia legis, ergo & pater ostensus est, sicut & Saluator ait: Philippe, qui uidet me, uidet et patrē meum. Nunc de spiritu sancto, quod cœpimus, prosequendū est. In Genesi legimus, Quia spiritus domini ferebatur super aquas. Quis tunc dominus nisi deus fuit, et cuius spiritus nisi Dei? Et quomodo dei spiritus, nisi Deus? Deus est quicquid dei est, nec aliquid illi immixtum est. Incōpositus est, simplex est, et purus deus. In Iob scriptū est: Spiritus domini fecit me, et spiraculū omnipotentis dei uiuificauit me. Dei sunt hęc opera, nō hominis. Quis fecit hominēnisi deus, aut uiuificat hominem nisi deus? est igitus spiritus domini propter quod dictum est in Psalmis: Spiritus domini replet orbem terrarum,

*Anima nostra diuinæ trinitatis imago.*

*Mens trinitatis imago.*

*Absq; diuinis testimonijs omnis de his argumentatio uana.*

Ioan. 14

Gen. 1

Iob. 13

Sapien. 1

terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet uocis. Quis hic spíritus, nisi deus? quis impleat orbẽ, nisi deus? cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedibus eius? Et apud poetas deum ire per omnes terras, tractusq; maris, cœlumq; profundũ, traditũ est. Et rursus, Est ne Dei sedes nisi terra, pontus, & aer, & cœlum, & uirtus? Propter quod rectè ait Dauid: Quò ibo à spíritu tuo? Ostendens nõ esse locum in quo posset fugere spíritum Domini, qui est ubiq;. Esse autem ubiq;, implere & continere mundũ, soli Deo tributum est. Deus igitur sanctus spíritus est, hæc qui peragit, & futura prænoscit, & prędicit, sicut scriptum est: Responsum accepit Symeon à spíritu sancto, quia non moreretur, nisi uideret Christum domini. Non est cur Deum negemus, qui dei efficit opera. Non igitur solus pater deus est, neq; solus filius, sed spíritus sanctus cum patre simul & filio deus est. Quia non aduersatur rationi trinitas personarum in unitate diuinitatis, quemadmodum superius ostensum est. Sed iam trinitatẽ ipsam ex sacris codicibus demonstremus, & Moysen ante omnes audiamus, cuius hæc sunt uerba in capite libri, quem Genesim nostri uocant: In principio creauit deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & uacua, & spíritus domini ferebatur super aquas. Tria cõmemorat: Deum, principium, & spíritum. Ideo in deo, patrem intelligimus: in principio, filium: in spíritu domini, spíritum sanctum. Et accipiatur hoc in loco principiũ pro filio, sicut in Psalmis de suo filio dicit deus: Tecum principium in die uirtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. Atq; ita in exordio nascentis mundi, trinitas ipsa in diuinis personis adducitur. Hic si placeret, interseri posset de Heloenim, secũdum Hieronymum ad Marcellum. Tentans diabolus primos parentes, interposito serpente, & suadens ut edant de ligno prohibito, Eritis (inquit) sicut dij, scientes bonum & malum. Quod perinde accipiendum est, ac si diceret, Eritis sicut diuinæ personæ, quibus ignotum est nihil. Et cum ejceretur Adam de paradiso, inquit Dominus, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. quibus nobis? patre scilicet, & filio, & spíritu sancto. Sed manifestius eadem trinitas ostenditur, cum dicitur: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostrã. Cum ait, Faciamus, & Nostram, plures personas inducit. Cum dicit, Imaginem, unitatem diuinitatis ostendit. Nec solitarius est cum dicit, Faciamus: neq; aliena à se loquitur, qui Nostram ait. Duo sunt pluralia uerba, Faciamus & Nostrã: ut uideatur pater cum filio & spíritu sancto miscere sermonem, quod non sono uocis, sed intellectu expressius est. Dixerat, Creauit deus cœlum & terram. Deus, & Creauit, singularia sunt: quia unus est deus, & una diuinitatis essentia. subiũgitur, Faciamus, & Nostram, ut pluralitas in personis intelligatur. Idem & Psalmista canit regius, dũ ait: Verbo Domini cœli firmati sunt, et spíritu oris eius omnis uirtus eorum. Quid manifestius dici potuit? In conditione cœlorũ, tres personæ concurrunt, dominus, uerbũ, & spíritus. dominus, patrẽ exprimit: in uerbo, filium accepimus: spíritus is est, quem sanctũ uocamus. Et rursus Propheta, ut trinitatem personarum in diuinitate cognoscas, ter deum prouocat in benedictione. Benedicat nos (inquit) Deus noster, benedicat nos deus, & metuant eum uniuersi fines terræ. Trina dei confessio trinitatem exprimit personarum. & cum subditur, Metuant eum uniuersi fines terræ: unitas aperitur diuinitatis. In Psalmo quoque XLIIII. multum expresse trinitatem innuit, cum dicit filio: Sedes tua deus in seculum seculi. & postea subdit: Propterea unxit te deus deus tuus: id est, pater & spíritus sanctus. & cum sequitur, Præ participibus tuis: mysterium quoq; incarnationis aperit, de quo

Luc. 2

Gen. 1

Psal. 109

Psal. 66

Isaiæ 6 suo loco prosequemur. Et Isaias in uisione sua clamantia introducit Seraphim, Sanctus sanctus sanctus dominus deus sabaoth. Ter Sāctus ad tres personas refertur, & semel Dominus, & semel Deus dicitur: quia unus est dominus, et unus est deus. Et rursus idem uates ex persona CHRISTI loquitur, & dicit: Dominus meus misit me, & spiritus eius. Dominus meus, inquit, id est pater meus: misit me, scilicet filiū: & spiritus eius, qui est sanctus spiritus. Quis hic nō intelligat trinitatē? Nō latuit prophetas hoc mysteriū. Possent & alia plura huiusmodi testimonia ex ueteri testamēto afferri, quæ trinitatē planè ostendunt. planius tamē locutus est in euangelio dominus, qui cū in orbem mitteret discipulos: Euntes (inquit) docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Tres nominauit personas. In nomine, dixit: non, in nominibus, ut essentiæ unitatē in personarū trinitate mōstraret. Et Ioannes euāgelista, qui de pectore Domini ueritatem hausit, in epistola sua inquit: Tres sunt qui testimoniū dant in cœlo, Pater, uerbum, et spiritus sanctus: et hi tres unū sunt. Et Apostolus Roman. 11. Paulus: Misit (inquit) spiritū filij sui in corda nostra. Et alibi: Spiritus eius, qui suscitauit Iesum, habitat in nobis. Et iterū: Ex ipso, inquit, et per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria. Ex ipso dicit, propter patrē: & per ipsum, propter filium: in ipso, propter spiritum sanctū. Non dicit ex ipsis, aut per ipsos, siue in ipsis. nec ipsis, sed ipsi gloria, inquit: ut trinitatē simul & unitatem cognosceremus. Atq; his testimonijs & autoritatib. illuminata est desuper Christiana religio. Summa enim fiducia cōfitetur & prædicat unum deū esse, qui est caussa caussarum, principiū & finis omnium rerū, & omnis autor creaturæ, & summū bonum, & nihilo minus tres personas in deo recognoscit, & trinitatem in unitate ueneratur: cui qui aduersatur, salutis expertem se reddet, & ambulat in tenebris, & ueritas non est in eo. Tu uerò si sapias, de tenebris emerges: & candida luce perfusus, sacratissimam trinitatem & cognoscendo coles, & colendo cognosces. Nec aduersaberis sacrosancto euangelio, in quo legitur, Verbum caro factum est. Negat tuus legifer incarnationē uerbi. Nam cur (inquit) factus est deus homo, & in ligno crucis passus, qui alio modo genus humanum redimere poterat? Negat tua lex Christi necem, & alium suo loco interfectū existimat: nec deum incarnatum cognoscit, neq; crucifixum aut mortuum. Nos utrumq; prædicamus, quia factus est Deus homo, & passus est: & propter salutē hominis hæc facta esse testamur. Ait enim de seipso Dominus: Venit filius hominis saluare quod perierat. Cōstabat primi parentis errato, omnes homines culpa teneri: clausa erat paradisi porta, nec mortalibus patebat in cœlū aditus. Decebat summam dei bonitatem, hominem qui ceciderat reparare, nec miserum esse perpetuò sinere, qui ad beatitudinē perfruendā creatus fuerat. Sed obstabat iustitia dei, quæ pro peccato satisfactionē exigebat. Dignus erat infinita pœna, qui maiestatem offenderat infinitam. Nec homo tanti erat, ut infinitam posset redimere culpam. Strabat hinc diuina iustitia ultionem petens, illinc diuina bonitas miserandum esse cōtendens. Audienda fuit utraq; uox, quia uniuersæ uiæ Domini misericordia & ueritas. Quare & si poterat deus aliter humanę imbecillitati consulere (est enim omnipotens) hic tamen conuenientissimus fuit modus, quem elegit, ut assumpta humana natura, ipse pœnas solueret. Factus est deus homo: ut homo fieret deus: ueritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Cōiuncta est humanitas diuinitati, ut acciperet de plenitudine bonitatis, quod suæ defectum

*Verbi incarnatio.*

ctum suppleret infirmitatis. Fuit hic modus saluandi humani generis diuinæ bonitati conueniens. Satisfactum est iustitiæ simul & misericordiæ, satisfactum est amori & odio. Placuit hoc diuinæ potentiæ, quæ omnẽ defectum nostrum sua uirtute superat. Placuit & sapientiæ, quæ nihil frustra, nihil non decenter ac cõuenientissimè facit. Et licet necessitate absoluta, qua necessarium dicimus, sine quo aliud esse nõ potest, incarnatio uerbi necessaria non fuit: eo tamen modo quo necessarium accipitur id, quo conueni entius & congruentius peruenitur ad finem, dicere nõ pudet, ad reparatio nem hominis incarnationem filij Dei necessariam fuisse. Ego sum Deus, ego sum dominus, & non est alius absq; me saluator, ex persona Christi inquit Isaias, quia non poterat homo saluare seipsum, cur necessarium fuit, ut homo fieret deus, & Deus homo saluaret hominẽ. Propter quod pulcherrimè & ad propositũ aptissimè inquit ex nostris professoribus unus in hũc modũ, de mysterio diuinę incarnationis: Suscipitur à maiestate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate moralitas, & ad deponendũ conditionis naturę debitum, natura inuiolabilis est unita passibili. Deusq; uerus & homo uerus in unitate reperitur, ut quod nostris remedijs congruebat, unus atq; idem hominũ Deiq; mediator, & mori ex uno & resurgere posset ex altero. nisi enim esset uerus Deus, non afferret remediũ: nisi esset uerus homo, non præberet exemplum. Intelligis quàm conuenienter filius Dei carnem assumpserit ut Deus, & mortem obierit ut homo. Sed quæris testimonia antiquæ legis, non negabimus, præsto sunt: Ecce (inquit Isaias) uirgo concipiet, & pariet filiũ, & uocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum deus. Quomodo nobiscũ deus est? nisi quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et iterum eiusdem prophetæ uerba sunt: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, cõsiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. An non hic mysterium incarnationis planè ostenditur? & quæ tunc futura erant, tanquã præterita manifestãtur? Puer, inquit, natus est nobis, quia natus est in humana paruitate. & datus est filius, quemadmodũ Ioannes ait: Quia sic Deus dilexit mundũ, ut filiũ suũ daret unigenitũ. Datus est Christus ex diuinitate, natus ex humanitate, natus ex uirgine: Cuius imperiũ super humerũ eius: quod est imperium Christi, nisi lignũ crucis, in quo pepẽdit, mundũ uicit, aëreas potestates debellauit, et subacto triumphatoq; diabolo, regnũ suũ potenter intrauit. Oportuit enim Christũ pati, & sic intrare in gloriã suã, ut inquit ipse in Euangelio Lucæ. Imperiũ igitur super humerũ eius fuit: quia crucẽ suam suis gestauit humeris. quãuis eo fatigato Simon Cyrenęus angariatus sit eam tollere. Dicitur admirabilis, propter signa & prodigia quæ fecit, lumen cæcis, auditum surdis, claudis ambulationem, debilibus fortitudinem, & mortuis uitã restituens? Consiliarius appellatur, propter Euangelica consilia, quæ adiecit antiquæ legi. Deus asseritur, ne putares purum hominem natum. nam Deus humanæ naturæ coniunctus est. Fortis, quia spoliauit infernum & portas æreas confregit, & uectes ferreos dissipauit. Pater futuri seculi, quia cœlum aperuit electis, & regnum homini præparauit æternum, post hanc uitam in cœlesti Ierusalẽ. Princeps pacis, quia nato Christo, clausum est apud Romanos templum Iani, & mira pax exorta est: & Gloria in excelsis Deo, cantauerũt angeli, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Ostendit et alio loco idem Isaias incarnationẽ uerbi, dicens: Dominus enim iudex noster,

*Verbi incarnatio quo pacto necessaria fuerit.*

*Incarnationis mysterium.*

*Esaiæ locus explicatus.*

*Christi imperium crux.*

,, ſter, Dominus legiſer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ueniet, & ſaluabit
,, nos. quod perinde accipiendum eſt, ac ſi dicat, Carnem accipiet, et mortẽ pro
Eſaiæ 45 nobis ſubibit. Et rurſus: Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator.
,, Abſconditus, inquit: quia in carne latuit ſaluator Iſrael, quia ſua morte no-
ſtram mortem redemit. Et ne putes temporalem eſſe ſalutem, ſaluationis ge
nus addidit: Iſrael ſaluatus eſt (inquit) in Domino: id eſt, in uirtute Domini.
Et ſubdit, Salute ęterna: quam cõſecuti ſunt omnes, qui ex Iſrael Chriſto cre
Iere. 23 diderunt. Apertiſsimum teſtimonium eſt Iſaiæ. ſed audi Ieremiam, ſua ſunt
,, hæc uerba: Ecce dies uenient, dixit Dominus, & ſuſcitabo germen iuſtũ ex
,, ſemine Dauid, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium: & in dieb. 10
illis ſaluabitur Iuda, & habitabit Iſrael confidenter: & hoc eſt nomen quod
uocabunt eum, Deus iuſtus. Conſidera uerba, et attende myſteria. Suſcita-
bo (inquit) germẽ iuſtũ, id eſt Chriſtũ ſanctum et iuſtũ ex ſemine Dauid ſe-
cundũ carnẽ: quia ex proſapia regia et de ſanguine Dauid Maria mater Do
Locus Ieremiæ explicatus. mini nata eſt. Et regnabit rex. quomodo regnabit? Sanè quemadmodũ ipſe
apud Matthæũ in euangelio dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in
Matth. 28 terra, ꝙ eſt regẽ eſſe. Et ſapiens erit, ſapientia creata ſcilicet, quę hominis eſt:
& increata, quæ Dei eſt, & quæ eſt ante ſecula. Et faciet iudiciũ, diſcretionis
ſcilicet, & diſcuſsionis. nũc diſcretionis, dũ eligit ex mortalibus quos uult, et
alios ſuo arbitrio dimittit: & in fine ſeculi diſcuſsionis, quãdo reddet unicui 20
que ſecundũ opera ſua. In diebus illis ſaluabitur Iuda: id eſt, quicunꝙ credi-
derint, & baptizati fuerint, ſalui erunt. Et habitabit Iſrael cõfidenter, inſtatu
eccleſię triũphantis. Et hoc eſt nomen quod uocabunt eum, Deus iuſtus: ut
ſcias quia Chriſtus ex ſemine Dauid natus eſt, non ſolũ homo, ſed etiã deus
Baruch 3 eſt: nec alteri ꝙ Chriſto hæc uerba conuenire poſſunt. Accedat & alius pro
,, pheta Baruch nomine, quid ille ait? Hic eſt, inquit, Deus noſter, & non æſti
,, mabitur alius aduerſus eũ: hic adinuenit omnem uiam diſciplinæ, et tradi-
,, dit illã Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hęc in terris uiſus eſt, & cũ
hominibus conferſatus eſt. Docent hæc omnia incarnationem uerbi, et ho
minem factum Dei filium manifeſtant. Nunc de morte audi, & eos contem 30
Chriſtum uerè eſſe mortuum. nito, qui Chriſtum uolunt eſſe translatum, & nondum mortuum. ſed incre-
dibili dementia circa diem ſupremum iudicij cum omnibus angelis interfi-
ciendum putant. Ea nefandam audaciã, & ſtultitiam aliàs inauditam, dimit
timus: angelos, quorum ſubſtantia incorporea eſt: & immortalis Chriſtũ in
Pſal. 68 terfectum negant, & aiunt interficiendũ. At Dauid ex perſona Chriſti: Quę
Iſaiæ 53 nõ rapui, tunc (inquit) exoluebã. quia non peccauit, et pœnas dedit, pro alie
,, no delicto mortem ſubijt. Quod manifeſtius Iſaias oſtendit, dicẽs: Verè lã-
,, guores noſtros ipſe tulit, et dolores noſtros ipſe portauit: ipſe uulneratus eſt
,, propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pa-
,, cis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus. omnes enim nos quaſi oues 40
,, errauimus, & unuſquiſqꝫ in uia ſua declinauit: et Deus poſuit ſuper eum ini
,, quitatem, expiandis omnium noſtrũm. Et ſubditur: Oblatus eſt, quia ipſe
,, uoluit, & nõ aperuit os ſuum, Et paulo pòſt: Tradidit in mortẽ animã ſuam,
,, & cum ſceleratis deputatus eſt: ipſe multorũ peccata tulit, & pro tranſgreſ-
,, ſoribus rogauit. Si uidiſſet propheta paſsionem Chriſti, uix potuiſſet aperti
,, us loqui. Nec Ieremias tacuit tormenta Domini, qui eum ex ligno crucis ita
,, loquentem inducit: O uos omnes qui tranſitis per uiã, attendite, et uidete ſi
,, eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Et ipſe ſaluator de ſe ait: Ecce aſcendimus
,, Ieroſolymã, et filius hominit tradetur principib, ſacerdotum et ſcribis, et con

demnabũt

demnabũt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendũ et flagellandũ & crucifigendũ, & tertia die resurget. Et iterũ alibi: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. Et ne de morte dubites, scribit euangelista: Cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatũ est. Et inclinato capite, emisit spiritum. Prophetæ Christum moriturum, & à mortuis resurrecturum prædixerunt: Euangelistæ & obijsse in cruce, & sepultum resurrexisse tertia die affirmant. Certa res est, nihil ambiguitatis habet, ueritati omnia consonant. Resurrexit Dominus, ascẽdit ad cœlum, et uenturus est iterum, ut faciat iudicium in fine seculi. Tua lex non recipit, quia non sapit de Christo, quæ sapere oportet. Cuius alterum aduentum non solum euangelium, sed antiqui etiam uates ostendunt, sicut paulo antè de Ieremia diximus. Contestis eius est Daniel, dicens: Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruenit. & sequitur: Et dedit ei potestatem & honorem & regnum & omnes populi, tribus & linguę seruient ei. quibus in uerbis uiri doctiores iudicium Christi facile inueniũt in fine mundi. Et ipse Christus de seipso loquitur: Dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebetis et uos iudicãtes duodecim tribus Israel. Et in Actibus Apostolorum legimus, constitutum esse Christum à Deo patre uiuorum & mortuorum iudicem. Hæc nos de Deo sentimus, hæc & firmiter credimus, hæc salubriter prædicamus, æternã uitã promittentes omnibus qui Christo credunt, & in trinitatis nomine baptizati, opera faciunt euangelio digna. Quęris, quæ sit ista uita ęterna, quid agat illic homo, qua uoluptate lætetur, et quã beatitudinẽ assequatur? Respondemus cum euangelio Ioannis: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Summa tibi felicitas erit, uidere Deum in sua natura, et eius perfrui bonitate. Gaudio nostræ mentis hinc satiabimur, hinc implebimur, hinc summa felicitas erit hærere Deo, & Deum cognoscere. Videmus enim nũc per speculum (utait Apostolus) tunc facie ad faciẽ, et in nubilo, teste Iob: In facie Domini uidebimus lumẽ, et satiabimur cum apparuit gloria eius: & erimus sibi similes, ut ait Ioannes. Nec oculus uidit (inquit Isaias) nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę promisit Dominus diligentibus se. Et Apostolus, nõ esse cõdignas passiones huius seculi dicit ad futurã gloriã quęre uelabitur in nobis. Tua lex in alia uita flumina lactis & mellis & uini promittit, & cibaria delicata, et uxores multas, et cõcubinas, uirginũ coitus, et angelorum in turpib. obsequijs ministeria, et quicquid caro deposcit. Bouis hęc paradisus et asini potius, q̃ hominis est. Nã quis mortalis est, hominis habens faciẽ, qui per omnẽ uitã suam corpori seruiat? quis non aliquãdo in mentis secessum abit, quis non pascit intellectum aliquãdo, et à sensibus recedit speculando? An non est honoris & gloriæ uoluptas multo iucundior et diuturnior, quàm cibus ipse uel potus? Bibit sapiens, atq; edit, ut uiuat. Tua lex ideo uitam appetẽdam homini existimat, ut edat et bibat. Sicut in hoc seculo carneus fuit legifer tuus, ita et in futuro carni studendũ putauit: neq; curauit satiare mentem, cui omne studium fuit implere uentrem: atq; in ea re summum bonum esse putauit, quod neq; gentiles philosophi, præter paucos, admisissent, inter quos summa fuit de supremo bono dissensio. Alij in doloris priuatione felicitatem posuerunt, ut Didonius: alij in honestate uoluptati coniuncta, ut Calipho & Synomachus: alij in scientia,

Ioan.3

*Christi aduentus secundus.*

*Vita æterna quid.*
Ioan.17

*Qualem felicitatem Alcorani lex promittat.*

*Philosophorũ de summo bono dissensio.*

tia, ut Herilus: alij in sola uirtute atq; honestate, ut Zenon et Stoici: alij in bonis animi & corporis & fortunæ, ut Aristoteles & Peripatetici. Soli Aristippus & Epicurus, & eorum schola, summum bonum in uoluptate locauerunt, atq; his tua lex conformis est, qui sex omnium philosophorum & fœtidum cœnum fuere. Nec tamen illi in eo errore fuerunt, ut hãc felicitatem in altero seculo expectarent, quibus futuræ uitæ spes nulla fuit, mortalem animam existimantibus. Nostri philosophi summum bonum neq; in terra, nec in sensu, sed in cœlo & in deo quærendum censent, & eo satiandam mẽtem existimant. Et natura instituit nos, ut cœlum aspicientes, eò uotis omnibus aspiremus. sicut est illud poeticum: Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus. Quis nescit finem his præstare, quæ sunt ad finem? omnia hæc corporea oblectamenta eò reperta sunt, ut spes hominis cõseruari, & in suum finẽ, qui est Deus, per hęc adduci posset. Quis aut ederet, aut biberet, aut procreandis liberis operam daret, nisi esset in his aliqua delectatio? At hæc non est finis hominis, qui ad Deum factus est: & nisi ad Deum ueniat, nunquam quiescit. nec per carnales delectationes ad Deum ipsum peruenitur: sed quanto his magis immersus est homo, tanto est ab ipso Deo remotior: qui † aliquãdo eo beatior existit, quãto angelicæ diuinæ naturę magis ac magis adhęret: nec curat carnalia desideria, qui bonis fruitur spiritualibus. Sicut ignis & aqua simul esse nõ possunt, sic delitiæ spirituales carnalibus non cohærent: trahunt illæ ad se humanã naturã, & totũ in se rapiunt, neq; sentire sinunt quę caro appetit. Gustato spiritu, desipit omnis caro, ut inquit unus ex nostris. Tua lex in paradiso uoluptates admittit, quas nec Solon, nec Lycurgus permisit in terra. Quot fœditates de cibo & potu & alijs uoluptatibus oriuntur, quas in paradiso nephas fuerit nominare? aut enim gignerentur sine fine homines, et implerẽt omnia nunquam morituri: aut frustra esset permixtio maris et fœminæ sine fructu, quę etiam in hoc mundo damnatur. Dicis, Quid ergo fœminis opus est, si non est coitus? Dicimus et nos, Quid opus est coitu, si non est generatio? Propter uoluptatem dices. At hæc fœda uoluptas est, et indigna, quę paradisum nõ ingreditur. Nam quomodo illic permissa erit hæc turpitudo, quæ hic tanquam obscœna prohibetur, et tantum propter sobolem, aut euitandi maioris mali caussa permittitur? Hippocrates diuinæ uir scientiæ, uenereum coitum partem esse quandam morbi deterrimi existimabat, quem nostri comitialem dixerunt. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, (ut uerbis cuiusdam gentilis utamur) uoluptatibus istis duabus coeundi atq; comedendi, quę homini cum sue atq; cum asino cõmunes sunt, gratuletur? Nõ sunt hæc, quæ pia mens in cœlo requirat. Dicis iterũ, Igitur nõ erit plena felicitas in paradiso, si aliquod defuerit oblectamenti genus. Ergo ut existimas, cum uarijs rebus oblectentur homines, saltatione, uenatione, piscatione, ludo, lucro, cantu, cibo, potu, uenere, et alijs quàm pluribus, eadem omnia in paradiso tuo requires, et cũ Virgilio dices: Quæ gratia currũm Armorũq; fuit, uiuis quę cura, nitentes Pascere equos. eadem sequitur tellure repostos. Vana hæc philosophia est, quam nulla unquam ciuitas bene instituta recepit, Nos (ut diximus) mentis gaudia et spirituales delicias quærimus. Beatitudo nostra quam expectamus in altera uita, est ipsa Dei uisio, qua nihil optabilius inueniri potest. Videbit enim beatus animus et quæ sunt in cœlo, et quę sub cœlo. Quid erit quod eius aspectum fugiat, qui uidebit uidentem omnia? Quæ nunc uidentur obscura de Deo, de Trinitate, de incarnatione uerbi,

*Summum bonũ in Deo.*

*tanto*

*Paradisus Mahometi.*

*Venereus coitus morbi comitialis quædam pars.*

*Beatitudo fidelium qualis futura.*

uerbi, de processione sancti spiritus, de sacramentis ecclesiæ, de cæteris arcanis, tunc aperta erunt & manifesta: nullum deerit oblectamentum, nihil requiret ultrà plenus animus. Nam quid pleno opus est? nihil illi deest, qui nihil cupit. Desideria nostra implebit optimus ac maximus Deus, in quo omnia bona insunt, nec ullum cupiditatibus nostris relinquet locum. Erit Deus omnia in omnibus, qui sine fine uidebitur, sine fine amabitur, sine defatigatione laudabitur. Quæ lingua dicere, uel quis intellectus capere sufficit illius supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei uultum cernere, incircunscriptum lumen uidere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari: neq; illic beatitudo humani corporis in epulis erit, aut in uino, aut in coitu. Ex redundantia beatitudinis animæ glorificabitur corpus ipsum, & similitudinem eius induet. Fulgebit tanquã sol in conspectu Dei, teneritati eius nulla resistet materia, leuitas & agilitas infinita spacia in ictu oculi permeabit, nihil erit quo amplius lædi possit: inuiolabile erit & impassibile, more animæ. & ita totus homo exultabit, & dicet cum Propheta: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Nec frustra erit differentia sexuum, aut artus reliqui superfluent. resurgent uiri & fœmina integris membris, & non solũ in specie, sed in ipso indiuiduo humanę nature perfectio reintegrabit: nec tamẽ animales operationes aderũt, nec cõmixtio maris & fœminæ, quia cessabit caussa propter quã fuerat introducta. Erit enim completa multitudo hominũ à Deo præfinita, nec ullus erit carnalis appetitus, nec pulsabit tentatio inimici, nõ patebit insidiæ locus: cum peruentũ fuerit ad triumphum, pax ibi inconcussa, & quies & summa concordia uigebit. Vides inter tuam & nostrã beatitudinem, quantum interest. Nostra felicitas nobiliori hominis parti, id est animæ, respõdet: tua uiliori, id est corpori. Nostra mentalis est, tua carnalis: nostra fulgens & nitida, tua obscura & fœtida: nostra cũ angelis & ipso Deo communis est, tua cum suibus & alijs pecoribus: nostram docti omnes philosophi laudant, tuã uituperant: nostra cœlo digna est, tua etiam in terra reprehenditur. Sed dices, in sacris etiã codicibus conuiuia reperiri, quæ futura uidentur in cœlesti Ierusalem, potu ciboq; plena. Inquit enim Isaias: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuiũ pinguium. Et in Sapientia legimus: Miscuit uinũ, & posuit mensam. Et iterum: Venite et comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui uobis. Et in Ecclesiastico: Cibauit illũ Deus pane uitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potauit illũ. Et Dominus apud Lucã: Ego (inquit) dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Omnia hęc, & his similia, spiritualẽ habent intelligentiã: quia de mensa ipsa sapiẽtiæ nõ corporalis uel cibus uel potus assumitur, sed mẽtalis, qui suauissimus est ac mũdissimus: & hic est quẽ nos expectamus in futuro seculo. Tãto est igitur nostra dignior q̃ tua felicitas, quãto nobilior, & diuinæ beatitudini propinquior. Sed attingamus nõnullas alias tuæ legis ineptias, quę tũ sacris literis aduersantur, tũ philosophicas rationes excludũt. Dicit legifer tuus, q̃ tetigit eũ Deus manu sua inter humeros, et usq; ad medullã dorsi eius pene trauit frigus. Quod perinde est, ac si corporeũ esse Deũ affirmet: quia tactus nõ est nisi per corpus. Nos incorporeũ dicimus deũ. Ait eẽ Ieremias ex ore dei: Cœlũ et terrã ego implebo, quod nõ posset fieri, si corporeus esset, et propterea dicit in Psalmis Dauid: Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarũ. Spiritus

*Deus omnia in omnibus.*

*Sexuum differentia in futuro seculo.*

*Beatitudinis nostræ & Mahumeticæ discrimen.*

*Isaiæ.25*

*Prouer.9*

*Lucæ.22*

*Deus incorporeus.*

*Ierem.23*

ritus (inquit) Domini, non corpus Domini. Et Ioannes in Euangelio, Spiritus est Deus. Philosophi Deum purum actum esse dicunt, principium omnium rerum, naturæ omnino simplicis, & æternæ. Quod si corporeus esset, esset compositus ex elementis, aut alia materia: et posterior suis partibus, neque simplex, neq; purus, neq; origo omniũ rerum: & creaturas haberet se ipso excellẽtiores, angelos scilicet (nobiliora sunt enim spiritualia quàm corporea) quod est opinari absurdum, ne dicamus asserere. Nec simul stare potest, ut causa caussarum sit deus (sicut philosophi uolunt, & rectè uolunt) & cõpositus inueniatur. esset enim ab alio compositus: & illum nos potius diceremus Deum, qui composuisset. Non est igitur corporeus, quia compositus nõ est. Nec mouemur, quia in sacris literis & caput et manus, et pedes & oculi, & digiti, & cor, et uterus, et huiusmodi attribuantur Deo: utitur enim spiritus sanctus, qui loquitur in scripturis, uocabulis quæ sunt in usu, per similitudinem quandã. sicut dicit Iezechiel ex persona Dei: Ego uisione multiplicaui eis, & in manibus prophetarum assimulatus sum eis. Est enim naturale homini, per sensibilia ad intelligibilia peruenire, & omnis nostra cognitio à sensu capit exordium. Atq; idcirco spiritualia nobis in sacris codicibus sub metaphora corporalium exhibentur: atq; ita fit, ut etiam rudes aliquid capiant, qui alioquin essent diuinæ sapientię minus idonei auditores. Dixit prȩterea tuus Mahumetes, omnium peccatorum caussam esse Deum. et exclamans, his uerbis utitur: O' Deus, quibus uis bonam, quibus uis malam uiam præbes. Nos mortale peccaum, auersionem quandam esse dicimus ab ultimo fine: nec possibile censemus, Deum, qui ultimus finis est, uoluntatem cuiusquam à se auertere. esset enim sibijpsi contrarius. Et si Deus omnia diligit quæcunq; fecit (ut est illud Sapientiæ: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti) quomodo consentaneum est, ut peccati caussa sit ipse Deus? cum dicit in Psalmis Dauid: Odisti omnes qui operantur iniquitatẽ. Et in Ecclesiastico legimus, Omne excrementũ erroris odit Deus. Contraria sunt amor & odium. Audi ulterius intolerabilem tuæ legis errorẽ. Si nobis (inquit) aduersa incumbunt, incubuerunt & cæteris, sunt enim isti dies casus atq; fortunæ. Negat diuinam prouidentiam curare mortalia. Nos de diuina sapientia dicimus, quòd attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, nec, summæ Dei bonitati conuenit ea negligere quæ creauit. Propter quod inquit apud Matthæũ Dominus: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Addit Mahumetes, angelos creatos ex flamma ignis, & peccare & mortuos esse. Nos cum propheta dicimus, quòd Deus fecit angelos suos spiritus & creauit eos ex nihilo. Et philosophos nobiscũ sentientes habemus, qui omnes angelos, quos uocãt intelligentias, incorporeos esse dixerunt: nec peccatum in angelis reperire posse censemus, qui Deum in essentia uidentem omina uident, & omnia intelligunt ad suam perfectionẽ necessaria: nec est in eis ignorantia peccati mater, nec subiectam corruptioni naturam angelicã arbitramur, in qua non est materia quæ separari possit à forma, sed ipsa forma per se subsistit incorruptibilis & immortalis. Origenis, præclari & excellentis ingenij uiri, sicut multa extant præclarissima opera, ita et nonnulli errores perniciosissimi reperiũtur: inter quos unus ille est, quia dæmones per Dei misericordiam liberandos esse aliquando à pœnis asseruit. Hunc secutus est Mahumetes, qui saluandos per Alcoranum malos angelos affirmat. Nos cum Isaia de omnibus dãnatis, siue hominibus, siue angelis, unam sentẽtiam habemus: quòd uermis eorũ nõ mo

*Cur Deo in sacris literis mẽbra etiã humana attributa.*

*Deus an peccati causa.*

*Sapien. 11*

*Eccles. 15*

*Prouidentiam diuinam negat Mahumet.*

*Angeli spiritus incorporei.*

*Origenes*

rietur, &

rietur, & ignis eorum nõ extinguetur. Et Saluator in Euangelio damnatis in ultimo iudicio, ignem æternum repromittit, diabolo & angelis eius præparatum. Quid quod tuus legiser animam humanam portionẽ esse asserit animæ dei? Sic nõnulli philosophi palàm tradiderunt, & Manichæi secuti sunt. Nos humanã animam ad imaginem & similitudinẽ dei factã dicimus, sicut scriptum est in Genesi, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram: quod de anima dictũ est, non de corpore. Quod si anima hominis, portio esset dei, esset utiq; deus: nec esset homo, nõ deus, quod stultissimum est: cum manifestũ sit, labi hominis animam à bonitate in malitiam, à ueritate in errorem, à gaudio in tristitiam, à spe in desperationem: quod est à dei substantia penitus alienũ. Nec illud uerum est quod in uestra lege traditur, animas hominum ex materia productas esse omnes. Asserunt enim philosophi, ab extrinseco esse homini intellectũ, & quod innato, sit spiritus uitæ iussu dei. Et Theologi, rationales animas omnes ex nihilo creatas dicunt. Et Adam cum factam uidisset fœminam, Hoc os (inquit) ex ossibus meis, & caro de carne mea: non dixit, anima de anima. Et propheta in Psalmis canit, Qui finxit singulatim corda eorũ. Ponitur enim cor pro anima, quia sedes eius in eo est. Et deus sibi animarum productionẽ reseruauit propter earum dignitatem, qui per Isaiam ait: Omnẽ flatum ego feci. quod intelligitur de flatu spirituali, qui est rationalis anima. Præterimus quod cœlum ex fumo factũ dicitis. quod si uerũ esset, corruptioni subiaceret. Præterimus quod solem & lunam æquales ab initio uirtutis & luminis tuus propheta testatur: nos dicimus cœlum ex nihilo creatum, & duo luminaria magna fecisse deum ab initio: luminare maius, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti. Ad illud transimus, quod in uestra lege dulcissimũ & saluberrimum esse putatis, uxores multas ducere. quod si deo placuisset, creato homini ab initio nõ unam tantum sociam præbuisset, sed plurimas: nec dixit deus, Relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhęrebit uxoribus suis: sed uxori suæ, dixit. Nec amicitia inter uirũ & uxorem uera esse potest, ubi non est æqualitas, cum uir pluribus misceatur, mulier uerò uni tantum adhęreat, cuius est in alias plures distractus amor. Nec propterea numerus hominum augetur, quia plures uni nubant fœminæ: nam totidem uiri priuati cõiugio sine prole decedunt, & præsertim cũ mulieres numero pauciores existant. Iniqua insuper res uidetur, & naturali aduersa libertati, unius urbis ciuium alios multiplici matrimonio uti, alios in solitudine degere. Nec propterea ea laudanda consuetudo, quòd in ueteri lege plerosq; sanctos uiros pluribus uxoribus fuisse coniunctos legimus, quia non id ex lege, aut ex uoluptate fecerunt, sed diuina quadam dispensatione, & ad sobolem procreandam, quæ cresceret in cultu dei. Tacemus de diuortio, quod permittitur apud uos contra legem euangelicã, & de adulterio & fornicatione, et alijs sceleribus, quæ licet antiqua lex detestetur, & noua prorsus abominetur, apud uos tamen concessa uidentur. Non est quòd omnia tuæ legis errata percurramus, quando neq; nobis scribendi, neq; tibi legendi satis est ocij: et tu ipse pro tuo ingenio multa intelligis adeò stulta esse, ut nulla possent ratione defendi. Tota de deo quæstio est, huc omnia referuntur, totũ in hoc consistit, ut CHRISTVM IESVM deũ esse credamus: quo concesso, necesse est eius legi obedire, & eius uerbis credere, qui uerax est, & mentiri non potest. In eius lege trinitatem, de qua suprà diximus, in unitate diuinitatis comperimus, et incarnationem uerbi, & processionem spiritus sancti, et reliqua omnia quę

*Anima hominis an diuinæ animæ portio.*

*Animæ an ex materia productæ.*

*Psalm. 32.*

*Cœlum ex nihilo factum.*

*Vxorum pluralitas.*

*Diuortium.*

*Christum esse Deum.*

retulimus, usq; ad extremum iudicium. Quod autem Christus deus sit, iam suprà ostensum est ex ueteri lege atq; prophetis: licet etiam ex tua lege monstrare, quæ prophetam & sanctum uirum fuisse Christum asserit. Si prophe ta & sanctus, ergo uerax: si uerax, & deus. Nam deum seipse testatus est, di-
Ioan. 10. & 14 cens: Ego & pater unum sumus: & qui uidet me, uidet & patrem: & si credi tis in deū, et in me credite: & alia multa huiusmodi, per quę diuinitas Christi colligitur & ęqua cum patre & spiritu sancto maiestas. Bene est igitur, ut legem nostrā amplectaris, quæ uerax est & salutaris à deo data: & tuam relinquas, in qua non est ueritas, neq; salus: homo illam tulit, peccatis & ignorant plenus. Intellexisti quanta adducimus ex ueteri lege testimonia, quibus deus ostenditur, & homo, CHRISTVS IESVS, & pro nostra salute supplicio crucis affectus. Audiuisti sacras sancti Euangelij attestationes, & ipsius Christi uoces, quem tua lex sanctū habet. Quid igitur obstat baptismo? quis prohibet aquā? quid moraris? Ingredere iam tandem salutis iter cum præcellentibus uiris & magnis imperatoribus, ad æternā salutem sub Christo peruenies. Diximus de Constantino seniore, & Philippo, qui rempublicam tenentes, in Christum credidére. Post Constantinum creati Cæsares idem iter secuti sunt, & in fide nostra obierunt: excepto Iuliano apostata,
*Iulianus apostata.* qui ex monacho Cæsar factus, transiuit ad idola, quæ uitam laxiorē promittebant. Sed ille in bello Parthico pœnas dedit, & sagitta confossus in incertum missa, coactus est cadens dicere, Vicisti Galilæe: sic enim per contumeliam uocabat Christum. Fuerunt & aliqui schismatici & hæretici, qui etsi Christiano censebantur nomine, non tamen recta incesserunt uia. Imperatores Christiani nullo errore polluti inuenti sunt, Iouinianus, Gratianus,
*Imperatores Christiani qui.* Iustinianus, Valentinianus, Iustinus, duo Theodosij, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus Ludouicus, & plures Frāci & Theutonici: tres Othones, Henrici aliquot, & non pauci sub alijs nominibus. Præterimus alios reges fama claros, qui uel in Gallia, uel in Hispania, uel in Anglia, uel in alijs prouincijs Christianis sacris initiati fuerūt, & in Domino mortui, ad uitam creduntur migrauisse beatam. Cum his non est cur te pudeat Christi iugum subire, & sub eo regnare, per quem reges regnant, & legum cōditores iusta decernunt. Multos inuenies reges, qui te colentem Christum honorabunt. Etsi enim aliquādo horrebant reges Christi nomen, & propter idola Christianos persequebātur, postea tamen propter Christū idola deleuerunt. Ho nesta hæc societas est, cū qua te uocamus in uiā salutis, ueritatis & pacis: illa
*Othomanorū familia.* nihil dignitatis habet, cum qua te tua lex in deuia rapit. Nam præter Othomanorū familiā, de qua natus es, & illustres progenitores tuos, quis est qui magnopere laudari inter Saracenos queat? Colebatur Saladinus quidā, & aliqui pauci nomen habent, qui res memoria dignas gessere. At Christianorum excellentissima nomina omnes historias impleuerūt. Noti sunt in Syria, & in Aegypto, & in Asia, Godefridus, Balduinus, Bohamundus, Tancredus, Conradus, Philippus, & alij admodū multi, qui ab extremis Galliarum et Germanię finibus, cū ingentibus copijs Hierosolymā petiere, iterq; sibi per medios hostes ferro parauere. Hos tibi comites damus, cum his te Christo iungere cupimus. honestiores hi socij sunt, q̄ Aegyptij effœminati,
*Scythæ.* aut imbelles Arabes. Tua origo (sicut accepimus) Scythica est: inter Scythas multos fuisse uiros in armis claros, memorię traditur, qui uectigalē Asiam pluribus seculis tenuerunt, & Aegyptios ultra paludes eiecerūt. Non sunt comparandi aut Aegyptij, aut Arabes Scythico generi, non est sorti &

ignauo

ignauo æqua societas. Mirandum est tantum potuisse suis festinationibus Arabes, ut audaces & præstantes Scythas in suam societatem adduxerint. Quid dicimus societatem? non est hæc societas: seruitus est, quando eorum legi subiectus es, quæ utinam lex esset, & non deceptio ac præstigium. Conformior tibi cũ Christianis societas erit. Fortibus uiris facilè admittũtur fortes, uirtus uirtuti placet. Pulchra & stabilia sunt inter æquales consortia, si eàdem religio est, idemq; cultus dei. Age igitur, accipe Christianos socios, accipe fidem & baptismum, qui te hic in terris faciat magnũ, quoad uixeris, & post obitum in cœlo beatũ reddet. Audisti promissa Euangelica, & quomodo cuncta quæ diximus ueteris legis autoritate probantur. Sed times ne te decipiamus. Recordaris tui legislatoris, qui asserit legem & prophetas à Iudæis, Euangelium à Christianis esse corruptum: tantumq; de ueritate uel noui testamenti uel ueteris remansisse, quantũ Alcorano cõtinetur. Exploratum id forsitan arbitraris & uerum esse, atq; idcirco testimonijs nostris nõ adhibes fidem: nec baptizari audes, aut in CHRISTVM credere. Vtinam tam bonus fuisset tuus legifer quàm callidus, tam uerax quàm uersutus, tam iustus quàm iniquus: tota est artificiosa & fraudulẽta lex eius. Nam qui diu inum sibi abesse auxilium non ignorabat, ad humanas confugit astutias. Cupiebat legem edere quæ sibi nomen daret, famamq; etiam per flagitia exoptabat, ut Herostratus ille qui Dianę Ephesiæ templũ incendit. Et animaduertens antiquã & nouã legẽ quamuis honesta esset, duram tamẽ uulgo uideri, & seruatu difficilem: suam ipse edidit, quę uoluptatem humano generi amicam permiteret. sic enim facile fieri posse existimauit, ut innumerabiles populi in suas traditiones concederent. Nam gentiles quamuis laxiori lege tenerentur quàm Christiani, continentiam tamẽ & modestiam & frugalitatem commendabant, & philosophis auscultabant uirtutis amatoribus, neq; sinebant suos ciues corrumpi uitijs, aut uoluptate marcescere. Creuit igitur secta Saracenorũ, licentia uitiorum. Placuit uxores ducere quot uellent: eas demq; dimittere, cum displicere cœpissent, habere cõcubinas quàm plures, et in omne libidinis genus posse prouolui. Indulgere uentri cuncta quæ uellet, & ori, præter uinum, & uniuersis immergi uoluptatibus. Etsi enim aliqua ieiunia in lege tua præcipiuntur, id etiam ad irritandam uoluptatem factum est. nam Saraceni diem ieiunantes, nocte quàm longa est epulantur et bibunt. Nec aliam ob caussam uini usus interdictus est, nisi quia noceret in ardẽti terra, qualis est Arabia, & maior est in frigidis uoluptas poculis. Hoc unum ergo in Mahumete intentum fuit, ut legẽ propagaret suam: ea præcipiens quæ grata essent auditoribus, & maximè plebibus, quę iumentis similes existunt: nec fefellit eum opinio in hac parte. Placuit noua lex, & breui tempore ita coaluit, ut in multis populis, gentibus ac linguis reciperetur, cuius fundamenta in uoluptate iacta fuerunt. Verùm sicut agricola non imprudens, postquã uineam plantauit, fossam circumducit & sepẽ, ne destruatur à feris: ita & Mahumetes suam legem conseruare ac munire statuit. animaduertit homo sagax, duobus modis suum dogma cõuelli posse, atq; confundi: autoritate scilicet & ratione. atq; aduersus hæc duo quæ poterant inueniri remedia, non neglexit. Autoritati apposuit, quod paulo antè retulimus, antiquam scilicet & nouam legem deprauatã esse, nec quicquã ueri restare, nisi quod Alcoranus haberet. Rationi arma obiecit, iubens ne quispiã de sua lege disputaret, neue rationẽ quæreret: in eum qui contrà niteretur, ferro uindicandum esse, atq; huiusmodi uallo suam legem callidus uetera-

*Mahumeti lex tota fraudulenta.*

*Saracenorum secta quomodo creuerit.*

*Vinum cur prohibitum.*

tor communiuit. Sed non est hic adamantinus murus, nec ferreus, nec ex uiuo lapide fragili materia est, creta & luto munita domus, facile oppugnabitur, nec resistit telis nostris, facile ruunt ædificia in arena fundata. Aggrediamur hæc telis tuæ legis munimenta. Corruptionem in primis sacrarum literarum obijcitis hoc ei probandum fuerat, qui factum asserit: nobis satis erat negare factum. Libet tecum aliter agere, & apertam tuæ legis latoris calumniam ostendere. Lex Iudaica, quam Moyses & prophetæ tradiderunt, antequam Mahumetes nasceretur, pluribus seculis scripta fuit, & multis in locis promulgata, et in alienas translata linguas: nec fuit unus interpres, sed plurimi: rogante Ptolemæo Philadelpho, septuaginta presbyteri legem interpretati sunt, & consona dixerũt. Aquila etiam, & Theodotion, & Symmachus, & alij uetus testamentũ traduxerunt. Facta est antiqua lex & Græca & Latina, multis ætatibus, antequam tua promulgaretur. Impletæ sunt omnes bibliothecæ Mosaica & aliarum prophetarum traditione, Alexandriæ, Romæ, Athenis, Carthagine, Syracusis, Toleti, Lugduni, & in omnibus locis, quę insignia essent, siue apud Græcos, siue apud Latinos, uetus testamentum ex Hebraica ueritate traductũ & habebatur, & publicè legebatur. Quis ille Iudæus tam potens fuit, qui corrumpere legẽ ubiq; gentium potuit? Nondum natus erat Christus, cum Septuaginta interpretum editio facta est: quo tempore nulla erat caussa corrumpendæ legis, cum nulla esset cum Christianis nondum natis, de lege contentio: nec propter alios oportebat legi aliquid detrahere, qui legem nõ acceperant: nec propter se qui talem acceperant, et laudabant, si qua corruptio interuenit, in ea potuit interuenire, quæ apud Hebræos remansit, nõ in ea quę inter Latinos Græcos diuulgata est, & per infinitas diffusa prouincias: quanquam nec Iudaica corrupta est, quæ usq; in hanc diem cum Græca & Latina traditione concordat, difficilis ac penè impossibilis fuisset corruptio in tot manibus. Mahumeti leue fuit unum codicem corrumpere, et illũ tanquam uerum his tradere, qui sibi ab initio crediderũt. Quod si multi sunt hodie apud uos codices unius continentiæ, non tamen idcirco ueritas in eis est: ab uno enim, qui falsus erat, emanantes, omnes falsitatẽ continent, quia non defluunt ex amaro fonte dulces riuuli. Quærimus ex te magne princeps, si te iudice, duo rationum codices afferantur, quorum alter ex altero transcriptus existat, et in eo de quo est facta transctiptio, Sempronius mille debere talenta scriptus est, in exemplari duo milia, cui potius fidem dabis? aut non exemplo magis quàm exemplato? Hebræi parentes antiquæ legis existunt, & apud eos exempla legis habentur, apud alios exemplaria. Rursus ex te quærimus, quatuor inueniuntur rationũ libri apud quatuor negociatores, Seium, Caium, Titium & Sempronium. In eo quem Sempronius producit, creditor ipse Lucij in centum talentis scriptus inuenitur, in alijs debitor, cui credes? quid respondebis? an non tres libros uni præferes? Certe non dubitabis præferre. Si ita iudicas, soluta quæstio est. Quatuor libri habent uetus testamentum: Vnus est Hebræorum, alter Gentilium, & tertius Christianorum, ultimus Saracenorum, qui à cæteris discrepat: mendax enim est. nam reliqui conformes inueniuntur. Nam & Græci, qui gentiles erant ante Christi aduentum, & Latini ante Mahumetem, uetus testamentũ non alio modo habuerunt, quàm nos hodie habemus. Hoc fortasse inficiari posses, quia non reperiuntur hodie gẽtiles, qui bibliothecas habeant ueteres. Sed interroga Iudæos, inuenies uera esse quæ dicimus. Et adhuc extat Iosephus Hebręus, qui

*Sacras literas corruptas esse, falso Mahumeten asserere.*

*Septuaginta interpretes.*

qui translationē antiquæ legis in manu Ptolemæi, quē nominauimus, emanarunt, quæ usq; in hāc diem perseuerant, & Hebraicæ ueritati cōcordant. Stulta est igitur Mahumetis fictio, et turpis inuentio, nec quicquā habet uerisimile, nec tam confusione quàm irrisione digna est. Quod diximus de ueteri testamento, idem licet de nouo intueri, quod nec ab uno scriptū est, nec in una lingua, nec in uno loco, nec in uno tempore, & tamen una sententia est, & unica concordia. Quod Græci habent, hoc Latini, hoc Hebræi, hoc Syri, Armeni, hoc omnes barbari Christū colētes: quamuis hæretici aliqui ad tuendos errores suos corrumpere nonnullos codices ausi fuerunt. Quid ages? quid dices? cui fidem adhibebis? an soli Saraceno, an Latino, an Græco, an Hebraico? Multa antiquior est Christiana lex quàm Saracena. Misit Christus adhuc in terra existens discipulos suos in orbem, ut prædicarent Euangelium omni creaturæ. Audita est in omni terra Euangelij tuba, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorū, et in fines orbis terræ uerba eorum. Vulgata est recepta lex Christi per totum Romanū imperium, priusquam tuus legifer prodiret in lucem. Et idem Euangeliū, quod nunc habemus, omnes gentes susceperē. Nec fuit maioribus nostris aut facultas corrumpendi rem adeò uulgatā, aut necessitas, cum non esset Mahumetes, cum quo de fide contenderent. Corruptio ei necessaria fuit, qui nouā legem edere uoluit, ueteri & nouæ contrariam. Nec dubium faciet iustus iudex, quin Christiano maior fides adhibenda sit de Christi lege, quàm Saraceno: ipse enim conseruator est suæ legis, & manet in traditione patrum. Saracenus ab ea recessit, & inuentiones sequitur nouas, quas sui maiores ignorauerunt. Euangelia apud nos quatuor recepta sunt, quæ summa diligentia, ingenti studio, et acri discussione sancti patres in generalibus conciliis non prius amplexi sunt, quàm esse uerissima multis modis recognouerūt. Non est igitur quòd tuus legifer de corruptione sacrarū literarū possit obijcere. De ciuitate Domini, quę est ecclesia, inquit in Psalmis Dauid: Fūdauit eam deus in æternum. Non esset fundata in æternum ecclesia, si fundamentum eius, quod est Euangeliū, uiolari aut corrumpi potuisset, nec uerum fuisset quod ait propheta Baruch, loquens de lege dei: Lex, quæ est in æternum. Nec illud staret quod dicitur: In æternum permanet uerbū tuum, & in seculum seculi ueritas tua. Nec Isaias uera fuisset de Christo locutus dicens: Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet et corroboret illud in iudicio & iustitia usq; in sempiternum. Nos Gabrieli angelo credimus, qui de Christo Mariæ uirgini sic ait: Dabit illi dominus deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum. Quomodo regnabit Christus in domo Dauid? nisi per fidem. Quomodo per fidem? nisi per Euangelium in æternum. Quomodo per Euangelium in æternū, si corruptum est Euangelium? Mendax lingua, falsa calumnia. Ego uobiscum sum (inquit Dominus) usq; ad consummationem seculi. Et Oseæ prophetæ uerba ad ecclesiam conferuntur: Sponsabo te mihi in fide usq; in æternum. Et ad Petrum uicarium suum inquit Saluator: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et iterum: Rogaui pro te Petre, ut nō deficiat fides tua. Prævaluissent portæ inferi, & defecisset fides Petri, si falsum esset Euangelium quod sequimur. Sed manet fides magni pastoris in ecclesia Romana, quæ nunquā inuenta est errasse, nec; errabit in æternū. Magistra est enim, & mater omniū fidelium, & disciplina ueritatis. Caue Mahumetes, caue magne princeps,

*Noui testamenti concordantia.*

*Mahumetes scripturarum corruptor.*

*Psalm. 47*

*Isaiæ 9*

*Luc. 1*

*Oseæ 1.*

*Porphyrius Siculus apostata.*

ne sequaris errorē Porphyrij Siculi, qui tuæ legi consona dicit. Is ex Christianismo ad idola transiens, ait se deos consuluisse quid de Christo sentirent: & illos respondisse, bonum uirum fuisse Christum, sed peccasse discipulos eius, qui diuinitatem attribuerant, quam sibi ipsi nunquam arrogasset. Hoc deorum testimoniū est, id est idolorum, quæ tu dæmonia esse non dubites. An non intelligis fraudem? an non uides tui legiferi & dæmonū esse unum argumentum, unam conclusionem, unam fallaciam, & Christo diabolū inuidere, eiusq; gloriæ et maiestati detrahere? cuius consilio atq; suasu tua lex edita est, Euangelicæ atq; Mosaicæ cōtraria. Dices pari modo, Christianam legē Mosaicæ aduersari. namq; iussit Moyses plurima, quæ Christus uetat; ea permittens quæ ille uetuit. Nescis antiquæ legis arcana, quæ diu grauida fuit, nouam in utero gerens: & cum statutū diuino consilio tempus uenit, eam peperit. Vidit Ieremias per spiritum legem hanc nouam, cum ait: Ecce

*Hierem. 31*

„ dies ueniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus
„ nouū, non secundū pactum quod pepigi cum patribus eorum. Sed hoc erit
„ pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo
„ legem meam in uisceribus eorū, & in corde eorum scribā eam, & ero eis in
deum. Nouum fœdus, inquit, quia baptismus circuncisioni successit. et legē meam, inquit, scribam in corde eorum, quia uetus lex in tabulis lapideis scripta fuit, noua per charitatē in corde hominum radicata. Et ero eis in deum:

*Legis ueteris & nouæ discrimen.*

quia nouæ legis autor et promulgator Christus, deus & homo est. Antiqua per Moysen innotuit, tantum hominē: & adueniente perfecto, euacuatum est imperfectū: nec amplius in præputio nobiscum deus, sed in corde pascitur, dicente Apostolo: Si circūcidamini, Christus nihil prodest uobis. Nec

„ ulterius cæremoniæ legis habent locū. Venit enim ille, de quo loquitur in
„ Deuteronomio, Moyses: Prophetā de gēte tua suscitabit tibi deus, ipsum si
„ cut me audies. Et subdit: Ponā uerba mea in ore eius, loquetq; ad eos omnia
„ uerba quæ præcepero illi. De Christo hæc prophetia est, qui locutus est ex
ore dei, quod uerū erat os suū, in cuius aduētu legalia & cęremoniæ desitura erant, sicut apud Matthęū scriptū est: Lex & prophetæ usq; ad Ioannem.

„ Sacramenta enim quę ueteres & prophetæ obseruabāt, adnunciatiua erant
„ uenturi Christi, quæ in eius aduentu completa cessauerunt, & alia instituta

*Legis cæremoniæ per Christum sublatæ.*

sunt, uirtute maiora, ueritate meliora, actu faciliora, numero pauciora. & si cut sacerdotiū mutatum est, sub cuius administratione lex erat, ita & legem mutari oportuit. Non est igitur aduersa ueteri noua lex, quæ in eius uentre conclusa erat, & adueniente Christo, & euāgelij luce clarescente, & patefacta, circūcisioni & alijs cęremonijs antiquitus obseruatis (sicut præfinitum erat) finē imposuit. Est aūt Christiana lex tanto dignior quàm Iudaica, quanto nobilius est oraculū dei q; hominis. Cognoscis iam, nisi fallimur, ueritatē & maiestatē nostræ legis, nec utilitatē ignoras: incipisq; de tua diffidere, &

*Mahumet de lege sua disputare prohibet.*

ardes desiderio disputādi, uellesq; latius cuncta discutere: sed obstat legifer tuus, & inquirere uerū prohibet, & interminatur & clamat: Nō est mea lex quæ disputationi subijcienda sit, caue ne quid loquaris, arma sunt in manu mea: dum nihil credis, multū imperij adeptus es. Qui nō audiunt meam uocem, gladio conterendi sunt, ensis meæ legis dignitatē tuetur. In Arabia ortus eius fuit. ex paruo principio quantum creuerit, uides. Aegyptum adieci meæ legi, & Syriam et Mesopotamiā & Libyā & Indiam et Mauritaniam,

*Regiones sub Turca, quæ.*

& partem Hispaniæ, & diuitē Asiam, & doctam Græciam, & fortē Thraciam, & nobilem Macedoniam: sunt & aliæ quàm plurimæ regiones sub

imperio

imperio meę legis, quę armis, non uerbis, quæsitæ sunt. Muliebre est, uerba uerbis refellere, uiri ferro decertant. Si nō fuisset uera mea lex, nō dedissent superi imperio nostro, nec nō dominationi nostræ tātos successus atq; prosperitates. Amat nos Deus, & legis odorē sentiens gratulatur, et sternit iter uictoriis nostris. Scis quàm feliciter sæpe in hostes pugnauisti, & modò in Pōto, et sæpe in Grecia. En fili quid cogitas, quid moliris, tot triumphis sub mea lege illustratus? Christum persequeris, cuius cultores strauisti toties, & ad internecionē usq; cæcidisti. Caue ne meā linquens legem, relinquaris à Deo. Credimus his te uerbis nō parū cōmoueri, & aliquē inesse in tua mente timorē. Sed audi quàm inanis est timor. Omnis qui malū facit (inquit in Euāgelio Veritas) odit lucem. Fures noctu domos perfodiunt, & in obscuro adulteri latitant, nō adhibent testes qui peccāt, nolunt deprehendi mendaces. Cū his sentit tuus legifer: ueretur ne disputādo suę legis uanitates innotescant, ueretur ne pudenda sua detegantur. prohibet disceptari uerbis: armis defendi suam legē iubet, nec aliū iudicem quàm ferrū deposcit: multumq; gloriatur de suæ legis incremēto. Diximus cur creuerit, plebes uoluptas allexit: neq; inficiamur, multas tuæ gentis uictorias partas, & ingentia confecta bella, & tu ipse in prælijs clarus euasisti. Vicisti hostes nō paucos, & triumphasti sæpe: fuisti tamen etiam aliquando uictus. parua Christianorum manus tuas ingentes copias, ut antè diximus, apud cōfluentes Sauū & Danubiū paucis antè annis deleuit. Non milites ueterani, non duces in bellis antè probati, nō uiri nobiles armis potētes, et equis, sed pauci cruce signati ex agris collecti inermes et nudi, fide tantū armati, ferro fulgentes et auro tuos fuderūt exercitus. Quod si uictoria ueritatem legis ostendit, hoc uno prælio satis admonebare, in quo multi fugerūt paucos. Tuæ uictoriæ nihil miraculi habent, ad quas nunquam sine grandi tuorū prærogatiua uentum est. Sed quid agimus? non his argumentationibus stat recta fides, Vici, fudi hostes, imperiū teneo. Si sic licet arguere, uera fuit sub Alexandro Magno, tot uictorijs illustrato, & sub eius successoribus religio, qui & in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Aegypto, & in Libya, et in Persida, et in Scythia, & in Indis regnauere, imperio per arma quæsito. Vera etiā Romanorū fides usq; ad priorē Constantinū, qui orbē sibi ferro subiecerunt, et omnes domuere quas adiere gētes. Scimus tamē & Alexandrū et eius hęredes, et Romanos, et qui sub eis erant, Iudæis exceptis, idola coluisse: alij Iouē, alij Martem, alij Mercuriū, alij solē et lunā, et alij sidera. Multi etiā, ut Aegyptij, animalia bruta colebāt. Quis nescit (inquit unus ex poetis) Volusi Bithynice qualia demens Aegyptus portenta colat, Crocodilon adorat. Et quòd stultius fuit, & auiū, et porros & cepe inter numina posuerunt. Præclaræ tamen Aegyptiorū uictorię memorantē, sicut de Osiride proditū est, qui uictū peragrauit orbē. Ergo & deos Aegyptiorū recipiemus, & uerā eorū religionē fatebimur, quia uicerunt? Nō sic ratio suadet, neq; sic Iudęi sensere, qui uicti ab Assyrijs, & ab Antiocho, et à Romanis, et in seruitutē ducti, non tamen uictorū leges de dijs acceperūt, sed uicti et angariati, et mille modis oppressi, in sua lege manserūt. Nec nos Christiani, cum prælio superamur, aut alijs calamitatibus affligimur, legem nostrā aut relinquimus, aut accusamus: sed arbitramur pium Deum nos tanquam filios propter peccata, quæ committimus, uerberare: quia nō paremus Euangelio, nō seruamus legē nostram, neq; manemus in traditione sanctorū patrū, sed uicti fragilitate aberramus, & labimur ut homines. Ipse uerò lapsos corrigit, & plagis multis nostras

*Victoriæ successu non declarari ueram religionem.*

*Iuuenal. Satyra 15.*

iniquitates emendat. Cognoscimus errata nostra, & considerantes quæ fecimus, minorem esse pœnam quàm delictum non ignoramus. Si cadimus in bello, si amittimus regnũ, si iugo seruitutis opprimimur, dicimus cũ Daniele propheta: Deum esse in cœlo, qui releuat mysteria, mutat tempora, & transfert regna, ut uniuersi cognoscãt, quòd dominatur in excelsis in regno hominũ: & cui uoluerit, dabit illud. Nouimus Deum & Iudæos & Christianos posse cum uelit, et uoluisse aliquando, alterius sectæ hominibus subijcere, propter offensas populi, qui eum ad iracũdiam prouocauit: sed conuersi ad Deum, non desperamus misericordiam consequi. Quamuis enim irascitur Deus (ut inquit propheta) non tamẽ obliuiscitur misereri. Pius est et benignus, nec deserit clamantes ad se. Absit autem ut propter uictoriam, meliorem esse credamus religionẽ uictorũ. Sic enim fatendum esset, omnes qui uicerunt Hebræos, melius de Deo sensisse quàm ipsi uicti, quod neq; tu diceres, neq; tuus legifer, qui defensionẽ suæ traditionis in armis collocat, & omne genus ratiocinationis effugit, maximum iniquitatis iudiciũ. Non sic beatus Petrus, qui donatus à Christo domino cœlestis regni clauibus, & pastor constitutus gregis Christiani, paratũ se ait rationem omnibus reddere de ea quę erat in eo fide, nec aliter suos auditores edocuit. Et beatus Laurentius martyr: Mea uox, inquit, obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et in euangelio non probat Dominus eum qui lucernã accendit, & sub modio ponit, sed super candelabrũ eam esse uult, ut luceat omnibus qui sunt in domo: & prędicari uerba sua super tecta iubet, & de seipso dixit: Ego palàm locutus sum mundo. Deceptores & pseudoprophetæ in angulis prædicant, et uolunt occulta esse quæ dicunt, aut iuramẽta taciturnitatis exigunt, sicut Romæ accidit in his qui bacchanalia celebrant. In occulto enim Deo suo sacrificantes, nullũ flagitiũ libidinis omittebant. Quod si alia non essent aduersus tuã legẽ iudicia, hoc unũ sufficere potuit: quia prohibuit eius lator in disputationẽ uenire. Sciebat nõ equa esse, neq; uera, quæ tradiderat: uidebat ueterẽ & nouã legẽ cõtra se stare, intuebatur philosophorũ acutissimas rationes sibi aduersas esse: nec sperauit in cœtu hominũ aut in scholis uirorũ excellentiũ sua deliramẽta posse defendi. Animaduertit homo sagax & ingeniosus in malo, gentiles qui Deos colebant, dãnatos esse, & iam propemodũ exterminatos, nec Iudæis locũ esse quorũ lex translata esset cũ sacerdotio ad Christianos. Cumq; statuisset nouam legem, idemq; sibi nomen daret, sperauit quod modò euenit, iratũ Deum Christianis, qui suæ legis mandata transgrediebãtur, aduersus transgressores uictoriã cõcessurũ: atq; idcirco suæ legis defensionẽ in armis collocauit, quã alioquin hominib. gratam propter licentiã uoluptatũ non ambigebat. Diaboli hoc fuit inuentum. Antiquus hanc uiam suæ nequitiæ serpens excogitauit, qui cũ uidisset sese procul eijci, & Christiana religione augescẽte, idola deleri, nec amplius deorũ multitudini locũ esse, sed unũ tantũ Deum adorari cũ patre & spiritu sancto Iesum Christum, Heraclio imperante, Mahumetis spiritũ excitauit, eumq; sibi ministrũ elegit, hominẽ ritu prius idololatrã, fortuna paupere, mente superbum, natione Arabem, qui consilio usus quorundam Iudæorum & Christianorũ peruersorum, inter quos fuit Sergius, spiritu ambitionis inflatus, legem tertiam edidit, ex ueteri & noua conflatam, multis ineptijs extrinsecus adiectis. Legem diximus, quia legẽ uocat: nos blasphemiam rectius appellamus. Rugasti frontem, auertisti oculos, horruisti, turbatus es, subiratus es, dum hęc dicimus: at si ueritatis amicus es, audienda est ueritas:

*Daniel. 2*

*Religio non semper melior penes uictores.*

*Luc. 11*

*Matth. 10*

*Mahumet de lege sua disputare cur prohibuerit.*

*Mahumetanæ sectæ origo.*

*Sergius monachus.*

ueritas: neq; tuus legiser, si tibi amicus est, ueritatẽ interdicet, quæ tanto magis amica est, quãto salubrior homini, ac ipsa natura cõuenientior. Audi uerum, & disce quomodo sit appellanda lex. Legẽ dicũt esse philosophi, quod ratione præcipitur: & sunt qui nil aliud legẽ esse affirmãt, quàm rectã rationem, à diuino numine ductam. Quicquid igitur rationi aduersum est, legis nomine caret. At tuus legiser ratiocinari de sua lege prohibet, & solum arma illi suffragari uult. Non est igitur dicenda lex, nisi ex illis quarum conditores apud Isaiam dominus maledicit. Docet nos Dauid cognoscere legem Domini, dum ea quæ propria sunt exponit. Attende, & uidebis an Mahumetea lex de cœlo sit, & à numine tracta diuino, an aliunde. Lex Domini (inquit propheta) immaculata, cõuertens animas: testimoniũ Domini fidele, sapientiã præstans paruulis. Immaculata est lex Domini, quia mala quæque excludit, neq; libidinẽ, neq; turpitudinẽ ullam admittit. Sic apud eundem prophetam: Eloquia domini casta dicuntur, & apud Iob legitur: Non inuenietis in ore meo iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Et apostolus: Lex sancta, inquit, & mandatũ sanctum & iustũ & bonum. At quomodo Mahumetea lex immaculata, quæ stupra & adulteria, & omnes libidinũ maculas ac fœditates admittit? Dices, quia ieiunia quędã præcepit, & orationes, & eleemosynas. non damnamus hoc, absit ut ea mala dicamus: inuentorẽ eorum Mahumetẽ esse negamus, absq; Mahumete sciebamus hæc esse bona. Ieiunauit Elias, ieiunauit Christus: orare & frangere esurienti panem suum, et egenos et uagos in domũ ducere, multo antiquius est, quàm tuę legis inuentũ. Multi nos legislatores ad opera pietatis inuitarunt. Verùm adulterari, fornicari, seruire uentri, & in cœno uoluptatũ iacere, solus tuus legiser inter bona collocat. Solus Mahumetes est qui turpia docet, & flagitia præcipit: quãuis hæreticorum more, ut facilius decipiat, bona simul & mala cõmiscet. At lex quæ Domini dicitur, ut inquit Propheta, animas conuertit. Quò cõuertit? ad Deum, cõuertit ad suũ creatorẽ, ad summũ bonũ, ad ultimũ finẽ: at lex Mahumetea nõ cõuertit ad Deũ, sed auertit ab eo. Dicit enim dominus Deus: Estote sancti, quia ego sanctus sum. Mahumetes, Vxores (inquit) ducite, et cõcubinas quot placet: nã ego quadraginta uirorũ in meis lũbis uires habeo, & uxorib. atq; ancillis permisceor plurimis. Quid de testimonio fideli? Cũ data est Moysi lex domini in monte Sinai, fulgura et coruscationes apparuerũt et signa de cœlo, quę testimoniũ legi præbuerũt. Lex Christi miraculis admodũ multis confirmata est, dicente ipso: Si opera nõ fecissem in eis, quę nemo alius fecit, peccatũ scilicet infidelitatis nõ haberẽt. Et propterea de ueteri, quæ cõuertit ad suum creatorẽ ad summũ bonum, et noua lege inquit Dauid: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Et in Euãgelio Lucę circa finẽ legimus: Illi profecti prędicauerũt ubiq; dño cooperãte, & sermonẽ cõfirmãte sequẽtibus signis. At Mahumetis legẽ, quę signa, quę miracula probãt? audiamus eũ: Nõ sum missus, inquit, nisi in uirtute gladij: & qui nõ susceperit meã prophetiã, occidatur, aut reddat tributũ, preciũ pro infidelitate sua. Quid est hoc? nunquid manifestè negat se miraculorum uirtute carere, et ficta falsaq; esse omnia signa demonstrat, quæ tuæ legis doctores in populis prędicãt? Nõ habet igitur tua lex testimoniũ, nisi in armis: sed id nõ est fidele, ut antè docuimus. Ad ultimũ transeamus, & quomodo sapientiã præstet paruulis, id est populis tua lex, animaduertamus. Sapientia (ut antiqui tradiderũt) diuinarũ & humanarũ rerum scientiã continet, estq; admodũ sapida et dulcis, dum amorẽ diuinitatis

*Lex quid.*

*Psalm. 18.*

*Psalm. 11.*

*Iob. 6.*

*Roman. 7.*

*Mahumeticæ legis quædam bona.*

*Leuit. 19.*

*Ioan. 15.*

*Psalm. 92.*

*Sapientia.*

mentibus

mentibus noſtris inſtillat, propter quod inquit Pſalmographus, Quàm dul-
Pſalm. 118. cia faucibus eloquia tua ſuper mel ori meo. Tua lex neq; de Deo ſapit, neq; de cœleſtibus, neq; terrena ſatis intelligit, quæ putat ſuperis curæ non eſſe. Magna olim & florida in Alexãdria philoſophorũ ſchola fuit, & multi per Syriam & Aſiam uiri doctiſsimi claruerunt, quorũ nomina ad nos uſq; peruenerunt. At poſtquam lex Mahumetea curſum habuit, pauciſsimi nominantur, qui naturæ arcana perſcrutati, excellentes euaſerint: quia non præſtat paruulis ſapientiam tuus propheta, aut tua lex, cuius fundamentum uoluptas eſt, & tutela gladius. Inter nos uerò liberalium artium ſtudia admodum florent. Legitur publicè philoſophia, auditur in ſcholis theologia, nullum doctrinæ genus prætermittitur, gymnaſia literarum in pluribus Italiæ ciuitatibus clariſsima reperiũtur, nec trans Alpes in Hiſpania, in Gallia, in Germania, in Britannia, collegia deſunt uirorum excellentium, qui ſapientiam præſtant paruulis. Eſt enim ingens Chriſtianorũ cura, ut indocti erudiantur, & ueritatem intelligant in noſtra lege, quæ nunquam mentita eſt, diuinitus comprehenſa. Ac legifer tuus nõ modò mentitur, ſed leuiter, ſed indoctè, ſed imprudẽter, ſed inſipidè mentitur, & ſibiipſi ſæpe contrarius eſt: quẽadmodum ſuæ legis inſpector planè intelliget: innumerabiles ſunt eius ineptiæ, & aniles fabulæ, & pueriles nugæ. De quibus libet hoc loco pauca referre, quæ de cæteris iudiciũ prębeãt. Exponens Mahumetes capitulum Alcorani quod dicitur filiorũ Iſrael, in hãc ſententiã loquitur: Sit laus ei, qui ſeruum ſuum ab oratorio (quod eſt Helcarata, ipſa eſt domus Meſche) uſq; in oratorium ſanctæ domus Hieruſalẽ nocte una tranſtulit, circa quam benediximus Deum. O uos homines audite et intelligite. cum abiì à uobis, uenit ad me Gabriel ſerò poſt pſalmodiam ueſpertinam, quę ultima eſt, & ait: O Mahumetes, iubet Deus ut ſe adeas. Cui reſpondi, Et ubi eum adeam? Et ait Gabriel, Vbi ipſe eſt. Et iumentũ illico adducit magnitudine inter aſinũ & mulum: Elberahil uocant, humanæ uocis capacem. Et una non amplius hora iter egi annorum quinquaginta millium. & ait Gabriel: Aſcende animal, & ito ad ſanctam domum. aſcendere uolentem, fugiebat iumentum, & iuſſum eſt ſtare, quia Mahumetes aſcenſurus eſſet. Nunquid accerſitus eſt? inquit. Et reſpondente Gabriele, accerſitum eſſe: Non ſinam, addidit, niſi pro me Deũ rogarit. Obtuli preces Deo meo pro iumento, quod me inſidente ſuaui ingreſſu inceſsit, ponens ungulam pedis anterioris in orizonte ſui uiſus, & minori ſpacio quàm ictus impletur oculi, ad ſanctam domum perueni. comes aderat Gabriel, qui duxit me ad domum ſanctam in Hieruſalem, & uicinam rupem. dixitq;, Deſcende, quoniam ex rupe ad cœlum aſcendes. & colligato illuc iumento, portauit me humeris ſuis in cœlum. Et cum applicuiſſemus ad cœlum mundi, & ad portam eius, pulſauit Gabriel. & quæſitum eſt, Quis eſſet? & reſpondit Gabriel, Ego ſum. Et iterum quærenti, Quis tecum adeſt? reſpondit, Mahumetes. & ſubdidit ianitor: Nunquid uocatus? Et ait Gabriel, Vocatus. Et aperta eſt porta, & uidi angelos, & bis genua flectens, orauì pro eis. Et accepit me rurſus Gabriel, & uexit ad ſecundum cœlum, & fuit diſtantia inter cœlum & cœlum, quantum eſt iter quingentorum annorum. Et ſicut in primo cœlo, ita in hoc cœlo pulſatum extitit: & rurſum pari ſolennitate ad ſeptimum uſq; cœlum procedit, æquã cœlorum diſtantiam ponens. Et ait, in ſeptimo cœlo uidiſſe ſe angelorum populum, & longitudinem angeli cuiuſq; inſtar mundi fuiſſe, & aliquorum mille uicibus extenſiorem, & inter eos unum inueniſſe, cui ſeptiescentena

*Turcarum barbaries.*

*De Mahumeti raptu in cœlum fabula.*

centena mille millia essent capita, & in quolibet capite totidē ora, & in quo libet ore linguæ totidē, quæ septingenis mille millib. idiomatibus laudabāt Deum. Et rursus alterum angelū ostendisse, qui fleret, & quęsiuisse caussam fletus: et cum ille dixisset culpas esse, orauí pro eo. Et tū cōmendabat me Gabriel alij angelo, & ille alij, donec fui in cōspectu Dei, & tribunali eius adhę si, tetigitq; me manu sua deus inter humeros, & frigiditas manus eius peruenit usq; ad medullas dorsi mei. His nugis atq; deliramentis implet Mahumetes aures populi. Sed audiamus alteram fabulam in lib. cui titulus est De doctrina Mahumetis. Duo angeli nominantur Arathes & Narathes, quos ille asserit iussu Dei in terrā descendisse, ut genus humanū regerent atq; instruerent, tribus mandatis acceptis. Primū, ne quenquā occiderēt: alterū, ne quid iniustè decernerent: tertiū ne uinū biberent. Cū aliquandiu rexissent, & iam ex toto orbe ad eos iudicia deuoluerentur: mulier quædā decenti forma, & omniū pulcherrima, aduersus maritū suum caussam habens, iudiciū ab eis petijt, atq; ut fauentes haberet iudices, ut apud se prandiū habeāt, multis precib. inuitat: nō abnuunt angeli, paratur splendidū conuiuiū, epulas et pocula mulier ipsa ministrat. apponūtur fercula multiplicia, & cū his uinū. Quod cum angeli recusarent, instante sæpius muliere, & multas obijciente blandicias, tandē biberunt, & inebriati uino, in hospitā incaluerunt, eiusq; cubitū postularūt. spondet mulier ea cōditione, ut alter eorū ei ascensum in cœlū ostēderet, alter descensum. Placet cōditio. Illa, ut ita didicit, mox ascendit in cœlū, relictis atq; irrisis angelis. quā Deus recognitā inter sidera collocauit, cui Lucifer est nomē. Angeli ad iudicium euocati, catenis ferreis in puteo profundissimo religati sunt, usq; in diem iudicij permansuri: cum elegissent in hac potius uita, quàm in altera plecti. Hæc est sapientia Mahumetis, quam docet paruulos: hæc eius theologia, hæc doctrina diuinitus reuelata. Mira hominis audacia, ne dicamus stultitiā seu dementiā. Quod sunt in his fabulis deridenda somnia? Non obiurgamus iumenti uerba, quando & asinam sacræ literę loquutam produ̇t, & gentiles bouē. Sed quid est quod una hora iter quinquaginta millium annorū pergitur? Metire hæc, & diligenter cogita, an corpori nondum glorificato id possit accidere. Quō iuit, ubi fuit, quid circuiuit? Nō adhuc cœlū ascenderat, quibus in locis tantum spacij per agrauit? nec iumentū eum tulit? quis tulit eū? unde uenit? quomodo uenit? nihil horū dixit. Quid peccauerat iumentum, ut precibus egeret, cui nō est lex alia nisi naturæ, & illi pareret? quid ostiarius in cœlo collocatus, rogamine Mahumetis egebat? an non satis felix erat. Fortasse altius cupiebat ascendere? tanquam non sit illa perfecta hominum beatitudo, & regnat adhuc ambitio. Distantiam cœlorum ostendit, & sphęrarum quanta sit crassitudo demonstrat, quingentorum annorum iter ex cœlo in cœlum ponit, & párere omnium spissitudinem, quid hoc? quis credat gentilium fabulis? simile somnium est. Aiunt illi Dionysidorum quendam geometriæ scientiæ nobilem in patria senectam diem obijsse, propinquos funus ei duxisse, ad quos pertinebat hæreditas. hos cōsecutis diebus cum iusta peragerent, inuenisse in sepulchro eius epistolam Dionysidori nomine ad superos scriptam, quæ diceret, eum à sepulchro ad infimam peruenisse terram, esseq; illuc usq; quadraginta millia stadiorum. Nec defuerunt geometræ (ut Plinius ait) qui interpretarentur, significare epistolam à medio terrarum orbe missam, quo deorsum à summo longissimū esset spacium, & ibidem pilæ mediū, ex quo consecuta computatio est, quæ circuitū terræ, id est totius pilæ ambitū, ducenta quinqua-

*Alia fabula de duobus angelis*

*Lucifer.*

*Fabulæ prioris absurditas declarata.*

*De Dionysidoro fabula.*

quinquagintaquinq; millia ſtadiorum pronunciauit. Sed harmonica ratio, quæ cogit rerum naturam ſibi ipſum congruere, (eodem Plinio teſte) addit huic menſuræ ſtadiorum ſeptem millia. Eratoſthenes huiuſmodi rerum ſolertiſſimus indagator, uniuerſum terræ ambitum ducentorum quinquaginta duorum millium ſtadiorum prodidit. Hipparchus ſtadiorum paulo minus uigintiquinq; millia adiecit. reperiuntur & aliorum ſententiæ admodum diſſonæ, neq; in hanc uſq; diem mortali cuipiam ſatis exploratã credimus terræ menſuram, cuius neq; ſeptentrionẽ, neq; meridiem uerſus cogniti fines ſunt. At tuus legifer maiora concepit animo, qui tanquam cœlum aſcenderit, quingentorum annorum itinere diſtare cœlum à cœlo prodidit, quoniam tanta eſſet craſſitudo ſphærarũ. Hoc idem aſſerit Rabbi Moyſes Hebræus genere philoſophus, qui apud Aegyptios claruit. At philoſophi quos noſtri probant, non ita ſentiunt: nec Ptolemæus Alexandrinus aſtronomorum facile princeps, de craſſitudine lunaris ſphæræ cum tua lege concordat, in qua iter annorum ſexagintanouem, & aliquorũ menſium ac dierum poſuit, milibus paſſuũ uigintiquinq;, ſeu ſtadijs ducentis pro qualibet die cõputatis. Alij uerò aſtronomi, qui hæc diligenter indagauerunt, ſphæram ſolis pluſquam ſexcentis uicibus ſuperare lunarem tradiderunt. Rurſuſq; Martis ſphæram, quamuis ſole altior eſt, & longè maiorem habet ambitum, ſpiſsitudinem tamen multis uicibus ſuperari. Improbum humanæ mentis auſum, uerùm ita ſubtili argumentatione cõprehenſum, ut pudeat aliquos non credere. plurimi hæc incerta reſpuunt. Tuę legis latori fortaſſe credendum fuerit, non quia illuc angelo bono deferente conſceuderit, ſed quia cũ peruerſo ceciderit. Quod ſi hac de cauſſa fidem expedit, credimus. alioquin cũ ſacra ſcriptura dicimus: Cœlũ ſurſum, et terram deorſum, et cor regis inſcrutabile eſt. Sed alia percurramus. Angelos mundo ſe maiores uiſſe affirmat, eoſdemq; corporeos. Si mundo maiores angeli ſunt, neceſſarium eſt aliquam eorum partem extra mundum eſſe. At philoſophi mundi circumflexu omnia contineri dicunt, neq; quicquã extrius eſſe. Tuus legifer quando aliquid ſolito plus adbibit, ſopori dedi tus, quicquid ſomniauit, pro uero retulit, & omnia ſibi licere putauit: quo errore & angelos corporeos, & peccare, & egere uenia, & ſe rogaſſe pro eis dixit. Simili ſomnolentia tactum ſe ſuper humeros affirmauit manu Dei, cuius gelu uſq; ad dorſi medullas penetrauit: quæ omnia ſuperius cõfutata ſunt. Quis illud patienter audiat, quod angeli Dei uino inebriati, ſpecie mulieris decepti, concubitum eius appetierint? quæ iter in cœlũ edocta, ad conſpectũ magni Dei peruenit, & honorificè accepta inter aſtra locum obtinuerit: angeli pœnas dederint, atq; idcirco uinum homini interdictum, quod tanti mali cauſſa fuerit. Cõmemorat hæc tuus legifer, & tanquam ex penu Dei recepta hominibus inculcat. Vide quàm grauiter, quàm uerè, quàm peritè loquitur. Poëtarum figmenta, quæ pueris leguntur, inter arcana legis inſerit. Pueri noſtri non ſine riſu audiunt, cum raptæ in cœlum fœminæ referuntur, & in aſtra commutatæ, quæ maior & minor urſa uocantur, pigri circum ſarraca Bootæ lucentes. Credimus pro tua ſapientia te iam paruí facere, atq; contemnere tuę legis figmenta. Sed miraris uehementer, quod indies aliqui relicto dogmate Chriſtiano ad tuum migrant, & aſſerentes iniquam legem noſtram, amplexi tuam, circumciduntur, & tuis initiantur ſacris: & qui trinitatem prædicabant, nunc deteſtantur: & qui Chriſtum crucifixum colebant, & laudabant, nunc deridẽt. Sunt qui hoc agunt, non dubitamus. Sed quibuſnam homines?

*De terræ ambitu opiniones.*

*Rabbi Moyſes.*

*Lunaris ſphæræ craſſitudo.*

*Solaris. Martiꝰ.*

*Angeli an mũdo maiores.*

*Fabula de angelis confutata.*

*Chriſtianorũ ad Turcam defectio.*

homines? sanè aut libidinis serui, aut ambitionis, & quibus nullus erat locus in nostra lege, spreti à nobis, & electi tanquã uilia & inutilia mãcipia ad te transiuerunt, nec tamen illos inextinguibilis conscientiæ uermis rodere cessat. Quòd si posses eorum introspicere corda, intelligeres proculdubio eos aut uitæ futuræ spem nullam habere, aut admodum esse anxios, quia fontẽ aquæ uiuæ reliquerunt CHRISTVM IESVM, & nesciũt quo pacto redeãt, maius suum peccatum existimãtes, q̃ Dei misericordiã. Sed quid miraris, si ad opes cõsequendas, ad uoluptates exhauriendas nõnulli tuæ legi sese subijciũt? Non est hoc nouũ, nec dignũ admiratione. Idem quoq; & Saraceni faciũt, qui sæpe ad nos migrãt. Illud est mirabilius, illud stupendũ, illud magnopere celebrandũ, quòd tot milia philosophorũ Christiano insignita nomine sub tuo imperio degunt, grauia tributa pendunt, nunc liberis priuantur, nunc coniugibus opprimuntur, durissima seruitute lacerantur, uexantur mille modis, nec tamen Christianæ legi renunciant. Quòd si tuã acciperent, nullius ferrent impetũ, mitius ferrent imperiũ, fierent liberi, honores & opes sperare possẽt. Sed malũt tolerare seruitutis iugũ, & in squalore ac miseria uiuere, quàm Christum negare. Hoc stupendum est et diuinũ opus, et quod te præcipuè mouere debet, non quòd pauci à nostra lege aberrent, sed quòd tã multi in ea perseuerent. & quod tanta sit uel in aduersis cõstantia, miraculũ est. Facit hoc bonitas legis, et securitas æternæ uitæ, quam nemo sapiens præsenti postposuit. Quid tu hic dicas? quid contrà hiscere, aut mutire poteris? Vera est Christiana lex ex utero recepta Mosaicæ, ex prophetis, ex diuinis oraculis: deus autor eius est, filius Dei eã tradidit, ex ore Dei manifestata est, pura est & nitida, & immaculata, & sancta, perfecta ex omni parte, nullã habet rugã, nusq; deficit, nusquam claudicat, in ea qui quærit, inuenit: qui petit, accipit: & pulsanti aperiet. Ipsa est fons clementiæ, iustitiæ culmẽ, pietatis speculũ, mansuetudinis & misericordiæ plena: pro ea martyres innumerabiles sunt occisi, senes, iuuenes, pueri, matronæ, uirgines, uiduæ, innuptæ puellæ, crudelia carnificum non expauere tormenta, sciẽtes beatos esse mortuos qui moriuntur in Domino. Præterimus signa & prodigia, quæ certitudinem Christianæ legis ostendãt. Quis uiros commemorare queat ex Christiano genere, diuini & humani iuris excellentissimos professores, uerè mundi lumina, scientiæ fontes, qui usq; ad mortẽ in fide Christi perseuerantes, præclara uolumina ediderunt, quæ tanquam sidera quædam doctrinæ humanas mentes illustrant? Et quæ nam ullo in loco lex est, quæ alterum habeat Augustinum, alterum Hieronymum, alterũ Ambrosium, alterum Gregorium? Et ne Græcos prætereamus, quæ religio uirum unquam habuit qui Origeni comparari posset? quamuis hic in plerisq; locis errauit. Quis Ioanni Chrysostomo æquabitur? quis magno Basilio, quis Cyrillo, quis Eusebio, quis Gregorio Nazanzeno? Non sufficiet dies, si numerare pergimus illustres nostræ legis doctores, siue uiuos, siue mortuos: quamuis non sint mortui, sed nunc maximè uiuunt, & tanquã stellæ in firmamento lucent, qui fidem sacratissimæ trinitatis eluciderunt. Quid dicemus de religiosis domibus, in quibus angelica ducitur uita, & pro peccatoribus assiduè effunduntur preces Domino, nec unquam cessant diuinæ laudes ac psalmodiæ. Benedictus Nursiensis apud nos multorũ monachorum doctor & pater extitit, apud Græcos Magnus Basilius. Secuti sunt Bernardus abbas Claræuallis, & Bruno qui Carthusiam instituit. quotidie sanctorũ uirorum apud nos augetur numerus, ædificantur noua monasteria, & sancta renouantur instituta. Quos fructus edidit Seraphicus Franciscus, eximius paupertatis amator, in Vmbria (quæ pars est Italiæ) natus? Quot eum discipuli secuti sunt, quot sub eius regula uiri sanctissimi floruerunt? Antonius Pataui iacens, miraculis clarus: Bernardinus Senẽsis in Aquila, quẽ nostra ætas quasi alterum Paulum prædicantẽ audiuit.

*Multi Christiani etiamnũ sub Turcæ imperio.*

*Christianæ legis ueritas.*

*Religionis Christianæ doctores præcipui.*

*Monachorum anteſignani.*

Nicolai Lyrani extãt opera, quæ omnes admirantur. Dominicus in extremis Hispaniæ natus oris, quasi alius uesper emicuit, qui nouum quendam sanctum & nitidum uiuendi morem suis auditoribus tradidit, & Prędicatorum institutа regula, uniuersum illustrauit orbem. Multi ex discipulis eius clarissimi euaserunt, sed præcipua est magni Alberti fama, qui nullum doctrina genus ignorasse creditus est: nec minor eo Thomas Aquinas fuit in literis, etsi maior extitit in sanctitate. Claruit & meo seculo sub eadem regula, Vincentius Hispanus, quem noster antecessor inter sanctos Christi confessores retulit. Et in ordine diui Augustini Nicolaus Tolentinas, paulo antè inter cœlestia relatus sanctorũ agmina. Noua indies prole florescit nostra religio: quòd si non desunt peccatores diuinam prouocantes maiestatem, non desunt etiam conciliatores uiri sancti Deo accepti, & uirgines immaculatæ, precibus assiduis diuinã iram auertentes. Nec timemus ruinam, tantis adiuti patrocinijs. Tu ergo princeps nobilis, qui non es rationis incapax, nec̨ ingenij obtusi, collige quæ diximus, & conserua in mente tua, & consule tibi & tuæ genti: & noli esse incredulus, sed fidelis: relinque tenebras, & lucẽ sequere. Intelligis quo pede claudicat tua lex, & quantis scatet erroribus, & quàm procul à ueritate recedit, & quòd non est in ea salus, & nouæ et antiquæ legis inimica. Intelligis quàm solida est euangelica doctrina, quàm uera, quàm sancta, quàm munda et immaculata, & quòd ea tantum iter in cœlum ostendit, & non alia. Intelligis, si uerba nostra memoria tenes, quòd trinitas in unitate, & unitas in trinitate colenda est, ne que altera contradicit alteri. Intelligis, quo'nam modo pater sibi filium æqualem genuit, & quomodo à patre & filio sanctus procedit spiritus, qui est charitas & amor, & simul colendus est, & deus est: & quòd filius pro nostra salute incarnatus est, mortem tulit: & spoliato inferno, tertia die resurgens, quadraginta diebus cum discipulis conuersatus, ascendit in cœlum, sedetq̨ ad dexteram patris, uenturus in fine seculi iudicare uiuos & mortuos. quo facto, mali perpetuò pœnam ignis subibunt, boni æternam beatitudinem consequentur: non in carnalibus desiderijs, aut impudicitijs, non in cubilibus, sed in dulcedine mentis & in charitate Christi, quæ superat omnem sensum. Ante omnia uerò monstratum est, non posse te assequi inter Christianos gloriam, & potentatum quem uideris optare, maximè apud Europæos et occidentales populos, dum tua in secta perseueraris. Quòd si uelis Christianis initiari sacris, magnam tibi spem fecimus & potentiæ & gloriæ. Memento igitur uerborum nostrorum, & accipe fidele consilium, sume baptismum Christi, & lauacrum spiritus sancti. Amplectere sacrosanctum euangelium, & illi te totum committe. sic tuam animam lucrifacies, sic Turcarum populo bene cõsules, sic tuæ cogitationes adimpleri poterunt, sic tuum nomen in secula celebrabitur, sic te omnis Græcia, omnis Italia, omnis Europa demirabitur: sic Latinæ telitæ, sic Græcæ, sic Hebraicæ, sic Arabicæ, sic omnes barbaræ celebrabunt, sic nulla ætas de tuis laudibus cõticescet, sic pacis autor & fundator quietis appellaberis, sic te Turcæ animarum suarum repertorem, & Christiani suæ uitæ conseruatorẽ uocabunt. Syrij, Aegyptij, Libyci, Arabes, & quęcunq̨ sunt aliæ gentes extra Christi caulas, aut his auditis, tuam uiam sequentur: aut tuis, Christianis armis paruo negotio domabũtur. Et si noluerint in nostra lege te socium habere, experientur dominum in sua: nos te iuuabimus, & omnium eorum assistente diuina gratia legitimũ principem constituemus. Hæc sunt quæ tibi cum baptismo prę̨mia promittuntur, his te bonis diuina pietas proculdubio cumulabit obsequentem euangelio. Quòd si respueris consilia nostra, peribit tanquã fumus gloria tua, & tu more hominum reuersus in cinerem totus morieris. Christus regnabit in æternum, cui est honor & gloria in seculorum secula. Amen.

*Albertus magnus. Thomas Aquinas. Vincentius. Nicolaus Tolentinas.*

*Epilogus.*

FINIS.

Epistola

## EPISTOLA MORBISANI MAGNI
*Turcæ ad Pium Papam II.*

MORBISANVS, Hebræi & Gæsij, cum suis fratribus Cerabi Eiusbait imperatoris Organi collaterales pugiles in partibus Achere, magno sacerdoti Romanorum iuxta merita dilecto. Nuper auribus nostris intonuit, quòd in partibus Italiæ ad preces et postulationem populi Venetiarum, in basilicis uestris publicè facitis diuulgari, quòd quicunque sumpserit arma contra nos & nostros suorum in hoc seculo remissionem peccatorum, eisq; beatam uitam promittitis in futuro. Cuius rei ueritatem occulta fide decernimus, per aduentum quorũdam peditum Cruciferorum, qui nuper in Venetorum nauigio transfretarunt. Propter quod admirari cogimur uehementer. Quia dato, quòd à summo Tonante uobis esset data potestas absoluendi animas et ligandi, tamen adhuc maturius procedere deberetis, neque Christianos maximè Italicos, crucis charactere insignitos, inducere super nos: cum, secundum quod patres antè dixerunt nobis, populus noster Turcarum innocens fuerit mortis & iniuriæ Christi uestri: & cum terra & loca ubi sanctuaria uestra sunt, minimè possideantur per nos: imò populos Iudæorum exosos semper habuimus, & habemus, quia prout in historijs antiquis & chronicis nostris audiuimus, ipsi proditoriè et per inuidiam eundem Christum uestrum prophetam Ierosolymis tradiderũt præsidi Romanorum, quem in crucis patibulo mori fecerunt. Ac insuper admirari & dolere compellimur, quòd surgunt Italici contra nos, cum latens amor nos incitet ad dilectionem ipsorũ, eo quòd ipsi & ipsorum magnalia & parentes à Troianorum sanguine processerunt, quorum autorem fuisse scimus ueraciter Antenorem & Aeneam de sanguine Priami procreatos, in cuius locũ ducturi sumus imperium in partibus Europæ, secundum repromissiones à dijs nostris, quas patres nostri habuisse noscuntur. & Troiam magnam intendimus restaurare, & ulcisci sanguinem Hectoris, ac Ilionis ruinam, nobis Græcorum imperium subiugando. & iniurijs deæ nostræ Palladis factis eosdem punire in transgressorum hęredes. Insuperq; intendimus Cretam et alias marinas insulas, quas Venetorum populus antedictus extorsit à nobis, imperio repromisso totaliter uendicare, easq; nostræ subijcere iurisdictioni. Idcirco prudentiam uestram attentè requirimus & rogamus, quatenus epigrammatibus uestris per terras Italiæ missis, ad instantiam supra dicti populi Venetorum silentium imponatis, non prouocantes contra nos amplius sub pietatis specie populum Christianũ, cum erga uos & ipsum nullam guerram propter crudelitatis differentiam habeamus. Cum enim nihil nobis referat, si ipsum colitis Christum, quia et nos ipsum reputamus fuisse prophetã: neq; enim ex lege ipsius, prout audiuimus, potestis aliquem ad crudelitatem compellere. Si autem lis aliqua uel discordia orta est inter nos & populum Venetorum: hoc accidit, quia ipsi indebite nullo iustitiæ muniti colore, sub Cęsaris nomine, uel alterius monarchæ, cui ex lege aliqua temporalia sint promissa, sed sua superbia ac temeritate, iamdudum quasdam marinas insulas & alia loca, quæ nostro (ut suprà diximus) sunt repromissa imperio, crudeli tyrannide subiugarunt. Quæ tolerare non possumus, cum futurum tempus nostræ repromissionis instat: propter quæ & alia potestis meritò ab incœptis desistere: & specialiter, cum audiuerimus ipsum populum Venetorum fore alienum à uita et moribus Romanorum, quia nec secum legibus uiuũt, nec moribus cõuertuntur, sed se solos æstimant cunctis circumstantibus populis meliores, quorum insaniam superbiamq; deorum nostrorũ & summi Iouis auxilio ad extremum deducemus. Alioquin si uestra prudentia non desistat, ampliare curabimus uires nostras super eo diuini imperatoris Organi auxi-

lio, & aliorum orientaliũ regum & principũ, qui simulant se hodie dormire, quorum muniti præsidio, trahemus à finibus terræ armatorum acies copiosas, per quas non solũ contra uestros pedites Cruciferos resistemus, uerũ etiã si cõtra nos Romanam ac Germanicã & Gallicam militiã prouocetis, intendimus hostiliter obuiare: ac demum fauente Mercurio, per mare Ponticum & Dalmatiam cum innumerabili nostro nauigio Euri flatibus perducti, intendimus pertransire: & septentrionalem plagam, præsertim Croaciam & Dalmatiã, uisitare. Datũ anno Mahumeti septingentesimo quadringentesimo quinto, in introitu mensis haslen.

# ORDINATIO POLITIAE TVRCARVM DOMI ET FORIS, EX ORATIONE HORTATORIA ad bellum Turcis inferendum: quam uir in rebus magnis diu cum gloria magna uersatus habuit ad Maximilianum Cæsarem.

*Othmanus rex.*

TVrcarum gens ante pauca secula adeò obscura fuit, ut etiam ipsi nullas à se res gestas memoriæ dignas ante Othmanum, qui primus hãc gentem illustrauit, narrare possint. Et licet de origine eius apud autores parũ cõstet, eam tamen Scythicã esse, & mores & lingua haud dubiè demõstrãt. Plinius quoq; grauissimus autor, in Asia circa Mæotidem lacum, Turcas usq; solitudines saxosis conual lib. asperas accolere prodidit. In primis itaq; inopia rerũ coacti, uicinas nationes latrocinijs potius, quàm legitimis prelijs infestarũt. Mox crescente audacia, duce Othmano uiro bellicosissimo & callidissimo, non solũ ut prius rapinis & incursionib. sed iã aperto Marte contermínos populos inuaserũt. Cuius successor Orham, infeliciter cõtra Tartaros pugnans, cum multis populis gentis suæ occubuit. Post quem Amorath factus imperator, ubi ita imperium auxit, ut usq; ad Pontum longè lateq; fines suos extenderet, debitum naturæ persoluit. Succedit huic Bayazith, qui cum pari audacia finitimos populos inquietaret: captus tandẽ à magno Tamberlano, cũ ingenti clade gentis suę finẽ audacię suæ fecit. Post quẽ quatuor imperatores successerunt. Qui quamuis de gente Othmana nõ fuissent celebres, tamẽ bella gesserunt. nam Celeby multorũ populorum uictor, partem quoq; imperij Trapezontis subiugauit. Soleyman, cui Tamberlanus tributum rependit. Orhan secundus, qui multas urbes Asiæ & Ponti expugnauit. Muse autem, cum Orhanum dolo interemisset, magnam partem Asiæ in suam ditionem redegit. Post Musem culmen imperij ad gentem Othmanam rediit. Machomet itaque ex eadem gente potito imperio, Saracenos, Gordianos, Persas, Cappadoces uarijs prælijs fudit nomenq; Turcarum ita celebre fecit, ut iam gentes Europæ illud reformidarent. Cuius frater Amorath, qui primus Turcarum in Europam cum exercitu traiecit, multis regnis Europæ deuictis, memorabili illo prælio ad Varnam Vladislaum fortissimũ regem Hungariæ cum magna cæde populi Christiani debellauit. Huius res gestas filius eius Mahometus in tantum superauit, ut ad solis ortum & occasum plures terras, maria, insulas, populos, regna, imperio Turcarum solus ipse adiecerit, quàm omnes decem superiores. Cuius uictorias si quis uellet recensere, profectò maximam partem Asiæ & Europæ enumeraret.

*Turcarum latrocinia.*

*Regũ successio.*

*Machometh.*

*Amorath, Machometi frater.*

*Bayazith rex.*

Nec contentus filius eius Bayazith, qui hodie regnat, tantum imperium à maioribus suis partum cõseruare: sed plura castella & oppida in ditionem suam redegit, nec in dies cessat terminos imperij sui usquequaq; dilatare. Croacia igne ferroq; consumpta, et crebris incursionibus penè exhausta, nuper celeberrimum regnum Poloniæ inuasit: & abducens LX millia Christianorum, cum inaudita crudelitate uastauit,

uastauit & damnum intulit. cui nisi citò per maiestatẽ uestrã & cæteros principes Christianos succurratur, paulo pòst ipsi etiã hosti immanissimo erit miserãdum: et deinde quid mali ex ipsius ruina cæteris regnis ipsi adiacẽtibus immineat, optimè intelligere potest maiestas uestra. Sunt enim huic Bayazitho filij nouem, quorum nomina exprimere non pigeat. Est itaq; primogenitus filius eius Mahometh Celebi, qui hodie præses est in Amasia. Secundò genitus est Churchur Celebi, qui præses est in terra Charanian. Tertiò genitus est Synan Celebi, qui præses est in Domusly circa Rhodum. Quartò genitus est Ahmath Celebi, qui præses est in una ex prouincijs Gusunchasan, in Persia. Quintò genitus est Murath Celebi, qui præses est in Trapezuntha. Sextò genitus est Hally Celebi, qui præses est in Chapa. Septimò genitus est Hallamassach Celebi, qui præses est in Chestemoni. Reliqui uerò sunt in curia patris, quibus dominia hucusq; non sunt assignata propter infantiam. Et ut de ista pestifera progenie maiestati uestræ plenissima informatio detur, sunt ipsi Bayazitho filiæ octo, quarũ prima est uxor Ahmath Bascæ filij ducis Stephani de Bosna. Secũda est uxor capitanei laniciariorũ, quæ dicitur Agga. Tertia fuit uxor Vsunchassan, quæ hodie uidua est. Quarta est uxor Mustaphabegh, qui præses est ducatus sancti Sabbe. Quinta est uxor filij Tanth bascæ. Sexta est uxor Iusselahmath, qui præses est Vaulone. Septima est uxor filij Ieddiamath. Octaua est uxor Muscaphabegh, qui præses est Chrusentze. Nunc autem considerandi sunt prosperi successus & benignæ fortunæ huius pestiferi draconis, tam in amplificatione imperij, quàm in procreatione filiorum. Sed nemo miretur quo pacto res Turcarum ex angustissimis principijs tam breui tempore ad tãtum fastigium peruenerint, multitudinẽ enim principũ Europæ, odia atq; intestina bella iugiter inter eos, præcipuam causam esse crediderim. Ars quoq; militaris, qua quondam Lacedæmonij & Romani totum penè orbem subiecerunt, apud multos principes Europæ extincta est. At summa imperij Turcarum penes unũ principẽ habetur, uni imperatori parent, unus cuncta regit, unus omnes redditus possidet, & ut summatim dicam, unus tãtum dominus est: cæteri uerò mancipia, & ad libitũ eius periclitari possunt. Præterea disciplina militaris apud eos adhuc locum habet. Nullũ autẽ est discrimen uobilitatis, uel generis. Is namq; generosus habetur, qui fortior in bello extiterit. Is plura stipẽdia meretur, qui fortius dimicarit. Vnde præmia tanta milites strenuiores reddunt, ut unusquisq; cæteros fortitudine superare conetur. Vt igitur maiestas uestra liquidè cognoscere possit, cõtra quẽ hostẽ dimicatura sit, hoc cõmentariolo, stilo rudi ac crasso exponã, quibus magistratibus totum imperiũ & aula imperatoris Turcarum gubernetur, quanti sint ordinarij reditus imperij, quæ sint genera militũ, & numerus eorũ, modus qui sit construẽdi exercitũ, cum imperator ipse bello intereſt. A' gubernatione imperij exordium sumam. Summa igitur totius imperij tribus magistratibus gubernatur, quorum sumus est Quatuoruiratus, qui ipsorũ lingua appellantur Vesierbascia. Hi sunt principes consiliarij, qui quater in hebdomada sedent pro tribunali, in loco qui dicitur Duyan, ut audiãt legatos nationũ, & hominum supplicationes, quas imperatori referũt. Hi quoq; iudicãt causas, quorũ gratia prouocatũ est ad imperatorẽ. Et cum quis horum depositus aut defunctus fuerit, alter denuò substituit, ut sit semper magistratus Quatuoruiratus. Post quẽ sequitur magistratus Duumuiratus, qui dicit Beglerbeghi, principes præsidũ. Hi præsunt prę sidibus prouinciarũ. Et ut hic magistratus melius intelligatur, diuisio totius imperij hoc in loco recensenda est. Omnia itaq; Turcarum regna in duas partes diuisa sunt: oriẽtalia, quę nuncupatur Natolia: & occidẽtalia, quę dicitur Romania. Natolia sita est ultra Hellespontum quę cõtinet in se prouincias infrà scriptas, Bithyniã, Asiam, Cappadociã, Paphlagoniam,

*Bayazithi filij nouem.*

*Eiusdem filiæ octo.*

*Successus regni Turcarũ eiusq; causæ.*

*Monarchia Turcæ.*

*Imperij Turci administratio.*

*Imperiũ in duas partes diuiditur.*

goniã, et Cariã. Insulas uerò principales quatuor, Aeoliã, Ioniam, Lesbũ, et Smyrnam: quæ omnia nostro sæculo Turcarũ aduentu immutata sunt, & ad eorum lin-
*Linguarum genera.* guam accõmodata. In ipsa quidem Natolia ista sunt linguarũ genera: Græca, Itala Scythica, Armenica, Aggiamica, Cercafica, Zilsica, Egnasica, Menglorica, Vualachica, & Ruthena. Tenent itaq; totã Natoliam XXXVI. præsides uexillares, qui Turcarũ lingua dicunt Sangiarchę. ijs enim imperator autoritatem tribuit erigendi uexilla in proprijs prouincijs quib. præsunt. Quorũ quidẽ præsidũ residẽtię loca proprijs nominib. ad maiorẽ rei intelligentiã nominabimus, uidelicet Amasia, Trapezõta, Capha, Chestemoni, Bursa, Domusli uel Seteli, Sarchan, Karaman,
*Romania.* Vsunkassan, Aydimentes, Languri, Kermen, Enguri, Boliasiria, Eugheri, Iaia, Charasarchen, Ghenimussolni, Chesse, Mitili, Emittili, Syschup, &c. Romania uerò cõtinet prouincias istas: partẽ Daciæ, Thraciã, Dardaniã, Achaiã, Peloponnesum, Acarnaniã, Macedoniã, Epirum, Rassiam, & Illyriæ partẽ. Et ipsæ prouinciæ gubernatæ sunt per perfidos uexillares, siue Sangiarchos XXV. quorum loca
*Smederoua, siue Zendereu, circa Taurinũ.* residentiæ sunt ista: Kiliæ, Nicapoglię, Bdyngh, Callipoli, Sere, Salonych, Negroponte, Morea, Argnocastro, Iamane, Presrer, Oheid, Vocetorum, Costadin, Cernomẽ, Azigan, Scodri, *Smederouo, Bosna uerbo, Zonnya, Kruzẽze, Suonick circa Taurinum. Turcarũ itaq; regna in LXI. prouincias distribuuntur, & in qualibet sunt milites quibus agri assignati sunt, unde uiuũt qui Timari appellantur, de quibus postea mentionẽ faciemus. Beglerbegh ergo, siue princeps præsidũ, qui
*Prouinciæ regni Turcici.* libet in sua parte sine præsidib. imperat: uidelicet unus in Natolia, alter uerò in Romania, & si quæ discordiæ inter milites ortæ fuerint, ipsi discernunt, quorũq; iussa nullo pacto prędides retractare possunt. Et quia omnium possessionũ militarium collatio ad solum imperatorem pertinet, quilibet nihilominus Beglarbegh in suis prouincijs conferre potest, cui uult, possessionem ascendentẽ ad summã asprium
*Magistratus alij.* quinq; mille, hoc est ducatorũ centum. Per hos igitur tres magistratus tota summa imperij optimẽ gubernatur. Sunt prędterea alij magistratus, qui licet imperiũ nõ gubernent, tamẽ æquitatẽ & iustitiã tuentur, sine quibus nullũ imperiũ diu stare po-
*Pescherchadi iudices.* test, ad gubernationẽ imperij iura pertinere uidẽtur. Pescherchadi, summi iudices exercitus, qui duo sunt, unus Natoliæ, alter Romaniæ: qui iudicãt omnes causas, tã ciuiles q̃ capitales, pro quib. ad imperatorẽ prouocatio facta est. Quinetiam hi possunt retractare sentẽtias latas per imperatorẽ, si cõtra legẽ Mahometi latæ fuerint, quia secundum ipsius legẽ omnia iudicãt: quibus semper aditus ad imperatorẽ patet. Nec possunt præsidere huic magistratui, nisi ab origine Turcus fuisset, id est
*Muchti.* Musloman, uel circuncisus. Secundus magistratus nũcupatur Muchti, id est summus legis interpres: qui quũ de aliqua lege ambiguitas oritur, ipse discernit, & explicat, quid lex ipsa & iura uelint: cuius sententia non potest prouocari. Sunt etiã
*Moderis legis periti.* Moderis, id est legis periti & doctores, quos cõsulunt pro uarijs causis & necessitatibus. Sunt & Thephterderi, id est administratores rationum, quorum unus pro-
*Thephterdery.* curat rationes Natoliæ, alter uerò Romaniæ: qui magistratus eximiæ dignitatis habetur. Nunquam ab aula imperatoris discedunt, sicut & esi Verbastæ, id est cõsiliarij. Et quia de quæstoribus hic mentionem fecimus, subdemus etiã unde proue-
*Redditus imperij Turcici unde.* niant omnes reditus imperatori ordinarij, & quæ sit summa ipsorum. Ex uniuersa itaq; summa domus in imperio suo existente tam Christianorũ q̃ Turcarum, & aliarũ nationũ quę uiritim pendunt tributũ singulis annis: itẽ ex fodinis auri, argẽti, ferri, plũbi, & aliorũ metallorũ, ac ex Syla monetarũ tã in Romania q̃ in Natolia. Item ex aurifodinis in Chestemoni, & ex fodinis aluminis in Natolia. item ex Bonibare, Orehza, & ex uectigalibus serici in Bursia. Item ex piscibus salitis tã marinis q̃ fluuialib. Itẽ ex redditib. saliũ tã in Romania q̃ in Natolia. Itẽ ex decimis

& pascuis

& pascuis cunctorũ animaliũ. Itẽ ex omnib. frugib. & cæteris terræ nascentib. Item ex portorijs in Natolia, et ex Schalogijs in Romania, id est doanis siue uectigalib. Itẽ ex traiectu Callipolitano, & aliorũ locorũ. Item ex hæreditatib. mortuorũ, quã do ex defectu seminis propinquorũ deuoluunt bona ad imperatorẽ. Item ex tributo uariarũ urbiũ, quę sunt in Romania, Morea, Epiro, Moldlama, Scio, Calloier, & Ragusio: Similiter ex urbibus & prouincijs, quæ sunt in Natolia, Charamã, Synope, Symisso, Anguri, Finica, Candeloro, Capha, & ab alijs satrapis maioribus uel minorib. habet circiter quadragies centena milia nummorum aureorum. Sed quia uarijs nationibus & linguis terrarum imperat, necesse est ut sint uarij scribæ & cãcellarij, secundum uarietatẽ linguarũ. Est tamen inter eos unus supremus cancellarius. Græcis itaq; & Italis lingua Græca scribunt: Hungaris, Moldauis, siue Valachis, Sclauis et Ragusçis, literis Rascianis, Turcis præterea, Saracenis, Persis, Armenis, & cæteris nationibus lingua Agiamica, Arabica, uel Persica. At ille qui est custos sigilli imperatoris, Nisancibastia nominat. Singuli autẽ principes cõsilia rij peculiare sigillum habent. Peractis magistratib. quibus tantũ imperiũ gubernatur, ueniendum est ad eos qui palatio imperatoris seruiunt: Ministri autẽ imperatoris omnes sunt impuberes, eliguntur q; eximię uenustatis, in flore ætatis suæ, nominantur Sphioglani, filij nobiliũ, & secundum uaria ministeria uaria nomina sortiunt. Quidã sunt dapiferi, pincernę, cubicularij, custodes rerum precioſarum, quos Haznador nominãt. cumq; ad annos pubertatis peruenerint, ad maiores dignitates ascendũt. Nã multi eorũ præsides prouinciarũ efficiunt, secundũ uirtutes & merita eorum. Maior tamen pars eorum post annos pubertatis custodes corporis imperatoris efficiuntur. Ita hi qui minus strenui apparent, retinent pristinum nomen, & dicuntur Spahioglani: magis autem strenui, Soluphtuarij appellãtur. Cum igitur imperator iter facit, est stipatus undiq; cateruis horum custodum. In una enim parte sunt Spahioglani, qui sunt circiter mille & sexcenti. In altera parte sunt Saluphtuarij, qui sunt circiter quigenti: qui omnes prænominati uiuunt ex stipendio. in grediuntur preterea quottidie palatium imperatoris, propter ornamentum aulæ. Sunt & alij magnorum principum filij circiter septuaginta, qui appellantur Mutaphariciti, & hi sunt liberi ab omni onere militiæ & aulę, nisi cum ipse imperator est in exercitu, ipsis quoq; necesse est ut militent. uiuunt ex stipendio. Habet etiam imperator alios corporis custodes, qui sunt optimi sagittarij, electi ex numero Ianizarorum: Solachi nuncupantur. Hi non uadunt in equis, & sunt armati framea breui, arcu cum sagittis promptis ad ictum. Schcuphias byrreta in capite deferũt, albas & rectas, circulis aureis redimitas, & uestimẽta succincta. Hi enim sunt precipui custodes imperatoris, cũ in itinere est, nunq; ab equo imperatoris discedẽtes: numero sunt circiter septingenti, & sunt distincti per centuriones, & uiuunt ex stipendio. Sunt & Ianitores, qui etiam ex Ianizarijs creantur: quorum numerus est CCC. Capiti uocantur. Hi etiam uiuunt ex stipendio. Sed & Mehtery, tentoria & papiliones extendunt, & omnem supellectilem aulæ disponunt: qui circiter sexcenti sunt. Sunt præterea artifices diuersarum artium, quæ ad ornamentum aulæ imperatoris pertinent: qui omnes in aula imperatoris uiuunt, tanquam mancipia. Imbrahor bastia, est magister Agazonum. Imbrahali dicuntur, qui distribuunt uexilla. Segmen bastia, est magister uenationis. Alia multa officia omittuntur, gratia breuitatis. Sed postquam de magistratibus, quibus imperium gubernatur, & de ministris ac custodibus corporis imperatoris abunde disseruimus, superest ut de generibus militum & modo construendi exercitum sermonem faciamus. Sunt ita diuersa genera militum, uidelicet Thimarci Ianizarij, Assapi & Acangi: de quibus singulis sigillatim tractabimus.

*Summa tributorum.*

*Scribarum diuersitas.*

*Palatio ministrantes, & regij stipatores.*

*Satellitum numerus.*

*Principũ filij.*

*Sagittarij.*

*Custodes.*

*Ianitores.*

*Artifices.*

*Militũ genera*

Thimarci sunt milites, equites omnes, quibus ager ab imperatore attributus est,

*Thimarci.*

est, unde ipse cũ quatuor militibus loricatis uiuere possit: & sic Thimar apud eos intelligitur ager unus, de quo quinq; milites uiuunt ex decimis, per subditos prouinciarũ, de domib. & omnib. terræ nascentibus datis, q̃uis ipsi agri nõ sunt æquales. Quia aliquis est, qui potest diuidi in XX, XXX, & XL, partes Thimar: & tamẽ ab uno possidetur. Sed ad instar magnitudinis agri prouectuũ, talis possessor equites siue milites tenet. Vnde cõputatis omnib. agris militarib. maioribus, & minoribus, qui habẽtur in Romania, numero sunt quatuor millia & quingẽti: militũ uerò, uiginti duo millia & quingenti. In Natolia uerò facta simili supputatione, numero sunt quinq; millia et quingenti milites: ex quib. omnib. Thimar, in Natolia scilicet & Romania, resultãt quinquaginta millia equitũ: qui omnes obediũt suis præsidibus, & semper stant parati ad bellũ, nec aliud alimentũ habent q̃ ex agris illis. Secundũ autẽ genus militũ est, qui Ianizarij dicũtur. Omnes enim pedites sunt, & ex stipẽdio Imperatoris uiuunt, & semper sunt ubi Imperator est. Maior pars eorum est ex Romania, & ab origine Christianorũ. Quia semel in triẽnio fit delectus per totã Romaniã, & colligũtur filij subditorũ, eosq; mittũt in Natoliã, ut ibi imbuantur lingua & ritibus Turcarũ. Cumq; ad annos pubertatis peruenerint, exercitati in armis, qui magis strenui sunt, pedites efficiũtur, & ad custodiã imperatoris deputãtur, & in ipsa custodia sunt semper nouẽ uel decẽ milia: quorũ capitaneus Agga nuncupatur, uir magnæ authoritatis. Qui autẽ minus apti uidẽtur militiæ, deliguntur ad custodiendas munitiones & arces: & sunt circiter numero XXX. milia, qui obediũt suis Dazdar, id est castellanis, uiuentes ex stipẽdio. Sunt autẽ Ianizarij numinem et robur imperatoris, eiq; sunt obsequẽtissimi, tuenturq; ipsum cõtra oẽs tumultus & seditiones. Assapi, sunt milites gregarij minus exercitati, ac precio cõducti: quorũ aliqui sunt pedites, aliqui uerò equites. Hi etiã classem maritimã intrãt, habentes pro stipendio uiritim aspra quinq; per diẽ. De tali aũt genere militũ quãtum ipse imperator uult, tantũ cõducere potest, cũ sint uulgares, et ad pugnãdũ in experti, tã in pugna terrestri q̃ nauali. & possunt esse Assapi tã Christiani, q̃ Turcæ, & aliæ nationes. Accangi militãt ad fortunã sine agris, & sine stipendijs, quintã partem prędę dant imperatori. & si qui strenui apparuerint, Thimarci, uel alterius dignitatis nomẽ & gradũ sortiũtur. Sũt qui exercitũ ordinãt clauis ferreis, hi milites in stationibus suis stare cogũt, & semper præcedũt imperatorẽ, eiq; uiã parãt, & appellãtur Zausti: numero sunt quadringẽti, uiuũt ex stipendio. Sunt pręterea quidam milites prodigiosarũ uiriũ, qui cõtra quinq; pugnare perhibentur. Stipendium quoq; pro quinq; militib. sumũt, Belsli uocantur: numero sunt CC. uel circa: uiuunt ex stipẽdio. Sunt & Gonili, qui in arte gladiatoria peritissimi habẽtur, maximaq; agilitate lanceis, sagittis, gladijs exercẽtur. Sũt semper equites, quorũ numerus est centũ & sexaginta, uiuũt ex stipendio. Musselym sunt, qui munitiones, castra, & propugnacula cõstruũt: quorũ merces est diurna quinq; aspriũ, quartus ex dicta prouincia intrat exercitũ. Sed Iaya sunt Turcæ, qui propriis expẽsis militãt: quia exempti sunt ab omni alio onere: ipsi quoq; uias mũdant cũ Musselym. Sarahori habẽt stipendiũ ab imperatore aspriũ quatuor per diẽ: homines sunt agrestes, qui sequentes exercitũ, omnia uilia opera exercent, sicut & alij superius nominati, id est Musselym & Iaya. Hi omnes sunt, per quos militia terrestris imperatori Turcarũ perficitur. Classis Turcarum imperatoris cõtinet ad summũ uela CCCC supputatis nauibus, triremibus, biremibus, palandarijs, grippis, & alijs generibus nauigiorum: quæ capit circiter hominum triginta milia, & ipsam parare solent Constantinopoli, Nicaoniæ, Callipoli, Negroponti & Vaulone. Sed cum sint in ea homines ut plurimum agrestes, & ad nauigandum inexperti, magnas uires habere non potest: cuius capitaneus semper est præfectus Callipoli, et illi qui ipsam intrant

*Agrorũ & militũ numerus.*

*Equites.*

*Christiani milites sub Turca.*

*Assapi.*

*Accangi.*

*In Alcoran etiã quintas prædæ lex arrogat principi.*

*Zausti, uiatores.*

*Belsli.*

*Gonili.*

*Musselym.*

*Iaya.*

*Sarahori.*

*Classis Turcarum imperatoris.*

trant, omnes sunt precio conducti, secundum distinctionem exercitij & officiorū.

Peregimus tandem magistratus, quibus gubernatur imperiū Turcarū. Palatiū quoq; quibus ministris regatur, abundè explicuimus. Genera quoq; militū distinximus, ac maritimæ classis quantitatem: & quo in loco parari soleat, ostendimus. Nunc superest, ut describamus modum castrametandi, cum imperator ipse personaliter adsit in castris. *Modus castrametandi.* Prius igitur castrameta tores eligunt locum aptiorem pro castris, qui tutus sit ab omni impetu hostiū, ex quo de facili hostes expugnare possint. Eligunt itaq; quod habeat montem, uel fluuium, uel paludem, quibus munitior sit. quē locum descripto ambitu castrorū, fossatis altissimis muniūt. Post quæ sequuntur cunei acutissimi in circuitu, cathenis desuper colligatis. Sequitur postea ordo camelorum, qui commeatum & impedimēta pro usu castrorum baiulāt.

Post quas minor altera fossa fodit in ambitu, cum hastis pro maiori tuitione in circuitu affixis, quo in loco Sarahori, Iaya, & Musselym māsiones & habitationes suas habēt. *Locatio exercituum Imp. Turcarum.* Post tot ualidas munitiones pedites, qui Ianiczarij dicunt, per multiplices ambitus papiliones & tentoria sua figunt: in quorū medio imperator ipse cum suis pueris & ministris ornatiss. tētoria habet. Eminent præterea duo maxima cornua cōtra hostes, cōtra quos pugnandū est, adhærētia circulo castrorū, in quib. collocati sunt equites cum suis præsidibus. In uno enim cornu sunt milites Thimarcij, qui agros possident in Romania: in altero uerò, qui agros possident in Natolia. In capite uerò cuiuslibet prę̄sidet princeps prę̄sidum, id est Beglerbegh. At in medio horum cornuū locant omnes custodes corporis imperatoris, hoc est Spahioglani, Soluphtarij, Solacchij, & cæteri aulici. Post quos situata sunt uaria genera machinarum et tormentorum. *Modus pugnādi.* Cum igitur pugnandum est, in qua parte imperij bellum gerendum est, Beglerbegh illius partis cum suis præsidib. pugnam incipit. Quod si contigerit milites illius cornu ab hostibus superari, mox aliud cornu opem fert. Superatis ambabus cornibus, pugnat omni genere Messalym & tormentorum. Deinceps custodes corporis manus conserunt, ultimo Ianiczarij imperatorem ipsum in medio duorum cornuū collocant, ne fortè uertens ipse terga hostibus, causa internecionis totius exercitus constare uideatur.

Hæc sunt quæ de imperio Turcarum longis perègrinationibus, subtilique indagatione cōperimus: quippe cum ciuitas nostra Ragusium, quæ in confinibus ipsorum sita est, quamplurima commercia cum gentibus illis habeat, non desunt nobis facultates singula perquirendi. quæ quidem humili sermone, & sine ullo elegantię fuco scripsimus, non ad res Turcarum extollendas, & adincutiēdum terrorem maiestati uestræ, & cæteris principibus Christianis: quin potius, ut clarius sole demonstraremus, si ipsi Christiani potentiā Turcarum recto iudicio perpendissent, uiresq; suas agnouissent, iam pridem de imperio Turcarum actum esset.

Nunc quæso animaduertat maiestas uestra, qui fuerint ante pauca tēpora Turcæ, q; imbelles gentes deuicerint, & quàm uanis & falsis terroribus imperiū suum auxerint. Reperiet nēpe eos fuisse homines agrestes et inermes, inopia omnium rerum ad latrocinia & rapinas coactos. *Asiatici semper molles.* Perquirat diligenter historias uariarū gentiū, Romanorum monumēta euoluat, inueniet semper Asiaticos fuisse molles & timidos: ut extat uulgatus ille Iulij Cæsaris titulus, quē in curru cum à triumpho Ponti co rediret, inscribi iusserat, Veni, uidi, uici: imbellē eam gentē nulliusq; momēti existimans. Siquidem Romani, orbis ferè quondā domini, per plures annos contra Numantiā unā urbē Hispaniæ pugnauere, quàm cōtra totam Asiā. Quid ergo tam magnum, gentes Asiaticas imbelles, & semper seruire assuetas, deuicisse? Quid tam arduum, Græculos effœminatos, intestinis odijs semper dissidentes, debellasse? Quid tam grande, Ruscianos & Bulgaros, homines inermes, circa metalla & pecudes

pecudes occupatos, subdidisse? Quid tam generosum Bosnenses debacchantes, dissidentibus inter se principibus Hungariæ, in deditionẽ accepisse? Quid denique tam strenuis principibus Europæ uerè dormitantibus, gentes timidas & infidas sponte sese dedentes, in ditionem suam redegisse? Econtrario uires suas maiestas uestra, & cæterorum principum Christianorum examinet, generositatem & potentiam consideret. Nunquid propè innumeros annos serenissimæ maiestatis uestræ, Hungaria populosissima, tamen adhuc rudis, contra Romanos orbis dominos fortissimè pugnauit? ingentesque clades illis intulit? et deinde pro Christiana fide quoties Saracenos debellauit? nunc florentissima, artibusque militaribus apprimè instructa: cui quodammodo nulla gens, nullaque potentia resistere potest, ut ex glorioſissimis uictoriis constare uidetur: contra uilissima mancipia pro Christiana fide bellare non audebit? usque ad internecionem prosequi non patetur? Quia furor est profectò deterreri à potentia Turcarum. Quippe præter quinquaginta uel sexaginta millia equitum, & decem milia peditũ, quæ supra retulimus esse in exercitu Turcarum, reliquum uulgus iners & inerme est, ac uelut grex pecudum ad libitum uictoriis sine ulla pugna duci potest. quod secus in prouinciis Christianorum contingit. nam & uulgus armis aptissimum est, & ad pugnandum ferocissimum. Exurgat ergo maiestas uestra unà cum principibus Europæ, qui commune bonum & utilitatem desiderant, & præcedente CHRISTI cruce, arma contra hostem sæuissimum sumite. Fidem, patriam, leges, templa, uxores, liberos, parentesque charissimos defendite: iustissimoque bello, auxilium diuinum uobis non defuturum scitote.

*Hungari.*

*Turcæ exercitus qualis.*

## INVICTISSIMO CAESARI CAROLO, EIVS NOMINIS QUINTO, Paulus Iouius Episcopus Nucerinus. S. D.

QVandoquidem omnibus notissimum est, inuictissime Cæsar, te pro tua singulari religione atque animi magnitudine, nihil aliud nunc magis quàm bellum in Turcas meditari, quod quidem nobis ut ob eorum prosperitatem atque audaciam necessarium, ita omnium iudicio etiam gloriosum fuerit: uolui, ut æmularer illos qui te armis, nauibus, equis, & thesauris adiuuabunt, quum ego nihil aliud præstare possem, saltem tibi peculiarem atque apertam militiæ, potentiæ ac uictoriarum, quibus ipsi Turcæ potiti sunt, cognitionem præbere: ac simul uiam breuiter fideliterque ostendere, qua hæc fera natio ad tantam imperij magnitudinem tanto cum honore, militari ex arte parto peruenerit: ut à ducibus ac militiæ magistris certa remedia contra eorum & uires & artes inueniri facile possint: & Christiani milites exemplis rerum præteritarum instructi, meliorem & commodiorem bellandi disciplinam percipiant, quo tandem eos ipsos Turcas debellare queant. Quod quidem tibi non erit admodum difficile, qui post infinitas uictorias pacem adeò magnificè, neque id sine gratia Dei omnibus ac priuatim defessæ iam Italiæ donaueris, atque animum Christianissimi regis Francisci fœlicibus sororis nuptijs tibi adeò deuinxeris, ut is quum ob propriam uirtutem, tũ uerò ob titulum quem gerit, nõ possit uoluntate, consilio ac uiribus tibi nõ esse cõiunctissimus: quem admodum etiã de alijs principibus Christianis spes est futurũ. præsertim quũ Beatissimus pater Papa Clemens religiosa quadam promptitudine ipsos inuitet: qui quidem Clemens uotis omnibus non solum res sacras & non sacras, uerumetiam mentem ac corpus ipsum huic sanctissimæ prouinciæ dicauit. Et quoniam apud te laudem eloquentiæ minimè quærere, sed tantũ fidelẽ & Christianũ animũ hac in re mihi ostendere propositũ est, tædiosa proœmia & Tusci sermonis ornamenta, tanquam res superfluas, prætermittam. atque ut uerba ipsa commodius excipiantur, simpliciori atque uniuersæ Italiæ communiori lingua utar, quo substantiam rerum absque temporis circa uerborum uanitatẽ amissione percipere facilius possis. Neque mireris optime Cæsar, si ego ipse homo demissæ ad talum togæ, sacrisque initiatus, qui nunquam limites Italiæ transierim, de rebus militaribus ac de longinquis regionibus loqui audeã. Tibi enim persuadeas uelim, me diutina præcipuaque diligentia, auxilio summorum principum, relatione excellentium ducum, militum, oratorum, ac denique cuiuscunque conditionis hominum usum esse, ut ueram mihi notitiam rerum in nostris Latinis Chronicis descriptarum pararem. Quæ quidẽ Chronica, quod in Dei laudem, atque in tuam tuorumque auorum perpetuam gloriam cedat, breui in publicum edere constituimus. Vale.

Datum Romæ, undecimo Calendas Februarij. M. D. XXXI.

TVRCI

# TVRCICARVM RERVM COMMENTARIVS, PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI, ad Carolum V. Imperatorem Augustum: ex Italico Latinus factus.

FRANCISCO NIGRO BASSIANATE interprete.

TVrcarum natio à Scythis, quos nunc Tartaros uocamus, qui solitudines ultra Caspium mare circa Volgam fluuium inhabitant, originem dubio procul ducit. Id quod ex ipsorũ moribus, ex facie, ex usu sagittarum, ex bellandi consuetudine, ex superba denique loquendi forma, Scythicæ simili, facile deprehenditur. Anni sunt plus quàm sexcenti, quòd ij in Asiam minorem, quam Natoliam appellamus, peruenerunt: quo in loco prędę ac bellis continuè incumbentes, quàm plurima loca munita paulatim subiugarunt, adeò ut populis illis, qui non admodum exactè arma exercere nouerant, magno terrori essent. Neque tamen principem aliquem unquam habuerunt, sed ueluti Aphricæ Alarbes quos uocant, diuisi per turmas, regionem illam amplissimam tyrannico imperio possidebant. Cæterùm sub magnifici ducis Gottifredi Bolioni aduentum, qui ut terram sanctam acquireret, cum trecentis millibus peditum, atque equitum centum millibus transierat mare, uires in unum contraxerunt: ac sub regimine Solimani cuiusdã excellentissimi ducis prope ciuitatẽ Niceã Christianos aggressi, maximis nostrorum laboribus, ac pugna nõ incruẽta, fusi tandem fugatiq; sunt. Post hunc Solimanum Turcæ per plures annos, nullum ducem, cuius extet memoria, præcipuum habuere. Verùm circa annum à CHRISTO nato M.CCC. Ottomanus quidam filius Zichi, qui tenuis conditionis homo fuit, nomen, uires, ac digni tatem inter Turcas habere cœpit. Atq; is extitit, qui Turcarum imperatoribus, nimirum ijs qui per masculorum rectam lineam descendunt, nomen familiæ dedit. Is inquam magnum ingenium cum uiribus corporis coniunctum, ac fortunam mirum in modum fauentem habuit. Plurima loca munita, Pontico mari adiacentia, in deditionem accepit. Sed egregias suas uictorias maximopere nobilitauit, debellata Siua ciuitate pulcherrima, quæ antiquitus Sebastia dicebatur. Regnauit annis uiginti octo. Defunctusq; est salutis nostræ Anno M.CCCXXVII. sub pontificatu papæ Benedicti XI.

*Tartari.*

*Natoüa.*

*Nicea hæc olim Antigonia ab Antigono Philippi filio cõditore dicebatur.*

*Siua, quæ Sebastia olim.*

## ORCANNES.

SVccessit Orcannes, qui paternis uirtutibus immensam animi magnitudinem, ac subtiliorem in acquirendis finitimis regionibus artem adiunxit. Liberalitatem erga milites pro comite perpetuo habuit: qua uirtute nullam uiuidiorem princeps aliquis habere potest, ut magnus atque adeò immortalis citò efficiatur. Copiosus ac ingeniosus in militari apparatu, nec non in nouis bellicis machinis inueniendis fuit. Primus extitit, qui familiam illustriorem fecit, accepta in uxorem filia Regis Caramaniæ, quæ à ueteribus Cilicia dicta est. Is arma in Michaelem Palæologum, Constantinopolitanum imperatorem, mouit. Denique Bursiam ciuitatem egregiam (hæc Prusa uetusta sedes regum Bithyniæ fuit) expugnauit. Tandem ex uulnere in ea ipsa expugnatione accepto, quanquam leue uideretur, occubuit, atq; Amurathi filio uictoriam fruendam reliquit. Imperauit annis duobus & uiginti: ac mortem obijt, quo tempore papatui pręerat Clemens sextus.

*Liberalitas.*

*Caramania.*

*Prusa.*

AMVRA-

## AMVRATHES. I.

AMurathes ambitiosus, simulator, infidelis, & quod ad corpus attinet, inualidus: sed astutus ac uigilans, semperq; ad quamlibet occasionẽ, qua imperium dilatare posset, paratus extitit. Nec illi fortuna quod optabat negauit. Nam quum pacẽ cum imperatore Constantinopolitano inijsset, discordia inter Græciæ principes, atq; ipsum imperatorẽ exorta est. Marcus uerò Craiouichius Bulgariæ dominus principibus fauebat: quam ob rem imperator ab Amurathe tanquam ab amico uiciniore auxilium petere coactus est. Amurathes autem liberaliter imperatori adfuit. nam duodecim millia electorum Turcarum illico in Græciam misit: quibus adiutus imperator, Marcum ipsum ac cęteros rebelles fudit fugauitq;. Porrò finito bello, septem Turcarum millia in Asiam remisit: quod reliquum fuit, prę sidij loco sibi seruauit, atq; Amurathi gratias egit pro huiusmodi beneficio: quod tamen origo ruinæ Constantinopolitani imperij, ac principium nostrorum uulnerum fuit. Etenim Amurathes quum ex militibus, qui in patriam redierant, accepisset, & Græciam pulcherrimam esse prouinciã, & pessimè inter Græcos principes conuenire, illico trajcere destinauit, ut imperatoris inimicos persequeretur. is illi trajciendi prætextus fuit. Angustias igitur Hellespontiacas anno Christianę salutis M. CCCLXIII. transiuit, duabus Genuensibus nauibus in eam operam conductis: quarum altera Interiana, altera uerò Squarciafica uocabatur: quæ pro sexaginta Turcarum millibus traiectis, totidem numos aureos accepêre. Turcæ autem quum in Græciam peruenissent, totam regionẽ excursionibus bellicis infestarunt, Gallipolimq; ac uicina Hellesponto oppida expugnarunt, atq; ibidem naues ad pedites equitesq; ex Asia in Græciam trajciendos construxere: quibus postmodum nauibus Turca exercitum continuè augens, atq; omnia tanquã inimicorum imperatoris debellans, tandem Philippopolim & * Andrinopolim ciuitatem magnificam cepit. Inde in Seruiam profectus, maximum ei prouinciæ terrorem incussit. Quapropter Lazarus Seruiæ despota, & Marcus Bulgariæ dominus, ac nonnulli principes * Albaniæ simul coniuncti, uires in unum contulerunt, ut Turcis resisterent. Quumq; in prælium descendissent, Christiani ferè omnes trucidati sunt. Despota uerò captiuus quidem factus, sed tamen & ipse paulo pòst interfectus est. Cæterùm seruus quidam natione Seruianus, Despotæ proprij domini mortem ægre ferens, eamq; summopere uindicare desiderans, egregij uiri nomen, spreta morte, post se relinquere decreuit: sicq; nactus occasionem, pugione Amurathem interfecit. Imperio præfuit Amurathes annis XXIII. Perijt anno post CHRISTVM natum M.CCCLXXXIII. sub Gregorio undecimo Pontifice Romano.

*Bulgariam inferiorẽ Mœsiam esse multi arbitrantur.*

*Andrinopolis, ea Adrianopolis est. Seruia superioris Mœsiæ pars est. Despota, dignitatis nomen est.*

*Albania: hanc nõnulli Dalmatiam, alij Epirũ esse uolunt.*

## BAIAZETES. I.

*Baiazetẽ hunc, alij Paizetem, alij Paiazetem nominant.*

RElinquit Amurathes duos filios, Solimanum & Baiazetẽ. Verùm hic ne imperij æmulũ haberet, Solimanũ interficiendũ curauit: ac statim contra Marcum Bulgariæ principem, patris mortem uindicaturus, magnum cõparauit exercitum, profectusq; ad locum ubi prius pater fuerat interfectus, Marcum ipsum cum omni Bulgarorũ ac Seruianorum nobilitate in pugna trucidauit: ac post eam uictoriam omnibus ferè Bulgariæ ciuitatibus & munitis locis potitus est. Necq; ita multo pòst, nempe anno à restituta salute M. CCCLXXVI. per Bosinam transiens, crudelissimas in Vngaria, Albania & Valachia excursiones fecit, Christianosq; quàm plurimos in Thraciam captiuos duxit. Enimuero prudentia singulari, maximoq; cùm animi tum corporis uigore præditus fuit: sed super omnia solers in prouidendis, ac patiens in expectandis rerum occasionibus extitit. Verùm in negotijs exequendis tanta celeritate utebatur, ut Baiazetes Hildrin, id est

*Bosina, pars superioris Mœsiæ.*

cœli

cœli fulgur cognominaretur. Iis igitur naturæ dotibus adiutus, totam ferè Græciam subegit. Porrò tandem etiam Constantinopolim obsidione cinxit. Quam ob causam infœlix imperator, ut à Christianis principibus Occidentis auxilium peteret, in Galliam nauigare coactus est. Galliæ regnum Carolus eius nominis septimus tunc temporis administrabat. Is ueluti qui pietatem cum magnanimitate coniunctam haberet, Iohannem, Niuernensem comitem, ducis, Burgundiæ filium, proprium fratrem, iuuenem alioqui audacem, cum ipso imperatore misit: quem præcipui Galliarum principes, nimirum Guido Tremoliæ dominus, Philippus Arteliorum comes, Ioannes Viennæ dominus, comes de Cuci, comes de Diû, atque alij complures comitati sunt: ac secum mille cataphractos unà cum leuis armaturæ aptis equitibus conduxere. Quum'que in Vngariam peruenissent, Sigismundo regi, qui postea imperator extitit, se coniunxerunt: ac demum simul omnes itinere per Seruiam Despota fauente arrepto, post leuiculas aliquot inter eundem adeptas uictorias, Nicopolim peruenerunt: atque ipsam urbem oppugnare quidem cœperunt, sed Turcis eam egregiè defendentibus, laborem omnem frustra consumpsere. Intera uerò Baiazetes temporis spacium, quo uires suas in unum colligeret, nactus, innumerabilem equitum multitudinem contra Christianos adduxit. Porrò Galli in anteriori exercitus parte constituti, quum maximam stragem palantium Turcarum, qui exploratum uenerant, effecissent: neque monitionibus, neque protestationibus (ne uidelicet sine Vngaris, Germanis, ac Seruianis equitibus in hostem impetum facerent) audaciores quàm sapientiores, contineri potuerunt, quin fugientes persequerentur, præsertim quum nonnulli ex ducibus iam dictis, malignitate Sigismundi, qui Gallis primum honorem inuideret, huiusmodi protestationes fieri affirmarent. Vnde comes de Diû, atq; alij ferè omnes principes, Viennensem dominum uexilliferum per uim in hostes impulerunt, sic'que tubis classicum canentibus, in densissimam turmam constipati, Turcas inuasere: adeoq; multos in primo congressu occiderunt, ut uictoriæ acclamare iam inciperent. Verùm ea lætitia breuis admodum extitit. Nam Baiazetes unà cum sexaginta milibus equitum in lunarem formam recens eductorum adueniens, ipsos circundedit: ac medios, antequam Sigismundus auxilium ferre posset, includit. Atque in hunc modum Galli temeritatis suæ pœnas pendentes, ere omnes, licet se uiriliter tuerentur, interfecti sunt. id quod reliquo exercitui tantum terroris incussit, ut absq; pugna turpiter ac fœdè milites omnes aufugerint. Sigismundus uerò ac magnus Rhodi magister nauicula Danubium ingressi, uix euadere potuerunt, Turcis à fluuij ripa sagittis eos continuè impetentibus. Enim uerò ex Gallis trecenti equites seruati sunt, in quos ob diuitem uestium ornatum auara crudelitas Turcarum, quo precium redemptionis extorqueret, haud sæuierat. Porrò Baiazetes Niuernensem comitem, qui ferè nudus erat, iussit ad se adduci, habitaq; & ætatis, & regij sanguinis, ex quo is exortus erat, ratione, non tantum ipsum in uita seruauit: sed insuper facultatem concessit, ut ad releuandum captiuitatis mœrorem, quinq; ex suis quos uellet socios deligeret. Is autem superius nominatos duces sibi dari postulãs, ipsos à morte liberauit, excepto Viennæ principe, qui in prælio defunctus erat. Vbi uerò selecti duces ad comitem deducti fuere, Baiazetes cæteros omnes ad unum trucidari turbato uultu imperauit. Verùm comes quum inter eos, qui interficiebantur, Buccicaldum Galliæ Mareschalchum (ut uocant) hominem giganteæ staturæ cognouisset, supplex ac lachrymans eum quoque sibi donari obnixè Baiazetem orauit: id quod Baiazetes humanissimè concessit. Alij autem omnes ante oculos sex horum superstitum crudelissimè necati sunt. Quod uerò ad Mareschalchum attinet, is Buccicaldus ille

*Carolus Gallorum rex.*

*Vngaria, Pannonia est.*

*Rhodij equites suum præfectũ Magnum magistrũ appellant.*

*Mareschalchus. nomen dignitatis apud Gallos est.*

est, qui postea Genuæ gubernator extitit, atque ibi Gabrielem uicecomitem Pisarum principem decapitauit: quíq; cum Galeatio Gonzaga homine paruulo singulare certamen iniit, ac superatus est: seq; ob id ipsum uoto obstrinxit, arma non amplius induturum. Sed ut ad rem redeam, Niuernensis comes una cum cæteris captiuis Prusam deductus est, quo in loco per aliquod temporis spacium haud dignè satis pro conditione est habitus. Verùm constituto tandem omnibus redemptionis precio, liberius aliquanto ac commodius uiuere illis permissum est. Nam & id Baiazetes liberaliter concesit, ut omnis generis uenationibus uterentur. Postremò ducentorum millium aureorum precio simul omnes redempti sunt: quam pecuniarum summam Iacobus Mitylenæus princeps soluit. Cæterum Frosartes Gallus historicus, qui captiuos, posteaquam in patriam sunt reuersi, allocutus est, literis mandauit, cornua exercitus Baiazetis in alæ curuaturam ad similitudinem nouæ lunæ sparsa, plus quàm septem milliariorum spacium occupauisse: iudicatumq; esse, in eo exercitu plus quàm trecenta hominum millia, ex omnibus orbis totius nationibus collecta extitisse. Christianos uerò uix numerum octoginta milliũ attigisse, inter quos circiter uiginti millia equitum erant. Incidit autem is conflictus in annum salutis humanæ M. CCCXCV, quo die diuo Michaeli uigiliæ celebrabantur. Verumenimuero Baiazetes post huiusmodi uictoriã ad Constantinopolitanam obsidionem reuersus, antiquas omnes Græcorum delicias, hortos nimirum atq; ædificia extra urbem demolitus est, agros ipsos quaquauersum incursionibus patebant, populabundus uastauit. Neq; ulla profectò ratione imperij caput illud seruari poterat, nisi Tamberlanes Zagataiæ orientalis Scythiæ regionis Parthiam ac Sogodianam uersus, princeps, in minorem Asiam peruenisset. Samarcanda ciuitas ad fluuium Iaxartem cõstructa, Tamberlanis patria fuit: qui inde peditum atq; equitum innumerabili multitudine secum ducta, Natoliam totam occupauit. Quam ob causam Baiazetes Cõstantinopoli relicta, exercitum nauibus Angorium deduxit. ac prope Stellam mõtem, ubi olim cum Mithridate Pompeius pugnauerat, cum Tamberlane conflixit, ac superatus est. Hunc igitur captum Tamberlanes catenis aureis ligauit, atque in ferream caueam detrusum, per totam Asiam ac Syriam circunduxit, quousque tandem ipsi miseriarum finem mors attulit. In eo prælio, quod tempore Bonifacij papæ noni commissum est, plus quàm ducenta hominum millia desiderata sunt.

*Superius dictũ est, Asiã minorem Natoliam nunc uocari. Angorium ab antiquis Ancira dicebatur, ut quidam putant.*

CALEPINVS.

EX Angorienſi conflictu aliquot Baiazetis filij aufugerunt, atque in Græcorum manus qui Hellespontum classe custodiebant, peruenere. Vnus autem ex ijs fauente fortuna euasit, atq; Andrinopolim perductus est, isq; Cyriscelebes, non autem Calepinus uocabatur, quemadmodum Nicolaus Secundinus credidit, qui Turcarum genealogiam Latino sermone conscriptam Pio papæ dicauit. Id quod in causa fuit, ut ferè omnes alij corrupta ueri nominis pronunciatione, pro Cyriscelebe Calepinum dixerint. Hic igitur Cyriscelebes instauratis imperij uiribus, aduentãti Sigismundo uiriliter se opposuit. Etenim Sigismundus haud sustinendum ratus, ut Turcæ post tantam à Tamberlane acceptam cladem, uires resumerent, magnum sibi compararat exercitum, ac Salumbezenos campos occupauerat: id quod in annum CHRISTI M. CCCCIX. incidisse constat. Ergo in ijs campis cum hoste congressus, fugam facere coactus est, anno tertiodecimo post eam pugnam quam prius infœliciter cum Baiazete pugnauerat. Enimuero ipse rex non minus hic sibi fauente fortuna, quàm apud Nicopolim fauerat, è uictorum manibus euasit. Animaduersum est in eo conflictu, Sigismundi pedites antè sagittis fuisse confossos, quàm in phalangem dispositi cominus congre-

*Cyrescelebes.*

congredi cum hoste potuerint: equites uerò ad primum statim inuadentis hostis impetũ terga uertisse. Porrò Cyriscelebes post hanc uictoriã Seruiæ Despotã bello lacessere, imperatorisq; Cõstantinopolitani fines deuastare incœpit. Verũ infirmitate præuentus, in ipso ætatis suæ flore, sub Alexandri Quinti pontificatu uitam cum morte commutauit, quum plus minus sex annis imperium obtinuisset.

MAHOMETES I.

EX Cyriscelebe Orcannes & Mahometes filij superfuere. Sedenim quum Orcannes adhuc paruulus auxilio quorundam ducum assumere sibi imperium uellet, à Mose patruo interfectus est. Attamẽ necq; ipse Moses diu est rerũ potitus: quia Mahometes Orcannis frater, tanquam patris legitimus successor, eo occiso imperium arripuit. Is igitur Mahometes est, qui Valachis asperrimũ bellum intulit. Mox in Asiam profectus, loca omnia quæ Tamberlanes occupauerat, recepit, ac plurimos principes Turcicæ nationis ex Galatia, ex Ponto, atq; ex Cappadocia pulsos funditus extirpauit. Imperatoria insignia ex Prusa in Græciam translata, Adrianopoli, quæ caput est Thraciæ, collocauit. Imperiũ quatuordecim administrauit annis, ac mortuus est anno Domini M CCCC XIX, Martino quinto Romæ pontificem agente. Ergo secundũ hanc temporis supputationem, apparet hũc Mahometem, et non Cyriscelebem, prope Salumbezium Sigismundum fugasse. Verùm ueritas hac in re suum sibi locum inueniat.

*Adrianopolis caput Thraciæ.*

AMVRATHES II.

MAhometi successit clarissimus Amurathes, eius filius, qui expeditione in Seruiæ Despotam facta, Scopiam, Sophiam & Nouemontem occupauit, tres que ipsius Despotæ liberos captiuos duxit: è quibus duos masculini sexus æreo instrumento ignito, lumine oculorum priuauit: tertiam fœminam, quia pulcherrima erat, in uxorem accepit. Hic primus omnium, ordinem peditum, quos Ianizaros uocant, instituit: eosq; ex Christianis, qui tamen CHRISTVM abnegauerant, elegit: quorum uiribus & ipse, & qui ipsi successere, ex innumeris ferè præsijs uictores euaserunt, ac penè totum debellarunt Orientem. Verùm de ijs suo loco dicetur. Amurathes non contentus Vngaria, Bosina, Albania, Valachia & Græcia excursionibus infestasse, Venetis quoq; bellum inferre perseuerauit, quousq; illis Thessalonicam nobilem ciuitatem per uim ademit. Mox Belgradum obsedit. Verùm in oppidi fossis circiter decem hominum milibus amissis, cum dedecore inde discedere coactus est. Cæterùm non ita multo pòst Ladislaus Poloniæ atq; Vngariæ rex, magno exercitu comparato, in Seruiam ac Bulgariam se contulit, atq; in montis Hemi uallibus, cum Amurathis duce Carambeio uiriliter conflixit. Sed enim in eo prælio pedites Poloni, cõminus cum Turcis pugnantes, ac breuibus quibusdam contis equos suffodientes, integram uictoriam capto Carambeio reportarunt. Porrò Ladislaus anno eam uictoriam proximè subsecuto, pacem cum Turca optimis cõditionibus iniit, ac Carambeium precio quinquaginta milium ducatorum redemptum dimisit. Verùm ea pax parum roboris apud Ladislaum obtinuit, propterea quòd is in gratiam Constantinopolitani imperatoris, atq; Eugenij papæ, & Philippi Burgundiæ ducis, ac Venetorum pactis non stetit. Veneti enim Hellespontum se occupaturos, atque Amurathi, qui ab Europæis ob pacem confectam nihil timens, in Asiam contra Caramaniæ regem transierat, reditum clausuros pollicebantur. Vnde Ladislaus gloria & utilitate uictoriæ recentis illectus. Varnam ad Euxinum sitam petijt, ut inde profectus eò, ubi Christiana classis continebatur, suas copias cum maritimis cõiungeret. Verùm Amurathes, quũ hoc audisset, neglecto Caramanij regis exercitu, ac superatis septuaginta Christianorum triremibus, quæ summo conatu redeunti iter impe

*Ianizari.*

*Belgradũ non nulli arbitrãtur Taurunũ ab antiquis esse dictũ*

dire nitebantur, per angustias Hellespontiacas reuersus est: ac mox celeritate maxima usus, die septimo prope Varnam ciuitatem ab antiquis Dionysiopolim uocatam, cum octoginta millibus Turcarum sese hostibus ostendit. Porrò Iohannes Huniades, Matthię regis pater, summa militaris artis peritia, sic disposuit Christianorum exercitum, ut latus unum ad paludem quandam, alterũ uerò ad currus simul catenatos, terga autem ad montem conuersa milites haberent. Quumq́ acriter diu pugnatum utrinque esset, primi Turcarum ordines tandem in fugam conuersi sunt. Iamq́ uictoria ad Christianos inclinare, aque Amurathes identidem fuga propriæ saluti consulere uelle uidebatur: quum duo episcopi, nempe Varadinus & Strigonia fugiẽtem hostem intempestiuius secuti, commissa sibi loca deseruere, Turcicorum equitum turmę aditum in nostrum exercitum, per eum quem dereliquerant locum concesserunt. Sicq́ effectum est, ut ingressi Turcæ sagittarũ grandine pedites nostros suo ex ordine disturbarint. Huniades igitur suis tanto in discrimine constitutis opem ferre desiderans, resumendarum uirium commoditatem Amurathi dedit. Ergo Amurathes tum huiusmodi occasione, tum uerò exhortatione Galij Bassæ animum recipiens, cum Ianizaris constitit, ac Ladislaum Regem infœlicem, equites Portæ suis cataphractis impetentem non tantum sustinuit, uerumetiam arte quadam medium clausit: tandemq́ post acerrimam pugnam ex equo prolapsum unà cum quamplurimis nobilibus Vngaris & Polonis interfecit. Huniades autem corpus Regis ex hostibus per uim extrahere conatus, in maximum uitæ discrimen incidit: nihilominus & ipse tandem, cum alijs qui iam per montes & paludes ac syluas inaccessas fugiebant, euasit. In ea fuga Iulianus Cæsarinus Cardinalis Papæ legatus occisus est. Persuaserat is regi prius, ut cum Turcis percussa fœdera disrumperet: quãdoquidem nulla omnino sint uincula, quæ Christianos obstringant, ut infidelibus fidem seruare teneantnr. sic ille aiebat. Cæterùm Amurathes eo loci, ubi pugnatum est, columnam uictoriæ inscriptionem continentem erexit. Sed & ibidem in hanc usque diem ossium tumuli uidentur, qui indices magnitudinis perpetratæ illic stragis sunt. Perpetrata autem est anno salutis humanæ M.CCCC XLIIII. in mense Nouembri, eo qui diui Martini festo dicatus est die. Hanc pugnã paulo aliter Pius Papa descripsit: sed nos potius Callimachum sequimur, qui in sua Vngarica historia pulcherrimo ordine ac sine affectibus eam pingit. Porrò Amurathes post illatam Vngaris tam fœdam stragem, ac post pacem cum Venetis antea bello diu lacessitis initam, in Græcos conuersus, Hexamilum Corinthi petijt: qui quidem locus murum in sex milliariorum spacium porrectum habet, in ijs angustijs, quæ Aegeum mare Ioniumq́ disterminant, ac Peloponnesum totam (hodie Moream uocant) adeò includit, ut eam ueluti insulam efficiat. Huiusmodi igitur muro Amurathes expugnato ac demolito, Constantinopolitani imperatoris fratrem, qui ea loca tutabatur, cum omni Græcorum exercitu fudit. Inde Peloponnesum uniuersam ferro igneq́ deuastans, incolarum partem interfecit, partem captiuam duxit. Sub hæc Velonæ portum è regione Hydrunti occupauit. Verumenim uero quum post hæc omnia Scanderbechus Albaniæ præfectus ab Amurathe, cui aliàs inseruierat, defecisset, Amurathes ipse maximo exercitu, ac Mahomete etiam proprio filio secum ducto, Croiam uenit, atque urbem ipsam diu machinis bellicis impetiuit. Verùm quum eius capiendæ nulla facultas daretur, amouit quidem inde castra: sed tantum dolorem, uel potius rabiem ex ea re contraxit, ut mala ualetudine correptus, Andrinopoli demũ è uita excesserit, Anno ab instaurata salute M.CCCCL, in mense Nouembri. Regnauit annis XXXI, tempore Nicolai Papæ quinti.

*Varna. Dionysiopolis.*

*Bassa, dignitatis est nomen apud Turcas.*

*Infidelibus quoque seruanda fides.*

*Callimachi historia Vngarica.*

*Hexamilos.*

*Morea.*

*Velonã, aliqui Oricũ antiquis dictũ fuisse existimant. Croiã antiquitus Troiam uocabant.*

POst Amurathis mortem, Mahometes eius filius annum uigesimum primum agens, maximo militum fauore imperator salutatus, ut liberius imperio præesset, fratrẽ illico iussit occidi. Hic prosperrima fortunæ aura usus est, animoq; ac ingenio, necnõ gloriæ cupiditate magno Alexandro persimilis extitit, nihilominus crudelis admodum cùm in bello, tum in Portæ clausura fuit, adeò ut iuuenculos etiam ac pueros, quos tamen libidinoso prosequebatur amore, uel minima de causa interficeret. Cæterùm liberalem principem egit, præcipuè uerò uirtute præditos, ac fortes uiros, sibiq; ex animo inseruientes, magnis muneribus donauit. *Quid portæ, uel Portæ clausura sit, inferius sub libelli finem patebit.*

Quamplurimi fuere qui existimarint, non magis hunc Mahometanæ religioni, quàm aut Christianæ, aut gentilium adhæsisse. Educatus quidem à matre Christiana Lazari Seruiæ Despotæ filia ab incunabulis fuerat, Angelicamq; salutationem, ac Dominicam precatiũculam ex ea didicerat: sed quum adoleuisset, Mahometanam sectam secutus, talem se exhibuit, ut neque in CHRISTVM, neque in Mahometẽ crediderit. Hincq; effectum est, ut promissa, nisi quatenus in suum commodum cederent, minimè seruaret: atq; in nullo scelere culpam aut peccatum constitueret, quo suis satisfacere desideriis ualeret. Excellentes in quauis arte uiros summopere dilexit. Impensissimè curauit, ut uictoriæ, quibus ipse potitus fuerat, à doctis atq; iudicio præditis hominibus conscriberentur. Antiquorum uerò historias continuè legere consueuerat. Ioannem Mariam Vincentinum Mustaphæ primogeniti sui seruum maximis excepit blanditijs, quòd uictoriam, quam ipse de Vsuncassano Persiæ rege reportarat, Turcico sermone atque item Italico literis mandasset. id quicquid est, nos quoque legimus. Bellinum Venetum pictorem, quem Constantinopolim, cùm ut suam ipsius imperatoris faciem ad uiuam effigiem, tum uerò ut occidentalium hominum habitus depingeret, Venetijs euocarat, largis muneribus ditauit. Ad summam, plurimæ uirtutes bona fortuna comitatæ, huncad Constantinopolitanum imperium perduxere. *Iahannes Maria Vincẽtinus.* *Bellinus pictor*

Etenim hoc ipsum imperium, ne infimis expeditionibus, ac parum honoris in se continentibus occuparetur, statim aggressus, innumeris propemodum machinis æreis terra mariq; adhibitis, Constantinopolim expugnauit: qua in expugnatione Constantinopolitanus ipse imperator armatus ac pugnans occubuit. *Constantinopolis expugnatio.*

Illud autem notatu dignum ac fatale ferè habetur, quòd quemadmodum Constantinus Helenæ filius, primus Constantinopolitanus imperator fuerat, sic & is qui post annos ab illo primo M CXXXI ultimus extitit, Constantinus Helenæ filius fuit. Vrbis uerò huius expugnatio, quarto Calendas Iunias facta est anno post uirgineum partum, M CCCCLII. Post huiusmodi autem memorabilem uictoriã Mahometes Græciæ ac Natoliæ ciuitates omnes imperio Constantinopolitano subiectas habuit. Porrò non ita multo pòst ducentis militibus Turcarum secum ductis, Belgradum inuasit. Sed uirtute Huniadis egregij ducis fusus, uulnere etiam accepto, machinas æneas relinquere coactus est. Hac tantum in re aduersa fortuna usus. Sub id tempus Romaniæ Bassam in Pelopõnesum cum exercitu misit, qui Græcorum ac Venetorum copias bis ibidem cęcidit. Inter eos autem qui occisi sunt, hi præcipui duces exitere: Emanuel Boccalus, Michael Rallus, Ciccus Brandolinus, & Iohannes Tella, unà cum Venetorum *prouisore Barbadico, qui super eminentem Patrarum turrim palo suffixus est. Et huiusmodi quidem uictorijs Turcę per fraudẽ semper potiti sunt, Christianis ueluti in nassam attractis, eorumq; ordinibus deturbatis. Hexamili dein de murum iterum demoliti sunt: eundem enim ipsum murum post priorem illam destructionẽ, cuius Amurathes autor fuerat, Veneti quindecim dierum spacio ex *Romaniã Thraciæ partẽ appellari putant.* *Prouisores Veneti suis in bellis eos appellãt, quos Romani Legatos nominabant.*

eisdem, quibus antea constabat, quadratis lapidibus instaurauerunt, triginta millibus hominũ, & eo amplius, ei operi destinatis. Sub hæc Turca Lemnum ac Mitylenem insulas cepit, incredibiliq; apparatu põte supra Euripũ cõstructo, * Nigropontem expugnauit, Christianis fœda strage affectis ob classis Venetæ prouisoris inertiam, qui uentis etiam prosperis flantibus, non ausus est põtem triremibus inuadere. His peractis, Turca Croiam ac Scutarum ciuitates in Albania post longam obsidionem ac uarias pugnas in ditionem accepit. Regnum præterea Bossinæ adortus, Iaizam urbem regiam expugnauit, ac Stephano regi captiuo caput amputari iussit. Magnam Valachiæ & transalpinæ partem suo imperio subiecit.

*Lemnos ac Mitylene captæ.*

** Eubecã antiqui uocant.*

*Scutarum, antiqui Scodra.*

Capham Genuensium urbem in Euxini ora positam deuicit. Pirameto Caramaniæ regi multas ciuitates per uim abstulit. Cum Vsuncassano Persiæ rege bis acerrimè cõflixit, semel prope Euphratem, ubi superatus decem militũ milia unà cum Asmirathe Bassa Græco homine, olimq; imperatoris Constantinopolitani consanguineo amisit. Verùm secundo prælio Vsuncassanus ac Persæ fusi sugatiq; sunt, Zeinale Vsuncassani filio interfecto. Atq; hæc uictoria Turcis non nisi ob multitudinem ęrearum machinarum, insolitum auribus Persicorum equorum strepitum insonantiũ, obtigit. Mox Turca ipse Trapezuntinum imperium occupauit, infœlicemq; imperatorẽ Dauidẽ nomine Christianũ, Vsuncassani socerũ occidit, ac totam illius stirpem crudelissimè sustulit: Carinthiã ac Stiriã militaribus excursionibus infestauit. Tandem Homarbeiũ Bossinæ Saniacũ, Genuensis cuiusdam filium, hominem alioqui egregium, ad Italiæ ingressum misit, qui exercitui Veneto Gradi obuius factus, singularem uictoriam nostro cum dedecore adeptus est. hoc nimirum ordine, mille equites, quos noctu Lisontiũ fluuium uadare iusserat, quadã in ualle occultè adeò collocauit, ut Veneti, qui in unũ collecti, in fluminis ripia Turcis opposita, castrametati fuerant, animaduertere non potuerint. Summo deinde mane alam equitum eundem fluuiũ tranare, ac nostros ad prælium audacter prouocare imperauit. Enimuero Hieronymus Nouellus & comes & primus exercitus dux, in tres partes copias omnes Italico more distinxerat: filium præfecerat primæ. ipse per se præerat secundæ: Iacobus uero Picininus, & Anastasius à Romandiola tertiam ductabant. Ducis igitur filius hostem uiriliter suis cataphractis inuadens, plurimos trucidauit: effectumq; est ut reliqui tanquam fusi, terga uertere cœperint: ac iuuenis, qui ut corporis uiribus, ita animi audacia præditus erat, diu sit fugientes insecutus, etiam inuito patre. qui Turcarum insidias ueritus, tubarum clangore ac uexillis nõnullis in altum sublatis, ipsum subinde, ut reuerteretur, admonebat. Et reuera statim insidiæ retectæ sunt. Nam uix iuuenis equum reflexerat, quum ecce Turcæ conuersi, totam nostrorũ equitum turmam circundederunt, ac uarijs modis impetitam prius dissipauere, quàm comes filio suppetias ferre posset. Eodem temporis momento Turcæ, qui in insidijs latitauerant, supra partem exercitus extremam in montis decliuio apparuere, Barbaricisq; uociferationibus è monte cum impetu descendentes, eam ipsam partem in fugam uerterunt. Homarbeius autẽ unà cũ reliquo exercitu comitẽ inuasurus, flumen uadauit: sicq; tandem nostri omnes ad unũ ferè occidione occisi sunt. Comes uerò nõ sine Turcarũ strage, quum & Homarbeiũ uulnerasset, occubuit. Idẽ accidit comitis filio, idem Anastasio, idem Badoario prouisori. Nonnulli tamen duces, quòd pulcherrimis essent uestibus ornati, in hoc tantũ seruati siunt, ut redemptionis preciũ ab ipsis extorqueretur: atq; ob id catenis uincti, ad Turcarũ imperatorẽ sunt deducti: inter quos Iacobus Picininus, filius clarissimi comitis Iacobi, qui in Neapolitana arce interfectus est, atque Antonius Caldora, & Iohannes Clericata extitere. Hæc Turcarum uictoria totam Italiam terruit. Homarbeius autem igne ferroq; regione deuastata,

*Trapezuntis occupatio.*

*Saniacus nomẽ Turcicæ dignitatis est, à nonnullis tamen Sansacus dicitur.*

*Memorabilis nostrorũ clades*

uastata, cum infinito captiuorum numero ad suos reuersus est. Verumenimuero hoc in conflictu est manifestè perspectum, Turcas arte magis ac multitudine, quàm uiribus ualere. Nam si Hieronimus comes, legiones nostras inimicorum legionibus non in directum, sed per latum opposuisset: ipse medius inter primam ac tertiam legiones ab utroque latere in similitudinem Romanorum cornuum sibi adhærentes extitisset: sicq; exercitu uelut in unum corpus redacto, Turcæ tam facile ipsum circundare ac penetrare haud potuissent, ut fecerunt: ac toties facturi sunt, quoties præpostero hoc ordine cum illis pugnabimus. Anno qui eam clade secutus est, Turcæ uiginti millibus militum in unum collectis, eadem illa loca iterum petierunt. Sed Veneti Carolo Montone comite exercitus duce constituto, non temerè cum ijs amplius conflixerunt. Enimuero ex Iohanne Paulo Manfrone equitũ præfecto, qui postea sub Papiæ mœnibus interfectus est, accepi, nostros semel tantum castra exijsse, cataphractis omnibus, quorum ipse primum se fuisse aiebat, in cunei formam uetusto Romanorum more dispositis: Turcas uerò, qui eum cuneum impetissent, seipsos lanceis infixisse, quas nostri ordine militari minimè derelicto in unamquanque partem contra inimicos uertebant. Igitur quum Turcæ nihil contra nostros eo loci promouerent, in Germanos conuersi, Cadorũ oppidulum, ubi transitus per alpes in Germaniam est, occuparunt, atq; innumeros inde captiuos abduxerunt. Tandem uerò Mahometes cum Venetis pacem iniit, ac totius orbis imperio inhians, tres uno & eodem tempore expeditiones suscepit. Nam Mesithum Bassam Græcum genere, ex Palæologorũ familia, Rhodum misit: qui tamen post multas ac cruentas quidem illas urbis oppugnationes, cum suorũ dedecore ac strage repulsus est. Acomathen uerò Bassam, Hydruntum Apuliæ oppidũ petere iussit. Ipse autem per se Syriam petiturus, atq; Alcairi Sultanum inuasurus, in Natoliam traiecit. Et trecenta quidem armatorũ millia, ducentasq; triremes, ac trecenta minora nauigia his tribus in locis eum habuisse creditum est. Verùm qnum iam prope Nicomediam esset, colico dolore correptus, quarto demum die uitam finiuit quinto nonas Maias, Anno CHRISTI M. CCCCLXXXI, sub Pontificatu Sixti quarti. Porrò Mahometis mors Italiæ saluti fuit, propterea quòd Turcæ, qui omnium ferè Christianorum uires per annum iam & menses aliquot Hydrunti sustinuerant, audita Principis morte, Acomathem Bassam, qui cum uigintiquinque Turcarum millibus Hydruntinum exercitum instauraturus, Velonam aduentabat, haud diutius expectarunt: sed cum nostris ea fœdera percussere, quæ bellicam gloriam prius partam minimè denigrarint. Etenim & antea se militiæ magistros esse ostenderant, cataphractis nostris sæpius repulsis, ac duobus primi nominis ducibus, nempe Iulio comite ducis Hadriensis patre, Matthęoq; Capuæ principe interfectis. Vna tantum inter nostros equitum Vngarorum ala inuenta est, quæ pari arte cum Turcis congrederetur, assueta nimirum leuibus pugnis, quas in Belgradi ac Samandriæ finibus absque intermissione cum ipsis committunt. Iohannes autem Iacobus Triultius princeps sæpius referre solitus erat, Italos duces didicisse optima propugnacula construere, ex ijs quæ Turcæ intra Hydrunti mœnia singulari artificio fabricarunt. Cæterùm post receptam à nostris ciuitatem, Calabriæ dux plurimos è Turcis qui in ea fuerant, ut sub se militarent, conduxit: atque ij postea in eo prælio, in quo ipse dux contra Sixti papæ exercitum in loco qui Campus mortuus dicitur pugnans fusus est: adeò uiriliter cum hostibus congressi sunt, ut pedites, quos Ianizaros uocant, balistis equitum impediti, nec tamen unquam terga uertentes, ad unum omnes perierint: equites uerò, magna militari cùm uirtute, tum arte sæpe in sequentes conuersi: atque iter institutum ijs repressis

*Turcas multitudine magis quàm uiribus ualere.*

*Cadorum oppidulum captum.*

*Campus mortuus.*

prosecuti, Ducẽ ipsum contempto hostiũ impetu usq; ad Neptuniana mœnia incolumẽ perduxerint. Verũ quod ad Mahometẽ pertinet, præfuit is imperio annis XXXII, quos tamen non omnino expleuit. Aetatis uerò annũ LIII, quũ mortuus est, agebat. Homo neruosi ac robusti corporis extitit: faciem subgiluã, atq; oculos eiusdem coloris, sed aliquantulum ampliores ac supercilia arcuata habuit: nasum autem usq; adeò aduncum, ut summitas contingere labra uideretur. Porrò in bellis quæ is gessit, plus quàm trecenta hominum milia ferro perijsse compertum est.

BAIAZETES II.

*Mustapha.*

TRes filios Mahometes habuit, inter quos Mustapha iuuenis præcipuæ indolis primus extitit. Is in prelio contra Vsuncassanum suscepto egregiè se gessit: quin antea quoq; Iosephum Persianum ducem, regis Caramaniæ fautorem in fugam conuerterat. Verũ quum hyemaret Iconij, uenationibus ac uenereis rebus nimium indulgens, in ipso iuuentutis flore decessit. Enimuero in huius gratiã Solimanus, qui nunc imperatorem agit, primogenitum suum, annos XXII natum, atque in mense Iulio proximè præterito maxima pompa circuncisum, eodem nomine appellauit. Superfuere Baiazetes ac Zizimus, quorum alter in Cappadocia, alter uerò in Carmania agebat. Cæterùm defuncto Mahomete, Mahemedes Bassa genere Caramanus, qui Visir, id est imperatori à consilijs erat, cadauer statim curru Constantinopolim uehendum curauit, inde Zizimo atque Alchairi Sultano per citissimum nunciũ hac de re admonitis, ipsum Zizimum principem constituere peroptabat. Interea Ianizari litus maris accesserant, ut Constantinopolim peterent. Sed Mahemedes inde naues omnes amouerat, ne exercitus traijcere ualeret. Quo comperto, Ianizari maximo furore succensi, lembis quibusdam paulatim, ac per partes transire cœperunt. Mox qui trãsierant, maioribus in eo litore acceptis nauibus, alios omnes trãsuexere. Sed quũ Mahemedes & ipse ob id furore percitus, eos ut insolentes ac parum obsequentes uehementer increparet, in unum collecti, hunc ipsum ædibus, in quas se receperat, expugnatis, interfecerũt: nam & ab omnibus, tanq; nouorũ uectigalium inuentor, odio habebatur. Post hæc Ianizari Baiazetem absentem imperatorẽ creant, & id quidem auxilio ac fauore Cherseoli Bassæ Græciæ Bellerbeij, & Agæ Ianizarorum, qui Baiazetis generi erant. Sedenim Isaachus & Dauthus ambo Bassæ ac Visires, summæq; authoritatis uiri, Constantinopoli tunc temporis agentes, ut tumultus sedare ac melius omnia disponere ualerent, Corchutũ Baiazetis filium, annos XIII natum, imperatorem salutarunt, quousq; pater Constantinopolim reuerteretur. Iam enim et id ferebatur, Zizimum maximo cum exercitu aduentare, ut seipsum imperatorem constitueret. Neq; ita multo pòst Baiazetes affuit, adeoq; puerum sollicitauit, ut tandem patri filius imperium renunciarit, Baiazete post imperatoriam dignitatẽ acceptam pollicẽte, imperium se puero tempore opportuno restituturum. Interea Zizimus Bursiam peruenerat, atq; ipsa ciuitate potitus, summis bellorũ conatibus totã Natoliam sibi subijcere quærebat. Quam ob causam Baiazetes exercitum per Hellespontum traiecit, atq; Acomathe cum ijs militibus, qui Hydruntinis suppetias tulisse debuerant, reuocato prope Niceam cum fratre conflixit: quo in loco Zizimus uirtute ipsius Acomathis fusus, et in Caramaniam usq; fugatus est. sed quum ne illic quidem ob insequentem hostem tutus esset, in Syriam profectus, Alcairum, Sultano seipsum commendaturus, tandem uenit. Vnde & factum est ut paulo pòst ipsius Sultani ac regis Caramaniæ adiutus auxilijs, qui & milites & pecuni as subministrabant, in Asiam reuersus sit. Baiazetes autẽ Acomathẽ contra eum misit. quo cum Zizimus iterum pugnans, quàm plurimis è suis amissis, superatus est. Quamobrẽ fuga rebus suis cõsulere coactus, ad Rhodij maris litora peruenit, ibiq; spe

*Solimani filius nuper circuncisus, Mustapha cognominatus.*

*Quid Bellerbeius, & quid Agalanizarorũ sit, in fine libelli ubi de ordine Turcicæ militiæ agitur, patebit.*

*Sabellicus contẽdit Albairum eã esse urbẽ, quã ueteres Memphim uocarint.*

ibiq; spe omni destitutus, magno Rhodi Magistro seipsum tradidit, à quo postea ad Innocentium quartum Pontificem Romanum missus est. Is est Zizimus, qui à Carolo Francorum rege eius nominis octauo ex urbe Roma Neapolim uersus deductus, in itinere obijt Terracinæ, ueneno (ut creditum est) ab Alexandro Papa interfectus. Huius cadauer postea Federicus Rex Constantinopolim misit, ut ea liberalitate quæ nihil ipsi constabat, Turci principis beneuolentiam contraheret. Zizimus autem uir grauis atq; excellētis ingenij fuerat, ac magna cùm prudentia, tum animi tranquillitate captiuitatem toleraverat. Porrò Baiazetes (ut ad eum reuertamur) tertio imperij sui anno Valachiam subegit, maximoq; & terrestri & maritimo belli apparatu, Lithostomo in Danubij ora sito, ac Moncastro erga Borysthenem fluuium (hodie Neper uocant) posito debellatis, Constantinopolim reuersus est. Vbi non ita multo pòst, Acomathem Bassam, quum innumera ipsius officia rependere aliter non posset, interfici iussit: testatus nimiam serui magnitudinem ac uirtutem domino timorem incutere. Is Acomathes ex Albania oriundus, antiquis ducibus uirtute militari æqualis fuit, adeò ut prouinciæ omnes, quas impeteret bello, uel solum nomen ipsius pertimescerent. Cognomi natus est Ghendich, quoniam dens ei unus deesset: Nam id Turcica lingua ghendich significat. Verùm tribus posteaquam hæc peracta sunt annis, Baiazetes Alcairi Sultano, quòd Zizimo fauisset, bellum inferre constituens, Cherseolum Bassam & Calubeium, maximis terra mariq; dispositis copijs, Tharsum uersus misit. Quo audito, Mamaluchi statim Antiochiæ conuenerunt, atq; manum, nunc nigrum montem appellatum, transeuntes, Illum petiere: quo in loco Magnus Alexander olim memorabili pugna cum Dario conflixit. Ex Isso Adanam Caramaniæ ciuitatem cursu citato profecti, Turcas castrametantes inuenerunt: ex itinere enim fessi, ac sole iam in occasum inclinante, uires in castris reparare optabant. Erantq; ipsi Turcæ numero multo plures, quàm Mamaluchi: sed hi meliores equos atq; arma quàm Turcæ habebant, neq; ex itinere admodum fatigati esse uidebantur. Ducibus igitur, quid facto opus esset, in medium conferentibus, duo Itali Mamaluchi pugnam in posterum diem minimè differendā, sed eodem temporis momento Turcas impeditos, ac sub papilionibus sine ordine agentes impetendos esse, pluribus adductis rationibus consulere. Quod quum omnibus placuisset, ilico tubicines classicum canere iusserunt, ac plurimis in locis uno & eodem tempore Turcarum castra ex improuiso adorti sunt: tantusq; Mamaluchorum fortiter omnia dissipantium impetus fuit, ut Turcicorum castrorum custodiæ persistere non potuerint, quousque cæteri milites conscenderent equos. Vnde Calubeius exercitum in fugam conuersum uidens, aufugit & ipse. Cherseolus uerò post uulnus in manu acceptum captus, Alcairum ad Caitheum Sultanum deductus fuit. Et hoc quidem dedecore atque hac strage nullam maiorem Turcæ unquam à quauis orbis natione perpessi sunt. Baiazetes autem inita post eam cladem cum Sultano pace, in Albaniam arma conuertit, ac Dyrrachium prope Velonam situm cepit. Quumq; iam annus humanæ salutis M CCCCXCIII ageretur, Cadumum Bassam præstātissimnm ducem in Vngariam misit, qui cum octo millibus equitum Zagabriam usque profectus, non sine maximo populorum illorum terrore omnia deprædatus est. Quamobrem Croaciæ, Sclauoniæ atque Vngariæ principes, quos Banos uocant, habita tam damni nuper illati, quàm quod in futurum inferri poterat, ratione, magnum simul exercitum comparārūt. Id quod in causa fuit, ut Cadamus usq; ad Diauoli montem, qui Croaciam à Corbauia diuidit, suos retraxerit. Cæterum Iohannes comes cognomento Torquatus, uir prudens, armisq; & consilio ualens, non in patenti campo cum Turcis congre-

*Zizimus.*

*Moncastrum.*

*Neper.*

*Ghendich.*

*Sultani milites Mamaluchi uocabantur.*

*Turcarum strages insignis.*

*Diauoli mons*

cis congredíendum, ſed eos in anguſtioribus locis, ubi etiam montes auxilio eſſe poſſent, arctandos atque impellendos cenſebat. Verùm Bernardinus Francapanus comes plus audaciæ in conſulendis, quàm uirium in peragendis rebus bellicis habens, aperto Marte dimicandum ſuadebat. Idem Vngariæ Banus, inimicos contemnens, iudicabat. Quorum ſententia quum præualuiſſet, iuxta Morauam fluuium certatũ eſt. Cadumus tripartitò exercitũ diuiſerat, ac primam partem Hiſmaelbeio Seruiæ Saniaco, ſecundam Caruliæ Vaiuodæ commiſerat, tertiam ſibiipſi ſeruarat. Hoc idem et Chriſtiani ſuos pedites inter tres equitum alas æqua portione diuidentes, effecere: primam, quæ Sclauinos, loca inter Drauum & Sauum

*Sclauini.*

fluuios incolentes continebat, Ferdinandus Berisburchus regebat: ſecundam Croates continentem, Iohannes Torquatns ductabat: tertia ſub Nicolao & Bernardino Francapanis erat. In hunc igitur modum exercitibus ordinatis, Hiſmaelbeius tanto impetu primas noſtrorum cohortes inuaſit, ut Ferdinandus è ſuo ordine deturbatus, non tantum cedere, ſed etiam ſuos pedites derelinquere coactus ſit. Vnde ij ſtatim in fœdam & cruentam fugam uſque ad Morauam acti, ob inſequentium Turcarum timorem ſeipſos in fluuium præcipitarunt. Hiſmaelbeius uerò prima hac acie deuicta, ſecundam aggreſſus eſt: quam etiam Caruſia eodem temporis momento inuadens, Torquati milites ad unum trucidarunt.

Torquatus autem pluribus circa ſe Turcis interfectis, & ipſe tandem occiſus eſt. Porrò neque Cadumus occaſionem inſequendi Vngaros omiſit. nam uirtute fortiſſimorum militum, quos in hoc ſibi delegerat, adeò omnia diſſipauit, ut in ſpacio propemodum unius horæ, capto principe Bano, eiuſq; filio interfecto, egregia uictoria paucis è ſuis amiſſis potitus ſit. Numerari deinde cadauera interfectorum iuſſit, atque in teſtimonium ſtragis Chriſtianis illatæ, multa capita ac naſos quàm plurimos ad imperatorem ſuum miſit. Enimuero qui occiſi fuerunt, ſeptem millium numerũ exceſſere. Sub hæc Baiazetes anno ab orbe redempto M C C C C XCVIII, bellum Venetis inferre cœpit, quòd Iohannem Cernouichium comitem propinquum Cataro contra Turcas defendendum ſuſcepiſſent. Halis Baſſa, eunuchus ex Albania oriundus, claſſe Turcica Iadram uſque peruenit: abductiſq; ex tota Dalmatia prædis, uniuerſam prouinciam igne ferròque deſolauit, ne uidelicet Veneti, milites in maritimi belli uſum conſcribere ualerent. Cæterum Veneta claſſis Turcicæ prope Methonem obuia facta, eam, qua tamen longè ſuperior erat, opprimere non tantum non tentauit, ſed etiam occaſionem id efficiendi in Sapientiæ (ut nunc uocant) portu opportunam dimiſit. Quam ob

*Sapientiæ portus.*

cauſam Antonius Grimanus, claſſis præfectus apud Venetos, huius rei reus actus, in uincula coniectus eſt, ac ſic Venetias deductus. Interea Turcica claſſis in Corinthiacum ſinum profecta, Lepantum ciuitatem, antiquis Naupactum dictam, cepit. Verum enimuerò ſub id tempus Veneti Ludouico Francorum Regi, huius nominis duodecimo, fœdere ſe coniunxerunt. Vnde rex ipſe in Italiam contra Ludouicum Sfortiam ueniens, Mediolanenſem ditionem, qua nondum potitus erat, cum Venetis diuiſit. Quamobrem, Mediolani dux ab omnibus derelictus, ad Baiazetem confugit, pluribusq; in medium productis cauſis, orauit ut ſibi auxilio eſſe uellet: Venetis ualidius impetitis. Quod Baiazetes ſiue ob huiuſmodi preces, ſiue ob deſtinatum ſibi antea propoſitum, lubens effecit. Nam Schenderum Baſſam cum decem millibus equitum in forum Iulium miſit, atque ea loca excurſionibus infeſtari mandauit. Schenderus autem licet aliquantulum infirmus eſſet, Tiliauentum tamen ac Liſontium lata flumina uadauit, ac cœli fulgure celerior, in Tauriſinum uſque agrum populabundus proceſſit. Sed enim quum eos omnes, quos captiuarat, abducere ſecum non ualeret, in Tilia-

uenti

uentí ripa caput hominibus plus quater mille amputari iussit. Nec Veneti pro- *Heu cruentum spectaculum.*
uisores, quos uocant, Turcas unquam inuadere ausi sunt: id quod in causa fuit,
ut ipsi Turcæ liberè quà libebat uagantes, Venetijs adeò propinqui effecti sint,
ut è montibus eminentioribus urbis situm cõtemplari potuerint: id quod in men-
se Octobris anni superius iam dicti M. CCCCXCVIII. accidit. Verùm Baia-
zetes eo anno qui hunc insecutus est, ad expugnandum Methonem per se ipsum
est profectus, exercitúq; in tres partes diuiso, machinis æreis mœnia diutius impe-
tiuit, propugnacula diruit, domosq; quàm plurimas in urbe mortarijs (ut uocant)
perforatas destruxit. Methonensibus igitur iam ferè extrema patientibus, quatu-
or Venetæ triremes auxiliarijs peditibus, atq; alijs ad bellum necessarijs rebus onu
stæ aduenerunt. Quo cognito, ij qui in urbe erant ob præsens auxilium læti, om
nes ad portum concurrerunt, ac mœnia sine custodijs & sine defensoribus reliquere. Quod ubi Ianizari senserunt, per ipsa mœnia in urbem ingressi, Venetos pedi- *Methone Turcis capta.*
tes ad unum trucidarunt, atque ipsa demum urbe potiti sunt: & huiusmodi qui-
dem clades, quo die diui Laurentij festum celebramus, facta est, anno qui à CHRI-
TSO nato M.D numeratur. Turcicus autem imperator Methonensem epi
scopum, aliosq; complures coram se decollari præcepit. Mox inde profectus, &
Iuncum, & alia multa Peloponnesi loca obtinuit. Cæterùm quum principes Chri-
stiani id ægerrimè ferrent, nauium ingentem numerum ex Gallia, ex Lusitania, at
que ex reliqua Hispania in unum contraxerunt, ac duce eo qui Magnus Capita
neus cognominatus est, unà cum Venetis ad expugnandam Cephaleniam insu
lam perrexerunt. Veneti uerò etiam sanctę Mauræ insulam postea cepêre. Ve
rùm non ita multo pòst Andreæ Griti, nunc Venetiarum clarissimi ducis opera,
qui tunc Constantinopoli captiuus detinebatur, ea restituta, pacem cum Turca *Venetorum cũ Turcis fœdus.*
sanxerunt, quæ quidem in hodiernum usq; diem perseuerat. Porrò Baiazetes iam
senex & podagrosus effectus omissis bellis, incumbere quieti ac philosophiæ cœ-
pit, præsertim uerò doctrinæ Auerrois, qua summopere delectabatur: simulq; eo-
dem tempore Constantinopolitana mœnia instaurauit, quæ terræmotu maiori ex
parte collapsa fuerant: id quod rerum, quæ Ottomanię familiæ postmodum acci
dere, certum prodigiũ fuit. Enimuero dum huiusmodi pace Baiazetes frueretur, *Hismael Sophie.*
Hismael Sophis ex Asuncassani filia progenitus, apud Persas magnus euasit, etc-
nim Mahometanam legem nouis expositionibus interpretatus, nouam itidem re
ligionem introduxerat, atque ea uia Persię regnum sibi occuparat. Et fama qui
dem huius iuuenis, qui Orientem iam subegerat, tanta erat, ut eius sectę duces in
Natoliam usque procurrentes, omnia tumultibus replerent. Tumultuarium qui
dem Persæ exercitum, sed quotidie magis excrescentem habebant, adeò ut tan-
dem etiam cum Gorague Bassa conserere manus ausi sint: ac uictoriam adepti, ip-
sum prope Cuciam ciuitatem palo suffixerint. Post Goraguem Halis Bassa uali
do exercitu statim Persas insecutus est: quũq; iam eos, non ut eunuchus, sed ut for
tissimus miles pugnans penè perdidisset, in ipsa uictoria occubuit. Sub idem tem-
pus minimus Baiazetis filius, nomine Selimus, noua moliri cœpit, nam è suo Tra
pezuntino Saniacatu Capham profectus, cum Tartarorum principe fœdus iniit:
accepta in uxorem eius filia: sicq; Turcarum ac Tartarorum simul exercitu cõpa
rato, prope Valachiæ Cheliam Danubiũ traiecit: alium Saniacatũ fidei Mahome
tanæ inimicis uiciniorẽ à patre se desiderare affirmans: quo uirtutem propriã ostẽ
dere, secq; in armis exercere commodius ualeret: simul ne Acomathi fratri adeò ui
cinus foret, quo cum de Amasiæ finibus iam contendebat. Interim Andrinopo
lim, ubi erat pater propinquus, nuncios subinde præmittebat, qui patri indica
rent, ipsum in hoc accedere, ut paternam manum oscularetur: quandoquidem pa
trem à plu

trem à pluribus annis non uidisset. Baiazates autem astutus alioqui senex, qui ingenium filij ac naturam imperij auidissimam optimè norat: Samandriæ Saniacatum Belgrado Vngariæ propinquum illico ei concessit, missisq; pecunijs, uestibus, equis, ac seruis, pulcherrimo munere filium donauit: ac respondit non opus esse, ut tunc res erant, eum ad deosculandam manum accedere. uehementer enim timebat, ne collectis in unum Ianizaris, imperium usurparet, sicuti demum fecit. Enimuero Selimus fortis ac liberalis, & supra modum belli cupidus, pacisq; inimicus Ianizaris uidebatur: quibus de causis milites omnes magis eum diligebant, quàm aut Acomathem, qui in Amasiæ & Cappadociæ Saniacatu uoluptatibus potius quàm bellis incumbebat: aut Corcutum, qui in Magnesia Rhodio litori uicinus, philosophiæ ac Mahumetanæ legis theologiæ operam dabat: quæ studia, quum in utroque parum militibus probarentur, in causa erant ut Selimo magis fauerent. Interea Selimus ipse una cum exercitu iam Andrinopoli uicinus, aiebat se omnino patrem inuisere uelle: sed Baiazetes eo minimè expectato, Constantinopolim uersus iter arripuit, ne uidelicet ciuitas imperij totius caput à Selimo præoccuparetur. Iamq; Ciorlum, qui locus Constantinopolim atque Andrinopolim æquis ferè spacijs dirimit, Baiazetes peruenerat, quum ecce Tartari atq; aliæ Selimi turmæ per planiciem sparsæ, Baiazetis impedimenta ac milites sine ordine incedentes, adorti sunt. Quam ob causam Baiazetes è curru, quo ob podagrã uehebatur, iniquo filio effusis lachrymis malè precatus, se militibus commendauit: orationemq; adeò luculentam habuit, ut Ianizari, quamuis Selimum summopere amarent, optarentq; ut Baiazetes ipsum principem constitueret, non potuerint, quod debebant, non præstare: sicq; Portæ equitibus coniuncti, Tartaros omnes subitò prostrauere. Selimus autem ipse acriter pugnando uulneratus, cuiusdem equi spadicis, qui optimus erat, beneficio Varnam peruenit: ubi quum nauem conscendisset, ad Tartarum principem, socerum suum, tandem se contulit. Verum enimuero Baiazetes ueritus ne post mortem suam Selimus, inquieti ac ferí animi iuuenis, Ianizarorũ fauore legitimam regni successionem impediret, Acomathi primogenito indicauit, uelle se uita adhuc superstite imperium ei renunciare. Igitur Acomathes ubi Selimum fratrem suum à patre fugatum audiuit, occasionem inde Constantinopolim ueniendi accepit. Iamq; Scutarum, ueteribus Chalcedonem uocatum, & contra Constantinopolim situm, eo animo peruenerat, ut princeps ab omnibus consalutaretur. Verùm eius aduentus Ianizaris Selimo fauentibus ita displicuit, ut affirmarint se neutiquam permissuros, ut uiuente adhuc Baiazete, rerum alter potiretur: præsertim quum ueram ac debitam imperij successionem, quotiescunq; principem mori contingeret, non essent impediturí. Ad hæc aiebant, fidelitatem suam omnibus iam satis esse perspectam. præterea sua se Portæ uetera priuilegia amittere nolle asserebant, quibus in principis morte Iudæos & Christianos deprædarí permissum, atq; huiusmodi crimina iuramento noui principis condonarí solitum erat. Ad summam, uerba hæc atq; hi tumultus Ianizarorum tantum potuere, ut bonus senex quadam etiam dominandi usq; ad mortem dulcedine ductus, miserit qui dicerent: Acomathi nullam adesse rationem qua princeps creari posset: debere igitur eum in Amasiam reuertí, quousq; tandem melior occasio desiderij communis exequendi se offerret. Acomathes uerò tali nuncio turbatus, odium in patrem de rebus suis inconsideratè desperans, statim concepit. ac Natoliam occupare proposuit, ut post mortem patris, huius prouinciæ uiribus adiutus, imperium accipere, atque aduersarios punire posset. Ergo exercitu coacto, quàm plurima loca subiugauit. Alen sciachi Baiazetis primogeniti, multis antè annis defuncti filium, qui Iconium nobilissi-

*Ciorlus.*

*Scutarum Chalcedon*

nobiliſsimam ciuitatem poſsidebat, è regno expulit. Deniq; tanquam patri penitus rebellis, omnibus inimicabatur, quibuſuis cõſilijs opponere ſe audebant. Quin quod maius eſt, patris etiã oratori naſum atq; auriculas abſcidit. Quo ſcelere Ianizari commoti, exclamare cœperunt, Acomathẽ ueluti proditorem ac parricidã eſſe puniendũ. Sed & Baiazetes maxima in Acomathẽ indignatione concepta, exercitũ, ut in Natoliam traijceret, parari iuſsit. Verũ Baſſæ omnes ac Bellerbeij, præterea & Ianizarorũ Aga, ſe contra Ottomaniũ ſanguinẽ ituros omnino recuſabant, niſi à Principe aliquo ex eodem ſanguine progenito ducerentur. Obtinebant tunc apud Baiazetem ſummam autoritatem Cherſeolus Baſſa, Latici ducis origine Græci filius, Principis gener: ac Muſtapha Baſſa, qui ſimul etiã Viſirus erat, nimirũ is qui Romam ad Innocentiũ Papã orator uenit, ac ferrũ lanceę quę latus domini noſtri IESV CHRISTI aperuit, ad nos detulit. Igitur ij duo Baiazeti ſuaſerunt, ut Selimum cõdonata culpa ad ſe uocaret, atq; eũ ipſum contra Acomathem mitteret. rẽ enim nõ niſi optimè ſucceſſurã arbitrabatur, etiã ſi Selimus ſuccubuiſſet: quando in quẽcunq; euentũ inclinaſſet fortuna, ſceleſti ſe mutuò caſtigaſſent. Placuit Baiazeti conſiliũ. Etenim quia ſenex atq; infirmus erat, in Aſiã per ſe traijcere, Selimo in Europa relicto, non audebat: illud præcipuè timẽs, ne ſeipſo atq; exercitu abſente, Selimus imperiũ occuparet. Poſtquã igitur in eam ſentẽtiam pedibus itum eſt, Baiazetes manu propria ad Selimũ ſcripſit, ut ad Portã accederet. Porrò Corcuthes, tertius Baiazetis filius, ab amicis hac de re certior factus, eodem ipſo tempore ex Phocæa Conſtantinopolim triremibus uenit, ac patrem obnixè rogauit, ut eam ſibi redderet dominationẽ, quã poſt Mahometis mortẽ à ſe liberaliter acceperat. Baiazetes autem libere pollicitus eſt, ſe id effecturũ, quum Selimus in Aſiam tranſiſſet. Cæterũ nõ ita multo pòſt adfuit Selimus, incredibiliq; omniũ militũ fauore et gaudio exceptus eſt. Quin & Corcuthes ipſe uſq; ad ciuitatis portã illi obuiam proceſsit. Selimus ubi ad patrios pedes peruenit, perpetrati criminis ueniam facile impetrauit, Baiazete læto uultu affirmante: q; quũ, pprij erroris ſubitas pœnas ſoluiſſet, merebatur etiã ut malefacta maleq; cogitata citò ei condonarent. Inde Selimus duces ac priuatos Portæ milites muneribꝫ & pollicitationibꝫ. efficere ſibi amiciſsimos incœpit. Corcuthes uerò huiuſmodi ambitionibꝫ. minimè intentus, ſperabat fore ut à patre id obtineret, q; Selimus à militib. quærebat. Sed re ipſa cognitũ eſt, liberalitatẽ atq; induſtriam cuicunq; cuius difficili negocio ſucceſſũ optimũ prębere. Nã quũ Selimus bellicæ expeditionis dux publicãdus eſſet, non dux, ſed imperator à militib. magno clamore ſalutatus eſt. Moxq; Muſtapha Baſſa, huiuſce rei autor ad Baiazetẽ eſt miſſus, qui ei indicaret, ut Selimo renũciaret imperiũ: quod niſi effeciſſet, milites ſtatim ingreſſuros qui ipſũ interficerẽt. Baiazetes aũt, qui ueluti attonitus ob auditas uociferationes, in podiũ quoddam exierat, perſuaderi ſibi permiſit ut id donaret q̃d iam in manu Selimi erat. Sicq; Selimus iterũ princeps ſalutatus eſt, at tota ciuitatis ijs utẽs cæremonijs, quibus in nouorũ principũ creatione uti cõſueuit, ad ipſũ cucurrit. Curcuthes uerò eo tumultu perterritus, in prouinciã ſuam triremibus aufugit. Porrò Baiazetes collectis gemmis ac pecunijs è ueteri ſua ſede, lachrymans diſceſſit, eo nimirũ animo, ut Dimoticũ amœniſsimã ciuitatẽ in Euxini litore ſitã peteret. Verũ in itinere nimio ex dolore in malã ualetudinem lapſus, pharmaco uenenato per medicũ quendã Iudæum, Selimi tuſſu diſpoſito, interijt, quũ iam ętatis annũ LXXIIII ageret, annisq; XXXI, quemadmodũ & pater & auus, imperio pręfuiſſet. Enim uerò Selimus in Aſiam con-

*Lanceæ ferrum quæ Chriſti latus aperuit, Romam delatum.*

*Liberalitatis atque induſtriæ ſucceſſus.*

*Curcuthæ mors.*

tra Acomathem traiecturus, timuit, ne pater, si eũ uiuere permisisset, fortè re cuperaret imperiũ. Adfuit præterea huic facinori crudelitatis atq; adeò uitio rũ omniũ mater auaritia. Selimus enim in rẽ suã minimè esse iudicauit, ut se nex pater gẽmas omnes, resq; alias pretiosas, à pluribus qui præcesserãt principibus collectas, secũ auferret: præsertim quũ eiusmodi reb. ipse indigeret, quo immẽsę obligatiõi, quam cũ militib. cõtraxerat, satisfaceret, quãdo ij etiam proditionis notã subire nõ timuerant, ut ipsum constituerẽt imperatorẽ.

## SELIMVS.

HAc iniusta & sceleroſa uia Selimus ad imperium peruenit anno ab humani generis instauratione M.D.XII. in mense Aprili: nempe illis ipsis diebus, quibus Galli atq; Hispani inter se Rauennæ conflixerunt. Defuncto patri funebres pompas ac magnificũ sepulchrum apparauit, ut hac uana & simulata pietate manifestum periculum cõtegeret. Quibus peractis, illico thesauros numerauit, atq; amplissimũ donatiuũ Ianizaris Portæq; equitibus dedit. Stipendia militib. omnib. ut cuiusq; ueteris ordinis ratio exposcebat, adauxit, adeò ut oẽs sibi factũ esse satis profesi sint. Mox in fratrẽ arma mouit, illũq; è Cappadocia expulit. Acomathes enim uires, quibus resisteret Selimo, non habebat. Inde Angoriũ nobilẽ ciuitatẽ ueterib. Ancyrã dictã profectus, nepotes oẽs Alensciacho, atq; ex alijs suis fratribus antea defunctis, interfici crudeliter iussit. Sub hæc quũ Aladinũ & Amurathẽ Acomathis filios post paternã fugã cum exercitu, recuperandæ regionis causſa uenisse Amasiã uersus audisset, equitatũ in eos qui cõprehensos interficeret, immittere decreuit. Id cõsilij Mustaphã Bassam ad pietatẽ inflexit: iam enim eũ pœnitere incœperat, occasionẽ præbuisse, ut & Baiazetes, et tot iuuenes infantulíq; sanguinis Ottomanij fuissent interfecti. Quamobrẽ Acomathis filios adeò et secretè et celeriter admonuit, ut ante imperatorij equitatus aduentũ ad montes aufugerint. Selimus aũt, qui homo astutus erat, statim animaduertit Mustaphæ opera iuuenes euasisse. Vnde etiã ob eã suspicionem Mustaphã Bursię suffocari, ac nudũ cadauer in publica uia canib. exponi iussit. Et talẽ quidem Mustapha meritorũ suorum gratiã recepit: quia apud malũ principem uel minima offensiuncula pluris æstimatur, quàm acceptorũ q̃ pluriũ officiorũ obligatio. Post Mustaphæ mortẽ, Selimus Corcuthẽ quoq; interficere constituit, quanquã ab ocioso et quieti dedito philosopho parũ sibi timendũ erat. Duę igitur equitũ turmæ in Magnesiã, ubi Corcuthes residebat, in hoc excurrerũt. Verũ Corcuthes à suis hac de re certior factus, inimicorũ furorẽ euasit: seruis enim duobus comitatus, uestibusq; alienis indutus, ad Smyrnæ littora se cõtulit, ibiq; in spelunca quadã delitescens, nauẽ aliquã expectabat, quæ Rhodũ traijceret. Sed quũ id nequaq; fieri posset, Bostãge Bassa Selimi genero classe ea littora obseruãte, ob famẽ ac serui perfidiam citò deprehensus captusq; est: & quẽadmodũ Selimus ordinarat, arcus neruo suffocatus. Interea Acomathes, implorato à Sophi atq; Alepi principe auxilio, qui ueluti capitales inimici magnitudinis Turcicorũ imperatorũ, reb. ipsius fauebant, adeò magnũ ac potẽtẽ coegit exercitũ, ut aperto Marte cũ hostibus cõgredi ualeret. Nã & equitum Persianorum ualidam turmam optimeq; armatam habebat, sicq; tandẽ ad Horminiũ usq; montem Bursiæ proximũ peruenit. Solimus aũt Canolio uxoris suæ fratre cum maxima Tartarorum multitudine secum ducto, obuiã ei, profectus, decimooctauo Calẽdas Maias, Anni M. D. XIII. cũ ipso cõflixit, ac uirtute Sinami Bassę eunuchi, Natoliæ Bellerbeij Persas fudit. Acomathes uerò à Tartaris impeditus, à tergo ex ordine et ipse deturbatus est:

*Angorium, Ancyra.*

*Mustaphæ interitus.*

*Sunt qui dicãt Alepũ uel Alepiam, (ut nunc uocant) ab antiquis fuisse Epiphaniam nominatam.*

*Acomathis mors.*

est, quumq; equus, cui insidebat, ob nimiam crassitiem parum agilis, in terrã decidisset ab hostib. captus, iussu Selimi statim eo quo & Corcuthes modo, crudelissimè strangulatus est. Porrò Aladinus & Amurathes euasere: quorũ alter postmodũ ad Sultanũ profectus, ibi febribus periit. Alter uerò Persiã petens, apud Sophim per plures annos mansit. Selimus posteaquã cõsanguineos omnes, quos cõmodũ habere potuit, è medio sustulisset, de ijs omnib. qui Acomathi fauerant, uindictam sumere decreuit. Quoq; id securius atq; expeditius efficere ualeret, solennes inducias cum Ladislao Vngariæ rege pactus est: ac pacem cũ Venetis, quam Baiazetes eius pater cõstituerat, cõfirmauit: sicq; anno à CHRISTI natiuitate M.D. unà cũ ducentis hominũ millibus peditibus partim, partim equitibus, itinere sexaginta dierum cõtra Hismaelem regem profectus, nõ procul à ciuitate Arsengana Euphratem trãsiuit, ac prope Taurium inclytã regiamq; ciuitatẽ in medio maioris Armeniæ sitam peruenit. Nec tamẽ unquam Sophis obuius illi est factus. Sed id tantũ curabat, ut stramina, atq; ea quæ ad uictum pertinebant, igne cõsumerentur, quo Turcæ fame laborare cogerentur. Verũ cũ Selimus in magnã Calderamæ planitiem inter Coin & Tauriũ, ubi antiquitus Artaxata nobilis ciuitas extitit, peruenisset, Sophis rex unà cũ equitatu adeò armis equisq; pulcherrimis ornato, ut nihil suprà excogitari posset, sese hostibus ostẽdit: nihilominus tamẽ neq; pedites, neq; machinas æreas habebat. Sed eñ equi phaleris laminibus chalybeis, ut Azemię fiũt, elaboratis, sic exornabant, ut equites ipsi Turcis inermibus, defessis, ac fame laborantibus cõparati, duces esse uiderẽt. Enimuero Princeps Sophis, quum sibi pararet imperium, cũ Armenis, Persis, Medis & Assyrijs suorum quatuor regnorũ, quę nũc Tauris, Sumachi, Sciras & Bagadat uocãt, primoribus populis sæpius pugnarat, ac semper egregiè uictor euaserat. Quamobrem perpetua hac felicitate elatus, Turcas numero suis longè superiores, nihili faciebat: neq; quid sibi euenire posset, si æquo Marte in pręliũ descendisset, animo perpendebat. quemadmodũ hi cõsueuerunt efficere, qui fortunam nunquam experti sunt contrariam. Et sanè semper cũ mitibus tumultuariè ac de improuiso, ut bellandi necessitas cogebat, ex populis, quos superius paulo memorauimus, collectis sibi res fuerat. Turcę uerò ueterani milites erãt, bellis ac uictorijs perpetuò assueti, ad quãcũq; necessitatẽ sufferendã nati, quo certã uictoriã ex quauis tẽtata prouincia referrẽt. id quod ipse forsitan minimè cogitabat. Vt ut fuerit, nono Calendarũ Septembrium exercitum in duo amplissima cornua diuisit, quorũ alterũ Vstaolo summę autoritatis duci commisit, alterũ sibi ducendũ seruauit. ac mox tubicinibus classicũ canentibus, Cassanũ Bassam Romaniæ Bellerbeium aggressus est. Præerat is sinistro Turcarum cornu: dextrum Sinamus Bassa tenebat: mediũ uerò Selimus cũ Ianizaris tuebatur, circundatus camelis in ordinem dispositis, ac machinarum æneārum curribus ab utroq; latere & à tergo collocatis. Verùm primo congressu Sophiani tanto impetu hostes inuaserunt, ut Turcæ inermes, equosq; inualidos habẽtes, resistere minimè potuerint. Etenim Sophiani & longioribus & breuioribus hastis uariè hostem impetentes, ensibusq;, quos Cimitarras uocant, ac optimis securibus ferientes, homines atq; equos subuertebant. In hoc cõgressu Bellerbeius unà cũ quatuor Saniachis, ac militibus quàmplurimis periere. Porrò altera ex parte, quum Vstaolus inimicorũ dextrũ cornu inuasurus esset, Sinamus astutè ipsum operiri, atq; æreas machinas quas Falconetos appellãt, exonerari iussit: quę Persis anteq; cõminus pugnare possent, maximũ et terrorẽ et damnũ intulere. nihilominus tãdẽ pugna

*Artaxata hæc, ut quidam putant, ab Annibale condita fuerat, cum ab Antiocho discessisset.*

*Sophis quatuor regna.*

*Cimitarræ enses.*

*Falconeti.*

tum est, licèt ob fumum atq; ob puluerem pugna ipsa satis esset obscura. Vsta olus unà cũ multis è suis occisus est. Cæteri uerò Sinami equitatu circũdati ac repulsi, in cornu medij frontẽ, ubi Selimus cũ exercitus neruis erat, impingere coacti sunt, atq; ibi demum omnes æreæ machinæ, additis etiam paruulis, quas Ianizari ferebãt, (Scopietos eas uocãt) globulos suos emisere, atq; indiscriminatim tã Turcis quàm Sophianis nocuere. Quã ob caussam Sophiani ipsi prius quàm ad Ianizaros peruenire potuissent, in fugam cõuersi sunt. Hismael scopieti glande in scapulis uulneratus, uexilla ac plurimos ac egregios chrosq; milites amisit. Et nisi puluis obscurissimus eripuisset uisum, sine dubio & ipse aut morti aut captiuitati obnoxius extitisset. Interea uerò dum manus cõsererẽtur, Selimus semper inter Ianizaros mãsit, nullis armis prætereq; trilici collario indutus. Verũ fideliores Spachi & Solachi maiores q̃sdã clypeos circa principẽ erectos tenebãt, ut ipsũ ab immissis sagittis tuerent. Ex ueridicorũ hominũ, qui huic pugnæ interfuerũt, relatiõe accepi, inter cadauera interfectorũ fœminas nõnullas. Persarum nimirum uxores, repertas fuisse, quæ more uirorũ armatæ, maritos in quemcunq; fortunæ euentũ sequebanť. Eas Selimus honorificè sepiliri iussit. Porrò huiuscemodi uictoriæ fama totã Armeniã adeò perterrefecit, ut ipse Sophis Taurij cõsistere nõ audẽs, ulterius ad instaurãdũ exercitũ, pgressus sit. Verũ Selimus ut optimus dux, uictoriq; recens partę calore usus, Tauriũ cum expeditiore equitũ manu profectus est: atq; in ipsa urba, quam sine pugna deditã accepit, per aliquot dies est commoratus. Mox quũ Hismaelem cõgregatis ex omnibus suis prouincijs militibus Taurium aduentare audisset, principis palatiũ ac mercatorũ plurimorũ ædes pulchrioríb. & preciosioribus rebus expoliauit: præterea pecunias à ciuibus exegit: ac demũ inde discedens, multas artificũ ac nobilium familias secũ abduxit. Quũq; iã ad Euphratẽ longis itineribus peruenisset, maxima ac fortissima latronũ Hiberorum Hismaeli subditorum turma, transuadãtes Turcas à tergo populabũda inuasit, atq; ex ipsis plurimos ex itinere defessos, & ad reliquum exercitum subsequendũ tardos interfecit. Postea uerò quàm fluuiũ Selimus transisset, ab Aladulo principe maxima & molestia & dãno affectus est. Etenim is in fluminum transitu atq; in montiũ angustijs Turcicũ exercitum, præcipuè uerò milites extra ordinẽ uagãtes assiduè infestauit, Selimo sæpius iurãte se huiusmodi iniurias uere nouo uindicaturũ. Cæterũ hæc Calderamia uictoria incredibilẽ autoritatẽ Selimo peperit, qui itinere dierũ uiginti lõgius quã Mahometes ipsius auus progredi ausus esset: atq; in hoc peculiariter cõmẽdabatur, quòd per ipsum iã omnibus manifeste patéret, Sophianas uires nõ usq; ad miraculum excellere, quemadmodũ prius fama creditũ erat. Nã ut uerũ fateamur, ipsius Sophis exercitus nõ ex militib. ordinario stipendio cõductis constat: sed ferè omnes ad principis imperiũ cõuenire, ac propriã tueri patriam bene armati iubentur. Id sanè uerũ est, cẽtum Persas ob equorum atq; armorũ apparatũ cũ quadringentis Turcis posse congredi. Verùm ipsi Persarum reges cõmoditate suscipiẽdarum in remotas prouincias expeditionum omnino carẽt: quoniã neq; consuetudinẽ, neq; facultatem stipẽdiorum tam pacis quàm belli tẽpore soluendorũ habẽt, sicuti Ottomanios principes habere certum est. Perseq; enim stabiles atq; idoneos ad bellãdum pecuniarum prouẽtus nõ possident, quũ populi ab antiquis tẽporibus liberi ab omnib. ferè uectigalib. sint. Vnde etiã est, ut nullos peditũ ordines perpetuò alãt, neq; multũ machinarum ærearũ secum ducant: quib. tamẽ duabus præcipuè reb. quoduis

*Scopieti.*

*Persarum uxores armatæ in pugna.*

*Sophis exercitus qualis.*

*Persarum belandi ratio.*

quoduis bellicum, quamuis difficile, negocium superatur. Sed ut ad Selimum redeam, Turcicus exercitus eo anno in Trapezontina atq; Amasina prouincia hyemauit. Anno uerò qui proximè insecutus est, nimirum M. D. XV. ut acceptas iniurias uindicaret, bellum cõtra Aladulum Principem mouit. Is Cappadociæ montes illos, quem Taurum uocant, prope Euphratem incolit, ac regni sui fines terminat, cum Sultano quidẽ Alepum uersus, cum Sophi uerò prope minorem Armeniã, cum Turca autem urbe quadã quam Orfam nominant, Amasiæ Saniacatui atq; Iconio opposita. Et ualles sanè aliquot fructiferas, uerùm plures syluestres & saxosas possidet. In ijs autẽ Costagelus dux difficiles quosdam transitus, iter hostibus impediturus, munierat. Verùm labor omnis frustra insumptus est. Sinamus enim locorum angustias omnes penetrauit, plurimisq; illarũ gentium turmis profligatis, ac præsidijs deturbatis, tandẽ cũ Costagelo inter mõtes conflixit, atq; eum in fugã conuertit. Sed enim Bostagelus persequente Sinamo ab incolis proditus, in Selimi manus peruenit, qui eum capite puniri imperauit, atq; ipsum caput Venetias in uictoriæ signum misit. Verũenimuero quũ adeò felici rerum successu Selimus suum imperium debellatis Persis atq; Aladulo castigato stabilisset, cùm ob audaciam inde sumptã, tum ob triumphorum cupiditatem Campsoni Ciauro Alcairi Sultano bellum inferre constituit. Et Campson quidem ipse cum ingenti exercitu eodem tempore ex Aegypto in Syriam uenerat, Alepũ concessurus, ut Caierbeium eiusdem urbis Principem subditum suis imperijs, sed parum amicum ac parum obsequentem, & principatu & uita priuaret: atq; ut Turcarum finibus propinquus Selimo terrorem incuteret, ac experiretur an autoritate sua res Sophis cum ipso Turca componere ualeret.

*Aladulus. Taurus mons.*

*Bostageli mors.*

Nam potentia ac felicitas Selimi reuera iam omnibus timori erat, optimeq; Sultanus ipse considerabat, Turcis deuicto antea Caramaniæ rege, prostrato nuper Aladulo, ac Sophi grauiter depresso, nihil amplius obstare posse, quo minus Syriam, quum liberet, inuaderent. Comitabantur Sultanum quatuordecim millia Mamaluchorũ, ac totidem subseruij armis, equis, atq; alijs egregijs ornamentis adeò excellentes, ut nihil omnino pulchrius uideri possit. Mamaluchorum plericq; genere Circassi erant, omnesq; ex eorum numero qui CHRISTO ualedixerunt: uerùm homines robusti, & in pertractãdis armis, ac sagittis etiam equitãdo eiaculandis agiles, ingenio tamen adeò elato ac superbo, ut sese omnibus hominibus præferrent: sed præcipuè Turcas, quoniam eos antè prope Tarsum tam facilè fugarant, ueluti pecora cõtemnebant. Interea Selimus cum exercitu Cæsaream uenerat, ex quo loco cõmodè uel Euphratem trajicere, atq; in Persam mouere, uel Amanum montem transire, ac Syriam inuadere poterat. rumor tamen diuulgabatur, ipsum contra Persas iturum. Nihilominus quãdiu Cæsareæ mansit, oratores quamplurimi ac literæ à Sultano ad Selimum, & è cõuerso missi fuere. Porrò Caierbeius Turcam subinde admonebat atq; inuitabat, ut in Syriam transiret, simulq; pollicebatur se à domino suo ad ipsum defecturum, quẽadmodum & fecit, & denicq; certam Turcis uictoriam promittebat. Cæterùm, quum iam Sultanus Amanum ciuitatem, antiquitus Apamiam dictam, inter Damascum atq; Alepum, peruenisset, eo nimirũ animo ut Alepum statim inuaderet, Selimus tandem Sultanum ipsum aggredi decreuit: sicq; ad dextram conuersus, incredibili celeritate montem Amanum pertrãsiuit, Ianizaris atq; Asapis æneorum machinarum currus super humeros gestãtibus. Quod quum Campson audisset, iam non Caierbeium castigare, sed seipsum à Turcis tueri, ac uindictam in aliud tempus differre statuit. Vnde etiam Caierbeium ipsum orauit, ut prope Alepum secundum paruulum fluuium, à ueteribus Singa uocatum, in castra

*Mamaluchi.*

*Amanus quondam Apamia*

concederet. Id quod Caierbeius haud inuitus fecit, non quidem ut Sultanum iu uaret, sed ut proderet. Inter hæc Selimus derepente hostibus sese ostendens, Mamaluchos, qui sub Sybeio Beluamo Damasci principe ac primi nominis duce erant, inuasit. Sed Mamaluchi eo in congressu uiriliter agentes, Turcicos equites à Mustapha paulo antè in Bellerbeium assumpto & Imbracore Bassa in pugnam deductos dissiparunt. Erant præterea & aliæ tres Mamaluchorum classes, quarum unam Caierbeius ducebat: qui longo ambitu hostes circumiens, impedimenta atq; homines ad bellandū minimè idoneos à tergo aggredi uelle uidebatur. Alteri Lambardus Gazelles ueteranus ac fortissimus dux præerat, qui etiã Sinamum Bassam fortiter inuasit. Tertiã, quæ ad duo miliaria remota erat, Sultanus ipse per se ductabat. Sed enim quum Gazellis ac Sybeij turmæ usq; ad Ianizaros penetrassent, et ab ijs & ab æreis machinis adeò egregiè repulsi sunt, ut nõ secus ac in Sophiano conflictu anteà Persis acciderat, laxatis habenis retrocedere coacti sint. Quamobrem Sinamus fugientes insecutus, eos in Sultani classem impingere cõpulit: qui quidẽ uisa suorũ fuga, et Caierbeij proditione audita, nimio dolore perculsus, ex equo inter fugiendũ cecidit, equorũq; nõ minus suorũ quàm hostiũ pedib. attritus, uitã finiuit. Ad hæc Tripolis princeps ac Sybeius, qui equitandi peritia nemini cedebat, interfecti sunt. Gazelles euasit, ac collectis in unũ qui superfuerãt Mamaluchis, Damascum se contulit. In eo conflictu plurimi excellentes equi nimiũ cùm laborẽ tũ calorẽ sufferre nõ ualentes, medij crepuere: pugnatũ est enim nono Calendarũ Septembriũ, sicuti duobus retro annis eodẽ die & simili fortuna cũ Persis pugnatum fuerat. Sultani cadauer illæsum, quod ad uulnera attinet, inuentũ est. Fuerat Sultanus ipse homo admodũ pinguis, senioq; iam cõfectus, ut qui septuagesimũ sextũ annũ ageret. præterea hernioſus, id quod illi etiã præcipua mortis causſa fuit, quando ob huiusmodi impedimentum in fuga celeriter equitare nõ potuerit. Verùm ut ad Selimũ reuertamur, egregia hæc uictoria Syriæ portas omnes Turcæ reserauit. Nã Alepum, Amanũ, ac Damascũ profectus, summo cum gaudio tanq; populorũ è tyranni manibus liberator, ab omnibus exceptus est. Mamaluchi uerò omnes, tam qui aufugerant, quàm qui maritima loca tuebantur, Alcairi conuenerunt, ac Tomõbeium Alexandriæ præfectũ (Armiraliũ nunc uocant) Circassum quidẽ genere, sed hominẽ cùm egregij corporis, tũ inuicti animi dotibus, regiã dignitatẽ præse ferentem, Sultanum creauêre. Is statim quicquid seruorũ, quicquid Arabũ inuenire potuit, simul contraxit, ac Rhodum misit qui machinas æneas afferrent: præterea Matharcã Alcairo uicinam exactè muniuit, relicto in Iudææ Gaza Gazelle cum militum manu non contemnenda, qui hostium transitum impedirẽt. Verumenimuero Selimus, ubi noui Sultani bellicum apparatum audiuit, petere omnino Alcairum constituit, sicq; inter eundũ Hierosolyma profectus, atq; ibidem per aliquot dies commoratus, templum inuisit, monachisq; eiusdem loci incolis eleemosynam dedit. Sinamus autem cũ uiginti millibus equitũ ac plurimis Ianizaris scopietarijs (ut uocant) imperatorem præcedens, prope Gazam cum Gazelle conflixit, ac Mamaluchos tandem post cruentam pugnam fudit. Gazelles accepto in ceruice uulnere, præter omnium opinionem è medijs Turcarum turmis euasit. Porrò Sinamus Mamaluchorũ capita cũ suis illis demissis barbis secundum uiam ad palmarum truncos affigi curauit, ut à Selimo illàc trãsituro postmodum uiderentur. Selimus uerò ea uictoria lætus, quàmplurimos utres parari iussit, quibus aqua per arenosa deserta ferri posset, atq; exercitũ Alcairum uersus direxit, quo in itinere sæpius cum Alarbis, quos uocant, pugnatum est. Tãdem Selimus Matharcam, ubi balsamum nascitur, ab Alcairo circiter quinq;

*Sultani interitus.*

*Armiralius.*

ter quinq; miliarijs distantem peruenit: quem locum Tomombeius æreis machinis, fossis, & apertis & occultis, maximisq; propugnaculis, ne pateret hosti transitus, munierat, ibiq; castrametatus, milites sub papilionibus esse iusserat: Cæterùm quum Turcicus exercitus illuc appropinquasset, duo Mamaluchi ex Albania oriundi, meliorem fortunam quæsituri, è castris ad Turcas ipsos transfugere, Tomombeijq; consilia Sinamo conterraneo suo manifestantes, loca ostenderunt, ubi fossæ cratibus canneis coopertæ, quæ præcipites exciperent equos, latitabant. Ad hæc, ubi & quomodo æreæ machinæ dispositæ essent, indicarunt. Id quod procul dubio in caussa fuit, ut postea Selimus victoria potitus sit: magno enim circuitu ad sinistram arrepto itinere, præparatas insidias euitauit. Tomombeius, ubi rerum à se dispositarum ordinem proditione retectum uidit, spe omni iam ferè destitutus, machinas ipsas alio traducere conatus est. Verùm quum non ex ære, sed ex ferro, ut anteà fieri consueuerant, confectæ, atq; in tralibus quibusdam multo ferro munitis, non super currus collocatæ essent, difficulter deduci poterant: nihilominus leuiores aliquot curribus impositas secum accipiens, contra Turcas profectus est. Nullibi unquam memoria hominum crudelius pugnatum est, quum uterq; princeps uitæ, honoris, atq; imperij omnem spem nulla alia in re quàm in victoria posuisset. Gazelles maxima militum multitudine stipatus, Sinamum est adortus. Magnus uerò Diadarus Mustaphæ cornu inuasit, Sultanus autem ipse in Selimi ordines inuectus est: ac prius quidem ex utraq; parte machinæ æreæ globos in hostes, maximis militum acclamationibus, emisere. Mox ingens Mamaluchorum numerus Turcas circundedit, ac circum impedimenta maximum excitauit tumultum. Verùm in medio maior strages est edita, in qua etiam fortis atq; egregius eunuchus Sinamus interijt, Iamq; victoria ad Mamaluchos inclinare uidebatur, quum Selimus Ianizaris ut suis adessent, signum dedit. Hi uerò seruato ordine progressi, quadam ueluti grandine globulorum è scopietis quos ferebant emissorum, Mamaluchos illico terga dare coegerunt. Ergo Tomombeius, ubi pugnando strenui etiam militis officio functus esset, ad Alcairi portas se contulit, ut exercitus reliquias colligeret. Idem fecit & Gazeller, sicq; ambo incolumes euasere. Diadarus autē ac Bido præfectus, incredibilis fortitudinis uiri, letalibus acceptis uulneribus, capti sunt: quos Selimus non ita multo pòst, ad expiandos Sinami manes interfici iussit, testatus se tantum è Sinami morte doloris, quantum ex parta victoria lætitiæ accepisse. Tomombeius autem sapientes reges imitatus, qui etiam in aduersis animo semper infracto sunt, Mamaluchos hortari cœpit, ut munire urbem, atque in singulis uicis, imò in singulis domibus contra hostem persistere uellent: præterea plus quàm sex mille seruos Aethiopes manumisit, atque ad id bellum armauit. Ad hæc Alcairi ciuibus persuasit, ut se à communi omnium, crudelissimoq; hoste tuerentur: sicq; effectum est, ut summa diligentia digniori bus urbis locis munitis, uiisq; omnibus intercluſis, etiam fœminæ ad hanc ultimam pugnam disponerentur. Selimus uerò huiusmodi apparatus optimè norat, nimirum per eos seruos, qui ad ipsum transfugientes Sultanum deserebant: quemadmodum plerunque fit, ut aduersa domini fortuna beneficiorum acceptorum memoriam seruis adimat. Magna igitur solitudine curabat, ut exercitus quàm citissimè fieri posset, uires recuperaret, ac præcipuè ut uulnerati medicorum auxilijs iuuarentur. Tandem quum quarto post commissum prælium die Alcairum ingredi decreuisset, Ianus Bassa Ianizarorum cohorte ac nonnullis equitibus, nec non & machinis æreis secum ductis, primus urbem est ingressus, per eam portam quæ Bassuela uocatur, quo in loco non

*Sinami interitus.*

*Seruorũ fides cum fortunãdo minorum mutari soluta.*

*Alcairi expugnatio.*

ita diu pugnatum est. Selimus paulo post hunc est insecutus, ac sic demum Alcairi ciuitatis egregiæ loca paulatim expugnata sunt: sed adeò difficulter, ut aspera illa atq; cruenta pugna per duos dies ac totidem noctes cum utriusq; partis ingenti strage perseuerauerit. Tandem bona Mamaluchorũ pars in magnam quandã Meschitam concesserunt: ubi quum pugnando defessi etiã fame laborare cœpissent, uitam cum Turcis prius pacti, sese dedidere. Verùm Selimus promissis minimè stetit: nam eos omnes Alexandriam missos, in carcere decollari iussit. Tomombeius cum Circassorum parte trans Nilum profectus, ad instaurandum bellum milites congregare, Mamaluchosq; omnes ac multos Arabum duces ad se uocare. Gazelles autem prudentium uirorum exempla secutus, qui posteaquam quod officij sui est præstitere, cum fortuna, ne penitus frangantur, inducias agunt: ad Selimum uenit, seq; illi ut dignissimo victori dedidit, ac pollicitus est se Turcis eadem felicitate inseruiturum, qua Sultanis anteà inseruierat. Selimus humaniter hominem excepit, atq; inter suos duces locum ei non infimum concessit. Octauo inde Calendas Februarias Anni M. D. XVII. Alcairi arcem ingressus est, quæ in colle haud admodum eminenti sita, deauratis pictisq; ædificijs, fontibus, hortis, ac plateis miro artificio stratis pulchrior, quàm muris munitior est: etenim ipsius & portę & fenestræ preciosissimis rebus, nimirum marmore, ebore atq; ebeno egregiè insculptis ornãtur. Neq; ita multo pòst Selimus prope Bulachum uicum è nauibus pontem supra Nilum construxit, ut cõmodius contra Tomombeiũ flumen transiret. Quo perspecto, Tomombeius partem Turcici exercitus, quæ trans pontem castrametata fuerat, de improuiso adortus, tumultuarium conflictum iniit. In quo quum Ianus Bassa periclitaretur, Canolius affinis Selimi, occupato adhucà Ianizaris, qui nondum omnes pertransierant, ponte, Nilum cũ Tartarorum manu natando transgressus est, ut celerius suis adesse posset. id quod ob Nili profunditatem immensam miraculo penè ascriptũ est. Porrò Tomõbeius, quũ instaurata sępius maximis uiribus pugna, in qua & ipse propriis manibus egregia facinora edebat, impetum Ianizarorum ac Tartarorũ diutius sustinere nõ posset, aduersam fortunã execratus, rebus fuga consuluit. Selimus aũt ubi Tomombeiũ cũ paucis effugisse accepit, Mustapham unà cum Caierbeio & Gazelle, qui regionem optimè norant, ad eum insequendum misit. Vnde infelix Tomombeius per Principem quendam Maurũ proditus, atq; in palude, ubi inter cannas & iuncos & pectore tenus in aqua latitabat, inuẽtus, ad Selimũ perductus est. Selimus aũt adhibitis tormentis hominem uexauit, ut quónam in loco thesauri Campsonis Ciauri essent, ex ipso agnosceret. Sed Tomombeius incredibili quadam animi cõstantia nihil unquam indicauit. Verùm Selimus non ita multo pòst, ut omnem defectionis spem populis adimeret, Tomombeium mulæ insidentem, atq; annexum gutturi laqueum habentem, per totam urbem duci, ac demum prope portam Bassuelam tertio Idus Aprilis suspendi iussit: omnibus crudele hoc spectaculum deplorantibus, atque iniquam fortunam accusantibus, quæ ipsum Tomombeium ob singularem uirtutem ad imperium uocauerat, ac mox regum omnium, qui unquam miseri extitissent, miseriorem effecerat. Sublatis his duobus Tultanis, unà cũ ferè tota Mamaluchorũ superba progenie, prouinciæ oẽs etiam quę in extrema sinus Arabici parte sitę sunt, Turcis sese dedidere. Selimus uerò post hęc Bulacũ petijt, ut Nilum iucundissimè illic excrescentem uideret. Inde Alexandriã profectus est. Ex quo demũ loco Alcairũ reuersus, Caierbeium administrandis paulo antè deuictis prouincijs præfecit, ut proditionis in Alepino conflictu factæ id illi præmium foret. Sed enim Ianus Bassa, qui munus hoc honorificum sibi tradi

*Gazelli prudẽtia ex necessitate.*

*Nilus natando superatus.*

*Tomombeij interitus.*

uehementer

uehementer optabat, id ęgerrimè tulit. Vnde etiam id honoris Caierbeio inuidens, curauit ut Ianizari, qui Alcairum custodiebant, statim à principis discessu in unũ collecti tumulum excitarẽt, quo Caierbeius ob id malè audiret apud omnes. Verũ scelus in autorẽ recidit. Nã Selimus, cognita Iani fraude, in itinere non procul ab Alcairo capite eũ puniri iussit: ut omnibus ostenderet, nõ esse aduersus imperatorem tumultu militari ludẽdum. Mox quũ in Syriã uenisset, eius prouinciæ administrationẽ Gazelli concessit. Turcis iam inter se murmurantibus, quòd princeps proditoribus fideret, ac Turcicorum ducũ officia parui æstimaret. Tandẽ Selimus Constantinopolim peruenit, quo in loco sub Pyrrhi Bassæ magnæ fidei ac singularis prudẽtiæ uiri cura, Solimanũ unicũ filiũ ut reliquerat, sic inuenit. licet antea ueritus (ut multi iudicarunt) ne sibi absenti Solimanus imperiũ adimeret, quẽadmodum ipse Baiazeti patri ademerat, quũ uestę quadam ueneno intincta dono missa filij uitæ pater insidiatus esset. Necp ita multo pòst Selimus domi agẽs, ulcus in renibus cõtraxit, quod canceris in morem serpẽs, eam corporis dispositionem, quam complexionem uocant, paulatim turbauit, atcp omnia bellãdi consilia expulit. Pòst paulum etiam pestifera febris hominem inuasit, sicp iã morbi tędio sibijpsi grauis, uictorijs ac triumphis exaturatus mortem obijt, salutis nostræ Anno M. D. X X. in mense Septembri, in eodem pago Ciurlano, ubi prius cum patre cõflixerat. Quod non sine manifesto Dei iudicio factum est, ut quo in loco peccatũ commiserat, ibidem et pœnas solueret. Pręfuit imperio annis octo: agebatcp, quũ obijt, ętatis annũ XLVI. Verùm quod ad corporis membra attinet, uentrem admodum demissum breuioribus cruribus sustentabat. Vnde etiam eques magis quàm pedes commendabatur. Faciem subrotundam ac pallidam, oculos prægrãdes & feritate plenos habebat. Animi uerò magnitudine leonem æquabat. Nihil sibi unquã à fortuna pertimuit. Nullum ob periculum quamuis manifestum susceptas semel expeditiones unquam dimisit. Consilia dubia, sed spem aliquam honoris cotinentia, securis, sed illaudatis præferebat. Alexandrũ magnum ac Dictatorem Cęsarem pluris quàm alios omnes antiquos duces faciebat. Quamobrẽ etiã ipsorũ gesta in Turcicã linguã uersa sine intermissione legebat. Natura uerò seuerus erat atcp inexorabilis, semper cogitabundus, nunquã prąceps, prąsertim in exequenda crudelitate, quæ tamen sæpius inniti iustitiæ uisa est. Mustaphã interfecit, quia parum fidelem cõperit. Chendemum Bassam necari iussit, quoniã sibi cõtra Persas eunti tot difficultates obiecerat, ut Ianizari in unum collecti transire Euphratem recusarent. Bostangi Bassæ genero suo caput amputari præcepit, quòd prouincias, quibus eum prefecerat, expilasset. Ianũ Bassam interficiẽdum curauit, ut ipsius nimiam arrogantiã cum infidelitate coniunctam puniret. Dicere consueuerat, se non nutrire prolixam barbam, ueluti Baiazetes pater effecerat: ne Bassi manibus in illam iniectis, ducerẽt principẽ quo uellent, quẽadmodum euenerat Baiazeti. Nimia tamen in proprium sanguinẽ crudelitate infamẽ se reddidit. Verũ ipse affirmabat nihil esse dulcius, quàm sine cõsanguineorum timore ac suspicione regnare, secp ob id excusatiõe dignum arbitrabatur. Quod si uel minimus quispiam ex Ottomanio sanguine in principem prius euasisset, sibi quocp eodem modo pereundum fuerat. Prąterea eum minimè prudentem esse aiebat, qui quod proposuisset, nõ illico exequeretur: quoniam in mora sæpe amitteretur occasio, atque impedimentum designatæ intentioni contrarium oboriretur. Summa hæc est. In arte militari, atcp in populorum regimine excellentissimus acrari nominis uir extitit, quippe qui iustitiam ubicp seruãdam præciperet. Aloysius Mocenico, uir clarissimus unus ex

*Iani Bassæ mors.*

*Selimi mors, eiusdemcp fama & ingenium.*

*In barbã prolixiorem sõma*

*Occasionem sæpe mora amitti*

unus ex Venetis oratoribus, qui Bononiæ apud Maiestatẽ tuã fuêre, nobis retulit, se neminẽ unquã hominum Selimo (nã apud ipsum quoq; Alcairi oratorem egerat, diuq; cum illo fuerat uersatus) parem, quod ad iustitiã, humanitatem, animi magnitudinem, atq; alias huiusmodi uirtutes attinet, inuenisse: nullosq; barbaros mores in eo fuisse asserebat: et quicquid à uulgo illi obijciebatur, egregiè refellebat. Porrò cõsueuerat Selimus (ut ex sereniſsimo Griti Venetiarũ duce accepimus) nõnunq; edere semen quoddã Turcis notũ, quod rerũ seriarũ ac molestarũ memoriã hominib. adimit, eosq; liberos ac iucũdos per aliquot horas facit. Id quod ipse efficiebat, ne profundius grauiorib. cogitationibus inhæreſceret, sed ad oblectandum animũ aliquod temporis spacium haberet. Venationibus summopere delectabatur, sed mulieribus nimium deditus erat. Verùm tãta in uictu modestia utebatur, ut nõ nisi ex uno ferculo comederet, quod plerũq; potius è feris uenatione captis, aut eiusmodi uilioribus carnibus, quàm è uolatilibus sibi eligebat, quemadmodum & priuati milites efficere consueuerant. Id quod in causſa erat, ut etiã inter tot labores, quos in remotiſsimis regionibus sub uario subinde cœlo sustinebat, prospera semper ualetudine uteretur.

*Forsan Nepenthes fuit.*

## SOLIMANVS.

SOLIMANVS, unicus Selimi filius suffectus est patri, eodem anno quo tua Maiestas imperatorio diademate Aquisgrani coronata est. Nec parum Christiani principes Selimi tã fortis ac fortunati hostis morte lętati sunt: sed præ cęteris prudẽtiſsimus papa Leo X. tantũ ex ea re cõcepit gaudij, quantũ tristitiæ paulo antè audito Sultani interitu acceperat. Nam eo interitu nunciato litanias ac supplicationes publicas, in quibus homines nudatis pedibus incederẽt, Romæ haberi piè curauerat: legatosq; per totam Europã miserat, qui id efficerent, ut Christiani in unũ coeuntes, cõtra Christianorũ omniũ hostẽ arma sumerent, Nihilominus quod ad Solimanũ attinet, omnib. uidebatur, mitẽ agnũ rabido leoni succeſsiſse, quum Solimanus ipse iuuenis rerum imperitus, ac natura (ut ferebatur) quietiſsimus esset, quæ tamen falsa opinio multos, atq; inter eos Gazellẽ præcipuè fefellit. Etenim is defuncto Selimo, cui se iuramẽto deuinxerat, ueluti iam liber, Syriam sibi subijcere proposuit. Vnde & reliquias oẽs Mamaluchorum excipiens, regionis simul incolas, necnõ Alarbiũ Duces ad se blandiſs allíciebat: præterea sese Magno Rhodi magistro insinuauit, ut machinas æreas, quæq; ijs necessaria sunt, insuper arma ac triremes inde acciperet. Ad hæc legatum occultè Alcairum ad Caierbeium misit, qui eum hortaretur, ut de iniurijs & sanguine Circassorũ effuso uindictam sumeret: atq; occisis Turcis, principem se constituĕret, Sultanicumq; imperium denuò instauraret. Verùm Caierbeius Gazellis ueteris inimici uerbis minimè fidem adhibẽs, aut fortasse maiorem quàm pro suis uiribus difficultatem in huiusmodi peragendo negocio futuram cõsiderans, legatum interfici iussit, ac Solimanum eius rei admonuit. Solimanus Faratem Bassam cũ ualido exercitu statim in Syriam misit. Quod quum audisset Gazelles, licet iam Baruti ac Tripoli, alijsq; in locis plura Turcarum præsidia expugnasset, terrore tamen perculsus, Damascum sese recepit, quò quidem & Farates longis itineribus tandem peruenit. Cæterùm Gazelles nihil aliud suis rebus magis expedire arbitratus, quàm ut fortunæ omnia committeret, quæ aut uictoriam, aut mortem generoso duce dignam afferret, exercitum, quem congregarat, extra urbem duxit, ac mox cum Farate conflixit. Sedenim in eo conflictu ipse unà cum Mamaluchis omnibus trucidatus est. Farates uerò una hac uictoria & Syriam recepit, & Caierbeij totiusque Aegypti fidelitatem erga Solimanum confirmauit. Porrò Solimanus

*Barutum antiquis Berytus erat: quin & Straboni Barutus dicta.*

eo

eo anno, victoriã secutus est, Pyrrhi natione Turcæ prudẽtissimi uiri consilio ac Ianizarorũ hortatu, Belgradũ, ubi ꝑplurima ex Turcis deuictis posita ab Vngaris trophæa cernebant, aggredi constituit. Igitur præmisso exercitu Sophiã usq; quæ Seruiæ ciuitas est, antè peruenit, quàm Vngari ea de re aliquid rescisscerent. Enimuero ꝺd ad Vngaros attinet, per id tẽpus Vladislao, qui per aliquot annos absq; militari gloria regnum administrarat, Ludouicus unicus filius successerat, iuuenis haud admodũ ingeniosus, atq; ob ætatẽ adhuc rerũ imperitus. Hũc regni principes atq; Ecclesiarũ præsules auari expilãdum sibi proposuerãt, adeò ut nihil ipse prẽter regiũ nomẽ possideret: id quod in caussa extitit, quo minus colligi exercitus cõtra Turcas illicò potuerit, præsertim principib. auxilia pollicentibus tantũ, nihil autẽ re ipsa præstãtibus. Hinc Solimanus nullo impediente cõmoditatẽ nactus, subterraneis cuniculis, æreis machinis, atq; alijs huiusmodi bellicis instrumẽtis, paucis è suis amissis, Belgradũ expugnauit: quod quidẽ nõ tãtum Vngariæ, sed totius Christianitatis propugnaculũ erat, quẽadmodũ infortunia, quæ postea insecuta sunt, manifestè ostẽderũt. Solimanus quũ post eã uictoriã per integrũ annũ quieuisset generosa quadã animi promptitudine cõtra Rhodum arma sumpsit, Pyrrho ac pluribus Saniacis minimè id probantibus: etenim adhuc memores erant, quàm difficulter, quãq; magno cum suorũ dãno ac dedecore Mahometes antea id frustra tẽtasset. Sed super omnia parum tutum imperatori iudicabant, ut seipsum tam paruæ insulæ cõmitteret: fieri enim posse arbitrabãtur, ut classis Turcica uel aduersa tẽpestate, uel Christianorum nauibus impetita, ingens aliquod incõmodum sustineret: id quod principem ipsum in manifestũ discrimen induceret. Nã illis æquũ ac rationi cõsentaneum uidebatur, ut occidentales principes Rhodijs suppetias ferrent. Verũ Solimanus, qui ex patre audierat, uictorias, nisi imperatoris manu parentur, nõ esse omnino integras: per seipsum tandẽ petere insulam decreuit. Sicq; anno ab orbis instauratione M. D. XXII. sub Junij mensis finem cũ quadringentis nauibus, ac ducentis Turcarũ millibus illuc se cõtulit, æreasq; quamplurimas machinas secum duxit, quibus deinde super duos montes dispositis, omnem defendendæ urbis cõmoditatẽ abstulit. Hos aũt montes (quod incredibile ijs etiã qui uiderunt, penè fuit) ipsi Turcæ construxerant, terra per spaciũ duorũ à ciuitate miliariorũ ligonibus atq; eius generis instrumẽtis cõtra urbis fossas proiecta, & in eã altitudinẽ coaceruata. Tantaq; Turcarũ multitudo, earũ operarũ more, quibus nostri exercitus in excauãdis uel implẽdis fossis, atq; alijs huiusmodi ad bellum necessarijs exequẽdis utunt, huic operi incubuerat, ut breui ad fossas urbis peruentum esset, in quibus iã & excauarentur cuniculi, & mœnia uarijs instrumentis demolirent. Philippus aũt Villadamus Gallus, Rhodiensium equitũ Magister, nihil cum suis, quod ad defendẽdam ciuitatem pertinebat, prętermisit: quin machinis æreis maximũ etiã dãnum Turcis intulit: adeoq; egregiè comínus pugnatũ est, ut fossæ urbis Turcarum cadaueribus repletæ fuerint. Neq; tamen propterea Solimanus oppugnationem unquam remisit, quamuis etiã trigínta milia & eo amplius Asaporũ dysenteriæ morbo iam perijssent. Tandem deiectis turribus, ac mœnibus demolitis, per subterraneos cuniculos Turcæ urbis extremas partes occupauerunt. Vnde paulatim semper ulterius progredientes, Christianos cædere, ac nouis subinde propugnaculis, ut ut poterant, se tueri cõpellebant. Præterea machinæ quædam æreæ quas mortarios uocant, globos qui ulnę diametrum habebãt, emittentes, urbisq; interiorem partem impetentes, tecta ac pauimenta domorum usque ad ter-

*Sophia*

*Belgradi oppugnatio.*

*Rhodi oppugnatio.*

*Mortarij machinæ.*

ad terrã cũ maximo omniũ terrore perforabãt. Iãq; aliquot menſes ab incœpta obſidione præterierant, & nihilominus Rhodijs adhuc nemo ſuppetias tulerat, quũ tamen interim Turcis & à Farate ex Natolia, & à Caierbeio ex Alexãdria auxilia q̃plurima aduenijſſent. Nã ipſe Caierbeius quadraginta naues rebus ad bellũ neceſſarijs onuſtas miſerat. Cæterùm dũ hęc apud Rhodum gererẽtur, Hadrianus papa cum nõnullis nauibus ac triremibus, peditũq; circiter tribus millibus ex Hiſpania in Italiã uenit. Hũc Cardinalis Medices, qui nunc Patauij præeſt, atq; alij quãplurimi rogarunt, ut eas naues ac pedites unà Rhodũ mitteret: futurũ enim ſperabãt, ut ualidioribus autumni uẽtis adiutæ, inuita etiã Turcica claſſe portũ ingrederẽtur: præſertim quũ quinquaginta Venetorum triremes in Creta tunc eſſent, quæ hac in re nonnihil auxilij, ſaltẽ ſeſe hoſtibus oſtẽtando, attuliſſent. Verũ ſanctiſsimus pater, qui recẽs Pontificatũ acceperat, ipſorũ conſilijs tanq; ſuſpectis minimè adhęrẽs, id gratiæ diuinitus nõ habuit, ut negotium hoc iuuandi Rhodios amplecteretur. Quamobrẽ Rhodij ipſi ſpe omni deſtituti, Villadamo autore ſeſe Turcæ dediderunt: cum illo tamen prius pacti, ut & uiuere, & res proprias poſſidere, demptis æreis machinis unicuiq; cõcederet. quas conuentiones Solimanus humaniſsimè ac religioſiſsimi ſeruauit: præterea res diui Ioannis tẽplo ſacras ne attigit quidẽ, à quibus noſtri milites fortaſſe nõ abſtinuiſſent. Equidem Villadamo referente audiui, quòd cum Solimanus triginta mill. hominũ comitatus Rhodũ ingreſſus eſt ne unum quidem uerbum eſt unq; ex alicuius ore auditum, adeò ut milites per urbem incedentes, monachi obſeruãtes, quos uocãt, eſſe uiderẽtur. Ad hęc Villadamus ipſe aiebat, ſe quũ ſecundò ad Solimanũ, ut abeundi peteret ueniã acceſsiſſet, tã benignè fuiſſet exceptũ, ut idẽ Solimanus ad Hebraimũ Baſſam, quẽ ſummopere amabat, quẽq; ſolum tunc ſecum habebat, cõuerſus huiuſmodi uerba dixerit: Profectò non poſſum non dolere, infelicem hunc ſenem propria domo pulſum, adeò triſtẽ hinc abire. In ſumma, Solimanus maxima cum ſua gloria, & Chriſtianorum omniũ ſummo uituperio Rhodũ, quæ ſibi ueluti moleſta ſudes in oculo fuerat, ſexto menſe ab eo quo ipſam oppugnare cœperat, occupauit. Porrò, eodẽ ipſo die quo Rhodij ſe Turcæ dedere cõcluſerunt, Romę magnũ Hadriano papæ prodigiũ accidit. Nã quũ is Palatij ſacellum ad ſolennes natalis diei CHRISTI cæremonias peragendas ingrederetur, ianuæ illius ſacelli ſuperliminare, quod marmoreũ erat, poſt eius ingreſſum ilico decidit, ac nonnullos cuſtodiæ ſuæ milites cũ maximo ipſius timore occidit. Sed ut ad Solimani res reuertamur: poſt captã Rhodum, Caierbeius ſtatim defunctus eſt. Cui Acomathes Baſſa, quod ad adminiſtrationẽ attinet, ſucceſsit. Verùm is, quũ parũ ſuo principi fidelis eſſet, occupare Sultanicũ imperium propoſuit: ſed id quidẽ parũ cõſultè, quoniã in ipſo pertractãdæ rei huius initio à Turcis eo fideliorib. captus atq; interfectus eſt. Quã ob cauſsã Solimanus Hebraimũ Baſſam Alcairũ miſit, ut is res turbatas cõponeret: qui omnia ſingulari prudẽtia ſubitò pacauit. Mox principis, qui eũ diutius abeſſe ſufferre nõ poterat, amãtiſsimis literis reuocatus, Cõſtantinopolim rediit: ac non ita multo pòſt Belerbeia dignitate donatus eſt. Sub hæc Solimanus, anno poſt CRISTVM natũ M. DXXVI. Vngaris bellũ indixit: quũq; Belgradũ peruenijſſet, Ludouicus infelix Rex, omnium Chriſtianorũ principum alijs bellis impeditorũ auxilio deſtitutus, præterquam Clementis papæ, qui Boemis ac Germanis peditibus nonnullis è ſuo ſtipendia exhibebat, hoſti obuiã ire conſtituit, quadã potius fatali neceſsitate, quàm aut belli ratione, aut ſpe uictoriæ ductus.

*Papæ negligentia Rhodus Turcis dedita.*

*Prodigium Hadriano Papæ eius Romæ.*

*Expeditio in Vngariam.*

Neq;

Neq; enim ſecuræ atq; honeſtæ belli protrahendi uiæ illi deerant, etiamſi regni pars aliqua fuiſſet amittẽda: etenim ex ea re minus damni accepiſſet, quàm ex totius regni amiſsione poſtmodum accepit, præſertim cum Ioannes Vaiuoda unà cũ quamplurimis militibus aſſuetis pugnare cum Turcis quotidie expectaretur. Sed Paulus Tomoreus Collocenſis archiepiſcopus, monachus Franciſcanus, uir manibus promptus, at ingenio nimiũ audaci, cõſilia omnia pugnæ auiditate interturbauit. Enimuero ſe iã poſſe belli ducẽ agere exiſtimabat, propterea quòd ſemel aut iterũ cum Turcis, non quidẽ integra acie, ſed leuioribus quibuſdam pugnis ac tumultuarijs incurſionibus fœliciter cõgreſſus fuerat. Nam poſt præſtantiſsimi regis Matthię obitum. Vngari, quod ad bella pertractãda attinet, ſemper inglorij extitere. Etenim Ladislaus militarẽ diſciplinã, atq; à rege Matthia inſtitutos militum ordines, adeò labefactari permiſerat, ut Vngari, qui tũc ſub Ludouico militabant, nullam bellandi peritiam, ſed ſolummodo quandam temerariã audaciam, ac ferinũ furorem haberent, quo ſe poſſe Turcas omnes in primo congreſſu deuorare pręſumerent. Summa uerò totius Vngarici exercitus, nõ niſi uigintiquatuor millia hominum in pedites equitesq; diſtinctorum cõtinebat: qui quidem, quũ Mogatium ad Danubiũ ſitũ, Budamq; ac Belgradũ æquis ferè ſpacijs dirimentem, peruenisſent, anteriorẽ Turcici exercitus partẽ, quã Balibeius Belgradi Saniacus conducebat, haud procul abeſſe conſpexerunt. Viginti millia equitũ erant, qui planiciem importunis & moleſtis excurſionibus ac leuibus pugnis die noctuq; ſine intermiſsiõe infeſtabant. in quatuor enim turmas diuiſi ſenis horis, quo per integrũ naturalẽ diem ſemper adeſſent, alijs alij per uices ſuccedebãt. Vngari uerò inter curruum ſepta neceſsitate ſic cogente clauſi, ne aquatũ quidẽ equos ducere ad Danubiũ, nõ niſi quantũ ſagittę iactus eſt ad ſiniſtram diſtantem, audere: ſed puteos ad aquã eo loci, ubi continebantur, inueniendam cõtinuè excauare. Interea Solimanus cum reliquo exercitu ſe ſuis adiunxit, ac milites ex Romania profectos Hebraimo, ex Natolia uerò miſſos Becramo Baſſæ ducendos cõmiſit. Tomoreus aũt militibus omnibus in latã quandã aciem cõſtitutis, inter peditũ cohortes, equitũ turmas diſpoſuit, ne facile à Turcis, qui multo plures numero erant, circũdari poſſent. Præterea pauculas illas æreas machinas quas habebat, in locis opportunioribus collocauit, atq; ad curruũ cuſtodiam eos qui minus in bellis exercitati erãt reliquit. Rex uerò ipſe poſt aciẽ manſit, electosq; equites circiter mille præſidij nomine ſeorſum cõſtituit. In ipſo aũt conſerendarũ manuũ initio, Turcæ bis machinas ęreas globulis in hoſtẽ eiectis exonerarũt. Verũ ij qui machinis ipſis exonerandis (quos nominant bõbardarios) prę erant, altius quàm debuerant ferientes, uix noſtrorum lanceas fruſtra neis ictibus attigerunt. Creditũ eſt id conſultò fuiſſe factum, propterea quòd Chriſtiani ſint ij quorũ opera in ea re Turca utitur. Equitatus deinde Turcicus in Vngaros immiſſus eſt: quo acriter à fronte pugnante, turma itidẽ Turcicorũ equitum currus à tergo inuaſit. Quumq; ijs ſuccurrere neceſſe eſſet, equites illi qui in regis præſidiũ in omnẽ fortunę euentũ ſeruabãtur, eò miſsi ſunt. Interea uerò Tomor, multitudine pugnantiũ Turcarũ oppreſſus, interfectus eſt, unà cũ Strigonia & Varadino præſulibus, quãplurimisq; nobilibus, inter quos Ambroſius Sarconus, & Gregorius Vaiuodæ frater extitere. Sed & ipſe infelix rex deſtinato antea præſidio deſtitutus, euadere minimè potuit. Etenim inter fugiendũ in paluſtrem quandã foueã deſcẽdit, ex qua quũ emergere aſcendẽdo conaretur, ab equo, qui in terga in paludẽ obuerſa decidit, oppreſſus eſt: et quia grauioribus armis indutus erat, ſubtrahere ſeſe ex equo nõ ualuit: ſicq; tandẽ coactus eſt ibidem miſerrimè uitã finire. Germani aũt ac Boemi pedites nõnihil quidem reſtiterunt, ſed nihilominus

*Paulus Tomoreus.*

*Bombardarij.*

*Ludouici Vngarum regis interitus.*

hilominus & ipſi demum occidione occiſi ſunt. Pauculi equites effugerunt. Soli manus ſtultitiã regis uehementer admiratus eſt, qui ducẽtis hominum millibus cum tã paruo exercitu obuius factus eſſet. Mox Budam profectus, urbis arcem his conditionibus ſe dedentem, ut & homines & res priuatæ incolumes ſeruarẽtur, benignè accepit, ac firmiter cõuentionibus ſtetit. Duas deinde ſtatuas æreas per probatiſsimos olim artifices Matthiæ regis iuſſu fabrefactas, Cõſtantinopolim duci, ac ſuper baſes è marmore, pulcherrimo ornatu conſtructas, ueluti uictoriæ trophæũ in foro erigi curauit. Et pugna quidẽ hæc eodẽ (quem ſuperius memoranimus) anno M.D.XXVI, quarto Calendas Septemb. pugnata eſt. Verùm enimuero Solimanus poſt eam ipſam pugnã ob hyemis uicinitatem haud diu in Vngaria moratus Conſtantinopolim reuerſus eſt. Nec aliquid poſtea contra Chriſtianos eſt molitus, niſi Viennæ oppugnationẽ, in qua nos quidem auxilio Dei ac Germanorum uirtute uictoriã ſine cõflictu adepti, agnouimus quãto in diſcrimine uniuerſa Chriſtianitas extiterit. Et proculdubio dominus noſter IESVS CHRISTVS eo periculo ac damno Principes Chriſtianos admonitos uoluit, ut rebus ſuis conſulant, ne eos ſuccumbere contingat, ſi parum uigilãtes iterum à Turcis impetentur. Illud tibi optime Cæſar perſuadere potes, Solimanũ, qui natura gloriæ cupidus, atq; ob uictorias plurimas, imperiiq; magnitudinem audax eſt, nihil aliud magis in animo habere, quàm ut regna tibi ſubiecta tandem occupet. Etenim ex hominibus integris, quorũ uerbis fides haberi poteſt, accepi Solimanum ipſum dicere ſæpius eſſe ſolitũ, Romæ ac totius Occidentis imperiũ ad ſe ſpectare, propterea quòd ipſe imperatoris Conſtantini, qui Byzantium imperium trãſtulit, legitimus ſucceſſor ſit. Neq; id te lateat, Solimanum res Chriſtianorũ omnes optimè atq; exactiſsimè callere, nec minus animi quàm uiriũ habere, ut plura ſimul bella conficienda ſuſcipiat. Ad hęc in rebus ferè omnibus mirabili iudicio uerſatũ. Deniq; uirtutibus quãplurimis ornatus eſt: præcipuisq; illis auaritię, crudelitatis atq; infidelitatis uitijs caret, in quibus Selimus, Baiazetes ac Mahometes, qui ipſum præceſſerũt, fuere. Sed ſuper omnia religiõe ac liberalitate eſt præditus: quæ duæ res facile hominẽ in cœlũ ſubuehũt. etẽm religio iuſtitiã ac tẽperantiã parit: liberalitas uerò, militum animos ſibi deuincit, at certã præmij ſpẽ in eorũ omniũ animis ſeminat, qui per uirtutẽ ad meliorẽ fortunã cõſcendere ſtudẽt. Porrò ijſdẽ uirtutibus Hebraimus quoq; Baſſa, qui præcipua authoritate omnia gubernat, ornatus eſt. Is enim in omnibus ſuis actiõibus iuſtus, ac natura ſobrius, caſtus & patiẽs habetur: præterea eos qui uarijs de cauſis ipſum accedunt, & liberrimè audit, & citiſsimè expedit. Hunc alij duo Baſſæ tanq; herũ uenerantur, propterea quòd ipſe tam in bellicis quàm in ciuilibus negocijs pertractandis, ac pecunijs ex prouincijs omnibus colligendis, autoritate Principi ferè æqualis ſit. Natus uerò eſt in Macedoniæ uico, quem Pargã uocãt, à Corcyra nõ admodũ remoto, ac Schenderi Baſſæ ſeruus fuit: cuius etiã filiã poſtea in uxorem accepit. Cæterũ ab ineunte ætate cũ Solimano (fortuna ſic diſponente) educatus, mores grauiſsimos atq; optimos ſemper ſeruauit, adeoq; tẽperatè gratia & fauore Principis uſus eſt, ut nihil arrogãtiæ, nihil inde ſuperbiæ cõtraxerit, quẽadmodum plerunq; ij facere cõſueuerũt, qui ex humili loco in altũ conſcendẽtes, amplitudine aſpirãtis fortunæ abutũtur. Tãta hinc beneuolẽtia Imperator ipſum proſequit, ut multos ob id tantũ, quòd illi inuiderẽt perdiderit: inter quos extitit Farates Baſſa, qui quòd tã ã Hebraimi ſublimitatẽ ferre nõ poſſet, interfici iuſſus eſt. Pyrrhus q̃q; & Viſirio munere & aulæ cõſuetudine, honeſto quodã exilij genere, ob eandẽ cauſam eſt priuatus. Muſtapha aũt Baſſa, qui ſuperiore anno defunctus eſt, ob idipſum Principis indignationẽ penitus incurriſſet, niſi ipſe Princeps

ei culpam

*Budæ arcis deditio.*

*Viennæ oppugnatio.*

*Ad Carolum Cæſarem Apoſtrophe.*

*Solimani uirtutes.*

*Hebraimus Baſſa.*

*Parga.*

culpā cōdonasset propriæ tantū sororis intuitu, quę olim quidem Bostangi, cui caput Selimus amputauit, nupserat, tūc uerò ipsius Mustaphę uxor erat. Quod uerò ad imperij Turcici solidos, puētus attinet, Imperator ipse, cōnumeratis cū prioribus suis etiā Sultanici regni redditibus, sexagies cētena millia aureorū singulis annis habet. Ex quib. quinquies & quadragies centena millia expēdit. nihilominus ḡties ei belli tēpore populos cēsere libet, ex quauis uel minima summa census extraordinariè impositā, pecunias innumerabiles corradit, adeò ut q̄d ad ærariū pertinet, ex bellis potius lucretur, quàm in damno sit. Prę̄terea plus gemmarum ac thesaurorum solus possidet, quàm cęteri omnes orbis principes simul possideant. Ad hæc tantam ærearum machinarū, ac rerū ad illas attinentium copiam, tātumq̄ papilionum, armorū, nauium, ac triremium apparatum habet, ut quilibet qui pauperiem nostrā aliquousq̄ norit, facile iudicet, eum pluribus simul principibus uno & eodem tempore bellum inferre posse. Et sanè quemadmodum tua maiestas plurib. regnis præest, quàm aliquis unquā occidentalis præfuerit Imperator, ita Solimanus potentia imperijq̄ amplitudine reges exteros omnes, de quibus historiæ meminerint, sine cōtrouersia superat. Quo fit ut multi existiment, uel iam Deum orbem uniuersum in ueterem monarchiā redigere, ut maiestatem tuā unica uictoria tam re quàm nomine Cęsarem Augustum cōstituat.

*Turcici Imperij prouentus.*

## ORDO AC DISCIPLINA TVRCICAE MILITIAE, EODEM PAVLO IOVIO AVTORE.

*Portæ milites.*

VIS OMNIS Turcicę militiæ in Portę militibus, quos uocāt, sita est. Ii uerò homines selectissimi sunt, partim peditū, partim equitū ordinib. ascripti. Spachi Oglani (sic em̄ eorū aliquos. Turcę appellāt) dignioręobtinēt locū. Nā ij ipsi in eo, cui Clausurę nomē est, loco educati, ac literarū atq̄ armorū disciplinis instituti, ueluti principis filij habent̄. Legatorū et cōmissariorū, præsertim si honorificū aliq̄d atq̄ utile negotiū peragendū sit, muneribus fungutur, ac Saniacathibus atq̄ alijs huiusmodi dignitatib. præficiuntur. His præterea Clausurę iā dictę mulieres, necnō filię ac sorores ipsius Principis nubunt. Summa hæc est: Ii cæteris omnib. nobiliores, ac Principi gratiores sunt. Excellentiores equos, equorumq̄ ornamenta pulchriora, uestes preciosioribus suffultas pellibus, seruos robustiores elegātiusq̄ indutos, quàm quodlibet aliud hominū genus inter Turcas habent. Vt autem tā egregiè ornati incedāt, Persicæ atq̄ Alcairiēses efficiūt prædæ. Nā antea sub Mahomete, nec preciosis pellibus, nec gēmis, nec pannis auro intertextis, nec multis holosericis uestibus utebantur. Sunt uerò ij numero mille, quorū unumquēq̄ tres aut quatuor, aut ad summū decē serui comitātur: qui quidē serui capita quibusdā, ut ipsi uocāt, sarcolis limbo aureo cristaq̄ pulcherrima exornatis obtegūt. Ipsi autem Spachi Turbantos (utendū est enim eorū uocabulis) in capite gestāt, uestesq̄ aureas uaria textura pictas atq̄ holoseri cas, uel Tyrio, uel alio colore infectas induunt. Quū uerò extra urbē equitādum est, ij Principis dextrū latus claudunt. Porrò sinistrū, mille itē equites, quos Sulastros uocant, eiusdem cum Spachis educationis ac nobilitatis, ijsdem uestibus atq̄ armis utentes, occupant. Et ijs quidē bis mille equitibus honorē exhibent omnes, quemadmodū (quod exempli causa dictū sit) ducentis nobilibus illis quos Gallorū rex apud se habet, exhiberi solitū est. Horum quamplurimi armis oculis omniū expositis induūtur, paruisq̄ phaleris Damasceno artificio elaboratis, Persarū more proprios equos ornant. Has duas equitū alas mille adhuc alij equites Vlufagi dicti subsequunt̄. Ii uerò cō

*Spachi oglani quibusdam uno tantum nomine Spahiglani uocantur.*

*Clausura.*

*Sarcoli.*

*Turbanti.*

*Sulastri.*

*Vlufagi.*

flati sunt partim ex Ianizaris, qui ob aliquod egregiũ facinus ex pedestri ad equestrem euecti sunt ordinẽ: partim ex seruis, qui Bassis ac Bellerbeijs fide lẽ ac fortẽ operã in bellis nauarũt, quos princeps defunctis eorũ dominis, relatione multorũ ꝓbatos assumpsit. atq; huiusmodi tres militũ classes è Chri-

*Caripici.*

stianis, qui tamen abrenunciarũt iã CHRISTO, cõstant. Post has Caripici (ita enim à Turcis appellantur) millenariũ & ipsi numerũ explentes, equitant. li uerò leuis armaturę sunt equites, eq̃rũ egregij dormitores, ac pugnãdi arcu, lãcea, scuto atq; ense, quẽ cimitarrã uocãt, eousq; periti ut res supra uires humanas efficere Mamaluchorũ more uideãtur. Omnes aũt ij Mahometanissũt ex uarijs ꝓuincijs, nimirũ ex Persia, Turcomania, Syria, Africa, Alarbia, Scythia, atq; etiã ex India usq; in unũ collecti. stipendiũ satis amplũ habent: idq; priuilegiũ à principe ijs cõcessit, ut quãdiu ipse Cõstantinopoli morat, ubili

*Porta.*

bet hybernare atq; ęstiuare ualeãt. Tertia quaq; hebdomada die lunę ad Portã (sic ipsi nominãt) mittunt, qui stipendiũ ipsis debitũ accipiãt, quod quidẽ illis illico exhibetur. Sic Turcicus Imperator quatuor milliũ equitũ electissimorũ caterua stipatus incedit, ipsorũ equitũ seruis minimè in hũc numerum uocatis. Nã & ij quàm plurimi sunt, & uestibus, armis, equisq; tam ornati, q̃ proprij domini, principẽ comitãtur. Sed loca deputata seorsim habent, neq; ordinib. iam dictis immiscentur. Ad hæc Ianizarorũ circiter duodecim millia, fortissimorũ sanè peditũ custodia, princeps perpetuò munitur, qui quidẽ & ipsi ex eorum numero sunt qui CHRISTVM abnegarunt. Eliguntur aũt ij, quũ paruuli adhuc sunt, ex bellicosissimis Christianorũ nationib. atq; educãtur, pars quidẽ in principis Clausura, pars uerò apud Natoliæ Turcas: quoniã pueri omnes, siue ex tributo, siue ex bellicis excursionibus accepti, per Turcarũ domos distribuuntur, atq; ipsorũ nomina in schedis quibusdã annotantur, ut numerus tam eorum qui emergunt, quàm qui pereũt, inueniri facile possit. Et unusquisq; quidem puer aliquã mechanicã artem militiæ utilem discit, ac simul se exercet, ut tractandorũ armorum, & quibus eminus, & quibus cõminus pugnatur, peritus euadat. Qui uerò ex ijs ad militiam seliguntur, caput operiunt pileis quibusdã ex panno albo, sed admodũ rudi, in calige similitudinẽ cõfectis, atq; eos glutino usq; adeò durãt, ut ictũ cuiusuis gladij sustinere possint. Et qua parte huiusmodi pilei supereminent frõti, aureo limbulo precij nõ parui ornantur: cui inquã limbulo uaginula itidẽ aurea inest, quæ cristas impositas ueluti conus excipit, eosq; sic ornatos,

*Exarcolæ. Citarra. Biciachus.*

Exarcolas uocant. Ensem, quẽ superius citarrã appellari diximus, & pugionẽ biciachũ dictum, ac securiculã à cingulo post terga pendentem cõtinuè ferunt. Vtuntur præterea nominatis antea scopietis, & ijs quidem oblõgis, atq; eos agillimè pertractãt. Nõnulli ex ipsis dimidiatas lanceas, atq; alia huiusmodi plura bellica instrumenta portãt. Et ante Selimũ quidem plures eius ordinis erãt, nunc aũt nõ admodũ multi sunt. Sagula quædã passim ac circũquaq; dẽsissimis filis cõsuta, armorũ loco induũt. Faciem habent miris modis effictã: etenim barbã integrã nõ alunt, sed eã tantũ quæ à superiore labio dependet, partẽ ꝓlixè demittunt. Maior istorũ pars ex Vngaris, Sclauonibus atq; Albanensib. conflat, reliqua ex Grecis, Germanis, Polonis, Seruianis, atq; ex Occidentalib. hominib. cõstat. Cæterũ ex integro omniũ Ianizarorũ ordine circiter sex millia, q̃ seniores sint, seliguntˇ, ut nõ à Bellerbeijs, sed ab ipso Principe immediatè pendeãt. Prętera circa decẽ millia iuuenũ, tyrociniũ Ianizaricũ exercentiũ uarijs in locis alũtur, atq; ex ijs Ianizarorum duob. generib.

*Ianizarorum uirtus bellica unde.*

in demortuorũ loca supplẽtur. Porrò stipendiũ nõ omnib. ęquale est, sed unicuiq; ꝓ meritis augetˇ. neq; cõmendatione aut fauore ad hãc rẽ opus est: q̃niã qui egregiũ aliq̃ facinus aggreditur, plurimorũ oculis expositus, aut ꝓsperã, si uicerit: aut aduersã, si succubuerit, fortunã experitur, id q̃d in causa est

ut in uiros

ut in uiros fortissimos euadant, quemadmodũ in uarijs cõflictib. cognoscere potuimus. Etenim post Amurathis tẽpora, qui primus Ianizarorũ ordines instituit, nunq; eos acie integra pugnãtes, fuisse fugatos inuenimus. Denicq; Ianizari præpositũ unũ habẽt, quocum sub uno & eodẽ papilione uersantes officia inter se distribuunt. Nã nõnulli coquinæ, alij uerò tendendi ac colligẽdi papilionis curã habent. Sunt etiã qui ipsius papiliõis custodię præsint, sicq; summa in cõcordia quietissimẽ uiuunt. Deinde cẽteni quicq; ac milleni suis prẽfectis parent, quousq; tãdẽ ad ducẽ unũ omniũ supremũ ac supremę autoritatis deueniatur, quẽ ipsi Agã appellant. Insuper ex omnib. Ianizaris ducenti, cæteris et corpore, pceriores, & sagittãdi arte peritiores eliguntur, qui tensis arcubus ac sagittis neruo aptatis equitantẽ Principẽ circũdãt, Solachi ij nominantur. Sagulis aliquanto quàm reliqui Ianizari breuioribus utuntur. Pileos albos in formã pyramidalẽ oblõgos in capite gestãt, quorũ summitatib. cristulas aliquas plerunq; affigũt. Neq; aliud omnino hic Ianizarorũ ordo est quàm Macedonica phalãx, qua totũ Orientẽ Alexãder Magnus debellauit. Videnturq; iã Turcæ, quem admodũ imperij Macedonici occupatores sunt, ita & militaris disciplinæ ab antiquis Macedoniæ regibus institutę imitatores esse: quanquã in quibusdã à Macedonib. differãt. Macedones enim longis lanceis, lorica, galea, & parma ferrea utebantur, quæ quidẽ parma ab humeris pẽdebat, ut quoties ense cõminus pugnandũ erat, ipsam arripere facile ualerẽt. His igitur equitũ ac peditũ generib. Principis Porta cõcluditur, qua (ut superius dictũ est) semifugatis sæpius inter pugnandũ exercitib. opẽ ferẽs nobilissimis potiũtur uictorijs. Omnes aũt alij equitũ ordines sub Bellerbeijs sunt. Bellerbeius uerò idiomate Turcico Principẽ principũ sonat: suntq; ij numero duo, totius equitatus præcipui duces. Imperant Saniacis, qui quidẽ puinciarũ præfecti sunt, ob eximiã aliquam uirtutẽ ad id muneris assumpti. Alter aũt ipsorũ Bellerbeiorũ in Natolia morat, atq; urbẽ Galatiæ Cutheiã dictã inhabitat. Alter uerò in Romania uersat, ac Sophiã Seruiæ ciuitatẽ incolit. Porrò uterq; plurimos sub se Saniacatus cõtinet. q Saniacatus licet sub Baiazete nõ nisi duodequinquaginta essent, nihilominus aucto postea per Selimũ ac Solimanũ imperio, etiã ipsorũ numerus auctus est. Sub Saniacis Subasij ac Timariates sunt, qui pro numero uillarũ & locorũ, quos possidẽt, equites alere, ac singulis pro stipẽdio tria millia asprorũ (quæ summa Turcicæ monetę, sexaginta ducatos efficit) annuatim exhibere tenẽtur. Si quis aũt ex ipsis equitib. arma atq; equũ ei traditũ nõ rectè curat, statim ex equitũ numero expungitur. Cæterũ Bellerbeij quoties Princeps iubet, sexaginta milia equitũ et eo amplius paucissimis diebus congregant. Et Natoliæ quidẽ equites pulcherrima scuta, lanceas, arcus, secures, ac cimitarras ferunt. Romaniæ uerò lanceis & scutis more Albanẽsiũ, sed paucissimis arcubus utuntur. atq; ij sanè Natoliæ equitib. robustiores sunt, licet illi meliores & ornatiores equos habeãt. Omnes aũt eodẽ modo turbãtis siue caputijs (ut ita eos uocem) acuminatis ex pellib. uel ex qualibet alia materia, ut unicuicq; magis arridet, cõfectis, capita tegũt. Sunt præterea quidã alij ex Turcica natione, quib. olim ab Ottomanijs Principib. agri uarijs uictorijs acquisiti, p singulorũ meritis sic distributi sunt, ut unusquisq; pro singulo terræ iugero, q̃d accepit, equitẽ unũ aut duos pedites, q̃ties maiora instãt bella, exhibere principi teneat. Atq; ij uocãtur Mosellini, ex quib. nõnunq; plus quàm sex milia equitũ, ac peditũ magnus numerus in unũ coit. Sed neq; rei bellicæ peritia, neq; uirib. admodũ ualent. Habẽt ij quosdã ueluti censores à Principe cõstitutos, qui prouincias omnes Turcicas circumeũtes, huiusmodi agrorũ possessores agnoscant, ac seuerè iudicent. Cæteri omnes Turcici exercitus equites fortunæ equites sunt, absq; certo stipendio militãtes, appellanturq; Alcanzi. Et quidem natu-

*Aga.*

*Solachi.*

*Macedonum armatura.*

*Bellerbeius.*

*Saniaci.*

*Cutheia.*

*Mosellini.*

*Alcanzi à nonnullis Aconiziæ fatales dicuntur.*

ra ipſa maximi & crudeliſſimi latrones ſunt, pãnoſi incedũt, ac pileis pelliceis capita obtegũt. Militiã nõ niſi ſpe prędæ exercent. Quũ aliquo eundũ eſt, iti nere unius diei aut duorũ reliquũ exercitũ præcedũt, igni ferroq; omnia deuaſtantes. Nõnunquã numerũ triginta milliũ excedunt, quib. omnib. Dux unus militari prudẽtia prædítus pręficitur. Enimuero ex hoc ordine extitere ij qui anno ſuperiore Solimano Viennã oppugnante, trans urbẽ progreſſi, regionẽ Lincio adiacentẽ, memorabili clade affecerunt, miſerisq; ſenibus crudeliter interfectis, ac locis igne cõſumptis, quã plurimos captiuos abduxerũt. Inter hos Alcanzos plurimi Martelolſi, Valachi, & Tartari, inhumaniſſimi alioqui homines, militãt. Eſt adhuc aliud genus militũ, qui Aſapi uocantur. Sed ij pedites ſunt, quos prouinciæ ac Turcicæ ciuitates iubẽte Principe ad bellũ mittunt, ac ſingulis tres aureos coronatos in ſingulorũ menſiũ ſtipẽdiũ exhibẽt. Suntq; ferè omnes ſagittarij. Verũ genus hoc ignauũ atq; inerme eſt, ac bellis parũ aptũ. Vnde etiã ipſe Princeps, quoties nauale bellũ parat, ijs remigũ loco utitur. In terreſtri aũt bello, ipſos earũ operarũ uice habet. quib. (ut ſuperius diximus) noſtri exercitus in excauãdis uel implendis foſſis, atq; alijs huiuſcemodi ad bellũ neceſſarijs exequẽdis utũtur, quemadmodũ eos Rhodi ac Viennæ habitos eſſe ſatis cõſtat: adeoq; Imperator iſtorũ ſalutẽ parũ curat, ut ſæpe foſſas oppidorũ, quę oppugnat, ipſorũ corporib. impleat, quo facilius aditum ad loca expugnanda lanizaris paret. Ducem nihilominus bellandi peritia inſignẽ ſemper habent. Cæterũ Viſiri Baſſę Imperatori à cõſilijs ſunt: cũ ijs enim de negotijs omnib. tã ad pacẽ quàm ad bellũ pertinentib agit. Sunt aũt numero tres, aut ad ſummũ quatuor. Nũc ut res habẽt, tres tantũ eſſe dicunt, nimirũ Hebraimus Aiax & Caſſimus, ex eorũ et ipſi ordine, quib. CHRISTVS abiuratus eſt. Ii uerò ut ſummã autoritatem, ſic infinitas diuitias habẽt. Sed huiuſmodi eorũ potentia inuidiæ oppugnatione nõ carens, multis periculis expoſita eſt. Nã pro principis libito ſæpe etiã ſtrangulant: ſic enim Acomathes Ghẽdich Baiazetis, ſic Muſtapha & Ianus Selimi, ſic Faracates huius Solimani iuſſu periere. Aliquãdo dignitatib. priuant, ut Pyrrho ante hoſce nõ ita multos annos euenit: qui nũc ſenio confectus, in uilla quadam principe concedente priuatã uitã uiuit. Verũ quod ad bella attinet, expeditiones Bellerbeijs cõmittuntur, qui ſæpenumero uno et eodẽ tẽpore etiã Viſiri, id eſt conſiliarij ſunt. Sicuti Hebraimus Vngarico bello cõtra Ludouicũ regem & Bellerbeius & Viſirus erat: idẽ erat & Sinamus eunuchus, qui ſub Selimo in cõflictu Mattareæ habito interfectus occubuit. Porrò in principis aula uariarũ linguarũ uſus eſt, quarũ tamen omnium cognitionẽ, omnes ferè ſaltẽ aliquouſq; habent, quemadmodũ etiam in tuæ maieſtatis aula Gallicè, Hiſpanicè, Germanicè, atq; Italicè loquunt. Enimuero lingua Turcica, qua Imperator ipſe utitur, primũ ſibi uendicat locũ: Arabica ſecũdũ, qua Turcarũ lex (Alcoranũ uocant) conſcripta eſt, & in uniuerſum Turcæ literis ſeu characteribus Arabicis inſcribẽdo utũtur. Tertiũ locũ Sclauonica lingua occupat: qua, quia latiſſimè patet, lanizari loquunt. Græca quartũ locũ habet: ea uerò Cõſtantinopolitani ac totius Græciæ urbiũ ciues utuntur. Verùm enimuero Turcæ diſciplinã militarẽ tanta & iuſtitia & ſeruentate exercẽt, ut ueteres Græcos ac Romanos facilè ſuperẽt. Nulla unquã inter eos pugna exauditur, ꝓpterea q̃d uel minimũ etiam delictũ capite uindicẽt. Tribus uerò de cauſis Turcæ, q̃ milites noſtri, meliores ſunt. prima eſt, quia promptè obediũt imperãtib. q̃d inter noſtros rarò fit. Secunda, quia nullũ q̃uis manifeſtũ uitę diſcrimẽ in pugna ſubterfugiunt, temeraria quadã opinione ſibi perſuadẽtes, unicuiq; quomodo & q̃do mori debeat, eſſe cõſtitutũ. Tertia, quia abſq; pane & abſq; uino diu uiuere poſſũt, oryza & aqua cõtenti. Sępenumero etiã ęquo animo carent carnib. Quod ſi cõtingat eos oryzam

*Aſapi.*

*Viſiri. Baſſæ*

*Variarum linguarum uſus in aula Turcica. Alcoranum.*

*Diſciplinæ militaris obſeruatio.*

eos oryzam quoq; minimè habere, salitis carnib. minutatim cõtritis, ac uelut in puluerem redactis utuntur. Nã eiusmodi pulueres in quibusdã sacculis secũ ferunt. cumq; opus est, immixta calida aqua, dissolutos ebibunt, atq; inde nutriuntur. Præterea soliti sunt, præsertim quũ nimia fame laboratur, equos phlebotomare atq; illorũ sanguine uitã propriã alere. Quinetiã equinis carnib. nõ inuiti uescũtur. Denicq; multo cõmodius omnẽ inopiã ferunt, quàm nostri milites, qui nũc etiã in castris plura fercula expetũt. Vnde tuæ maiestati nihil difficilius in pertractãdo hoc bello se offeret, quàm ut ratio cõducendorũ commeatuũ constet, præcipuè panis ac uini: quas tamẽ duas res Romani ueteres nõ admodũ curabãt, contenti aqua & frumento cõtuso, atq; in lebetibus cocto, quod illis ordinario iure exhibebatur. Quòd si pane uescẽdũ erat, quasdã cõficiebãt placẽtas, quas uel sub cinerib. uel sub testis quibusdã ferreis in hoc super currus post legiones conductis, coquebãt. Etenim illud nobis persuadeamus oportet, si obuiã hosti eundũ erit, Turcas in itinere nõ permissuros ut aliquid cõmeatus in nostra castra deferat. Nã equorũ multitudine maxima occupãt spacia, atq; iter ad castra circumquaq; impediũt. Neque huic difficultati ulla alia ratione occurri potest, nisi ut unusquisq; miles, quæ ad sustẽtandã uitam necessaria sunt, secum ferat: ut puta sacculos farinæ plenos, aut panes recoctos, aut alimenta alia huiusmodi. Ad hæc illud obseruandũ, ut legiones in acie dispositæ ac leuiorib. machinis æreis circundatæ, semper incedãt, neq; impedimẽtis plurib. onerentur. Enimuero si Dominus noster IESVS CHRISTVS id gratiæ tuæ maiestati cõcesserit, ut Christianos milites Ianizaris opponat, proculdubio certissimã adipiscetur uictoriam. Et fortissimæ quidẽ Germanorũ peditũ legiones primũ educẽdæ erũt, ut sustinere, ac demũ etiã reñcere Turcicos equites possint, quousq; tandẽ ad pedites penetrare liceat. Turcicus aũt peditatus, quãuis fortissimus sit, nunquã tamẽ Germanis lanceariis, præsertim Boemis, Hispanis atq; Italis scopietariis (ut uocãt) adiutis par erit. Quòd si Ianizari in fugã uerterent, iã æreis machinis, impedimentisq; atq; adeò castrorũ hostiliũ omni apparatu potiri fas esset. Neq; admodũ referret, etiã si omnes equites incolumes euaderẽt, quando experientia ipsa iam cõstat Ianizaros Turcicarũ uiriũ neruos esse. In huiusmodi aũt eucẽtu, etiam Christiani equites, licet pauci, cõmodè satis in hostem ferri possent, sic tamẽ ut à nostro peditatu nõ lõgius abirẽt, ne ab hostib. circumcludi cõtingeret. Nã quũ tã leuis armaturæ, quàm cataphracti equites optimè armati sint, securè hostes insequi, ac se subinde ad peditatũ recipere ualerent. Neq; id inutile fuerit, si extremi peditũ ordines clypeis ac parmis utantur, quo antequàm cominus in pugnã descendant, sagittas excipere absque nocumẽto possint: tãta em̃ sagittarũ ueluti grãdo erit, ut quã plurimi uel armorũ, uel aliarũ rerũ tegumenta desideraturi sint. Nec sanè olim M. Antonius sagittariis Parthis aliter, q; militũ capita clypeis tegẽdo, restitit. Quin & posteriores Romani cõtra Gothos & Hunnos, qui omnes ferè sagittarij erãt, testudinẽ clypeis itidẽ cõficientes, q; citissimè poterãt, in hostẽ concurrebãt, quia cõmunus pugnãtes facilius multo uictoriã cõsequebant. Summa est, ut Deũ optimũ maximũ enixè precemur, ne bellũ posteaquã inceptũ fuerit, protrahatur, sed facultas illico cõfligendi nobis detur. Etenim Turcę si bellũ protrahendũ foret, ob equorũ multitudinẽ ac patientiã militũ, innumeras q; pecuniarũ myriadas, facilè tandẽ superiores euadere possent. Sed si statim confligatur, uerisimile est, peditatũ nostrũ nobis uictoriã pariturũ. Et q̃niã si huiusmodi cõflictu decernẽdũ esset, alea totius orbis imperij iaceret, necessariũ iudicauerim, ut maximus rerũ omniũ militariũ apparatus fieret, quẽadmodũ ab ijs q; sibi timẽt fieri cõsueuit: cõtẽptis nõnullorũ uanis atq; inutilib. uerbis, qui Turcas antequã periculũ faciãt, nihili faciũt: q̃, ubi bellũ incœptũ fuerit,

*Militũ nostrorum intemperantia.*

*Expeditionem contra Turcam suscepturis quæ obseruanda.*

*Pugnæ protractio.*

adeò nobis omnia bene disposita sint, ut nõ tantũ uirtute, armis ordine, machinis æreis, atq; alijs huius generis rebus, Turcis nõ cedamus, sed ne numero quidẽ militũ multo illis inferiores simus. Cæterũ nonnulli sunt qui existiment Turcã, si ipse aut Austriã, aut Italiã inuaderet, in fugam uerti facilius posse, quàm si Christiani in Turcicas prouincias profecti, eo loci ipsum adorirentur, ubi post longorum itinerũ labores, etiam cõmeatus inopiã sustinere fortassis cogerent. Et hęc quidẽ opinio forsan nõ aberraret à scopo, si Principes Christiani adeò unanimes essent, ut ad primũ ipsius Turcæ aduentus rumorẽ, ualidas ad resistendũ uires in unũ colligerent. Sed sperare uix possumus hoc futurũ. Nã nullus unq; sibi persuadebit Turcã aduentare, quousq; tãdem adeò propinquus extiterit, ut omnis ad re sistẽdũ apparatus, serus ac frustraneus futurus sit: quẽadmodũ in Rhodia, Belgradẽsi, ac Budensi expeditionib. cõtigit. Qua de causa qui rei bellicę peritiores sunt, arbitrantur, certius ac securius in inferendo hostib. quàm in excipiendo ab eisdem bello uictoriã consistere posse. Bellũ enim q̃d nobis infertur ab alijs, ut periculosissimum est, ita Deus summopere orãdus ne huiusmodi nos, inuoluat. Porrò q̃ tempore de susc ipienda in Turcas expeditione, plurimus sub Leone Papa x sermo erat, Ducum quorũdã primi nominis iudiciũ fuit, ut ea nõ nisi ualida ac triplex susciperetur: nimirũ in hunc modum, ut Maximilianus Cæsar, Germaniæ, Vngariæ, Boemiæ, ac Poloniæ uiribus comitatus, Seruiã uersus secundũ Danubiũ iret. Franciscus uerò Francorum Rex, ingenti exercitu ex quacunq; ad bellũ disposita natione cõscripto, ex Apulia in Epirum traijceret, ac fauore populorũ illorum, qui Turcis alioqui infensissimi sunt, adiutus progrederetur quò bona fortuna iter ostendisset. Rex autem Angliæ, Lusitanis, ac totius Hispaniæ uiribus, nec nõ Venetorũ triremibus adiutus, Hellespontũ uersus nauigaret, castellisq; quos dardanellos uocant, expugnatis, rectà Constantinopolim peteret. Futurum enim arbitrabantur, si res Turcica, uel in uno tantum istorum trium laterum debilitaretur, ut Christiani postea uictoriã integrã adipisci facile ualerent. Sed quemadmodũ summæ difficultatis erat, Christianorũ uires omnes, ac peculiariter ipsos etiã potentiores Principes in unum colligere: sic Dei uoluntate est actum, ut omnia tunc in nihilum redigerentur, quo huiusmodi Turcarum debellandorũ occasio trãquillioribus temporib. adeoq; tuæ maiestati iam adultę seruata, eam ad summum fastigium ueræ gloriæ, ut suis innumeris uirtutibus meretur, extolleret.

*Victoria in inferendo quàm excipiendo bello certior.*

*Belli Turcis inferendi optima ratio.*

*Dardanelli.*

FINIS.

# IOANNIS LODOVICI VIVIS DE CONDITIONE VITAE CHRISTIANORVM sub Turca.

EST inter Christianos homines odiorũ atq; inimicitiarũ tãta acerbitas, & tã cæca rabies, ut ea multi mortales perciti atq; acti præcipites, nihil dubitẽt in se ac alios pessimè cõsulere, & in eas uoragines se ac suos omneis, uel uotis ac desiderijs, uel etiam quatenus possint re ac opera conijcere, unde nunquàm deinceps emergant. Optant alij non unius aut alterius hominis cædem atq; interitum, nec inimicitias inimicis concludunt, sed populorũ, ciuitatum, nationum gentium cladẽ læti ac libentes spectarent. Alij nouationib. rerũ studẽt, & cuperent non solum principem mutatũ, sed Turcam, aut impium aliquẽ regem, & à nostra pietate nõ tantũ uita et actionib. ed nomine quoq; ac pfessione abhorrentẽ. Ad quã tã impiã ac nefariã animi libidinẽ uarij uarijs de causis rapiunt, Sũt qui hoc cupiãt, q̃d sub Christiano

stiani principe (Christianos hic de nomine ac ꝓfessiõe nũcupo) sub tali ergo rege durã uitã & intolerabilẽ transigũt, pressi uel à rege ipso, uel ab alijs quibus rex publicas administrationes cõcredit ac cõmẽdat, uel ab hostib: quos ille in se lacessiuit, quũ illis à finibus ditionis suæ arcẽdis par nõ esset. In quo utricꝫ, & princeps & subditi, nõ mediocre flagitiũ admittũt. Ille quidem, qui muneri suo nõ satisfacit, & patrẽ professus, hostẽ præstat, causamcꝫ eiusmodi querelis præbet. Christianus uerò priuatus etiã culpãdus, qui ita rerũ uitæ huius cura & cogitatione à cursu cœlestiũ reuocatur, ut suã & aliorũ quietem interturbet. Vnus est finis, quò omnes tẽdimus, nẽpe felicitas illa sempiterna. Vna uia, quà ingrediẽdũ, uera pietas. Quãtulũ refert, modò ab hac uia nõ depellãre, quid extra illã fiat? quid prauus aliorũ atcꝫ incitatus animorũ tumultuetur impetus? Quàm parui refert Christiani hominis tã exiguũ atcꝫ incertũ uitæ curriculũ, sub q̃ principe decurrat, modò ut metã possit pertingere, quò cõtẽdit? Viatores uidemus paulo prudẽtiores ac moderatiores, uitę omnes molestias, et uisu ac perpessu indignissima siue in diuersorijs, siue in uia ipsa, tacitos prętereire ac deuorare: in id modò spectãtes ac intẽtos, quò ꝓfectionẽ destinarũt, cultu modico, ac interdũ sordido, splẽdore illo atcꝫ illa dignitate deposita, qua sunt in patria. ferũt excludi se, extrudi, nõ haberi honestissimis hominib. honorẽ, tractari se ut famulos, illã aduersum se exerceri petulantiã, cuius sunt ipsi domi coercitores ac punitores. Quid eos qui in aliena regiõe negociant̃, si quid illis uel à priuatis grauius, uel à principe exístat, uel etiã à solo aut cœlo, quomodo aspicimus cõcoquere ac pati, & q̃si in statiõe perdurare, ne lucri spes abrumpat? Quę Germaniæ frigora tolerãt Itali & Hispani, atcꝫ adeò Bethyci mercatores? quos Aegypti aut Africæ ardores Galli & Germani? quæ tributa, indictiones, duritatẽ oris, uerba atcꝫ etiã interdũ uerbera cõtumelioſissima? omnia mollit ac cõdulcorat spes rei augẽdæ. Quid milites perferunt in castris ob uilẽ stipẽ? quid athletæ ob uictoriã? quãtũ uenatores ꝓpter ferã occidendã? Tã ualidè spes aliqua animũ omnẽ à præsentiũ rerũ cogitatiõe ac sensu ad se auocat. At uerò, ꝙ nos ita in cura prę sentiũ rerũ immoramur, an nõ apertè declaramus, nõ ita animũ nostrũ spe alij q̃ duci prẽmij, ut illorũ? alioqui q̃to minus illi, de quib. dixi, hęc prę sẽtia sẽtiremus, occupati atcꝫ intẽti in eã uitã, q̃ immortalis est post hãc mortalẽ futura. Idcircò sãcti apostoli, quũ uiderẽt nõ debere Christianũ suũ cura rerũ uitę huius intricari, obedire nos rectorib. ac præfectis nostris iusserũt, nõ solũ cõmodis & mitib. sed asperis quoꝫ & difficilibus: nec parére nos tãtũ uolunt, sed et ꝓ illis orare cœlestẽ nostrũ patrẽ, ut sapiẽter populũ regãt, cuius administrationi præsint. Id quũ disertis uerbis pręcipiũt, tũ ipsi ac martyres, de inoẽs præstiterunt. Cypriano Cęcilio quum esset tancꝫ crimẽ obiectum à præfecto, q̃d in Cęsarẽ cõiurasset, respõdit? Longissimè absumus nos Christiani ab ista culpa, qui Cęsari, etiãsi alia sacra, alios deos colẽti: tamẽ quia princeps est noster, bene & cupimus, & precamur, & rogamus Deũ nostrũ, ut mentẽ illius ad cogitationem uerorũ bonorũ adducat. Nã quid potest tãtũ principes eripere, q̃ nõ maius sit, ꝙ odium, ꝙ res turbatę, & auocatio à religione eripiat, ac tollat? siue bona inter se diuersorũ generũ cõferant̃, fortuita cũ corporeis, aut animorũ, siue etiã generis eiusdẽ. Alij speciẽ sibi q̃dã cõfixerũt stultã libertatis, ne nominatã quidẽ in uetustis Romanorum ac Græcorũ monumentis, nedũ expressã, ut cuicꝫ impunè liceat q̃tũ libeat: ꝙ quũ sub Christiano cõsequuturos se desperent, ideo uel Turcã mallent: quasi is benignior sit in largiẽda libertate hac, q̃ Christianus. Quid tu dicis? Sita uerò est in hoc libertas, ꝙ nihil ad publicũ bonũ ærario ciuitatis pendeas, uel principis fisco? quòd penitus sublata sint uectigalia? magistratus uel nulli uel autoritate debilitata prorsum & imminuta, ut à priuato nõ differãt? ꝙ impunè liceat cuiuis malè

*Pressi à suis principibus Christianis.*

*Magistratui obediendum, à uinitus constituto.*

*Libertatis species.*

uis malefacere? Vbi uisa est libertas hęc? quãdo audita? quis populus, quę res pub. uel punctũ posset tẽporis in tali libertate cõsistere? an nõ li omnia omnibus licerẽt breui fieret, ut nemini liceret quicquã, & ꝑ principe uno excluso sexcenti nascerenť postridie? nec esset ullus, qui se nõ in illius reponi ac collocari sedẽ ui, armis, cæde omniũ peteret ac cõtenderet? Cedò, q̃d tandẽ tẽpus uolũt uel Athenis signare, uel Spartę, uel Romæ, in q̃ maxima uiguerit libertas? Nullũ inuenietur tã solutũ ac liberũ, in quo nõ magistratus, leges, forũ, iudicia, pœnæ, præmia ualuerint, in quo nõ uectigalia fuerint: transeo, quum non solũ æs, uel argentũ, uel aurum rei erat publicæ impendẽdũ, sed sanguis quoq; ac uita uolenti nolenti, quod contingit uel sub florentissima libertate.

*Libertas quid.* Cõtrà potius ea existimať libertas summa, legibus ac legitimis magistratib. quietè obtemperare, & bonos se ac moderatos præbere ciues, uoci legũ aut magistratuũ præstò esse, & imperijs prõptè ac alacriter parêre. Imò uerò hęc una est libertas uera, ut uelis bene uiuere, hoc est animi uitijs uacare, & impotentissimis tyrannis animi motibus ac cupiditatib. nõ seruire: quę sola est seruitus, ut nec reges ipsi dici possint liberi, quãdiu his obsequunť. Proxima est libertas, quæ ex priore illa deriuať ac deducit, quietè & pacatè legib. ac magistratib. tanq; publicis parẽtib. obedire: qui, sicut est in mimo, amãdi sunt, si boni: sin aliter, ferẽdi. Nã malè, & per alienã iniuriã uiuere, libertas nõ est, sed effusissima atq; effrenis quiduis agẽdi licẽtia, & flagitiorũ ac scelerũ impunitas. Quidã se nõ putãt satis liberos, nisi q̃duis in quẽuis liceat, sublatis legibus, summoto metu pœnarũ omni, & reuerẽtia magistratuũ. Alijs ob oculos uana quædã obuersať imago libertatis, quæ animas imprudẽtes in errorẽ adducit: quæ q̃ nõ solũ cũ chartis exoleuit ac computruit, sed nulla potius ullo fuit tẽpore, ullo in populo: nec ipsi qualis sit, satis scirent explicare, etiã si maximè uellẽt ac conarenť, tãtũ se libertatẽ clamãt cupere. Euoluãt uerò, legãt rerũ ueterũ monumẽta omnia, inueniẽt nulla esse nũc tã dura, aspera, difficilia tẽpora, quib. nõ peiora atq; intolerabiliora fuerint Romæ, nõ modò sub Cæsaribꝰ. q̃rũ uix unus atq; alter nõ importunissima fuit bellua, sed sub ipsis cõsulibus. An huc adducã ciuiliũ bellorũ nomina, Antonios, Octauios, Brutos, Cassios, Dolabellas, Hircios, Pansas, Cęsares, Pompeios, Marios, Syllas? adde his Gracchos, Fuluios, Carbones, Saturninos, Glaucias, & aliã turbulẽtorũ ciuiũ manũ. Quid? iuuabať ne aliquẽ illis tẽporibus Romę uiuere, aut omnino natũ esse? ut mortuorũ cõsolationes inde petetenť, q̃d tã miseris esse absumptos tẽporibus, felicitatis & maximi cuiusdã bñficij loco deberet deputari. Sic Sulpitius cõsolať Ciceronẽ, sic Cicero mortẽ L. Crassi, et Q. Hortẽsij oratorũ. sic Cato habitus est felicissimus, q̃ eo modo è uita exisset, atq; eo tẽpore. Si quis superiores ętates memoria repetat, inueniet pauperẽ populũ exiguũ pepẽdisse uectigal, sed ex facultatib. exiguis, ac ꝑpè nullis: stetisse tamẽ in acie noctes ac dies armatũ, ferentẽ labores ac pericula militiæ, quũ stipendiũ numerareť malignissimũ, diu nullũ. ita ut mergentib. se in sortẽ usuris, corpore et sanguine crudeli esset fœneratori satisfaciẽdũ. Deniq; nõ opus est ambagib. quid fuit alia Romana respub. nisi tacitũ q̃ddã regnũ nobilitatis in plebẽ? An Athenas libet inspicere? nõ placebũt, nihil fieri potest turbulentius illo populo, nihil leuius, nihil ingratius, ut nulli essent infeliciores, q̃ qui uel aliq̃d ad cõmunes & publicas utilitates cõtulissent, uel qui in signi uirtute aliqua & laude pręstarẽt. An placebit Sparta, etiã gẽtilib. sapientib. improbata? ut Platoni & Aristoteli: cõsensus quidã ad bellũ, & durã inhumanitatem. Quæ est ergo libertas hęc, quã ipsi nec optãdo & cogitationib. talẽ possent fingere, ut ciuitates, & hominũ cœtus ac cõmunio cõstare cum illa posset ac perseuerare? Sunt, qui quorundã principũ aut nationum odio, malint Tur-

*Libertatis uanæ species aliquot.*

*Romana respublica tyrannis.*

cæ, &

cæ,& cuicunq; principi barbariſsimo ſubijci, quàm illis: ut Italorum quidam, quorum Gallum alij, Germanũ alij, alij Hiſpanum tam infenſe oderunt, ut malint centies mori, & quod morte eſt peius, indigniſsima & nefaria cuiuſuis imperata facere, quàm ſub illis uiuere. Si meminerunt cladium Italiæ, res quidẽ eſt acerba, & profectò deflenda. Sed an non plures atq; atrociores ipſi olim toti humano generi intulerunt? Ignorant has eſſe rerum humanarũ uices, ut uictor uincatur, & patiatur inuitus ac gemens, quæ aliquando fecerat lætus ac exultans? Roma eſt capta & expilata, graue ſanè & odioſum bonis omnibus. quis enim uellet id factum? ne ipſe quidem Princeps, cuius auſpicio res putatur geſta. Sed reducat Roma in mentem ac recordationẽ, quot ipſa urbes ceperit, expilarit, incenderit, diruerit, ſolo æquarit, non modò tecta & populum, ſed ueſtigia quoq; deleuerit ciuitatum uetuſtiſsimarum. Quid idem ipſi Itali? quomodo matrẽ ſuam Italiam tractarunt? an humanius & mitius, quàm exteræ iſtæ nationes? an uetera nomina iterum commemorem, Marios, Syllas, & huiuſmodi? nunc in ipſis iſtis cladibus, quarum memoria recentiſsima eſt, & ſenſus adhuc urit, an non ſæuiora multo ipſi deſignarunt Itali in Italiã, quàm Germanus, aut Hiſpanus, aut Gallus? At oderunt gentem, cuius ſentiunt incommoda. Putant ne talẽ ſe eam gentem in amicos, & iunctos uel ditione, uel fœdere præbituram, qualem in hoſtes armatos, aut hoſtium ciuitates atq; agros? aliam ſentient amicam, quàm inimicam. non tales experiuntur Neapolitani Hiſpanos, quales Inſubres. Neapoli ſtatur legibus, habent ciues cum peregrinis, cum militibus idem forum, eundem iudicem, omnibus ex æquo ius dicitur, ſecundũ leges & iura, inter hoſtes nulla putatur legum communio: licere in eos credunt, quicquid lubeat. Principem uerò non poſſe pati extraneum, nimis eſt delicatum, ne dicam inſolens, quum & olim mundus tamdiu paſſus ſit Romanos magiſtratus, & in unaquaque natione ſcimus res collapſas & propè perditas, exteri principis cura eſſe ac prouidentia erectas ac reſtitutas, in Hiſpania, in Germania, Britannia, Gallia, in ipſa eadem Italia. At qui ab extero tantopere abhorrent, cur ipſi accerſunt, non futuri mox ac cito pares? & ſi Hiſpanum, uel Germanum, uel Gallum ſic faſtidiunt & oderũt, cur Turcam & Scytham extremæ feritatis ac barbariei non abominantur, differentibus, diuerſis, contrarijs moribus, lingua, commercio, religione? Non deſunt, qui Chriſtiani dicuntur, non amore pietatis, aut etiã profeſsione uitæ, ſed tantùm uelut quodã cognomine, quòd nati ſint inter Chriſtianos: haud aliter, quàm dicerentur uel Romani, uel Carthaginẽſes, uel Scipiones: tam facile, tam libenter cuiuſcunque ſuperſtitionis & impij deorum cultus futuri, quàm ſanctæ religionis noſtræ. Ad iſtos tam deploratos, ſeu uerius deplorandos, longè eſſet repetenda oratio, ut qui ad humanum eſſent ſenſum mentemq; reuocandi: à qua tam longè recedit quiſq;, quàm à religione: ſine qua, ſi quis acutè rem expendat, non eſt homo, homo, ſed bellua. Itaque mulcò alia his opus eſſet oratio, ſeu pharmacum uerius. Nam quemadmodum Circe illa pharmacum habebat, quod humanæ faciei ac naturæ redderet, quos ipſa eadem pharmaco alio ex hominibus beſtias fecerat: ita malitia hominem in belluam mutauit, conuertit rurſum in homines ratio ac religio. Non intelligunt inſani iſti, ſi hic humana omnia conſumãtur, nihil penitus inter hominem interfuturum & beſtiam, niſi quòd beſtia ſimplicius cõformiuſq; ad naturam uiuit, hoc eſt felicius: homo uerò maiore malicia, ac proinde rerum cura obruitur ac premitur, id eſt miſeria perẽni. Quæſo num etiam ſi optio daretur, eam eligerent conditionẽ uitæ, ut omnia cum corporibus interirent? Sed hæc opinio, quæ non ſolum animę uitam eripit, & eam, ſicut Cicero inſectatur, tanquam capitis damnatam morte multat, uerũ etiam

*Principis aut nationis oſores.*

*Roma capta.*

*Principem extraneum non pati, nimis delicatum.*

*Chriſtiani ſolum nomine.*

*Circes pharmacum.*

etiam religionem extinguit, & Deum de cœlis ac mũdo detrahit, maioribus est à me aliquando uiribus aggrediẽda: & quod de Christi auxilio spero ac confido, penitus extirpanda. Interea autẽ omnes, quibuscunq; aliquid in animo restat honesti ac boni respectus, attendant. Quum adhuc ferueret sanguis Christi, & firma esset constansq; Christianorum hominum fides, et proinde religio pura atq; incorrupta, nihil erat utilius Ecclesiæ, quàm agere sub principe impio, à pietate nostra sentẽtia abhorrente, professione hoste. Nam in fide tam solida & tam alte radicibus immissis, non erat periculũ, ne quis ullo metu perterrefactus, aut uoluptate delinitus, aut spe illectus nutaret. uincebat omnia, superabat, prosternebat, conculcabat ualidissimus cunctorum adfectuum amor: nec aliter minas, terrores, uerbera, tormenta, cruciatus, mortem, fides charitate fulta atq; adiuta excipiebat, quàm marinos fluctus, & tempestatem impactus scopulus aliquis uetustus, rupis durissimæ: ut ita infigi ac confirmari fides uideretur, quemadmodũ stipes aut saxũ festuca percussum. Ergo altius acta sunt per matyrium fidei nostræ fundamenta, quicq; ictus eò putabantur infigi, ut luxarent & reuellerent, hærentem ac fixum stipitem altius demittebant. Nulla in terrã decidebat cruoris martyris stilla, ex qua non centũ Christiani uiderentur surgere: adeò erat efficax sanctus ille cruor, qui exemplo principis & autoris sui, pro ipso eodem libenter fundebatur. Iam ad permouẽdos saxeos illos et ferreos homines, quàm erat illud ualidum, uidere constantiam profitentiũ, ut durum duriore frangeretur, intueri robur humano maius, planè cœleste, & diuinitus adiutum? Philippus Vostrensis princeps Romanus, ad annum v.c. millesimum, Christianum nomen magis est professus, quàm præstitit pietatem. Insecuti nihilo secius principes, idem in nomen Christianum exercuerunt odium, quod superiores Decius, Diocletianus, Maxentius, & alij. Primus bona fide baptizatus est Constantinus. Fuit dies ille, nescio, an tam Ecclesiæ prosper, quàm multis forsan uideri posset. Certè D. Hieronymus in uita Malchi monachi, non perinde uidetur esse illo facto lætus. Cessauit enim martyrium, id est fidei coticula, accensio charitatis, fundamentũ ac robur totius religionis: securitas illa peperit negligentiã & obliuionẽ maximarum uirtutum, non minus quàm longa & certa pax ociosis militibus desidiã atq; ignauiã. paratior erat quisq; in præsenti, aut certè impendente periculo, quàm nũc sumus metu sublato. Nam etiã num in tam alta hac securitate adituri pericula aliqua, uel naturæ, ual casuũ: ut intraturi mare, aut præliũ, aut euidens aliud capitis & uitæ discrimen, sanctius nos gerimus, & paramus nos diligentius diuini iudicis examini, quàm quum lauti accumbimus frequẽti & læto conuiuio. Ingressus est princeps Ecclesiam, non ut uerus ac planè Christianus, quod fuisset sanè felicissimum & optandum: sed inuexit secũ nobilitatẽ, honores, arma, insignia, triumphos, supercilia, fastum, superbiã: id est, uenit in Christi domũ comitatus diabolo: & quod fieri nullo modo poterat, uoluit duas domos aut duas ciuitates cõiungere, Dei & diaboli, quod non magis potuisset efficere, quàm Romã & Constantinopolim: quæ tanto & terrarum & maris tractu separantur. Quæ communio Christi ad Belial? inquit Paulus. Refrixit paulatim ardor, nutauit fides, degenerauit tota pietas, cuius nũc umbra atq; imaginibus utimur, easq; (ut ille dicit) utinam retineremus. Sed quemadmodũ dies ille Constantini tristis pietati fuit, & dolendus: ita ille acerbissimus, nefastus, aterrimus illucebit, quisquis nunc his moribus & hac uitæ ratione populũ aliquem Christianũ ditioni subdet uel Turcæ, uel principis cuiuscũq; à pietate nostra nomine alieni, ac professione: imò uerò non illucebit, sed perpetuas tenebras & noctẽ inferet. Vos qui immunitates, qui libertatis nomina tanti facitis, reputare decet, uos omnes Turcæ non alio futuros

*Martyrij momentum ad firmandam fidem.*

*Primus Cæsar Christianus.*

*Constantinus.*

*Ecclesiæ quæ mala per Constantinum inuecta.*

turos loco, quàm pecudes, quas ad utilitates modò & fructus suos alit, nõ ad participatũ ullũ commodorũ, honorum, non deniq; earũ rerum quæ communes sunt ciuibus inter se: quũ illi non simus futuri nec ciuiũ numero, ac ne hominũ quidẽ. Non pateret nos augeri opibus, potentia crescere, uigere honoribus, pollere dignitate, incrementa nostra omnia haberet suspecta, inimicus nobis lege, inimicus professione, inimicus odio, & suo & auito, nec ulla se nobiscũ crederet deuinctũ lege, nullo iure, nõ fœdere, nõ cõmunione, non humanitate & natura ipsa omnib. cõmuni. Quicquid ipsi liberet, existimaret licere oportere, & iure uictoriæ, & quod nõ cẽseret ullas esse leges, ullũ iusiurandũ, ullam fidem, qua soluti affectus possens alligari, aut uehemẽtia impetus retardari ac impediri. Nam qua fide uictoriã exequatur, testes sunt Rhodiani milites, qui nisi se maturè subduxissẽt, crudelissimo illos dolo statuerat oẽs intercipere. Sed nec ad ipsos suos populares et eisdẽ initiatos sacris melio re utiẽ fide. Victo & capto Sulthano, Mamelucos paratos se defendere, quũ in fidẽ accepisset, uniuersos cõtrucidauit. Id quũ ausus sit nõ sine aliquo populi sui cõsensu, quid eũ facturũ in nos censemus, secundo suo populo & applaudente? Quòd si ipsi eidẽ mitius aliquẽ nostrũm aut honorificẽtius placeret accipere, aut uix liceret ei inuidia suorũ, aut nobis acerbissimus esset is honor, tanta inuidia infectus ac cõtaminatus. Nã quocunq; aliquis nostrũ receptus esset loco, ab eo se excluſũ eiectumq; uir Turca interpretat. Cui nõ dico principi, aut Bassano, sed Genuisaro, uel satelliti, uel gregario militi nõ liceret, quicquid esset collibitũ in nos, in liberos, in uxores, in fortunas nostras? Quid ni? nẽpe hominib. in canes, illorũ opinione. Vtinã huius rei non tã acerbũ haberet Christianus orbis exẽplũ, & hęc potius cõiecturis, à nobis fingerẽtur, quàm tristibus adeò experimẽtis. An ulla gẽs, aut ullus omnino hominũ tam extremã est seruitutis aliquando conditionem passus, quàm nunc patitur inclyta illa & ingenijs, & literis, & armis Græcia? quod mãcipiũ miserius seruit, quàm illa Græcia: quæ olim pro solo libertatis nomine tantũ effudit sanguinis, tantũ armauit militũ, qui ad certissimã atq; indubitatam mortem ire nõ dubitarẽt pro libertate? Vt nũc nullus in tãta regione nascatur ingenio paulo liberiore, aut impatienti seruitutis, qui nõ primùm omniũ Græciã sibi relinquendã & fugiendã ducat, uelut ergastulum ultimæ seruitutis: in Italiam se aut in alias orbis partes conferat, magnũ secum quocunq; eat, circum gerens documentũ, quid patiendũ sit uiuentibus sub Turca. Hęccine ferrent uiri fortes, armati bellatores, & iactatores libertatis? Hæc parati sunt perpeti, qui pati nõ possunt indictionẽ aliquã extraodinariã Christiani principis, aut syluam, uel aquulã, uel piscem, uel leporẽ ex publico priuatũ fieri? O quàm cæcis oculis ista intuemur? & dũ præsenti cupiditati seruimus, nihil cũctamur in apertos malorũ gurgites nos immergere. Tu ergo ut lenticulã aut intertriginẽ sanes, hauris uenenum: & quia parũ acutè cernis, utrumq; tibi lumen extinguis? Quid porrò principes? An putant uerò, si sub illius ditionẽ ac potentiã uenerint, etiãsi initio sedulò dissimulet, & amicorũ eos ac sociorũ nomine dignet, nõ eũ tamẽ paulò mox ut inualuerit, & uires cõfirmarit, ad morẽ suũ patrium redituruũ? ut nemo pedẽ unum terræ possideat, quẽ possit suum dicere: omnes seruí ac mãcipia illius & sint & nominẽtur, & cui cunq; impurissimo carnifici ab eo misso prębẽda sit ceruix, sine ulla detrectatione aut cũctatione, si dominus iubeat? Vbi tum erũt feroces isti ac teneri, qui ne uerbulum quidem affinis aut propinqui possunt perferre? Erit hęc dura quidẽ, sed tamẽ iusta Dei ultio, ut qui Christianũ parem, & fratrem suũ nõ

*Qualis uita nostrorum sub Turca.*

*Fides Turcæ nulla.*

*Græciæ hoc seculo seruitus misera.*

tulerit, extremæ conditionis seruitutẽ sub crudelissimo domino seruiat. Dicent hic mihi nõnulli ex his qui sanctitatis opinionẽ affectãt, honores, opes, decus, dignitas, uitæ cõditio, carnalia sunt omnia: ualeant, Christianis nõ curanda. Valeant sanè per me, atq; utinã iampridẽ iussissemus hæc ualere: quę si non tantoperè in nobis inualuissent ac insedissent, nemo inter nos de Turca loqueret. Sed agedũ excutiamus spiritalia. Erit ne adeò spiritalis quisquã nostrũm, tã obfirmato atq; obturato animo ad sensum rerũ omniũ uitæ huius, qui perpeti ac tolerare possit, q̃d est Græco quotidie deuorandũ? obijci nobis, ut crimen atq; ignominiam, nomẽ hoc Christiani, quo tantoperè iurè gloriamur? Poterit audire tot blasphemias, tot maledicta, tot conuicia nomi nis CHRISTI, & dei omnipotẽtis? Quòd si quis inter illos uel uerbũ unũ per imprudentiã cõtra Mahumetẽ miserit, uel uita sit ei ꝓtinus, uel religio amittenda. è uestigio enim aut moriendum est illi ipsi, aut ad eam ipsam sectã trãseundũ cui maledixerit. An nõ plerisq; omnibus, si hæc uiderẽt, animus haud aliter accenderetur, q̃m Mathathiæ Maccabæos, ut occiderent & ludæum idolo sacrum facientem, & id fieri iubentem gentilem. Quid illud omnium grauissimum & acerbissimũ, abduci liberos paruulos in remotissimas regiones? ut ibi abnegato CHRISTI nomine, & tota pietate in obliuionẽ missa, seruiãt domino spurcissimo ac impio. Quis id nostrũ perferret? quis nõ mallet mori millies, quàm id uidere, uel etiã audire? Neq; inter hæc audẽt Græci filios suos obiurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad uirtutẽ & studiũ honesti, uirga & flagris quũ res poscit admonere disciplinę, ne illi irritati, ad Turcas se conferant. et hoc filij audent parentibus minari: à quibus Turcis si quis sit semel receptus, nulla ui, nulla ope, nulla arte potest unde uenerat redire. Et quũ inter animãtia omnia solus homo scelere suo corruptus à natura sua discesserit, quia & à deo, fit ut si sibi relinquat, nullũ animal efferatius eua dat, nullũ magis barbarũ atq; incompositũ, nec ulla fera bellua tã sit immanibus moribus & inhumanis, tam belluæ similis, ac homo. Quales ergo illi adolescere atq; educari pueros est credibile, solutos, effrenes in licẽtia atq; impunitate uitiorũ omniũ, semota disciplina? Quæ potest in eiusmodi animis esse pietas? Iam religio mirabiliter efflorescit, studijs adiuta sapiẽtiæ & bonarũ artiũ, quibus eruditus atq; excultus animus acutius recõdita diuinę sapiẽtiæ mysteria intuet: nec remotus est ad diuina gradus cognitio atq; exploratio rerũ humanarũ & mũdi huius cuius notitiã corporis sẽsib. capimus, atq; usurpamus. Apostolus Paulus inuisibilia Dei per uisibilia cognosci ait. & primã Abrahæ cogitationem accessumq; ad uerũ atq; omnipotẽs numen adorandũ ac colendum ex astris illi, ex cœlis, ex ordine & constantia mundi esse ortam, autor est Philo Iudęus, is qui de mundo scripsit: ut nõ iniuria uideat dixisse Psalmista, cœlos enarrare gloriã Dei. Nec alia maior est superstitiõis ac impietatis causa & occasio, q̃m ignorãtia. At studia humanitatis, id est philosophia, & reliquę ingeniorum atq; ingenuę artes, ut honore uelut gratissimo quodã & saluberrimo fauonio exhilaratę, flores ac fructus fundũt: ita cõtemptu aut etiã neglectu flaccescunt, ac emarcidæ collabunt. Græcis aut Romanis rerũ potiẽtibus, magni sunt in disciplinis omnibus ꝓgressus facti: sub Gothis et Barbaris illis ac feris dominis ita elanguerũt, ut parũ admodũ abfuerit, quin uitam omnem penitus ac spiritum exhalarent. Quàm tenues, q̃m inualidas earũ reliquias patrum ętas & nostra accepit? At Turca q̃m alienus sit ab omni cultu animi, Scytha, sanguinarius, qs non uel fando audiuit? Sub eo q̃d sit artium decus, qui uigor, uel ex Gręcia discamus, Nisi fortè meliores

*Spiritaliũ iniuriæ cuiusmodi sub Turca ferendæ.*

*Hominum feritas unde.*

*Disciplinarum momentum ad pietatem.*

*Philo Iudæus.*

*Ignorantia.*

*Turcæ barbaries.*

no-

nos putamus fore, aut pollẽtiores ingenijs, magísq; factos atq; aptos ad lite
ras, aut natura & nutu quodam ingeniorum magis ad literarũ ſtudia propen
ſos Græcis: à quib. artes ac diſciplinæ omnes, cultusq; & ornatus ingeniorũ
& natus eſt & auctus, & in cæteros omnes mortales propagatus. Si ille priſti
nus, qui iã olim ardor deferbuit, adhuc in nobis duraret, fortaſſis credi poſſet
pie uicturũ Chriſtianũ ſub Turca. Sed quũ uideamus inter nos plena & flo- *Qui tales ſu-*
renti eccleſia, propter nummũ unum cẽties peierari nomẽ Domini, ubi per- *mus ſub Chri-*
iurio nõ ſolum à diuino iudice parata eſt ſpiritalis animaduerſio, ſed etiã ab *ſtianis, quales*
humano corporalis: quid futurũ abitramur, nõ nummo uno, ſed tanta merce *erimus ſub Tur*
de propoſita cõmiſſi? Et qui ſub Turca cõtra Chriſtianos, cõtra patriã, cõtra *cis?*
penates, cõtra religionem meret ducato uno: an nõ religionẽ ipſam deſeret,
& ſe abnegare profitebitur, ſi is iubeat, aut ſe cupere ſignificet, propter decẽ?
Quid ij qui hic inter nos de fide ſunt dubij? nũ illi nõ leuiſſimo momento im
pulſi deficerent? Nec illi ipſi qui nunc ſunt firmi ac conſtantes, fortaſſis ſtabi
litatem illã ſuã perpetuò poſſent cõſeruare. Quantũ putamus cõtagij ex du-
bijs & incõſtãtis fidei Dei hominibus ad ſodales, ad uictores, ad familiares,
& eos quibus cũ uerſantur & colloquuntur affricari ac hærere? Non minus
atq; ex putri a liqua ac fœda ſcabie. Cui non inijceret ſcrupulos, illa tam fre-
quens dubitatio, inquiſitio, examinatio, altercatio, preſertim accedẽte in par
tes diaboli ueteratoria aſtutia & fraudibus? Nã ſi in reb. quæ corporeis ſenſi
bus expoſitę ſunt magis atq; obuię, quàm ea in quib. ſita eſt fides pietatis hu
mana cauillatio aliquid ſemper inuenit quod cõuellat, quod luxet, & præſti
giæ ſenſibus noſtris fiũt, ut ueritas ſępe obſcureẽ ac cogatur latere, nõ id qui
dem rerũ uitio aut magnitudine luminis noſtrorum ingeniorũ, ſed tenebris *Diſſenſiones*
atq; hebettudine mẽtis noſtrę, ut meritò ille dixerit, Nimium altercãdo ueri *in religione &*
tas amittitur: quid futurum eſt in religione, in ea quę ſenſum omnẽ humanũ *fide.*
excedit, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentũ nõ apparentiũ?
Fortior quidem Deus diabolo, & omnium ueritas fortiſſima: ſed nos quia à
Deo ad diabolum defecimus, quæ à partibus noſtris uidẽtur ſtare, facillimè
recipimus, ægrè quæ faciũt, p diuinis, preſſi hoc carnis põdere, quæ nutu ſuo
ad ima nos deijcit: id eſt, à cœleſtibus ad terrena, ut magno conatu ſit opus,
quo tã onuſti cliuum hunc aſcẽdamus, quũ ultrò per pronũ delabamur. Ad
fert tẽpus ipſum ueritati ſplendorem ac lucem, & ipſa ueritas poſteaquã diu
latuit, emergit tãdem: fateor. ſed interea, dum tẽpus cunctatur, dũ illa emer-
git, nos immergimur, ac perimus. Poſtremò, quum hic inter nos, ubi incita-
mur monitis, autoritate ſapientũ, exẽplis bonorũ deterremur ab impietate,
ignominia, dedecore, foro, iudicijs, pœnis, nihil uel uidemus uel audimus
q̃d ad impietatẽ apertè ac palàm adhortet atq; impellat, aut à uirtute, p̃bita-
te, pietate auertat atq; arceat, reſpectũ tamẽ CHRISTI inter poſtrema poſue
rimus: nũquid ſi inuerſa ſit uitæ et rerũ ratio, nõ potiora erunt nobis, quæ iã
nũc priora eſſe quàm pietatem exiſtimamus? Quid iam ergo eſt reliquũ, q̃d
furioſi homines, perditi, deſperati, cõſecuturos ſe ſub regno Turcę ſperent?
nõ opes, nõ honores, nõ dignitates. Quis enim hęc canib, cõcedit, cuiuſmo-
di nos illis erimus? Libertas quę eſſe poterit ſub tali domino, imò ſub talibus
dominis? nobis præcipuè: quũ nulla ſit eius popularibus, eiuſdẽ gentis, et hę
reſis? Literarũ nulla erit cura, nulla mẽtio, pietas in periculo. Quid reſtat? ut
noua aliqua rerũ natura cõdatur, cuius boni inſani iſti ſub Turca perfruant?
Quod ſi quis adeò ſit forti atq; audaci animo, ut cõtemptis alijs rebus omni
bus, pietatem tamen ſe ſub impio rege conſeruaturũ cõfidat: id tamen nõ de

bet alijs optare ac procurare, de quorũ cõstantia ac firmitate nihil habet exploratum. Sedet ipse. Qui sibi nũc uidetur stare, ne se efferat animo, iuxta monita D. Apostoli: sed circũspectè agat, metuens casum. Nõ est omnino committendũ, ut tentemus, ut uelimus, ut optemus experiri, qualis illa futura sit uita. in tantã tentationẽ morum ac pietatis, nullo penitus modo, quãtum prę stari à nobis possit, nõ debemus sinere ut inducamur. Nã & illis quos confirmaturus & corroboraturus erat ille spiritus, cui pares nõ sunt mundi uniuersi & totius naturæ uires, præcipit tamẽ Deus, uigilent, orent, ne inducanẽ in tentationem: incerti utrum in ea pugna occumbent, an euadent incolumes. Quãto id est nobis omnibus magis orandũ, tanto infirmioribus, omni amicorũ robore ac uiribus deserti ac destituti? Precibus est hoc contendẽdum & omni arte, ingenio, ope, uiribus connitendum: cauendumq́, ne tanta permicies & tam præsens malum contingat.

FINIS.

# QVIBVS ITINERIBVS TVRCI SINT AGGREDIENDI, FELICIS PETANCII CANCELlarij Segniæ ad Vladislaum Hungariæ & Boemiæ regem.

## LIBELLVS.

ACCEPIMVS, serenissime rex, maiores nostros cũ de inferẽdo bello cõsultarent, prius itinera quibus tutò in hostes pergerent, multorum & scriptis & documentis accuratius inuestigasse. Qua ex re sæpe cõpertum est, eos fusis ualidioribus copijs, amplissima regna atq; opulentissimas ꝓuincias ocyus fuisse adeptos. Ea propter operæprecium erit, maiestatẽ uestram commonuisse, quos terrarũ limites, quas ue gentiũ regiones adeat, in Turcos expeditionem affectans. Et quãuis decenti & matura persuasiõe ad prouisionem ruinæ Christianæ opus esset exordiri prolixioribus uerbis, tamẽ status perturbatissimus rerũ me prohibet, eoq; maximè q̃d maiores nostri, quorũ exẽplis innitimur, in huiusmodi arduis et maturè nauãdis rebus impigri ac semper citissimi extiterũt. Igitur dimissis oris maritimis, quæ uersus Asiam nauigantibus patẽt, referã qui tramites ex septentrionali plaga in Thraciã & orientem dirigant. Primũ igitur ex Pannonia ad Istri & Saui confluentem, traijcitur in superiorem Mysiam prope Belgradũ oppidũ, ubi duę cõcurrũt uię. Altera superior in Thraciam, siue Romaniã: altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed superiorẽ uiam sequendo, patẽtibus campis Godomiri præter celebre fanum Ressaue, regum atq; principum illustratum sepulchris, non procul pertransito amne maioris Muraue, relictisq; sinistrorsum agris Bardiloue, per pagũ Branicerũ pergitur ad Nisum, olim (ut ruinis cernit) ciuitatẽ peregregiã, nũc instar uici redactã à Turcis & Bulgaris habitatã. Adiacet altissimis mõtibus ex finitimo Rhodope progressis, fluuio Nisaua, à quo denominatur, magnaq; uænalium copia rerũ inter alios Mysiæ & Tribalorũ pagos cẽsetur præclara. Abest à traiectu Belgradi CXX millibus passuum. Ex ea ascendendo ad uicum Pirothi sitũ in montanis, per agrato uasto monis Cunorouice iugo arduo atq; difficili, cũ ob ꝓfunda circumeminentiũ rupium cõcaua, tum propter densissimũ nemus, longioresq; anfractus,

*Diuisio itinerũ à Belgrado.*

*Nisus.*

*Pirothi uicus.*

anfractus. Fit per quinquaginta miliaria accessus ad Sophiã metropolim Tribalorũ, emporiũ nostris seculis memorãdũ. iacet in plano, spectãs ob orientẽ inferiorem Mysiam, hoc est Sagoriã ex Chyabro flumine, circa Bioniũ & Nicopolim oppidũ, porrectam per limites Istri ad mare Ponticũ, à meridie Thraciam, ab occasu & septentrione Cordiscos, Tribalos, et excelsas montis Vaiglicę alpes. Hinc Rhodope præ alijs quàm plurimis quos habet uertici bus est eminẽtior, quasi omnib. finitimis mõtibus imperitãs, q̃d ex ipsa Græca denominatiõe planè innuit. per cuius asperos & angustissimos aditus biduo pertrãsiit ad plana Philippopolis uel Romanię. Hac Romani Asiæ quõdam imperiũ sibi uendicãtes iter habuere. quorũ insigne ad hæc usq; tempora in montis medio marmoreis erectum columnis cõspicitur. Hinc & Gotifredum de Bulgonis, dum terram promissionis recuperaturus pergeret, ad Hellesponti siue Callipolis traiectum ex superiori Mysia trãscendisse memoriæ proditũ est. Hisce etiã angustijs Vladislaus Pannoniæ & Poloniæ rex, olim ab Amuratho Turcorum principe obsessus retrocedere, & in Pannoniam ire fuit compulsus. Ex Philippopoli uia tridui & campestri continuè ad latus Marizæ siue Hebri fluminis peruenitur ad Drinopolim, uocatam apud priscos Odrysum, siue Horestida. Ea quantum pulchritudine & gestarũ gloria rerũ inter omnes Thracię urbes semper claruit, hinc uel maximè deprehenditur, quòd eius fœcunditate ueteres Bithyniæ reges allecti, ex Asia in Europã cõmigrantes, ipsam sibi in domicilium atq; imperij sedem diu ante Byzantij expugnationẽ tenuêre. Ab ea in Propontidem & Hellespontũ, siue Callipolim miliaria LX, in Constantinopolim uerò CXX cõputantur.

*Sophia.*

*Rhodope.*

*Philippopolis. Romanorum iter in Asiam.*

*Hadrianopolis*

ALTERA VIA INFERIOR, QVAE EX EODEM BELGRADO *per Dardanos & Tribalos montes Aemum transgressa prope Hebrum cum superiori uia coniungitur.*

ALtera inferior uia est accessu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad limites Mysiæ & Dardanorũ CCLXXX milibus passuum progrediẽs, circa Ostermice oppidum, & Rauanicense monasterium. Adducit primò ad Morauam, olim Moschiũ dictũ, ad latus arcis Crusceuæ fluentẽ, quãdoq; imbriũ exundatione inuadabilẽ. Dehinc ad Basilicã albam, & Apennini montes, Mysiam inuicem separans. Rassiani enim primi huius prouinciæ populi feroces ac bellicosi, eam partem incolunt quæ ad Drauũ, Sauũ & Istrũ flumina spectat. Valachi montani, genus agreste hominũ, hi gregibus tãtùm pollent & armentis: aliã autẽ quæ ad Dardanos, Macedones, & Tribalos uergit Seruiani gẽtes usu mitiores, & siderũ aspectu benigniori, eo quòd magis ad meridiem tendant, & frequentia cõmeantium mercatorum. Pertransitis itaque montibus, sequitur planũ Dubotize frequenter inhabitatũ. Sed dimisso aliquantis per ad læuam tramite, qui ad uillam magnam Procopiæ & Nisum dirigit, nõ procul offert se uallis Cossouiza cũ Labo flumine per mediũ eius decurrente, pcedens ad latissimũ Cossouum campũ, celebratum toties diuersarum gentiũ certaminibus. Verùm ex multis quæ hic præclarè gesta in antiquis narrant annalibus, pauca in huius cãpi memoriã repetã. Galli olim Græciã atq; Asiam occupaturi, illic primò tumultuantes cũ circũfinitimis populis pręliũ iniere, nõ sine magna strage, ut ex eorũ monumẽtis apparet. Precibus namq; uix inducias obtinuerãt, donec traditis sepulturę occisorũ corporibus, à prouincia abirent. Præterea anno iã CL Amoratho Turcorũ regi magna cum Barbarorũ multitudine ex Thracia in Mysiã irruenti, Lazarus Despotus huic cũ multis millib. obuians fuit occisus, paucis ex suo exercitu su-

*Morava.*

*Rasciani.*

*Valachi.*

*Seruiani.*

*Dubotize.*

*Cossouiza uallis.*

*Cossouus cãpus*

*Gallorũ clades.*

*Lazari Despoti interitus.*

perſtitibus, apud Turcos uictoria remanente, non incruenta tamen, perempto ibidem eorũ rege, ubi eius adhuc inteſtina marmoreo condita tumulo iacent. Cadauer enim in Burſam, ſiue Byrſam Bithyniæ metropolim deportatum eſt, cum alijs ex Othomanorum familia regibus ſepeliendum. Poſtremò hęc fuit illa infauſta & omnibus ſeculis execranda clades, Ioannis Huniadis, genitoris diui Matthiæ Pannoniorum regis, ex cõflictu habito cum Amorathe & Mahumete Calepino, eius filio qui fuit pater moderni Turcorum imperatoris. Huius campi planicies protenditur circiter L X X. millia paſſuũ, uſq; ad uiam Cuzamici, et fauces Cliſſuræ quę ad Scopiam ducit, poſita inter duo flumina Sithnizum & Labum, uallata undiq; montibus, quorum extrema perabundant uicis & pagis, habens ad latus opulentiſsimum pagum Priſtinam: qui ob maximã ubertatem fuit quõdam Myſiæ dominis in ſummis delicijs. Eſt in ſuper ad X milliaria Nouamontana ciuitas Germanorum colonia. In principio namq; Saxones in Myſiæ partibus metalla & argenti materiam reperere. Cæterùm iuxta Horauize lacũ & paludes, diuertendo ab ea uia quę ducit per Binzum, Morauam, ad montes Criuicinæ infra Myſiam & Dardanos iacentes itinere unius diei ab ingreſſu Cliſſurę, patet acceſſus ad Scopiã, caput Dardanorum, et terminũ Macedonię. Hęc ciuitas eſt ferax, & abũdãs omnib. precioſis terrę fructib. plena diuitijs, diuerſoriũ peculiare eprincipis irrigua ſalubri flumine Vardaro, ſcaturiẽte ex iugis altiſsimis Orbelli montis qui imminet Macedonię, Triballis, Myſię, & Dalmatiæ, ac Epiro: propterea opportuna ad cõuocandũ exercitũ. Inde iter arripiẽdo per planiciẽ Gegligoue, uallẽ Conopnize, Balnea Beobuſci pontemq; Strymonis dirimětẽ Macedones à Triballis ſiue Bulgaris, prope uillã ripę Rubeæ. Perluſtratis cãpis Samocoui, ſyluis et uaſtis ſolitudinib. montis Aemi uocati, apud Triballos eius accolas Coſtegnazo difficili admodũ uia deſcẽditur ad Marizã, hoc eſt Hebrum fluuiũ & campos Philippopolis, ſiue Romaniæ. ubi hæc uia inferior, diſtans à Scopia c c c x x x. millibus paſſuum, cõiungitur cũ ſuperiore, ex monte Vaſigliza, ſiue Rhodope, ad hæc plana progrediente.

*Ioannis Huniadis clades.*

*Priſtina pagus.*

*Nouamontana urbs Saxonum colonia.*

*Scopia.*

*Vardarus fluuius.*

*Hebrus, qui & Mariza fluuius.*

## TRACTATVS DE COGNOMINE & ſitu Romaniæ.

*Romania.*

ROmania autẽ, de qua paulo ſuperius mentionẽ fecimus, eſt regio aprica, affluẽs omnibus quę ad humanũ expediũt uſum: ab Romanis olim ob magnã ſitus amœnitatẽ diu habitata. Vnde propter frequentes in ea prouincia Romanorũ colonias, & præſertim Cõſtantinopolim, quę quaſi altera Roma uulgò nominari cõſueuit. Eius longitudo à littoribus Aegæi ęquoris & Strymone fluuio c c c L x x x x millibus paſſuũ progreſſa, ab oriẽte Põto, à ſeptentrione Iſtri ambitu non longè à Rhodope, iuxta Ciabrũ amnem cum inferiori Myſia finitur. latitudo uerò ex uicinis Aemi latebris incipiens, ad meridiem C L x x x uerſus Callipolim protenditur.

## ALIVS LOCVS VNDE EX PANNONIA IN MYSIAM iuxta Saslon oppidum traiectus eſt.

*Saslon oppidũ.*

SEcundus autẽ locus unde ex Pannonia trãſitus in Myſiã eſt, prope Saſlon, ſiue Sabacũ oppidũ, nõ procul inde ubi Drina ex Dalmatia decurrens Sauo immiſcetur. Vltra Sauum duę ſequunt prouincię, Belgina, & Maza, relictis ad dextram flumine Albo, & his montibus, Sacero, Chirbernico, Crupno, Saeza. Et tunc itur ad famoſum uicum Vagbem, montesq; Larzi, exercitibus propter currus & alia impedimenta immeabiles. Ex parte ſiniſtra fit progreſſus ad uadum maioris Muraue, abluentis ibidem Cruſſeuam arcem, adhærendo ſemper alijs itineribus ſuperius memoratis.

*Belgina. Maza.*

VIA

## VIA QVAE EX PANNONIA PER TRANSSYLVANIAM *mittit uersus Thraciam & Pontum.*

EST & tertium iter opportunius minusq; laboriosum, ducēs ex Pannonū finibus in Thraciā, & ad alia loca uicina Ponto. Verùm quia tam ipsos Pannonas, quàm reliquos trans Danubium commorātes populos, illud minimè latet, cum ex concursu commeantium inuicem mercatorum, tum ob cōtinuum bellū quod circa oram Istri, & eas regiones Turcos propulsando exercent, pauca tantummodo ad hanc uiam necessaria aggrediar. Buda itaque abest à Varadino, LXXX millibus passuum, interiacentibus Cumanorum locis, & flumine Tibisco. Hinc ad Rhium oppidū prope Crisiam amnem, est uia unius diei semper cāpestris. Ex eo patet accessus per uallem longam in Colusuar, siue Themisuar. Inde ad Sibinium pari spacio itineris et perfacili. Hęc ciuitas est principalis ex septem castris, quæ regio uulgò Transsyluania, siue Herdelia appellari consueuit, bello insuperabilis: parit enim strenuos ac fortissimos milites. Est in ea Huniad oppidum loci natura munitissimū: unde Ioannes pater diui Matthiæ regis oriundus fuit, qui hic primùm Turcis, eorū duce Mescribecho interfecto melioribus semper auspicijs uictoriā prosequēdo, adeò hostibus terrori & suis admirationi extitit, ut omniū sententia in regni gubernatorē deposceretur. Ex Sibinio sequitur Corona, siue Bresouia, ultimū oppidum Transsyluaniæ, adiacens montibus qui diuidunt eam prouinciam à maiori Valachia seu Dacia. Hinc tertia die aditur Tragouiscus metropolis Valachorum, & sedes peculiaris principum inaccessibilis: non muro, nō mœnibus cincta, sed fossa, uallo & aggeribus tātùm cū sudibus prœacutis exterius positis, sita inter paludes obductas, lutosis syluis et lacunis aquarum, ita quòd hyeme tota penè circumfinitima regio immeabilis sit. Hæc est prouincia Dacia dicta apud ueteres, Romanorū colonia: unde eius aborigines hac etiā nostra tēpestate, passim Latino utūtur colloquio. Est ea gens barbara, crudelis, diuinationibus & augurijs dedita, rapinis semper & prędę inhians. Ex his locis declinādo uiā ad traiectū Bidinij & Nicopolis dirigētem, ad lęua offert se Vasillū castrū, mediū fermè cōsistens inter Valachiam maiorem, siue Moldauiam, ubi sæpe cū Turcis certatū est. Dracula enim cū paucis sed electis, Machumetum Turcorū imperatorē potisum in maiori Valachia, & ad minorem occupandā maturantem, hic ad secundā uigiliam noctis aggressus, conuersum in fugam ad Danubiū cum magna suorū cæde & ignominia regredi coegit. Hic denique Stephanus Moldauiæ princeps Soleimanū Bassam & ducē Romaniæ sic prostratuit, ut ex XXX Turcorū millibus pauci admodū, qui fortè uelocioribus equis insederant, euaserint. Ex Vasillo circiter XXX millia passuū pertrāsitur Ister ad Brilagū, siue Braillouum oppidum: ultra quod occurrit Græcia, procedens ultra septem ora Danubij usq; ad Pontum, ubi est campus Varnæ, celebratus primo conflictu imperatoris Sigismundi & ducis Burgundiæ, postmodum cæde Vladislai Pannoniæ & Poloniæ regis atq; legati Apostolici.

*Cumani.*

*Sibinium.*

*Septē castra.*

*Huniad oppidum.*

*Corona.*

*Tragouiscus.*

*Dacia.*

*Valachorum mores.*

*Draculæ uictoria.*

*Stephani Vaiuodæ facinus.*

*Braillouus.*

*Varnæ cāpus.*

## VIA PER QVAM EX VARBOSANIA ITVR *uersus mare & montes Corbauiæ.*

RELIQVŪ est, ut quàm breuissimè enarretur ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruāt in Germaniā, & in alias circumfinitimas nationes. Est igit in ea prouincia locus qui Varbosania dicit, caput & sedes principalis ducis eius gētis, quò oēs ex Asia et Europa barbari prędę ac rapinarū auidi cōfluūt: propterea quòd inde facilius discurritur siue ad orā maritimā, seu per Licham & montes Corbauiæ, in Liburnos, Istros, Lubianam, & forū Iulium: uel ex

*Varbosania.*

monte Adrio, qui fermè medius inter Bosnam & sinum Adriacũ cõsistit, ad Croaciam declinando, in Carniolam, Ciliam, Carinthiã, Stiriã usq; Austrię penetratur fines: sed ex declinatione itinerum quibus ad eas transit gentes, ubi quæq; dictarũ regionum plenius apparebit. Hostes itaq; ex Varbosania ad planiciẽ Thimæ siue Sethiæ, distantẽ CLXX milibus passuum, & ad alia loca proxima mari discurrere uolentes, et si plures aditus habeãt, duos tamẽ continuis excursiõibus sibi magis cognitos, & quasi faciliores frequẽtant: altero circa Visochij Ganzan, & Prosor oppida descẽdũt ad Clissam, Spaletũ, Traguriũ & Scibenicũ: altero aũt longius ad Clucí arcẽ porrecto, præter Bistrizã, intrant in ladræ plana patentia usq; ad fretũ, dirimens insulas ab inuicẽ à promontorio Corbauię, cęteris q; mediterraneis locis. Verùm regrediẽdo ex istis cãpis ad Cluci, oppidũ & montes, unde in hęc litora diuertitur, duæ offerũt se uiæ. Alia uersus Bichachiũ & Hun, siue Hunan fluuium pergens, alpinũ Corbauię per angustias pleriq; in locis, transitu difficili & arcto, uix pedibus peragrando, dimissis ad læuam Nouij & Buchari oppidis, cũ Istria, Tergesto, et Mũtefalcon feruntur ex limitibus Bosnæ CCCXX milibus passuum, ad Hissunitium amnem.

*Excursionum Turcicarũ duo aditus.*

VIA QVA EX CLVCI OPPIDO VERSVS HVN FLVuium progreditur, & per quam itur in Germaniam.

SEd superiorẽ uiã tendẽdo, trajiciẽtes Hun fluuiũ ad latus Bichachij, relicta Cruppa ad dexterã, semper locis cãpestribus spacio L miliariũ offendũt omnẽ regionẽ Croacię circa Modrusiũ, usq; ad Cruppã & Sauũ fluuios. Hinc etiã in Lubianã excursiones fieri possunt per eosdẽ montes Corbauię, uia stricta, lapidosa & aspera. Post Cruppam amnem sequit Methlica, in cuius finib. est mõs arduus, trãsitu difficilis, porrectus ad quatuor miliaria, ubi pauco admodũ præsidio iter hostib. præcluderetur. Inde ad Sauum & Carniolam transcurrunt, & ultra Sauum per Ciliam, Carinthiam & Stiriam pro uincias Drauo flumini adiacentes, depopulaturi dextera Muram fluuium & Austriam adoriuntur.

*Incursio in Croaciam.*

VIA EGNATIA EX EPIRO SIVE DYRRHACHIO, per Aemathiam in Thraciam progrediens.

DVxi prętera peropportunũ fore, si nostræ ætatis hominib. simul atq; posteris notũ fieret, per quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Macedoniam siue in orientem transibant, præsertim cũ & assidua bellorũ uastitate & tẽporũ uicissitudine nomina urbiũ atq; locorum obliterata, omninoq; hodiernis Christianis militibus incognita existãt. Proinde duæ sunt uiæ. altera Egnatia, ex Dyrrhachio in orientẽ, quam Strabo geographus ad Hebrũ fluuiũ Thraciæ per millia passuum D atq; XXXV mensus est. altera autẽ ex Apollonia, quæ Candauia à mõte Illyrici denominat, in Macedoniã CCLXVII, Thessalonicã usq; progrediens. Sed prior Egnatio ex Dyrrhachio per Pharsalicos & Aemathię campos, linquendo sinistrorsum Fandam fluuiũ, & montes Ducagmorũ circa Lisum Aemathiæ quondam nobilissimam ciuitatem, & frequentissimos Vrachię & Dibri pagos, pergens ad Belgradũ oppidum fermè medium inter Aemathiã, Thessalos & Macedones, dimissis ex parte dextera Thessaliæ montibus, læua uerò Drina fluuio, per gratis syluis & nemoribus finitimorum montium, descendit in planiciem Macedoniæ, extensam uersus Hebrum & Thraciam.

*Via Egnatia.*

*Candauia.*

VIA CANDAVIAE MARITIMA, EX APOLlonia ad fauces Propontidis extensa.

SEcũda uerò uia, quę Candauia dicitur, ex Apollonia, unde sumit initiũ Epirus, ad sinum Ambraciũ, pręter Aulonis siue Valonę lacũ procedẽs, dextror-

dextrorsum adiacẽt ſibi gentes Epiroticę, quas Siculũ mare alluit. Hęc regio uulgò Arbanus nuncupatur, diu ſub Aranitorum dominio habita, cũ Acheloo, uel (ſecundũ accolas) Pachicolamo amne è Pindo decurrente cõiungit. Illic terminus Epiri. Ab eo per Acarnanes ad Euinum, ſeu Phidarim fluuiũ, qui in os ſinus Corinthiaci influit, dirimentis Aetoliã à Peloponneſo, ad Anthiriũ flumen Iſthmo pertinet. Verùm tota hæc uia ſuperius memorata cõtinuè extenditur per oram maritimam, aditu quibuſdam in locis aſpero, & longius à mari ambiẽdo, ob crebros ꝓminẽtes in hæc littora mõtes. Ea poſt Iſthmũ ab Aegęo excepta pelago, per locos Phocẽſes, Bœotios, Atticos, & Megarenſes. Gręcię maritimos populos circa Eubœæ atq; Theſſalonicæ ſinus dimiſſa ad læuam Lariſſa, deſcendit uſq; Theſſalonicam clariſſimã Macedonię urbem. Dehinc rurſus ad latus eiuſdẽ freti uerſus meridiem, Athon montẽ declinãdo, per plana & mõtes Strymonẽ trãſgrediens (qui Macedones à Thracibus diuidit) locis ſemper maritimis ad Aemio oppidum extenditur, ubi Hebrus Thraciæ fluuius Aegæo immergitur æquori. Hinc duo patent itinera. Alterum per LX milliaria uerſus Adrianopolim: alterum autem ad læuam per pontem Aeginæ, ſupra paludes & lacus miro artificio tribus millibus paſſuum extenſum, prębetur acceſſus ad Callipolim. ex ea in occaſum diuertendo, facilè ad fauces peruenitur Propontidis, ſiue Dardanellum.

*Arbanus regio.*
*Achelous.*
*Euinus fluuius.*
*Græcia maritima.*
*Theſſalpnica.*
*Hebri oſtia.*

## EPILOGVS EXHORTATORIVS
### *ad inuadendum Turcos.*

HAec ſunt itinera à Romanis olim toties peragrata exercitib. nũc à Chriſtianis obnixius affectãda, ſi pulſis ex Europa barbaris, perpetua pace potiri cõcupiſcunt. Non eſt ita expectandus hoſtis, neq; dimicandum cũ eo in limitibus & gremio Italiæ. In Epirum ſiue Macedoniã tranſportãdæ ſunt copiæ uno atq; eodẽ momento. Hinc & ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum eſſe, nemo iam ambigit: nõ defuturum enim militẽ, neq; cõmeatum, omniaq; neceſſaria præſtò fore. Aderunt & ex circumfinitimis prouincijs undiq; fideles populi, ſolã Chriſtianã expeditionẽ præſtolãtes parati hoſtes undiq; adoriri, quàm primũ ſenſerint Chriſtianorũ caſtra, Iſtrũ, & ex Italia exercitum Adriæ fretum traieciſſe. Hæc eſt una atq; extrema uia debellãdi hoſtem. Legimus namq; Alexandrũ Magnum cũ Dario Perſarum rege in Aſia decertaſſe. Xerxes ne ab Athenienſibus in regno ſuo circũueniretur, prior ipſe Græciam inuaſit. Hannibalis quoq; una atq; eadẽ ſentẽtia ſemper erat, ut in Italia bellũ gereret. neq; ab ea iã uictor prius reuocari potuit, quàm translato in Aphricam bello. Cæſari etiã tanta in opprimendis hoſtibus celeritas inerat, ut plerunq; ipſe famã ſui aduẽtus pręueniret. Sed prætermittẽda ſunt tot exterarum gẽtium exempla, ſolummodo unũ relinquitur dignũ memoria, ac celebrãdum poſteris documentum Ioannis Huniadis, qui nunquam paſſus eſt Turcos aduerſus Chriſtianos expeditionem mouiſſe, quin eos in ipſa Thracia aggrederetur. Cuius præclara ac ſanctiſſima pro defenſione orthodoxæ reipublicę incœpta noſtræ tempeſtatis principes imitari, Dominus IESVS CHRISTVS Deus optimus maximus faxit.

*In ſuis terris aggrediendi hoſtes.*
*Ioannis Huniadis prudentia.*

FINIS.

IACOBI

# IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS DE REGNO VNGARIAE AB hostibus Turcis oppresso & capto.

## HOMILIA.

MAGNO & intolerabili dolore afficior, fratres charissimi, ex his iam penè assiduis incommodis & detrimentis, quibus Christiana conficitur & laceratur respublica. Nec uerò aliter uobis usu uenire intelligo. Sed ætas mea exacta iam, & præcipitans, usus̄q; rerum multarū, in quibus diu sum penitus̄q; uersatus, me plus aliquāto, quàm pars uirilis postulat, non solum præsentia mala hæc dolere, quæ longe antè impendentia uideram, sed etiam futura pertimescere semper cogit: ut dolor meus cum metu & timore deteriorum rerum semper cōiunctus grauiores mihi profectò, q̄; cuiquā uestrûm animi curas afferre, & sollicitudines debeat. Et tamen paulo antè cum recitarentur ex Germania literæ, quę regnum Vngariæ totū delatum in hostium potestatem, nostrorū exercitus occidione occisos, uexatas & perditas citeriores prouincias, Pestum & Budam urbes loco manuq; munitas, arces regni illius, quæ propinquæ Austriæ & propter uicinitatis situs̄q; opportunitatem, tanquā uestibulū Germaniæ, propugnacula Italiæ semper habitæ sunt, ab hostibus Turcis oppugnatas & captas nunciabant: uidi ego gemitus & dolores uestros, uos̄q; propè æquè, atq; ego eram, perculsos, atq; afflictos illo aduerso nuncio intellexi. Cum autem illa præterea quæ in eisdē literis subiuncta erant uobis legerentur, quòd maximas cædes ubiq; Christianorum esse factas, nulli neq; ætati, neq; sexui crudelitatem hostium pepercisse, terram coopertam corporibus interfectorum, flumina sanguine multo cruenta fluxisse cōstabat: quis tū fuit uestrûm, qui in tanta coniuncti nobis & religione & legibus Christiani generis strage lachrymas tenere posset? Quis non defleuit sociorū casum? Quis se dolore nō abiecit? Nec uerò quisquā, opinor, ex nobis in domestico funere, quanquam charissimo pignore orbatus, tantum unq; mœstitiæ luctus̄q; suscepit, quantis nos cuncti fletibus & lamentis casum hunc reipublicæ, & ueluti funus prosequuti sumus. Laudo pietatē uestram, fratres dilectissimi, humanitatē probo, charitatē agnosco. Quòd enim calamitate fratrum uestrorū tanquā uestra cōmouemini, magno mihi ea res argumento est, uos laturos fuisse miseris illis atq; indigentibus opem, si facultas affuisset, quos ab immanissimis hostibus crudeliter absumptos tātopere doletis. Nam quòd illi fratres fuerint uestri, sintq; reliqui omnes, qui ab eodem patre Deo, & ex eadē matre ecclesia in hanc cœlestē uobiscū unà cognationis necessitudinem geniti sunt & procreati, ne dubitatis quidē. Quotiens enim cunq; Dominica à nobis profertur oratio (qui mos in CHRISTVM rectè credētibus solennis & quotidianus est) paterq; noster Deus inuocatur & poscitur, totiens fratrū nostrorū qui ubiq; gentiū eundē Deū patrem agnoscunt, facimus mentionem. Quos si uerè, si iure, si sanctiore etiā quàm hæc mortalis et terrena sit, generis necessitudine fratres appellamus, fraterna itē iurè beneuolentia & uolūtate cōplectimur. Atq; horū ô misera & calamitosa tēpora, in quæ nos deuenimus: horū inquā Dei filiorū fratrumq; IESV Christi & nostrorū genus quondā peramplum

*Pestum. Budā.*

*Dominica oratio.*

amplum, & frequẽtissima cognatio, omneis propè terras, maria omnia obti
nebat, tũ cũ diffusa toto orbe terrarũ cunctis in gẽtibus deo gratias agebat,
hymnosq́ & laudes catholica cõcinebat Ecclesia, pòst locis undiq́ & regio
nibus expulsi, patrijsq́ sedibus extorres abire coacti, paulatim primò, dein-
de pręcipitãtius, ad extremũ Africa Asiaq́ amissis, omnibusq́ ꝓuincijs, quę
trans mare sunt, inter dissensiones nostras à Turca occupatis, angulũ Euro-
pæ nõ maximũ tenebamus: cũ eadẽ ira Dei & amẽtia nostra nobis aduersan
te, ex eo ipso iã extrudimur. Quis em̃ nõ uideat nostris munitionib. iã effra-
ctis, patefactum esse hac oppressiõe Vngariæ hostibus barbaris aditũ ad for
tunas nostras omneis corripiendas, sanguinemq́ Christianorũ sundendũ at
que exorbendũ: quẽ illi tanta cum auiditate semper sitiunt, ut saturari eo nũ-
q̃ nec expleri possint? Atq́ hæc eo duriora nobis atq́ indigniora eueniunt,
q̃d cum uirtute, si per nostras dissensiones & discordias liceat, superiores si-
mus, amentia & cæcitate animi reddimur inferiores. Inferiores dico? iam nõ
est uerbi huius reb. ipsis cõgruens & apta significatio. Illi enim inferiores uo
cãdi sunt, qui cũ certent, cũ repugnent, cũ resistant, uincũtur tamẽ uel aduer-
sariorũ ui, uel aliquo calamitatis casu. Nos sine certamine traditi hostiũ libi-
dini & crudelitati sumus, & qui, si uellemus, tanq̃ aduersus fœminas uiri esse
possemus, ceu pecudes sumus ad impetũ luporũ ꝓiecti atq́ expositi, destitu
ti à pastorib. nostris, quos ipsorũ propria studia, acerbaq́ inter se odia in par
tes diuersas trahũt: nulla aũt, uel nõ ea q̃ deceret ipsis cõmissi gregis cura be
neuolentiaq́ attingit. Si quidẽ bonus pastor, quemadmodũ est à domino in
euangelio demõstratũ, nõ & ipse pascit̃ fructu & incremẽtis gregis, & lupos
nõ arcet populari conantes gregem: sed ut salutẽ ouium suarũ tueat̃ & custo
diat, offert in discrimẽ suã. Quod nõ modò nostri humani pastores nõ faciũt
sed q̃d multo grauius & perniciosius nobis est, ab ipso quoq́ Deo summo
omniũ pastore & duce neglecti iampridẽ & repudiati sumus, q̃d grauẽ eius
irã offensionemq́ aduersum nos, nostra innumerabilia peccata cõcitauerũt.
An nõ perspicua omnibus & manifesta est Dei offensio? Quis dubitate hac
qui dẽ de re potest? quis aliud sentire? Hostis adest in foribus, atq́ is hostis,
qui cũ sanguinis & prædæ uehemẽtissimè sit appetẽs, sanguine tamẽ nostro
magis etiã quàm præda semper est delectatus. Is cædem & seruitutẽ omnib.
nobis denunciat. Nihil audimus, nihil cõmouemur: iã intulit uim atq́ arma,
iã rescidit uallũ manitionũ nostrarũ, iã intra nostra castra tabernaculaq́ uer-
sat̃: nos ab hac cogitatiõe penitus auersi sumus: inter nos litigamus, inter nos
digladiamur: & dum magna pręlia paruis de rebus inter nos conserimus, ad
illud prælium, quo nostra salus & fortunæ omnes in uniuersum periculum
uocatæ sunt, minimè sumus attenti. Potest ne ex his obscura cuiquam esse
ira contra nos, & inimica infestaq́ uolũtas omnipotẽtis dei? Vnde enim, ob
secro, nobis hic stupor, hęc animi omissio, hęc uecordia? nisi quia nõ direxi-
mus cor nostrũ in deũ, & nõ cõiũximus cũ eo spiritũ nostrũ, neq́ posuimus
in eo spẽ nostrã, & in lege eius ambulare noluimus, sumusq́ ipsius beneficio
rũ obliti, & ad iracundiã eũ cõciuimus. Iccirco tradidit in captiuitatẽ uirtutẽ
nostrã, & omneis nostros apparatus in manus inimici: cõsũpsit gladio popu
lũ suũ, & hęreditatẽ suã repudiauit. Nõ em̃ alijs, fratres, uerbis malorũ nostro
rũ uera ratio & causa, præsertimq́ tãtorũ exprimẽda nobis est, q̃ est à Prophe
ta ipso, & à scripturę sanctę oraculis expressa. Quos em̃ deus nõ amat, ijs mẽ-
tem & cõsiliũ profectò adimit. Hęc porrò nobis adempta esse, quis nõ intelli
gat? qui si pręteritis malis detrimẽtisq́ edocti, aliquãdo tamẽ resipisceremus

*Inferiores qui proprie.*

*Dei offensione grassari in Christianos Turcã.*

si cogni-

si cognitis hostis insidijs eiusq; malitia & calliditate perspecta, qui sẽper sociales nostras discordias occasionẽ suarũ rerũ bene gerendarũ aduersus nos putauit, qui incredibili ambitiõe inflãmatus, inhiat orbis terrę imperio, qui nostrũ omne extinctum & perditum nomen cupit: ipsi quoq; arma cõtra eũ nostra & auxilia conferremus, animisq; usi uirilibus, & cõsiliũ quo ualere solebamus, & uirtutẽ qua longè sumus superiores, illius et malitiæ opponeremus, & ferocitati: placatoq; in primis, q maximè necesse est, Deo, q expiandis pœnitẽtia ueterib. peccatis, nouaq; & casta uita ad illius arbitriũ & uolũtatẽ ineunda perfacilè obtineremus, spes esset nõ modò nos impetum hostis barbari & crudelis à reliquis nostris urbib. et agris propulsuros, sed ultrò in eius prę sidia & regna inuasuros, recuperãdisq; ꝓuincijs & nationib. quas amisimus, ueterẽ unà dignitatẽ & amplitudinẽ maiorũ nostrorũ recuperaturos. Nũc quis nos amẽtię nõ cõdẽnabit, & rationis lumine orbatos nõ agnoscet, claraq; hæc & certa indicia nõ cõstituet, alienati à nobis atq; auersi præpotẽtis Dei, illiusq; diuinę dexterę à nostra ꝓtectione amotę? Cuius Dei alie nationẽ etiã mẽtis nostrę alienatio sequit: quòd nõ modò nil dignũ nobis, maioribusq; nostris cogitamus, sed ne supremã quidẽ pestẽ, quæ nobis imminet, ultimumq; excidiũ q̃d appropinquat, possumus rectis oculis cõspicari. An est de reliq̃ exitio nostro nobis dubitandũ? nosq; ea tantũmodo, quæ malè adhuc gesta sunt conquerimur, de futuris nõ pertimescimus? Imò uerò metus & expectatio malorũ impẽdẽtiũ nos peius habet, q̃ dolor eorũ quę iã perpessi sumus. Id adeò uos mecũ unà considerate. Turca hostis superbus & uictoria ferox, religiõe impius, crudelitate barbarus, auarus imperij sui ampliandi (si tamẽ id imperiũ, in quo unus omnino liber, & idẽ tyrãnus est, cęteri extrema fortunæ cõditione sunt serui) is nũc utraq; Pannonia suæ ditioni subiuncta, tot populis & ꝓuincijs uno aduẽtu suo impetuq; oppressis, & à Christiana cõsensiõe diuulsis, oppida, arcesq; eas ui cepit, ex quib. ꝓximus illi & ꝓcliuis ad hęc nostra interiora est ꝓgressus, ut & peruagari quà uelit, & excurrere quócũq; libeat, sine metu & periculo rerũ suarũ, iã illi sit licitũ. Est' ne igit' quisq; qui dubitet, quin hac opportunitate cõtra nos usurus, suarum' que cursum uictoriarũ continuaturus sit? Nemo profectò: nõ enim remittit ille quippiã, non procrastinat, non sinit effluere & præteruolare occasiones: sed præstò est sẽper uenientib. & se offert. Quid ergo, cũ iniecerit sese introrsum in nos? ut forsitan iam iniecit: nihildũ enim postea ex illis locis est allatũ. Quos, quos ille inueniet ciuitatũ nationũq; cõsensus & cõspirationes paratas, ad obuiam eundum, resistendumq;? Quam concordiam & prouidentiam principum, consulentium rebus communibus? Quas acies, manusq; militum, quos nõ solùm animi fortitudo, sed pietas etiam erga patriã, aduersus impium hostem armarit atq; erexerit? Nihil omnino horũ, sed cuncta odijs ciuilibus dissipata, factionib. perturbata, hæresibus polluta, ignauis prauisque consilijs contaminata & perdita, est reperturus: ut illi summa cõmoditas ad impugnandum, nobis uix ulla facultas ad resistendũ reliqua ostendatur. Nã si resistendi cõsiliũ aut animus fuisset, in propugnaculis oportuit resisti. Nunc amissis illis, quãto maiore cum periculo debilitatas uires nostras hosti opponemus, qui integras obuiã ferre negleximus? quanquã nullũ quidẽ periculum desidia, & intestina nostra dissensione maius est. Vtinam modò conueniremus, utinam consopita iam diu Christiani nominis uirtus, aliquãdo tã dẽ expergiscerẽt, principesq; nostri, quib. data est in Christiano populo potestas & moderatio, quę se essent digna, & suo nomini cõsentanea cogitarẽ,

alterutrum

alterutrum nobis non deesset, ut aut uinceremus hostem ignauũ suapte natura nostris dissensionibus felicem, non fortẽ: aut si à nobis esset Dei omnipotentis decreto hæc spes & gloria tantæ uictoriæ abiudicata, honestè tamen, tanquã fortis in pugna uir, & sine dedecore caderemus: qui nunc pecudum exterritarum more dispulsi & errantes, sine opitione, sine certo signo, sic dilaniamur passim atque conterimur, ut non modò nobis uiuentibus dignitas, sed etiam morientibus desit misericordia. Verùm quoniam queri quidem hisce de rebus possumus, opitulari autem & subsidio esse ruenti reip. nõ possumus, quod ad id nobis non animus, sed fortuna opes nõ suppeditat: si quid autem autoritatis publicè in consulendo habuimus, id frustra iam aliquotiens & dicendo & scribendo sumus experti. Veniamus fratres charissimi ad ea solatia, & in periculis malisq; perfugia, quæ nobis nulla inimica uis, nullius hostis acerbitas, nulla cõmutatio rerum, uisq; & inclinatio temporũ potest eripere. Ad Deum enim nostrũ, qui summũ nobis bonũ est, tutus semper nobis est, si uolumus, facilisq; receptus. nec nos deterreat, quod ille habitat altissimis in locis, nos in infimo mundo sumus positi: non enim tarditate corporum, sed uelocitate animorũ illuc usq; pertendimus. Etenim posteaquã IESVS Christus summi filius patris, parq; ipse patri & natura & potestate Deus, ad nos deuenit, carnisq; nostræ fieri dignatus est particeps, quò suæ ipse diuinitatis nos quoq; uicissim compotes efficeret, ex eo regnum cœli uim à mortalibus pati assueuit, & uiolenti illud atq; fortes rapere cœperunt: nec tamen ista uiolentia eò est requisita, ut oram, ambitumq; cœli, quasi urbis munitæ mœnia tormentis perrumpamus, sed in dissoluẽdis uinculis necessitudinum terrenarũ, quæ nos à Deo longè remotos detinent, & in tabernaculis nostræ uitæ, quæ in terra altè fixa atq; defossa sunt, extrahendis ac refigendis, noua quędam & magna uis nobis necessariò est adhibenda: quam nos nec nosse, quo ex genere sit, nec suscipere & exequi quemadmodũ oporteat, unquã potuissemus, nisi Christus idem nobis & exemplo semel fuisset ad percipiendam eius rei doctrinam, & esset quotidie adiumento ad exercendã uirtutem. Quapropter fratres, si uolumus (ut antè dixi) nosmetipsos, & bona omnia nostra in illum sublimem locũ deportare possumus, quò neq; malum aliquod, nec flagellum inimici potest appropinquare. Cur autem ita uelle debeamus, causæ complures sunt, & diuinæ illæ quidem, & humanæ: sed nos breuitatis causa paucis perstringemus. Humanæ causæ sunt, quamobrem nos cõueniat spes & rationes nostras conferre & dirigere in unum Deum, ut malum, ut calamitatem, ut exitium fugiamus: Diuinæ, ut bonum, ut felicitatem, ut immortalitatem consequamur. Parum' ne nobis in utraq; parte ponderis esse uidetur, & momenti, cur & hæc quę mala sunt relinquere, & illa quæ tanta & tam expetenda bona sunt, exquirere debeamus? Nam hic quidem, in hoc inquam mundo, & in his terrenis ac mortalibus bonis, si tamen bona appellanda sunt, quæ quo plura & maiora nos circunsistunt, hoc sumus angoribus animorum & solicitudinũ stimulis inquietiores. Igitur in his ecquid' nam obsecro tanti est, ut id studio nostro & cura dignum sit iudicandum, ac mediocri quidem cura? cum tamen nos omneis curas, & studia omnia nostra in ijs rebus constituamus: in quo malus nimirum nos error, & opinio decipit, usu & consuetudine deprauata. Cum si rectè putare rationem totam, & naturam rei perscrutari uelimus, cõtrà nobis eueniat, quàm ut sibi persuaserat, & summam suarum rationũ fecerat nostra cogitatio. Illa

enim ex his temporũ & terræ bonis multas ſibi paratas utilitates, egregias commoditates, complures & magnas & uarias iucunditates ſpe percepe-rat, quarum euentu in experiundo fraudata, (incidit enim magis ex illis in moleſtias, in mœrores, in timores graues, & ſolicitudines) nunquam tamẽ deſiſtit inquirere anxiè & laborioſe, quo ſe nunquam fruituram intelligere non poteſt: ita & ſpe uana meliorum in poſterum rerum, & tædio ac ſatie-tate præſentium fruſtrata & illuſa uita noſtra, antè præceps ad occaſum tru ditur, quàm non modò potuerit reperire quod quærebat, ſed etiam quàm iter rectum ad quærendum inuenerit. Itaq; ille ſapientiſsimus Regum, cui & ſua ui ingenij atq; conſilij, & in primis Dei omnipotentis donis omnia quę optarat ad uoluntatem ſucceſſerant, cum honores, imperium, regnum inter ſuos, famam autem & gloriam & præſtantem authoritatem inter alie-nos, illas uidelicet nationes Orientis eſſet nactus, cum agros præclarè cul-tos & conſitos paraſſet, magnificè & ſplendidè omnibus in locis ædifica-ſſet, maximum auri pondus argentiq; congregaſſet, tum autem cætera quæ ad uoluptatẽ corporis, & ad lætitiam animi apta atq; idonea eſſe exiſtiman tur, haberet ſibi per omneis propemodum ædium & uillarũ ſuarum angu-los, perq; omnia horarum temporumq; momenta parata atq; diſpoſita: in his tamen ipſe, & alijs eiuſdem modi ſingulis rebus commemorandis inſi-ſtens, tanquam illuſus à fortuna, & à ſpe ſua deſtitutus, exclamat ubiq;, ua-nitatem iſta omnia eſſe: nec qualemcunq; uanitatem, ſed quæ cæterarum omnium princeps uanitatum, & ſumma uanitas ſit. Quod perinde eſt, ut ſi diceret, non eſſe uanum contemptum huiuſmodi rerum, quarum ſtudium & adeptio ſit maxima uanitas. Quid in Euãgelio dominus Luca atteſtan-te: nonne hominem illum optima ratione redarguit, qui ædificatis ſibi cel lis penarijs permultis, ijſq; omnium fructuum copia & uarietate repletis, cum in multos annos paratas ſibi copias uitæ & commoditates uideret, au ſus eſt animo ſuo dicere, & ſuadere, ut gauderet nunc denicq;, & lætaretur, quoniam haberet in poſterum, quibus ſe perpetuò eſſet oblectaturus? ad quem mors eodem ferè momento: Stulte, inquit, hac nocte abs te anima tua repoſcetur. Et ſanè omnibus ferè hoc contingit, qui in terrenis bonis congregandis elaborãt, ut ſemper ſolliciti, ſemper anxij, ad omnia ſemper auido animo anhelantes, nuſquam inueniant ſuarum ſolicitudinũ finem, exitumue laborum, cum tamen ſemper inuenturos ſe ſperent, donec mors improuiſa irrepens, inopinanteis eos in medio curarum æſtu, & cupidita-tum opprimat: uel ſtupenteis, & attonitos, tanquã beluas, & illo mortis ca ſu amenteis factos, quòd ſe fragiles eſſe, & ex moribundo genere ortos an-tea non cogitarant: uel ſi ſenſum & cogitationem conditionis ſuæ eo tem-pore retineant, tum maximè gementes & dolentes, uitam ſibi eripi, cùm re bus ſuis planè conſtituendis nondum finem eum, quem ſibi propoſitũ ha-buerant, impoſuiſſent. Sed ſit hic fermè cunctorũ communis error, & hu-mana deceptio: ut diximus, quæ ab hominibus malè adhuc animaduerſa, ex ſcripturis ſanctis perſpicuè redarguta eſt, quòd inter uanã ſpem futuro-rum bonorum, quæ ſcilicet terrena & mortalia ſint, inanemq; fructum prę-ſentium, quorum quotidianis ſollicitudinibus, & moleſtiarũ aculeis amara plerunq; & irrequieta eſt poſſeſsio, portum noſtrarum cogitationũ tene re non poſſumus. Quid? quòd amore huiuſmodi bonorum deprauati, atq; inducti, uera et ſempiterna bona ueluti ſponte, & data opera à nobis abali-enamus? Tantumne hic quoq; poteſt error, & importuna nobis cæcitas

animi

animi sic officit, ut certissimorum, maximorumq; bonorũ, præ his quæ & leuia, & certè fugitiua sunt, nullam sæpenumero ducamus rationẽ? ut perpetuam nostram salutem, & fœlicitatem, breui & falsæ iucunditati posthabeamus? Diximus hæc terræ bona non magnæ à nobis dignationis haberi cõuenire, propterea quòd eorum acquisitio laboriosa, custodia solicita, possessio fugax, fructus nobis atq; usus inutilis plerunq;, & pernicioſus sit. Atq; hæc ita diximus, ut etiam illa si iure obtineantur à nobis, si sponte sua ad nos confluant, si sine iniuria, sine improbitate, sine conscientiæ damno sint nobis parata, nõ tamen magni facienda uideantur: propterea quòd aut bona ex se, & sua natura, non sunt Christianis hominibus quidẽ, quorum non est in his copijs beatitudo constituta: aut si quid habent in sese boni, in eo habeant duntaxat, cum negliguntur quà ad commodum nostrum pertinent, ad aliorum autem incommoda subleuanda potius adhibentur. Vt uerò eis quoq; appetẽdis, captandis auidè, anxieq; quoquomodo conquirendis, nec fides teneatur à nobis, nec seruetur iusiurandum, nec pietatis ac religionis erga Deum, humanitatis erga proximum ratio habeatur: quis hanc tantam labem & perniciem bonorum morum cum animo aduertit, non ipsa coactus ueritate confiteatur, Deum nobis meritò & iustissimè succensere? Miramur nomen Christianum pessum quotidie ire? Miramur hostibus nostris tantam uim, tantam prosperitatem, tam felices nostro detrimento atq; exitio euentus procedere? Quid ista mirari oportet, cum omnium origo malorũ euidens & manifesta sit? Nempe quod iratus & inimicus nobis est Deus: nec sponte ille sua. quid enim magis est ab illius clementia & infinita bonitate alienum? sed maximis & grauissimis iniurijs prouocatus à nobis. Itaque ut Assyrios ad excidium Iudæorum adduxit, sic exterminationi nostræ inuehit atq; corroborat Turcas, genus hominũ longè multoq; quàm Assyrij, & crudele magis, & inhumanum, & barbarum. Minus enim offenditur Deus in ijs qui apertè illi & sunt & semper fuêre hostes, quàm in nobis, qui amicitiam cum eo fidelitatemq; professi, omnia & fidei & amicitiæ iura prodimus, & uiolamus: idq; aduersus Deum, qui uindicare acerrimè, & quamuis subitò potest, cuius forti potentiæ incuruantur & inclinantur omnia, nec nostram abiectionem imbecillitatemq; respicimus, & sæpe intra nos taciti ratiocinamur, & quærimus, quid causæ sit quòd uideatur Deus de nobis curam abiecisse, & nationes eas in quibus solis colitur & honoratur, ipsius nomen uastari, diripi, & in seruitutem redigi sinere. Qui est iste cultus atq; honor? aut quę Dei colens natio? Quid habet Deus iam in nobis, quod suum dicere possit? cum usurpetur quotidie quidem inter nos illius nomen: uerùm id magis ad confirmationem improbitatis nostræ, quàm ad uenerationem diuinitatis suæ: atque ut ipsemet inquit, Labijs tantum à nobis honoretur, cor autem nostrum longè sit ab eo. Quod ita esse, iam mihi omnes concedatis est necesse. Est'ne quicquam quod ille magis nobis præceperit, crebriusq; idem & uehementius inculcarit, quàm ut diligeremus inter nos, ut inuicem quisque alterius onera ferremus, ut essemus erga proximum & humanitate & beneficentia misericordes, & mites? Quid ergo? (respõdeat quicunq; uult) Paretur'ne Deo, ista præcipienti, obtemperatur, obeditur? Obscurũ est, credo, Carpentoractenses mei. Sic enim agam nunc uobiscum, ut de uitijs eis, & peccatis, quæ generi & ordini uestro familiariora sunt, commemorandum putem: non adsunt principes uiri in præsentia, non reges, non Pontifices,

*Calamitatum huius seculi causa quæ.*

non factiosi & nobiles, non militares homines, non illustres artes scientias q; professi: quibus, si adessent, alia, & alterius modi adhibenda esset oratio. uobiscum loquor, quos tanquam diligens pastor cupio in uiam errantes reducere, & à Christo Domino disiunctos, ad Christum rursus adiungere: de uulgatis & communibus delictis uerba facio, non ut quempiam lædam bonum, sed ut minus bonis timorem aliquem Domini (in quo initium omnis sapientiæ est, & corrigendæ uitæ studium) quatenus nobis à Deo conceditur, inferam atq; inijciam. Obscurum' ne cuiquam & dubiũ esse potest, quid agatur in hoc quotidiano inter se hominum commercio, in hac infida societate uitæ? quę alternis opibus suppeditata, et adiuta fidei & mutua charitate, sicut imperat Dominus, munita esse debebat: non' ne omne penè omnium studium in eo nunc consumitur, ut circumueniendo proximo, quæstui quisq; suo, & iniusto lucro deseruiat? emuntur, uenduntur, contrahuntur quotidie res, syngraphæ conficiuntur, iudicia exercentur, lites intenduntur, ubiq; Deus, ubiq; iusiurandum, ubiq; pactio, ubiq; promissio: est' ne in hisce rebus fidei iam usquam, & ueritati, & iustitiæ, & religioni locus? parum' ne cogitamus, quid' nam agimus: aut si ea res, & animi nostri intestina malitia, menti nostræ est proposita, Deum ita despeximus, ut illi uolentes, & prudentes, tot quotidie inferre non uereamur iniurias? Mitto nunc cætera communis uitæ delicta, desidias, libidines, luxus, æmulationes, iracundias, & quæ sunt eiusdem modi: quæ etsi uitia, ac peccata grauia sunt, eodemq; in genere improbitatis uersantur, tamen faciliores habent, quàm auaritia, ad Deum rursus receptus. Auaritia maximè una est, quæ tanquam tetra quædam, horribilisq; pestis, dissipat omnem bonum morem, humanæq; uitæ societatẽ disturbat, & depopulatur: quorumq; in animũ inuasit, arcemq; in eis obtinuit mentis atq; consilij, eos illa statim è familia Dei ereptos, atq; abstractos in seruitutem Sathanæ mancipat. Est enim auaritia, ut pluribus in locis repetit Paulus, idolorum seruitus. Egregium sanè fructũ fert hominibus auaritia, ut qui à Domino Deo pacem, salutem, uitam, felicitatemq; & precamur & optamus, eaq; unius illius dono obtineri à nobis posse cognoscimus, nec tam in terris hæc quæ mortalia sunt, sed illa cœlestia & sempiterna, ijdem ad aureum alium dominum transfugientes, oppositum è regione omnipotenti Deo, supplicesq; illi facti, mortem & perniciem ab eo, animiq; turbam & tumultũ, totiusq; uitæ miseriam precibus impetramus: nec solum hæc in hac ut habeamus uita, in qua tamen miserijs finem mors quandoq; imponit: uerum & in altera, ubi nulla unquam summæ infelicitatis & miserrimæ calamitatis datur intercapedo. An non hoc experimini quotidie in uobis, Fratres? Vos ego appello, si qui fortè adestis, in quibus maius aliquanto, quàm oporteret, insit pecuniæ studium. Vos enim ego parturio in Christo, & in eodem Christo sanos & ualentes cupio parere. Non' ne inquam sentitis, quàm acres habeat stimulos, & quàm animum uehementer fodicet iste lucri amor, usque eò quidem, ut quiescere animum non sinat, turbasq; omnium intus concitet cupiditatum? quibus quidem in eo dominantibus non pax, non ratio, non rectus mentis usus habere ibidem locum potest, non uirtus, non libertas, non consilij constantia. Atqui ad animum sic affectũ, tanquam in domum seditionibus & turbis agitatam, nequaquam pacis author ingreditur Christus. neque uerò ipse habere aditum eò potest, ubi eum mens non recipit, sordidis alijs curis & cupiditatibus occupata: aures non audiunt, quoniam

*Circumuenien do proximo omnes iam studere.*

*Auaritiæ pestis.*

quoniam pecuniæ & syngrapharum & litium tinnitibus obstrepuntur: lin
gua non nominat, nisi cum inaudito quodam & prorsus nefario scelere, ca
ptandi lucri causa, facere eum illa uult suæ fraudis & perfidiæ adstipulato-
rem & testem. O miseros nos: eo ne usq; amentię et impietatis processum
est, ut quo mendacijs nostris fidem astruamus, Deum sæpe testem scelera-
ta mente faciamus? Falsitas ergo imperabit ueritati, Christianis homini-
bus authoribus, & Sathanas leges imponet Deo? In primis, quæ Moysi à
Deo data sunt, præceptis illud propè est primarium, quo uetamur nomen
Dei nostri irrita & ludicra appellatione expromere. In quo præcepto id *Nomen Dei*
spectatum est, ut ne nimium crebra & familiari commemoratione illud ui- *non faciendum*
lius factũ, minus sanctum & uenerabile ad aures hominũ accideret. Nos, *irritum.*
quod sine causa facere prohibiti sumus, ob eam causam faciemus potissi-
mum, ut mendacia nostra iureiurãdo fulcientes, proximo nostro fraudi &
& detrimento simus? Quid tandẽ ut efficiamus, aut quod est extremum &
ultimũ nostrarũ tantarũ contentionũ & laborum? Nempe ut & ipsi terræ
cõmodis, & corporis iucunditatibus largius perfruamur, & liberis nostris
quamplurimum relinquamus. Potest ne quisquã male partis benè frui? aut
in animo sibi ipsi implacato & discorde, soluta & pura huiusmodi bonorũ
delectatio inesse? Liberis autẽ nostris non ne eam certiorẽ hæreditatẽ trãs-
mittimus, qua ipsos in eadẽ cupiditate et malo more nobis instituimus simi
les, quàm qua ædeis illis nostras & fundos relinquimus? Quæ tamen ipsa
quoquo pacto nobis quæsita sint, etiam per fas & honestã rationẽ, omnia
iam animaduertere potestis, addicta esse uanitati. Turcę adsunt, impendẽt, *Pãnonia utra-*
irruunt, una hac & recente equitatus sui excursione Pannoniã utramq; sibi *que iam Tur-*
subiecerunt, treis trans Danubiũ uno tempore prouincias, Dacorũq; illas *cæ subiecta.*
gentes & nationes, quæ in treis tetrarchias erant distributæ, in suã redege-
runt potestatẽ: non quiescunt, nõ desistunt, nõ defatigantur, ardent cupidi
tate omnia corripiendi: terribiles sunt crudelitate, feroces uictoria. Itaq; re
liquis populis, orisq; Italiæ & Germaniæ exitium clademq; minantur: nos
ad eos arcẽdos et propulsandos, propter intestinas nostras discordias, pro-
pterq; illã infœlicẽ & cæcam dementiã, quę nobis ex ira Dei & ex peccatis
nostris inuecta est, minimè sumus idonei. Quàm eos diu putamus ab his
locis abfuturos? quàm nõ celeriter aduolaturos? ut nos quoq; sedibus no-
stris & fortunis euertant, qui plus una æstate proxima terrarũ et nationum
uincendo, uastando, urendoq; obierunt, quàm quantũ inter ipsos nunc &
inter nos sit interiectũ: longiora spacia cũ exercitu maximo, quippe centũ
et quinquaginta millibus equitũ, trecentis peditũ peruolauerũt, quàm sint
ea quibus sumus ab illis separati atque disiuncti: ut considere nemo possit,
hanc diu pestem & perniciem à nobis abfuturam, qua orbis terræ iam ferè
oppressus est. At sunt urbes & oppida munita in medio, quæ uim illorum
sustineant. Hæc ratio fratres, hæc falsa opinio omneis penè gentes & Chri
stianas nationes opportunas hosti ad subigendũ præbuit. dum enim una-
quæque earum in utribus & propugnatione alterius, quæ ante se esset pe-
riculo obiecta, spem suam ponit: dumq; illius præsidio se existimat tutam,
nec coire cum ea belli & fortunæ societatem curat, deinceps singulæ sunt
in seruitutem excidiumq; arreptæ. Quin mihi uehemẽter ut reformidem,
in mentem uenit, cernenti præsertim & agnoscenti Christianæ reipublicæ
statum, quæ domesticis uulneribus grauiter ægrota, uix tollere oculos, &
haurire spiritũ liberioris cœli potest, ne paucos ad annos (quod tu, ô bone

Deus, obrue quæso, & deteſtare meum omen) ex his exturbati atque eiecti locis, & in ultimas aliquas terras, qui Turcarum & Barbarorum mos eſt, tranſire iuſsi, patrias haſce ſedes & auitos lares noſtros harenis aut paludibus commutare cogamur, quicunq; tamen crudeliſsimæ hoſtium cædi ſuperfuerimus: quanquàm qui tunc morientur, multo erunt fortunatiores. Sed uos, uos inquam appello Carpentoractenſes mei, mea curatio, meus dilectus grex, quando noſtra non eſt medendi his malis, illisq; obuiam eundi poreſtas: quorum autem ea eſt, ij aut non intelligunt quid mali ipſis & periculi immineat, aut certè negligunt: cuius oſcitantiæ pernicioſæq; negligentiæ magna olim ab eis & peracerba certè exigetur ratio. Quando ergo hæc noſtræ poteſtatis non ſunt, nec cunctorum ſaluti & publicæ incolumitati conſulere poſſumus, noſtræ ſaltem conſulamus. Eſt autem illud conſilium primum optimum, ut ne tantum in his terrenis bonis operæ ſtudijſq; ponamus, quorũ amor nos facit, ut animo ſimus ſemper irrequieto et ſollicito, ut timoribus, ut mœroribus, ut doloribus omnibus pateamus, quæ etiam ſi nobis bona propria eſſe poſſent, non tamen eſſent tanti, ut præ illorum commodis, quæ omnia extra nos ſunt, & ad corpus noſtrum forſitan nonnihil, ad nos quidem ipſos minimè certè pertinent, tot noſtros proprios intimosq; angores, tot animi moleſtias ſollicitudinesq; ſuſciperemus. Nunc & incerta ipſa ſunt, facileq; caduca, ac fragilia, & in id præſentis adducta diſcriminis, ut Turcis magis parata quàm nobis, & hoſtibus potius quàm liberis tradenda eſſe uideantur: quorum ab amore, & inconſulta cupiditate, ſi animum auellere & reglutinare ſtuduerimus, continuò nobis CHRISTVS illuceſcet: continuò uerior illa uita cœleſtis & ſempiterna, magis erit nobis cordi: atq; horum bonorum (minimè quidem bonorum) adipiſcendorum cauſa, ſi quid iniquè, improbè, fraudulenterq; egerimus, ſi quod patrauerimus facinus, ſi qua libidine, ſi quo turpi ſcelere fuerimus maculati atq; infecti, ueniet diuinitus in nos ſancta illa & ſalutaris pœnitentia, quæ molliet pectus noſtrum, omnesq; intimos animi receſſus peragrabit, atque illinc euertet ſordes, impietates, fraudes, nequitias, mundumq; in nobis Deo parabit domicilium: quo quidem Deo humaniſsimè & clementiſsimè noſtrum hoſpitiũ ſubeunte, danteq; nobis gratiæ & reconciliationis ſuæ dexteram, ſpei multo melioris & firmioris lætitiæ efficiemur compotes. Non tum nos iſta terrebunt, quæ nunc anxios & miſeros maiorem in modum habent: non ex aliorum triſtibus euentis noſtram propinquam calamitatẽ extimeſcemus: non audiendis crudeliſsimi hoſtis cædibus & ſtragibus, quas ille in fratribus noſtris, populis CHRISTI uidelicet quotidie facit, animo ipſi conſternabimur. Eſt omnino quidam dolor ex fratrũ noſtrorũ incõmodis inteſtinus in nobis, quẽ charitas Chriſtiana non ſinit nos eijcere: ſed ut aliorum calamitatibus indoleamus, noſtrarum certè erimus ſecuri. quod enim amitti à nobis poſsit, quod'ue nobis eripi, nihil admodum erit, in quod ius habeat fortuna & poteſtatem. Itaq; cum diuino Pſalte alacres concinemus: De ærumna mea inuocaui Dominum, & exaudiuit me Deus: Dominus mihi adiutor, nõ timebo quicquid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Deum enim nobiſcum habentes, fratres chariſsimi, facile inimicorum impetus ferocitatesq; contemnemus, à quibus nullum præſertim eſſe poteſt noſtris certiſsimis ueriſsimisq; bonis periculum. Etenim attollite, quæſo, oculos in cœlum, contemplamini & conſiderate patriam

*Futuræ calamitatis omen.*

*Pœnitentia.*

patriam illam, quam ita oculis nostris & mentibus ingerit atq; offert Deus ut uideatur uix spacium dare nobis uelle, aliorsum uersum curas & cogitationes nostras conuertendi. Hanc nobis sedem fortunarum omnium nostrarum, hoc regnum proprium atq; perpetuum promittit CHRISTVS, quò nobis iter atq; aditum non hostium equitatus, quamuis innumerabilis, non insidiæ ullæ, non aperta aliqua uis potest intercludere. Vt enim in libertate dici solet, neminem posse amittere libertatem, nisi qui ipse author factus sit: sic regnum cœleste nemini potest eripi, qui non ipse sit suæ tantę iacturæ calamitatiq; assensus. Tanta fuit erga nos summi Dei benignitas, ut rem omnium pulcherrimam & maximã, in qua adipiscenda omnes nostræ prosperitates, omnes iucunditates, uita denique beata & immortalis nostra sita est, nostræ esse subiectam uoluerit potestati. Dedit enim nobis potestatẽ (ut enunciat Scriptura) filios Dei fieri, ijs qui credidimus in nomine filij eius. Nam hoc quidem in primis ad cognationẽ cœlestem summamq; tantæ nobilitatis gloriam acquirendam necessarium & nobis, & cęteris omnibus est, ut credatur in nomine unigeniti filij Dei IESV Christi, sine quo omnis noster conatus in cœlum perueniendi irritus & inanis est. Porrò autẽ ita creditur (ne fortè in uerbo quispiam uim sitam putet, solaq; credulitate arbitretur se satisfacere) ita inquam creditur, si in eo omnis spes nostra, non in his terrenis rebus mortalibusq; constituatur. Hoc si egerimus, in eumq; crediderimus toto animo & plena fide, quę maximè in amore cœlestium consistit, despicientiaq; terrestrium, quotiescunq; aliquid sæuum atq; atrox nobis nunciabitur, cuiusmodi ferè iam hauriũt quotidie & expectant aures nostræ, quotiens aut urbs nominis nostri ab hostibus excisa, aut populus abductus, aut trucidatus exercitus, aut nationes integræ prouinciæq; oppressæ huc perferentur, dolebimus quidem, ut dictum est: nec aliter poterit fieri: sumus enim omnes unius corporis membra. Sed tamen in luctu publicæ calamitatis proprium paratum unusquisq; nostrũm solatiũ habebimus. Clamabimus enim, ad Deum corde conuersi: Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es. Quamobrem expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis (hoc est, à peccatis, quæ ueram afferunt mortem) & lucebit tibi Christus, is qui tua causa ex Deo homo factus est, qui pro te crucem & mortẽ non recusauit, qui generis humani unicus in cœlum est deductor. Lucebit antẽ is tibi, ut recto itinere tibi demõstrato, si monitis eius parère uolueris, in illud cœleste domicilium te deducat. Nunc quidẽ etiam dum hic sumus iucundissima expectatione & spe illiusq; diuinæ uitæ, si piè, innocenter, Christianeq; uixerimus, similitudine: pòst re quoq; ipsa & propria cœli possessione, cum ille nobis extremus dies aduenerit, quem plericq; frustrà pertimescimus, qui deberemus potius optare atq; deposcere, ut ex hac ærumnosa & calamitosa uita in illam pacatissimam & beatissimam quàm primùm traduceremur. Quod quidem Deum immortalẽ rogo atq; oro, ut mihi, & uobis quo ipse statuerit tempore feliciter contingat, gratia & misericordia eiusdem Dei & seruatoris nostri IESV CHRISTI, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

*Dei erga nos quanta benignitas.*

Prognoma

# PROGNOMA, SIVE PRAESAGIVM MEHEMETANORVM, PRIMVM DE CHRISTIANORUM calamitatibus, deinde de suæ gentis interitu, ex Persica lingua in Latinum sermonem conuersum, Authore Bartholomæo Georgieuits.

AD REVERENDISS. PRINCIPEM ET DOMINVM, D. Othonem, ex Illustri prosapia Baronum VValtburgen. oriundum, sacrosanctæ Romanæ Curiæ Cardinalem, & Episcopum Augustanum, Cæsareæ Maiestat. apud Vangiones in comitijs ordinum Imperij uicem locumq; tenentem, Dominum Mœcenatemq; suum, Bartholomæus Georgieuits clientum deditiss.

VT nautæ post naufragia libenter recitant sua pericula, hic Scyllã latrare, illic Symplegades cõcursu suo in medio interceptas naues collidere, alibi Syrtes quotidie uadũ mutare, alibi submarina saxa latere, alibi immanibus cetibus maria obsideri, alibi Anthropophagos de humanis artubus epulas instruere, alibi piratas quicquid uehit mare in suas prædas conuertere, alibi uoragines subsidentiũ aquarũ circumrotatas naues in abyssum absorbere: ita mihi dulce est, Princeps illustrissime, in memoriam reuocare exantlata in bello Hungarico pericula, durissima uincula, captiuitatem plusquam Babylonicam, seruitutem omniũ acerbitate supplicíorum refertam, tum multiplices mei mutato domino nundinationes, tam uarios in mea fuga casus.

Cæterùm quia mala eius seruitutis editis commentarijs euulgarim, simulq; perscripserim qui apud quamq; gentem ritus & ceremoniæ habeantur, quaq; disciplina in pace & in bello uiuant, quæq; item in singulis locis tum Asiæ, tum Europæ, uel maiestate uisenda sunt, uel religione ueneranda, uel nouitate admiranda. Omnia enim peragraui, neq; id cursim, sed cum longa mora adeò, ut rerum indagationi spacium temporis non defuerit. qua in re Platonem, Pythagoramq; sum imitatus, quantum nostræ tenuitati licuit.

Superest nunc, ut de prophetia quadam inter Mehemmetanos celebratissima mentionem faciam. Illa enim gens, ut ab initio à Christianis deriuata est, (nihil enim à principio nisi secta quædam & hæresis fuit) ita multa adhuc habent nõ abludentia à rebus Christianis, adeò ut eos non semichristianos, ut Erasmus, sed simias Christianorum dicas: in maximis enim rebus à nobis diuersi, in minimis planè ijdem uidentur. sic simulacrũ quoddam leænæ in fele conspicias, in rubeta crocodili, in simia hominis, quanquàm indole, magnitudine, imò moribus factisq; in immensum differant.

Habent igitur nostrum in morem multa uaticinia, obambulantq; ubiq; fatidici & fanatici prophetæ: sed tamen nihil tam certum & exploratũ habent, quàm hoc genus prophetiæ, qua numerosæ istæ de nostra gente uictoriæ, ac tandem ipsorum interitus describitur: id quia hactenus uerum deprehendunt, ad alios quoque adhuc futuros casus uerissimum fore existimant, adeò ut publicè in ploratum effundãtur, quotiescunq; finem istius prophetiæ legunt, non aliter quàm si in futurum denunciata calamitas, iam in præsentia eorum ceruicibus incumberet.

Mihi

Mihi ut non libet, nec licet quicquam de istius oraculi fide astruere, ita dulce est uersari in ijs quæ in fine istius oraculi cõtinentur, optoq; exitium sceleratissimæ gentis uero augurio ab ipsis prædici, & ut propheta qui hactenus contra nos uerus deprehenditur, etiam pro nobis uerus reperiatur.

Etiam extra Israël Balam uerus propheta fuit. inter gentes multæ sunt Sibyllæ inuentæ, quæ uera canerent: quid uetat, quo minus extra Christianos aliquis sit, qui spiritu prophetico utatur. uerùm, ut dixi, nihil asseuero, sed tantummodo quia tristia nostra (ut prænunciatum ibi fuit) euenere, ita læta quoq; euenire uellem. Quòd si nostri mores corrigerentur, ac non potius in deterius omnia quotidie pessum irent, omnino sperarem in proximo esse illud tempus, in quo Christus calamitates suæ gentis respiceret, quod quidem & ipsi Turcæ iam adesse putant: quia multi existimant easdem uices rerum Christianis fore, quæ Iudæis olim fuerunt.

Abductæ sunt decem tribus Israël in captiuitatẽ, salua adhuc & aliquan diu postea florente Iudæa. iam plerique ex eorum fatidicis asserunt decem istas tribus Arabiam, Syriam, Chaldæam, Armeniam, Phrygiam, Thraciam, Græciam, Hungariam, Aegyptum, Africam esse: & id quod superest in Europa, esse unicam tribum Iudæ, cum reliquijs Beniamin, atq; proinde illam aliquandiu in imperio fore, & multis inuicem cladibus inter Turcas nostrosq; uariatum iri.

Alij credunt tenorem uictoriarum Turcicarum perpetuum fore, donec omnia regna Christianorũ ipsis subijciantur: ac tum demum omnia in diuersum mutatum iri, efflorescentibus denuò Christianorum rebus, & ueteres ditiones recuperantibus, dominante & sæuiente Christianorum gladio, quem aut prophetam, aut principem aliquem Christianorum fortissimum interpretantur, qui eos subiugando ad ueram fidem Christi reuocabit: quæ res melius ex uaticinio intelligetur.

Verùm ego postquam usu cognouissem illustrissimos eruditissimosq; uiros ob excellentissimas tuas in ecclesia Dei ac reipublicæ administratione uirtutes, te Reuerend. Princeps uenerari, & in summo honore habere, inprimis Reuerendissimũ Heroẽm Dominum Christophorum Madrucium sacrosanctæ Romanæ Curiæ Cardinalem Episcopũq; Tridentinum, uirum animi magnitudine, fide, sapientia præstantissimum, Ferdinandi regis Hungariæ, Bohemiæ, &c. & Caroli Romanorũ Imperatoris amicum fidelissimum, qui nuper post cladem Carinai acceptam cum tota Lombardia in periculum uenisset, ne in ditionem Gallorum recideret, fratre cum subitario milite misso suis opibus & uiribus rem illic nutabundam sustentauit. Dominum item Granuellanum intimum Cæsaris Consiliarium, & eius filium Episcopum Atrebatensem, in quo cum omnes dotes animi emineant, maximè tamen elucet humanitas, ut qui illud Titi Vespasiani sibi uidetur æmulationi habere, ne quem tristem à se dimittat: Item & clarissimũ Principem D. Vuolfgangum Episcopũ Patauiensem, uirum summa eruditione, pietate, & omni laude sublimem. Reuerendiss. item Præsulem Constantiensem D. Ioannem Veza, uirum robore animi & corporis, sanctitateq; & pietate, eruditioneq; excellentissimum, multis in Cæsareis rebus fœliciss imè obitis legationibus. Vt interim omittam Corneliũ Scepperum multarum linguarum peritum Cæsareæ M. non solum inter Christianos, sed etiam apud Turcarum Imperatores, legatũ incomparabilem, cuius fidem an fœlicitatem magis mireris in tractandis negocijs, in dubio

est. Omittam quoq; omnes Electores Romani Imperij, Satrapas, Cõsilia-rios, & summi Pontific. proceres, qui omnes in te honorando & ueneran-do mirificè consentiunt. Imò ipse Carolus Rom. Imperator tanti te habet, eaq; ueneratione & charitate amplectitur, ut te suum uicarium locumq; te nentem in Comitijs ordinum Imperij in Germania fecerit.

Iam igitur cum et ego deuotionem animi mei erga tuam amplitudinem declarare uellem, nihil habebam nisi istud Turcicũ uaticinium quod offer-rem: quod tametsi nugatius & uanius est, quàm ut tuę magnitudini inscri-bi debeat: tuæ tamen humanitatis benignitate fretus, id ausus sum facere. Cùm enim cœlum post tot luminaria stellarum, etiam lucernarum tenuem illam lucem non reijciat, certissimè mihi persuadeo, id quod tenuis cliens offert, quantũcunq; sit tenue, tuæ Celsitudini cum summa humanitate con iunctæ odiosum non fore. Vale Præsul Reuerendiss. diuq; Christiano populo, & studiosis omnibus incolumis sis & saluus. Louanij 6. Calend. April. Anno 1545.

Cæterùm ne uana habeãtur, aut à me ficta, quæ hic adfero, ipsa Turcica uerba subieci, quæ statim eius linguæ peritus agnoscet, & ea esse quæ ibi uulgo iactentur, confitebitur. Postmodum subiunxi Romanæ linguæ in-terpretationem unà cum breui commentariolo.

INCIPIT LINGVA TVRCICA VATICINIVM.

PAtissahomoz ghelur, Ciaferun memleketi alur, keuzul almaí alur, kap zeiler, iedi yladegh Gyaur keleci cſikmasſe, on iki yladegh onlarum beghligheder: eusi iapar, baghi diker, bahcsai baghlar, ogli kezi olur; on iki yldenſſora Hriſtianon keleci cſikar, ol Turki ghereſſine tuskure.

Sequitur interpretatio eiusdem quoad sententiam.

IMperator noſter ueniet, ethnici Principis regnũ capiet, rubrum quoq; pomum capiet, in suam poteſtatem rediget: quòd ſi ſeptimũ uſq; annum Chriſtianorum gladius non inſurrexerit, uſq; ad duodecimum annum eis dominabitur: domos ædificabit, uineas plãtabit, hortos ſepibus emuniet, liberos procreabit: poſt duodecimum annum, ex quo rubrum pomum in illius poteſtatem redactum fuerit, apparebit Chriſtianorum gladius, qui Turcam quaquauerſum in fugam aget.

Sed quia prophetiæ in ſingulis uerbis magna momenta futurarum re-rum claudunt, uiſum eſt mihi pro uirium tenuitate in uicem commentarij ſingulas dictiones Turcici ſermonis excutere.

Sequitur commentarius.

PAtiſſahomoz) eſt nomen dignitatis, compoſitũ cum pronomine plu-ralis numeri, et ſignificat rex noſter, ſiue Imperator noſter. ſolent enim eodem nomine dignitatis Romanũ Cæſarem ſimul et reliquos reges Chri ſtianorum appellare, ut Vrum patiſſah) id eſt, Romanus Imperator. Vn-gruz patiſſah, id eſt, Hungarus rex. & Frenk patiſſah) id eſt, Gallus rex. quare non attribuitur inferioris conditionis magnatibus poſt Imperatorẽ & Regem. Præterea & rex Perſarum eodem nomine ab ipſis ſolet appella-ri, ſed ſæpius fit, ut uocetur Sultan) quod nomen deſignat principẽ, ut Sahi Sultan Zmail) quia hic modernus rex Perſarum Sophi, habet propriũ no-men Zmail) quod ſignificat Iſmaẽlem. Habent & aliud nomen dignitatis regum, Hunker) ſed hoc nomine nullum audiui unquam, uel ex Chriſti-anorum uel infideliũ regibus appellari, præterquam ipſum Suleimannum

eorum

eorum regem qui nunc rerũ potitur: quod tamen nescio an significet Hunorum dominum, id enim Germanica propemodum uox indicare uidetur Hunch heer) id est, Hunnorum dominus.

Chelur) est uerbum, & significat ueniet.

Csiaferun) est nomen, quod significat gentilem siue ethnicum. solent enim omnes Christianos hoc nomine appellare, quamuis etiam alia habeant uocabula ad interpellandos Christianos, ut sunt Gyaur & Kaur) sed Gyaur) unum significat hominem, si non addas lar terminationẽ, quæ apposita fit pluralis, ur Gyaur siue Kaur) id est, Christianus: Gyaular siue Kaular) id est, Christiani. Sed Csiafer) etiã sine illa terminatione, quæ plurali attribuitur numero, multitudinem nationum designat: sed quia textus habet Csiaferun) estq; genitiui casus per additionẽ un, ut Csiafer) id est, gentilis in nominatiuo, Csiaferun) id est, gentilis in genitiuo, quasi dicerent gentilis regis.

Memleket) significat regnũ, quamuis & alia habeant diuersa uocabula ad significandum regnum, ut Istan) quia cum Italiæ siue Francię, aut etiam Hispaniæ regnorũ mentionẽ faciunt, tunc dicunt Frank istan) quod significat tam Italorũ, Gallorũ, quàm Hispanorũ regna. Frank significat hominem harum regionum, ut Frank Gyaur) id est, Italus, Gallus, uel Hispanus Christianus.

Cæterùm cum Græciam nominare uolunt, mutant uocabulum, dicentes: Vrum elli) id est, Græcia, & nõ Vrum istan) id est, Græcum regnum. Solent interdum & Vrum memleket dicere, & tunc intelligunt totum imperium Græcorum. in summa hoc uocabulum Memleket) imperium potius significare solet, quàm regnum apud illas nationes.

Alur) est uerbum, & significat capiet siue accipiet. Kuzulalmai) est nomen quod significat rubrum pomũ, quia kuzul) significat colorẽ rubrum, & alma) pomum, & dicũt esse urbem aliquam fortissimã & amplissimam Imperialem. Et interdum oritur quæstio inter doctiores hanc ob caussam, quia alij uolunt interpretari illud uocabulũ urbem Cõstantinopolitanam, eo quòd in nõnullis eorum uoluminibus dupliciter legitur, uidelicet, Kuzulalmai & Vrum papai) id est, rubrum pomũ siue Græcũ sacerdotem uel patriarcham: quia, ut iam diximus Vrum) significat Græcũ, eo quòd olim erat sub imperio Romano tota Græcia, & est corruptum per adiectionem v literæ in principio, & mutatione o in u, quia huic nomini Vrum) si demas primum v, & medium mutetur in o, erit Rom. Itaq; multi sunt huius opinionis, quòd significet imperium Constantinopolitanum, cuius differentiam suo loco prolixius declarabimus.

Kapzeiler) est uerbum, & significat opprimere jugo seruitutis, & nemo dubitat illorum tyrannicam afflictionem esse crudelem oppressionẽ, quod facile probabunt ij qui eorum captiuitatem & tributi exactionem experti sunt, quemadmodũ sunt Græci, Armenij, Thraces, prout facile poterunt intelligere hi qui legerunt nostrum libellum de afflictionib. Latina, Gallica, Teuthonica & Bohemica, linguis diuulgatum.

Iedi yladegh) septimum annum usq; post captionem eius loci suprà dicti. Gyaur keleci csikmasse) id est, ethnicus siue gentilis gladius, si non apparuerit, & contra illũ non insurrexerit, putant hæc fata anni septimi in potestate Christianorum esse: qui si uellent communi opera gladiũ contra ipsos stringere, haud dubiè essent plena uictoria potituri. Verùm quo mi-

nus id fiat, noſtram ignauiã in culpa eſſe, dum mutuo inter nos bello ciuili digladiamur, uel turpi ocio conſeneſcimus,

On iki yle degh) hoc eſt, uſq; ad annum duodecimũ. Onlarum beghli gheder) id eſt, eorum (uidelicet ethnicorum) dominabitur. Verũm quia neq; poſt ſeptimũ, neq; poſt duodecimũ annum (capto imperio Conſtantinopolitano) Chriſtianorũ contra ipſos gladius prævaluit: iam enim ferè ad centũ annos tota Thracia, & imperium Orientale eſt ſub eorũ ditione: augurantur aliam imperij ſedem ſub nomine rubri pomi ſignificari. Cæterùm ingens incertitudo eſt ſub inuolucris annorum. nam ſi in literis ſacris hebdomada dierũ ſeptem annos ſignificat, quem numerũ & magnitudinẽ temporis ſtatuemus in ipſo anno? Quamobrẽ ſunt inter eos qui ſingulos annos computant pro ſingulis annis lubilei, qui quinquaginta annis olim conſtabat. alij ſingulos annos, ſingulas centurias annorum ſignificare credunt. Nec deſunt qui unum annũ trecentos quinquaginta ſex annos contínere exiſtimant, quot nimirum dies habet annus ſolaris. Cæterùm quemadmodum oracula non niſi ex euentis rectè inteliguntur, ita certũ & diffinitum temporis ſpacium intelligetur, cum res extiterit.

Eufi iapar) id eſt, domum ædificabit. Per ædificationem domus ſignificari putant, quod templa noſtra ſuo Mehemmeto ſit dedicaturus, ut iam totius Aſię, ubi olim erant Chriſtiani uſq; Hieroſolymã, imò ipſum templum Domini, quod eſt Hieroſolymæ, prophanarunt. Ita quoq; maiorẽ partem Europæ, uidelicet Græciæ, Thraciæ, uſq; Auſtriam, totius fere Hungarię, Sclauoniæ & Illyriæ. Ac neſcio an nos iſta dignitate iram diuinã prouocamus, dum alius cum canibus tanquam uenator in templo obambulat, alius de fœnore, alius de ſcorto garriat, alius ad templũ nunc urinam, nunc oletum faciat, qualia neq; inter infideles quiſquã uidere poteſt. Credibile eſt, quòd propter hanc irreuerentiam Deus ipſe malit noſtra templa ſub Mehemmeto quàm ſub nobis eſſe.

Baghi diker) id eſt, uineam plantabit, per uineę plantationẽ nouas colonias et gentiũ è ſuis ſedibus emigrationes intelligũt, et dilatationẽ imperij.

Bahcsai) id eſt hortos, ſiue illas plantationes uinearum. Baglar) id eſt, emuniet, ſubintelligunt nouas prouincias undecunq; muniet, ut recuperatu ſint difficillimæ. & hoc eſt mirum, quòd à tot annis poſtquam incepit ſæuire, ita muniuit, ut ne pagum quidem ab eo recuperare potuerimus.

Oglu kezi olur) id eſt, filium & filiam habebit. hic per procreationẽ liberorum interpretantur propagationem Mehemetanæ gentis, prout manifeſtum eſt omnibus illam eſſe in tantum propagatam & multiplicatam, ut nihil ſuprà. ita que iam nihil aliud reſtat, niſi interitus & diminutio eorũ.

On iki yldenſſora) Id eſt, poſt duodecimũ annum. Hriſtianon) id eſt, Chriſtianus. Keleci) id eſt gladius. Cſikar) id eſt, inſurget ſeu apparebit. Id quoq; apud illos in controuerſia eſt, utrum gladius ille, quo Chriſtianorum natio in libertatẽ uindicabitur, talionẽq; Mehemetanis reddet, rex aliquis Chriſtianus magnis copijs totum imperiũ Turcarũ ſit expugnaturus, an propheta aliquis Chriſtianus ſua doctrina ſit Mehemetanos cõuerſurus ad noſtrã religionẽ. quamobrem (ut dixi) ultima uerba huius oraculi, uiri cum gemitu, pueri cũ fletu, mulierculæ cũ planctu & eiulatione excipiunt.

Vtinam tandẽ Itali ſua pila, Hiſpani ſuas lanceas, Galli ſua geſa, Angli ſuas baliſtas, Germani & Hungari ſuas frameas contra iſtos canes fidei, ipſis (ut ita dicam) fatis damnatos, diſtringere uelint, & diſcordia, quæ ſolummodo

lummodo moratur noſtras uictorias, à noſtris rebus auferre ſtudeant. Sed redeamus ad uerba uaticinij de interitu eorum.

Turki) id eſt, Turcam ipſum hactenus regnantem. Gheresſine) id eſt, retrorſum unde egreſſus eſt, adeò ut uel ad latebras Bithyniæ, unde primũ erupit: uel in Scythiam, unde originem traxit, repellatur.

Tuskure) id eſt, pellet, ſiue profligabit. Cæterùm quia ille gladius uindex neſciatur unde oriturus ſit: certè Turcæ ſiue aliunde metu concepto non permittunt Chriſtianis ullum uſum gladiorum aut armorũ. Et quanquàm iam magnopere degenerarunt à Chriſtiana fide, in bellis tamen pleriq; eorum pro amuleto certiſsimo Euangeliũ Ioannis ſub axillis portant, uidelicet ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, id eſt, In principio erat uerbum. totum uſq; ad finem græcè ſcriptum: putantq; ea re ita ſe tutos eſſe, quaſi aliqua panoplia communiti eſſent, quod genus ſcripti ſua lingua Hamaili) ſolent appellare. Vnde cum ſint tantæ reliquiæ noſtræ religionis, ſpes eſt eos aliquando non difficulter ad Chriſti cultum reuocari poſſe. Quamobrem cum omnia ſuſpecta habeant, interdictum eſt Chriſtianis (ut iam diximus) qui apud illos degunt omni uſu armorũ, adeò ut præter ruſtica inſtrumenta nihil ferreum eos habere liceat, quanquam ne ſic quidem tuti ſunt à Chriſtianis ſeruitijs, quæ nũc dominos dentali, nunc uomere, nũc ligone, aut ſtipite mactant. Quòd ſi forinſecus arma Chriſtianorũ illata uiderent, illico quicquid eſt ibi in mancipiorum bellum conſurgeret, quorum ibi tantus numerus, ut omnes cuiuſq; regionis incolas Turcas in duplum, imò in triplum, atq; adeò in quadruplum ſuperent.

Vtinã Chriſtiani principes iſtis fatalibus uictorijs ſe præpararent, & obſiſterent, ne ulterius uires Mehemetanorum creſcant, quæ iam plus nimio inualuerunt. Amiſimus Africam & Aſiam, extincta eſt Græcia, ægrota eſt uſq; ad mortem Hungaria, debilitata eſt Auſtria, uis mali iſtius iam Germanorum ceruicibus uelint nolint incumbit, atq; uniuerſæ Chriſtianitati imminet, adeò ut nemo ab hoc periculo tutus uideatur: qui poſthac non alienam, ſed ſuam rem agent, pro ſuis limitibus aduerſus hoſtẽ depugnaturi, niſi uelint pro principibus ſerui fieri, uel potius mactari. Nam Turcæ plebeis parcunt in ſeruitutẽ, nobilibus uitã eripiunt, ut plebei capite careant.

Quòd ſi ſinguli unum emẽdarent, hoc eſt, quiſque ſeipſum, ita ut plebei magiſtratus non minus ament quàm timeant, magiſtratus plebeis parentes ſe exhibeant, docti idiotis uiam uirtutũ & ueritatis commonſtrent, idiotæ ſuam imperitiam agnoſcant, neq; ſe rabinos iactent in illis artibus ubi nihil didicerunt: miles pro uictoria militet, dux pro honore, Eccleſiaſtici luxum omittant: mercator uſuram, caupo lenocinium. Et in commune omiſsis erroribus, et pertinacia defendendorũ errorum, in unitatem fidei & concordiam eccleſiæ conſpirarent principes, omiſsis principibus Chriſtianis uires in Turcas conuerterent: quis dubitat, quin ut Iſrahelitis ob peccata in ſeruitutem redactis, tandem de ſceleribus ſuis pœnitentiã agentibus, ſeruatorem miſerit, & in libertatem reſtituerit, ita quoq; nobis breui cœlitus auxilium ſit mittendum. Quod ſi fieret, quis non ſperaret, quin breui futurũ ſit, ut Imperator Rom. non minus Conſtantinopolitano quàm Romano imperio inſignis ſit futurus? Ferdinandus non minus in Hungaria quàm apud Getas, Dacos, Scythas regnaturus, atq; itidẽ rex Franciæ ſuis ditionibus Aſiam minorem additurus: Luſitani Aegypto potituri: Hiſpani, tota Africa, Itali omnia littora quæcũq; habet mare mediterraneũ in ſua

poteſtate habituri. Angli quoq; inter Turcas ſuum imperiũ amplificaturi. Nunc digladiamur pro uno & altero oppidulo, & poſt acerrimas prę liorũ conflictationes, poſt exhauſtas opes, nihilo imperio auctiores efficimur. Heu quantum pelagi potuit, terræq; parari,
Hoc quem ciuili fuderunt ſanguine dextræ?

Nunc igitur cum potentiſſ. monarchæ, & uerè Chriſtiani in pacẽ inter ſeſe conſentiunt, ſpes eſt eos occaſionibus temporum, & fatorum mutationibus uti uelle, neq; permiſſuros, ut reliquiæ Hungaricæ ditionis quæ ad huc ſuperſunt, & adiunctis aliorum uiribus plurimũ poſſunt, in ditionem & poteſtatem Turcarum ueniant: quorum nomina etſi non omnium infrà ſubieci, ut qui omnia amiſſa putant in Hungaria, aliquid conſolationis accipiant, cum uideant tantum in eo regno adhuc incolume ſupereſſe.

Alij rurſum doleant, ſi modò dolere poſſunt, magis ac magis ſuum appropinquans periculum ſentire, tam tenues portiunculas Hungarici imperij olim à mari Baltheo uſq; ad paludes Mæotidis exporrecti, in tantas anguſtias redactas eſſe. Quanquã ut hoc obiter dicam, ipſi nos Hungari maximè nobis hanc cauſſam mali dedimus, dum Germanos ferè ita exoſos habemus ut Turcas, dum omnia in duos reges diſtrahimus, dũ alij Turcam accerſunt, alij propellunt: nec niſi ſerò didicimus, Omne regnum in ſe diui ſum collabaſcere, & domum ſupra domum cadere, ac maximas res diſcordia comminui. Sed ſeræ ſunt querimoniæ. malo epinicia, uel triumphũ canere, ſaltem lætiora ominari uolo. Quamobrem carptim Hungarorũ nomina, quæ nuper ab eorum legatis egregio uiro Georgio Euskero Senatore Cremonenſi, & Chriſtophoro Hoffkircher, uiris doctiſsimis ad Maieſtatem reginæ Mariæ miſsis, pro petendis præſidijs conſcripta habui, qui etiam fatebantur reliquias Hungariæ poſſe præſtare exercitatiſsimos equites, ſi tantum Romanorum Imperatoris ac cæterorum principum Chriſtianorum copias adeſſe uiderent. Quapropter in quibus aliquid uirium eſt, nunc ſubijciam, nullo ne hic quidem ſeruato ordine: ſed ut quiſq; ſe noſtrę memoriæ ingerit, ita prius ponetur.

Magnificè ſperandum eſt de Reuerendiſs. D. Paulo de Varda Archiepiſcopo Strigonienſi, cuius opes adhuc prævalidæ, & tantũ prudentiæ in eius animo eſt, ut eius ſine opibus magna in eo fiducia collocanda eſſet: quãuis etiã amiſerit maiorẽ partem dominij, ex quo captũ eſt Strigonium.

Læta quoq; ac magna Nicolai Olahi Epiſcopi Zagrabienſis, & uicecancellarij regni Hungariæ authoritas, rerũ peritia & multiplex eruditio, corporis animiq; robur de ſe promittit.

Egregios item ſpiritus gerit Reuerẽdiſs. D. Martinus de Kecheth Epiſcopus Vueſprimienſis, elegantia & belli laudibus mirè inſignis, & natus (ut uidetur) in Turcarum perniciem, uir prędeceſſori ſuo Petro Beriſlo in re militari uel iam par, uel mox futurus. His addo Franciſcum Turzonẽ ecclesiæ Nitrienſis præſulem de quo omnes mira & læta augurantur.

Item inter Barones clariſsima eſt domus Bathorea, qui auita indole præditi, armis animiſq; infeſtiſsimi ſunt Turcico generi. Nec magnifici uiri Thomas Nadaſdi, Franciſcus Batyani, Balaſſea domus illuſtriſsimæ dignitatis ſuo officio deerunt, inter quos facile primus Melchior Balaſſa.

Atq; adeò nuper in gratiam regis Ferdinandi recepti Barones inclyti, egregiã ſpem de ſe præbent Raphael & Ioannes Apodamian, quibus meritò adiungitur Franciſcus Reuai uicepalatinus regni Hungarici, de cuius

conſilio

consilio, prudentia, & fide, quiduis sperare licet. Sed ut omittam Nyari Franciscum, Bartholomæum Horuat, qui sæpius cum victoria, multis occisis, multisq; captis, ad regem Ferdinandum redierunt.

Frater quoq; Georgius Episcopus Varadiensis, nunc tutor regij pueri & uxoris Ioannis Vaiuodæ, ducis Transyluaniæ, qui si firma subsidia contra Turcas uideret, descenderet facilè, & promptè, ut nunc de eo certa persuasio est, cum prædictis Baronibus Hungariæ, ad minus quadraginta milia equitum in re bellica expeditissimos producerēt, quibus hactenus perpetua bella cum Turcis fuere.

Itaq; isti omnes, quoniam iam pertæsi sunt Turcarum sæuiciem, potius cupient unanimiter studere, pro patriæ salute mori, quàm eorū iugo tyrannico subijci: id quod constat multorum legationibus. Tantas & tam præualidas reliquias regni Hungarici confirmabimus, si tandem bellū mouerimus: aut omnino amittemus, si ut hactenus cessatores fuerimus.

Aduertendum est istud oraculum in Alchorano non legi, sed in alijs libris quibus magnam authoritatem & reuerentiam deferūt. Habent enim & omnes nostros prophetas, & sui generis complures.

## EPISTOLA EXHORTATORIA CONTRA INFIDELES, ad Illustrissimum Principem Maximilianum Archiducem Austriæ, Bartholomæi Georgieuits.

SAepe mecū admiratus sum, Princeps Illustrissime, cur quū omnia uideantur Christianis pollicèri uictoriā, nunquam tamen eam inter tot annos cōsequantur. Habemus Christum Deum, qui unica nocte castra Sennacherib deleuit, qui Pharaonem submersit, qui fœminea manu puellæ Iudith Holophernem extinxit, & ut breuiter dicam, à cuius numine uoluntateq; omnes uictoriæ pendent.

Turcæ contrà, Mehemmetum habent, & in uita flagitiosum, & post uitam sepulchro sine resurrectione perpetuò inhærentem: ut tantum inter utrumq; numen interfit, quantum inter uiuum uiui Dei filium, & inter hominis, & ab homine nati cadauer putridū, adeò ut in cladibus Christianorum, si natura utriusq; numinis expendatur, mortui uideantur uiuos armis potentiaq; superare. Iam cum robore corporum, dotibus animi præcellamus, quæ magna præsidia afferre uidētur ad hostes profligādos, ipsi ubiq; miserrimè profligamur.

Quid Hūgaro induratius? quid Germano uastius? quid Gallo proceriusr? quid Hispano solidius? quid Italo robustius? et de cæteris nationibus taceā, quibus dotes corporis, aut meliores, aut certè æquales. Rursus si indolem animi spectes, quid Hungaro uulnerum periculorumq; securius? quid Germano generosius? Italo sapientius? Gallo ambitiosius? Hispano callidius? quorum singula uidentur posse uel dare uictoriam, uel adiuuare. Sæpe uicit sine alijs uiribus audacia, sæpe generositas animi, sæpe sapientia, sæpe honoris illa auida ambitiositas, sæpe calliditas: tamen me miserum, inter tot uictrices res à uictoria excidimus.

Iam si apparatū uideas, armorūq; genera, multis rationib. Turcis præstātiores uidemur. Nostra inuēta sunt bombardæ, nostra tot genera panoplię. Ipsi Persę nudi, aut seminudi ad bella prodeūt: illis arcus, nobis sloppetę. hoc

est nobis fulmina, illis sagittæ, quæ per dura armorum nullã uim penetrandi habent, cum bombardis uix ulla rupes obstiterit.

Sunt quidem nunc etiam Muslumanis sui bombardarij, sed rariores & indoctiores. Nunc quæso quas gentes secum in expeditionẽ trahant Scythas & Thraces, in quibus non sapientia Italica, aut Hispanica calliditas, sed inhumana quædam feritas, barbaries, animi summa inscitia, indocta, stolida: istis se addit Græcus ignauia perditus, Asiaticus luxu corruptissimus, Aegyptius non minus animo quàm corpore euiratus, Arabs excoctus, minutus, et exanguis. Quis à tali milite crederet Gallos ferocissimos, Germanos animosissimos, Italorum ingenia, Hispanorum solertiam uinci posse? & tamen, proh dolor, uincimur: & uincimur ab ijs qui in seruitutem uincunt, & seruí pro seruitute bella gerunt contra nos, qui in libertate geniti à proauis, & atauis, nobis indelibata relicta.

Quòd si instituta & leges utriusq; nationis inspicias, neq; hac in parte inferiores sumus. Quid enim Euangelio diuinius? quid Iure canonico regularius? quid Iure ciuili sapientius aut æquius? cum illi contrà ex Alchorano uiuant, re non minus stulta quàm uana: qui liber (ut nunc audio) inter Christianos euulgatur, ut scilicet maturè discamus alienas leges, qui breui nostras amissuri uidemur, ut antea animo quàm ditione Turcæ simus.

Quid igitur in causa est, cur inter tot prærogatiuas bellandi semper in bello deuincamur? cur uexilla crucibus insignita, olim terribilia nõ minus infidelibus nationibus, quàm infernalibus spiritibus, nũc toties se in fugã auertant? Dicam paucis, & dicã uerè: Deum habemus & summũ & uerũ, sed à nobis alienatum, adeò ut prophetico uocabulo fermè appellari possimus nõ populus Dei. Cur enim Christus nobiscũ esset, qui à nobis per tot hæreses in tot partes dilaniatur? nam præter nomen quid nobis Christiani est? Rusticus hoc tẽpore & impurus & factiosus: oppidanus fallax & auarus: magistratus sequũtur retributiones, diligũt munera: nobilitas luxũ & ignauiã: miles prẽter stipendiũ & prædã nihil ex bello quærit, securus quo sceptra cadant, nõ minus infestus in suos quàm in hostes. Ecclesiastici prẽter pompam Ecclesiasticã uix quicquam Ecclesiæ habẽt, non sanctitatem, nõ pietatem, nõ eruditionẽ: omnes quærunt quæ sua sunt, nõ quæ Christi.

Quid ergo mirũ, si talibus moribus Christus amicus esse nolit? Bellamus igitur sine Deo: & quod calamitosius, aduersario Deo apud nos circumferuntur in uexillis cruces: sed ipse crucifixus suo fauore apud hostes uersatur.

Pereunt igitur omnia, & infinitis cladibus inuoluũtur: & cum una gens Christiana cõtra Turcas pugnat, alia gens uel in alijs uersatur bellis, uel in ocio agit: miles qui in aciem educitur, nummo inseruit, non Christo: si desit stipendiũ, statim uel desertor, uel transfuga futurus. Quid ergo prodest ibi Italica sapientia? aut industria Hispanica? aut robur Germanicum? aut ferocitas Gallica? aut Hungarica audacia? ubi miles nec Christũ, nec gloriam cogitat? & ad bellum uenit, tanquam ad ganeum, ibi nepotationes suas exerciturus.

Bonas leges habemus, sed pessimos mores: bona arma, sed pessimos animos: laus est, si inter se acriter dimicent: in hostẽ si non acriter pugnent, uel dedecus non est, uel certè impunitũ est. Quando quis unquam audiuit militem uel ob fugam, uel ob abiecta arma mulctatũ fuisse? cum olim pœnæ capitales & decimationes nõ singulos, sed uniuersas legiones peruaserint.

Trahimus igitur exiguum numerũ, eumq; moribus corruptũ cõtra tot myriades

myriades hostiũ optima disciplina utentiũ. Nã Turca uitia sua in castris deponit, Christianus assumit. nullæ in Turcarũ castris delicíæ, arma tantũmodo & necessarius uictus. In castris Christianorum luxus, & omnis luxuriæ cõmeatus: adest grauior turba meretricũ, quàm uirorũ. Latrocinatur Hungarus, prædatur Hispanus, potat Germanus, libidinatur Italus, Gallus cantat, Anglus lurcatur, Schotus heluatur: militem qui miles moribus sit, uix ullum inuenias.

Quid ergo mirum, si uincant illi, apud quos sobrietas, parsimonia, continentia, uigilantiaq; uincantur illi, qui ab hostibus uel uagi ad prędas, uel inter pocula, uel in somno, uel apud meretricem, aliasq; nequitias inueniantur? Sed hæc culpa est plebeiorũ. Principes ipsi, dum mutuis bellis se confi ciunt, causam præstant, ut nunquam pares uires cõtra Turcas afferamus.

Sed quia nunc bellum Gallicum finem accepit, sperandum quòd nõ solum hæresis inter Ecclesiasticos sparsa, & omnis abusus ab Ecclesia tolletur: sed etiam principum discordiæ cessabunt, & tandem firma auxilia contra Turcas coibunt.

Igitur facilè armabit Germania quinquaginta milia peditũ, x x equitũ. Nec minorẽ numerũ cõficiet Italia. Idem uel aliquãto plus ex Gallia sperandum. Nec Hispania inferiores uires ad hanc expeditionẽ addet. Præterea ditiones Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, unà cũ Traiecten. decẽ milia, equitũ & uiginti milia peditũ, uel etiã maiorẽ numerũ implebunt. Reliquiæ Hungariæ, Morauiæ, Slesiæ, Bohemiæ, & quidquid ad Istrũ, Sarmatiã, Illyricũ sinus habet, facilè sexaginta milia equitũ, pduxerint.

Quòd si istis uiribus in bella eatur, propitiato numine, correctis moribus, in procliui erit uincere hostes fidei, recuperare Græciã, & Thraciam, ubi adhuc maior pars hominum Christum colit, qui auidissimis uotis expectant Christianorum arma, ad quamlibet occasionem defecturi, & suos dominos & tyrannos, à quibus miserrimè uexantur, oppugnaturi: quę res sola uictoriam uel dare, uel maturare potest.

Vbi autem semel uictoria potiti fuerimus, patebit nobis uniuersa Hungaria, & per Danubium secundo flumine facilius licebit nobis omnes machinas, & reliquos apparatus belli Cõstantinopolim deuehere, quàm Turcæ aduerso flumine Viennam.

Quod ubi apud Persas inauditũ fuerit, ex altera parte usq; ad Constantinopolim excurrent. Nec cessabunt præpotentes Reges Russiæ, & Georgianorum, quibus non minor uis, quàm odium in Turcas. Nec Imperator Indiæ Ioannes presbyter ocium aget, sed omni cõspiratione contendet, ad communem hostem opprimendum.

HAec ad te scribere libuit Maximiliane Augustis. Cęsarũ inclyta proles: tum quia miserias Christianorum, & illas intolerandas calamitates sub imperio Turcarum & inspexi, & expertus sum: tum quia omnes de te eam spem, ominaq; concipiunt, quòd existimant te & Maximiliani proaui tui mores, patris item Ferdinandi, & Caroli Cæsaris patrui tui relaturum: quæ expectatio hominum maximè confirmatur, dum quotidie uirtutes tuæ istius excellentissimæ indolis aspiciunt. Nobis igitur omnipotens Deus exorandus est, ut spem expectationemq; tui, quam ipse non frustraris, fouere suo numine, & matutare uelit, quò tandem Christianus orbis à tot perpetuis cladibus respiret.

16. Calend. April.

DE

# DE AFFLICTIONE, TAM CAPTIVORVM, QVAM ETIAM SVB TVRCAE TRIBVTO uiuentium Christianorum: similiter de ritu, decp cæremonijs domi, militiæcp ab ea gente usurpatis: additis nonnullis lectu dignis, linguarum Sclauonicæ & Turcicæ, cum interpretatione Latina, libellus:

*Autore Bartholomæo Gyorgieuits, peregrino Hierosolymitano, qui per duos menses catena collo uinctus, sæpe uenundatus XIII. annos apud eosdem seruitutem seruiens, omnia experientia uidit & didicit.*

## INVICTISS. ROM. IMP. SEMPER AVGVSTO Carolo V. Bartholomæus Gyorgieuits, clientum minimus & deditissimus.

AIt Dido apud Vergilium: Non ignara mali, miseris succurrere disco. Est enim naturale, eas aliorum calamitates misericordia prosequi, quas tu aliquando perpessus es. Ego igitur, inuictissime & augustissime Cæsar, qui Turcicam captiuitatem tredecim annos expertus sum, septies uenditus sum, cui ipsis sensibus explorata sunt mala eius uitæ, statui breui libello imaginem illarum Tragœdiarum leuiter delineare: nam ad plenum exprimere, nulla uis ingenij humani poterit. Vt qui ad huc liberi sint, intelligant quantopere illis omnibus opibus & uiribus eni tendũ, ne in hanc miseriam ueniãt: & quo in odio esse debeant, qui domesticis (ut ita dicam) bellis, tua arma remorantur à Turcica expeditione, cũ certa spes sit, idcp ex oraculis, quæ non minus in Turcia quàm hic iactantur, te illum unicum futurum, qui regnum illud Satanæ destruas, si modò uires integras ad id bellũ conferre possis. Nam ut in præsentia omittamus oracula, multæ coniecturæ sunt, quibus idem quod oracula diuines. Nullus unquam in Christiano orbe à septingentis retro annis potentior Imperator, nemo uictorijs plenior, uoluntate pronior in hoc bellum fuit, aut milite exercitato instructior, adeò ut in debellandis Turcis ociũ tibi tantummodo uideatur deesse: quod qui tibi auferunt, quicunch illi sunt, & quocunch animo hoc faciunt, pessimè uidentur de Christiana religione mereri. Intra septingentos plus minus annos Turcica arma inualuerunt, hactenus à nemine retusa, quia nemo tibi par opibus, fortuna, & uoluntate fuit. Nunc te unicum sanctissimis bellis per alia bella eripi, & dolendum maximè, & detestandum uehementissimè. Ego igitur tibi istum libellũ de Christianorum miserijs dedicandum censui, quem orbis agnoscit unum præ omnibus esse, qui huic calamitati remediũ uelit apponere, & appositurum breui speramus. Diu sit incolumis tua Cæsarea Maiestas, nec antea uel morbo uel morte tentetur, quàm Christiana uexilla rursus in Asia & Aphrica & ubich terrarum erigas.

Louanij, Idibus Martij.

QVOMODO

## QVOMODO CHRISTIANI IN BELLO *à Turcis capti distrahantur.*

EXpeditionem aduersus Christianos suscipienti Turcarum Imperatori, inter reliquos mercatores semper comes est ingens turba mangonum & lanistarum, camelis insidens: hij in spem mancipiorum longissimas cathenas secum deferunt, in quibus facile quinquageni aut sexageni per seriem colligantur. Idem quoscunq; nō absumit hostilis gladius, à prędatoribus emunt, quod illis ea lege permissum est: si principi decimas mancipiorum præstent, reliquos ipsis uel in suum usum, uel ad nundinationē detinere fas est, nec ulla apud illos uberior aut frequentior mercatura. ut & olim apud Romanos fuit, qui merces nullo uitio emptas, & in quibus euictio timeri nō debuit, res mancipi appellabant.

*Quibus rebus Turcarum Imperator suos captiuos destinet.*

SEnes, & utriusq; sexus iuuentutem, quæ illi decimarum nomine obtigit, ita discernit, ut grandiorem ætatem ad agriculturam uendat, qui tamen rarissimè capiuntur: raro enim eis parcunt, quos ætas multorum annorum parum uendibiles fecit. Puellas uerò & iuuenes ad certum locum relegant, qui ipsorū lingua Sarai uocatur, ut ibi certis artibus instruantur, quò illis in posterum commodius utatur. ac primùm id agitur, ut abnegata Christiana fide, circuncidantur. Iamq; eorum ceremonijs initiati, diligenter pensitatis per physiognomiam lineamentis corporis, pro cuiusq; indole, uel ad leges eius gentis discendas, uel ad militiam destinantur, si maior uis corporis quàm ingenij appareat: danturq; in stipendium quotidianum duo uel tres Ahtse, id ad cibarium & uestiarium sufficere arbitrantur, donec in expeditionem sit abeundum. Rudimentis militiæ ita imbuuntur, primùm pro teneritudine uirium datur leuior arcus, mox crescente robore, & peritia, grauior ac grauior, donec bello sit idoneus. Adest magister seueriſsimus exactor quotidiani exercitij, quoties cunq; à scopis erraut, toties flagris cæduntur, atq; isti ascribuntur ordini Solaclar, id est, sagittariorum. Alij in hoc eruditiuntur, ut lenizaris cooptentur: isti quoque suos præceptores habent, qui illos ad quotidianam batuationem cogunt, bini inter se baculis decertant. Reliqui proh nefas, in quibus maior gratiæ formæ, ita abscinduntur, ut nihil uirile in toto corpore appareat, grauissimo cū discrimine uitæ: quod si euadant, nō in aliud sunt incolumes, quàm in obsequium sceleratissimæ libidinis. mox senescente pulchritudine, ad officia eunuchorum, ut matronas seruent deputantur, aut custodiendis equis & mulis, aut culinæ ministerijs addicuntur.

*Quomodo agatur cum puellis, & reliquis mulieribus.*

QVæ luculentæ pulchritudinis sunt, eliguntur in concubinas: mediocres dantur matronis ad officia pedissequarum: inter quæ adeò sunt nonnulla fœda ministeria, ut honestè dici non queant: coguntur enim illas sequi cum uasculo aquæ, quando ad exonerandum aluum, & perpurgandum eas partes egrediuntur. Aliæ ancillaribus operibus, ut textrinæ, pistrinæ mancipiantur. Nullis ex omnibus liberum est uel Christianam fidem reseruare, aut spem libertatis quàm diu uiuit, concipere.

Quomodo

*Quomodo reliqui Turcæ cum mancipijs agant.*

HActenus quid Imperator Turcarum agat, diximus: nunc quid priuati isti, cum primùm nouitios adepti sunt, omnibus minis, promissis, blanditijs agunt, ut recens mancipium circuncisionem admittat: id ubi fecerit, humanius aliquanto tractatur, cæterùm spes redeundi in patriam plane abscissa est: conanti enim id pœna incendij destinata est. Hi quia firmiores creduntur, ac minus fugaces, à dominis ad ministeria castrensia assumuntur, libertas tum demum competit, ubi uel ipse annis inutilis potius reijcitur à domino quàm dimittitur, uel ubi dominus in bello inter pericula mortis libertatem legarit. Matrimonia illis quidem permissa sunt, sed liberi eorum pro arbitrio domini distrahuntur, quæ res sapientiores à nuptijs abhorrere facit. Alios qui circuncisionem repudiant, immaniter tractant: quam miseriam per tredecim annos expertus sum. nec ullis uerbis consequi possum, quid sit calamitatis in hoc genere uitæ.

*Quomodo agitur cum Christianis artium mechanicarum ignaris.*

DVrissima illorũ sors est, qui artes mechanicas non didicêre: eæ enim solæ ibi in honore ac precio sunt. quam ob rem literati, sacerdotes, nobiles homines, qui in ocio uitam degerunt, ubi in horum manus uenere, omniũ miserrimè habentur. Mango enim in illos, utpote uix uendibiles, nullos sumptus facere sustinet. hi pedibus capitibusq; intectis, ac plerũq; maiore parte corporis nudi inambulant: nullus enim nouus cultus detritis ueteribus uestimẽtis succedit, per niues, per saxa, æstates & hyemes detrahuntur: nec finis, donec uel moriantur, uel stultum dominũ, qui malam mercem emat, inueniant: talis enim illorum est iudicatio. Cæterùm nemo omnium tam est fœlix, cuiuscunq; uel conditionis, uel ætatis, uel artis, uel formæ, ut eum in itinere ægrotantem apud hospitem deponant. Primum cogitur flagris ire: id si non potest, iumento imponitur: ibidemq; si sedere nequeat, prono corpore alligatur, non aliter quàm sarcina aliqua, aut mantica: morientem detractis uestibus in proximam foueam aut uallem canibus & uulturibus abijciunt.

*Quomodo recenter capti in itinere tractentur.*

NOn solum perpetuæ cathenæ concaptiuos includunt, sed manibus quoq; in itinere manicas addunt: passus unus inter singulos interstitij est, ne se mutuo conculcent. id ideo faciunt, ne à mancipijs lapidentur. Quum enim singuli mangones ingentem numerum ducãt, adeò ut decem sæpe quingentos homines cõcatenatos habeant, uim metuunt tantæ multitudinis, si ad iactum liberas manus haberent. Cæterum ubi nocti concedendum, uinculis quoq; pedes onerant, eosq; supinos omni iniuriæ aëris exponunt. Mulieribus uerò humanior conditio est, quæ ualent robore, pedibus incedunt: teneriores in iumentis uectantur: quę adeò infirmæ sunt, ut iactationem iumenti non ferant, in corbibus tanquã anseres gestantur. Nox illis tristior est. aut enim munitis locis includuntur, aut mangonum impuram libidinem pati cogũtur, auditurq; ingens ploratus per tenebras adolescentium utriusq; sexus uim patientium, nec sexennis aut septennis ætas miseros à tali fœditate defendit, adeò scelerata gens & cõtra naturam & ante naturam libidine sæuit.

*Quomodo uenalitij tractentur.*

VBi dies illuxit, in forum uenales tanquam greges ouium, aut caprarum producuntur. Conueniunt mercatores, statuitur preciũ: si placet

mancipium,

mancipium, detractis ueſtibus futuri domini oculis exponitur. inſpiciuntur omnia membra, tentantur, explorantur, nunquid uitij in iuncturis aut articulis reſideat. Si diſplicet, reijcitur ad mangonē: toties id paſſurus, quoties empturiens aliquis aduenerit: ſi placet, abducitur ad grauem ſeruitutem, ut uel arator, uel paſtor ſit, ne duriora commemorem. Multa ſunt ibi inaudita exempla miſeriæ. Cæterùm homines iugo copulatos aratrum ducere nunquam uidi. Ancillæ arctiſsimè habētur in perpetuis laboribus, & extra conſpectum uirorum: & ne cum conſeruis quidem illis ulla confabulatio permittitur. Si quis cum uxore & liberis captus fuerit, hunc libentiſsimè magnates emunt, & uillis præficitur, ut curam uel aruorum, uel uinetorum, uel paſcuorū agat, nati ex illis uernæ fiunt. Si in Chriſtiana fide perſeuerauerint, ſtatuitur certum tempus ſeruiendi: quo elapſo, liberi fiunt: filij tamē eorum, niſi redimantur, in ſeruitute manent, pro domini arbitrio, uel in ijſdem ſedibus manſuri, uel aliò trāsferendi. nulli enim ibi ſunt aſcriptitij glebæ, quibus certa ſit ſedes ſeruitutis. Si cupiunt poſt adeptā libertatem in patriam redire, dantur diplomata commeatus. Verùm illis qui noſtram religionem abiurarunt, nec certum tempus eſt ſeruiendi, nec ullū ius in patriam redeundi, ſpes libertatis ſolummodo pendet à domini arbitrio. ubi tamen libertatem nacti fuerint, ſoluunt decimas ut cæteri Turcæ: à reliquis tamen oneribus, quibus Chriſtiani premuntur, immunes ſunt.

*De illis captiuis quos paſtores faciunt.*

DVra uita agricolarum, durius tamen agunt qui ad paſtoritias curas emuntur. uiuendū illis in ſolitudine, perpetuò noctes & dies ſub dio agendum. dominus cum uxore ſolus in tentorio uerſatur: & præter tuendi gregis officia, penulas & tapetia ſubciſiuis horis facere coguntur. Singulis menſibus paſcua mutant, de montibus in montes ſe transferentes. Qui humaniores ſunt, dant aliquam mercedulam ſeruis, qualem dimenſum fuiſſe apud Romanos legimus, id in peculium cedit. quod conſeruant uel in uiaticum, ſi in patriam poſt libertatem adeptam redire uelint: uel ad alias neceſsitates uitæ. Cęterùm id non ubiq; fit. eſt autem illud miſerū blandimentum ſeruitutis, quo illos à cōſilio fugæ retrahunt. Illis autem qui Chriſtum abnegarunt, iamq; recutiti ſunt, quia certi ſunt, quòd non fugient, nihil tale indulgetur.

*De fuga captiuorum ex Europa.*

FAcilior fuga illis qui in Europa agunt, quàm qui in tranſmarinas regiones uenduntur: his enim præter flumina nihil traijciendum, quæ facile enantur. maior difficultas in Helleſponto tranſmittendo. Qui autem fugam inſtituunt, tempore meſsis id ſoliti ſunt facere, ut & facilius in ſegetibus lateant, et inde uictum habeant. noctu autem fuga initur, per diem aut in ſyluis, aut in paludibus, aut in ſegetibus ſeſe abdunt, maluntq; à lupis alijſq; beſtijs deuorari, quàm ad ueteres dominos retrahi.

*De fuga ex Aſia minore.*

QVi ex Aſia fugam moliuntur, Helleſpontum petunt, inter Callipolim & arces illas olim Seſton & Abydon, nūc autem Bogazaſſar dictas, id interpretari poteſt, caſtella faucium maris: ibi enim mare anguſtiſsimum eſt. Hi ſecum deferunt ſecurim & funes, ut & ligna cædant & colligant, quò inde ratem faciant ad traiectionem maris, nihil niſi ſalem ſecum deferentes, nocte raticulā inſcendūt. Si uenti & fortuna maris fauet, tribus aut quatuor horis traijciunt: ſin minus, aut pereunt in fluctibus, aut ad li-

tora Asiæ reñciuntur. Emenso mari montes petunt, polumq; & Booten inspectantes ad Boream tendunt. In fame herbis suis sale conditis sese sustinent. Si plures societatem fugæ inierint, noctu opiliones inuadunt. quibus occisis, quicquid ibi alimenti inuenerint, secum asportant: sæpe tamen & ipsi pereunt occisi ab opilionibus, uel ab eisdem capti, & pristino hero traditi, ad ueterem seruitutem rediguntur. Cæterùm longè plures pericula absumunt, quàm incolumes euadunt: aut enim naufragijs, aut dentibus bestiarum, aut ferro inimicorum, aut postremò fame pereunt, cum longior erratio in fuga contigerit.

*De pœna fugitiuorum.*

FVgitiuis multiplex pœna: alĩ enim suspensi pedibus dirissimè flagellantur. qui enim homicidiũ cõmittunt, illis plantæ pedũ in multos sulcos cultro rescinduntur, & rescisis sal inspergitur. quibusdã furca ingens ferrea, cũ ferro collari inseritur, quam die noctesq; in longũ tempus gestãt.

*De Græcorum & Armeniorum pietate erga captiuos.*

MOrtis pœna & confiscatio omnium bonorũ illis infligitur, qui captiuorum fugam instituunt. Tamen nõ cessant Armeni & Græci captiuos Christianos apud se occultare, & deformatos suo cultu deducere ad naues Venetas, uel aliorum Christianorum, dantq; uiaticum & omnia necessaria, nec ullum pietatis genus omittunt: eandem enim pietatẽ nostrorum aiunt se experiri, si quando Romam uel Compostellam uenerint.

*De incantatione Turcarum contra fugientes.*

HAbent quoddam genus incantationis, quo inuitos retrahũt. Nomen serui in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo uel domicilio serui, deinde diris uerbis & deuotionibus illius caput impetunt. deinde fit ui dæmoniaca, ut fugiens putet sibi in itinere uel leones uel dracones incurrere, uel mare uel flumina contra se exundare, uel omnia tenebris nigrescere: ĩjsq; terriculis repulsus ad herum redit.

*Memoriam Christi paulatim in prouincijs olim Christianis aboleri.*

SVpersunt adhuc aliqui, qui meminere expugnationem Constantinopolis, & regna Græciæ, Albaniæ, Vualachiæ, Seruiæ quam Bosnam uocant Turcæ, in prouincias redacta. illi quidem Christũ tenaciter retinent, sed iuuentus dediscit: breuiq; futurum, ut plena sit obliuio Christianitatis. Idem futurum in Croatia, Hungaria, Sclauonia, quæ recentia additamenta sunt & auctaria Turcici imperĩ.

*Quæ conditio debellatorum.*

VBi prouinciam cepit, omnia prouincialium bona tam mobilia quàm immobilia in prædam cedunt. Nobilitatem stirpitus excindit, præcipuè regiam sobolem. Et quòd nunc Vaiuodæ filium apud se retinent, non alio cõsilio faciunt, quàm si illis Hungaria adimatur, eum immittant ad res nouas moliendas: ubi illis secura possessio Hungariæ fuerit, haud dubiè è uita tolletur. nam Turcæ in ea re nec generis, nec soceris, imò ne fratribus quidẽ parcũt. Clericos si nõ occidunt, omni fortuna & dignitate nudatos ad ludibriũ et mendicitatẽ relinquũt. Cãpanas omnes & organa, et alia instrumẽta Musica templis adimunt, imò ipsa templa prophanata suo Mehẽmeto cõsecrant. Misera et humillima sacella Christianis relinquũt: ubi sacra nõ publicè, sed dissimulãter & silentiose faciant: quę ubi uel terræmotu corruerint, uel incẽdio deflagauerint, uel ętate computruerint, nõ licitũ est instaurare,

staurare, nisi magna pecunia depensa. Concio & annunciandi Euangelij munus planè interdicitur, nec fas est quenquam Christianum Rempub. attingere, aut arma gestare, aut simili cultu cum Turcis indui, aut quæ hilarioris uitæ sunt, spectacula edere, uel choreas ducere. Si iniuria fit contumelioſissimis uerbis uel tibi, uel Christo, tacendum atq; ferendum est. Quòd si aliquid indignius contrà loquaris de eorum religione, inuitus circunciderís: tum si hiscas contra Mehemmetum, ignes & incendia tibi parantur.

*De reuerentia quam exhibent Christiani Turcis.*

CHristianus sic eques prætereat Musulmannum, id est, Turcarum religione initiatum, necessum est, ut de equo descendat, & cernuo uultu sedentem adoret: quod nisi fit, fustibus ab equo deijcitur. Ius præterea est ueredarijs & emissarijs Turcarum, equum Christianum arripere, eoq; ad delassationem uti, interim Christianus pedes sequitur.

*De tributis Christianorum.*

QVartas omnium fructuum dant Christiani: istiusmodiq; quartatio non solum ex prouentibus agrorum & pecorum colligitur, sed etiam mechanici de suo quæstu quartas dependunt. Deinde est & aliud onus capitationis, qua singuli quotquot sunt in una familia, singulos ducatos soluunt. Si parentes soluere nequeunt, ad liberos suos in seruitutem uendendos compelluntur. Alij in catenis uincti, ostiatim obambulant ad stipem emendicandum. quòd si ne ita quidem soluendo fiunt, perpetuis carceribus mancipantur. Iam cũ omnia officia præstiterint, adhuc semper ius est Turcę optimũ quemq; ex liberis deligere, quem circũcisum summotumq; à conspectu parentum in militiam alit, nec unquam ad parentes redit: & primùm, quia puer facile Christum obliuione dediscit, mox etiam parentes & cõsanguineos: adeò ut etiam si præsens inter eos uersetur, neminem suorum agnoscat. Nemo uerbis efferre potest, quibus lacrymis, gemitu, singultibus istiusmodi diuulsio fiat. Filius abstrahitur perpetuò inter alienissimos uicturus, quicquid charum est sanguine, sodalitate gratum, familiaritate amicum relicturus: postmodum in eorũ numero futurus, quos Græci ἀπάτερας & ἀμήτερας uocant. Pater filium quem in cultum Christi educauerat, rapi uidet ad militiam sathanæ, ut Christum oppugnet.

*De sacerdotum & monachorum sub Turcæ tributo uiuentium conditione.*

SAcerdos, monachus, pessima illic conditione sunt, ut sacrilegia & scandala Dei & hominum existimantur, nihil de ecclesia accipiunt. Feriatis diebus pauxillulum panis à mulierculis nonnullis porrigitur, cæteris diebus nihil datur. Ipsi lignationibus uiuunt: nam mos est, ut ligna in syluis cædant, ijsq; dorsum aselli onerant, ea cum merce per omnes plateas ambulant, ligna uenalia proclamantes. Si gentes illæ hanc calamitatem præsciuissent, millies præoptassent mori, quàm ista pati. Si usquam mors cum uita cõmixta est, imò si usquam uita diu supereſt ut diu moriaris, id in Turcia est. Nihil Aegyptiaca seruitus, Babylonicum exilium, Assyriaca captiuitas, Romanorũ euastatio ad istas miserias, ubi quotidie audiuntur threni Ieremiæ, nec uerbis, sed rebus constant.

PROCLAMATIO CAPTIVORVM ET TRIBVtariorum, *ad Christianorum reges & principes.*

MIseri qui quasi in fornace illa ardenti Hur Chaldæorum uiuunt, uotis & gemitibus cœlum petunt: Vsq; quo dormis Domine, exurge,

& ne repellas in finem. Rursus à cœlo ad patriã oculos reiectant, quam & ipsam in seruitute uident. relegati tamen à patria, in patria seruitutem agere cupiunt. Vota illorum non libertatem, sed eandem seruitutem mutatis tantum sedibus concipiunt. mox oculos ad Christianorũ reges & principes detorquent. Optant Papam patrem patriæ uires suæ sanctitatis ad liberationem filiorum conuertere. Optant inuictam Cæsaris manum uictricia arma contra Turcam mouere. Sciunt illi parere Hispanos in bello acerrimos, Belgas ferocissimos, Germanos fortissimos, Italos corpore & ingenio præstantissimos. Sciunt illi addictissimum esse fratrem Ferdinandum regem Romanorum Turcarum bellis assuetissimũ, Illyricis & Subalpinis gentibus subnixum. Sciunt Germaniam omnem, tot Electores imperij regijs uiribus instructos auspiciũ Cæsaris libenter sequi. Hic putant uota sua non frustrari. Te suum Esdram Cæsar inuictissime, te suũ Iosue existimant futurum. Talia enim non solum de te oracula inter Christianos, sed etiam inter ethnicos circunferuntur. Vtinam tua te bella illuc sinerent penetrare, uideres omnia tecum ad arma cooriri. Nulla ætas, nullus sexus, nullus ordo hominum tua arma relinqueret. Domi quisq; Turcarum in suis seruis percussorem haberet, in castris proditorem, in pugna desertorẽ. Omnino Christiani qui illic sunt, contemptissimè de armis Turcarum sentiunt, ut quos ad uelitarem tantum pugnam idoneos cognoscunt. Hostes uelut aues procul missilibus impetunt: si nõ eo terrore fuga fit, ipsi fugiunt. Præter clypeos & galeas plerisq; nudi sunt: ad manum uenire non audent. Vulnera stantibus non ingerunt, nisi eminus. Quod si iam Veneti & Lusitani nauales suas copias conferant, Angli, Poloni, cæteriq; principes militem subministrent, præsertim tali Cæsare rerum gubernacula tenente, non diutius obsisteret Solymãnus Carolo, quàm Darius Alexandro, Xerxes Themistocli, Antiochus Iudæ Machabæo. Ita sentiunt omnes captiui Christiani. Idem ego tredecim annorum experientia didici, in fugientẽ scilicet Turcam fortissimum, aduersus inuadentem fugacissimũ esse. Turca igitur cum natura sit fugitiuus, oppugnandus est. Impius enim nemine persequente fugit. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius: sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei. Vtinam Deus Opt. Max. concedat, ut tuis auspicijs inuictissime Cæsar, monstrum illud Turcicum, humanæ naturæ ludibrium supprimatur ac conteratur, ut Christianos grauissima tyrannide oppressos in libertatem asseras, quandoquidem post Deum in te uno omnis spes libertatis collocata est.

# DE TVRCARVM RITV, DEQVE CAEREMONIIS, LIBER SECVNDVS.

## Et primò de origine eorum.

### CAPVT I.



Istoriæ Armeniorum tradunt Turcas gentem Scythicam esse Zmaildan, quasi Ismaëliticam, & quòd essent adducti per Caspios montes, ac Caucaseas portas, usq; Constantinopolim à Duce cuiusdam regis Armeniæ, ob proditionem atq; iniuriam eius militibus illatam. Non torquebo me eorum origine uerbosius, duntaxat ob oculos ponam consuetudinem in cæremonijs, & disciplinam domimilitiæq; ab ea gente usurpatam, nihilq; mutuabor ab alijs scriptoribus: sed summa fide, quod coràm uidi, & longo usu didici, pro ingenij mei tenuitate summisse & mo deste describam.

*De origine Mehemmeti.*

MAgna dubitatio de origine Mehemmeti (quem nostri Mahometum uocant) nec dum satis comperta, utrum Persa an Arabs fuerit: ueriores tamen illi habentur, qui eum Ismaelitem esse aiunt, ex Regum stirpe, quos Othmanni Sai, & Sultanlar uocant. In huius natiuitate referunt, quinq; milia templorum idolorum cecidisse. quod augurium uel nostras clades præsagijt, uel de nostris cladibus fictum est.

*De templis illorum.*

HAbent templa satis ampla, & sumptuosa, ipsorum lingua Meschit appellata, in quibus nullas prorsus imagines uidi, præter hæc uerba inscripta Arabica lingua uidelicet, La illah illellah, Mehemmet iresul allah tanre bir pegamber hach: id est, non est Deus nisi unus, Mehemmet autem propheta eius, creator unus, & prophetæ æquales. Vel hæc, Filiã galib ilellah: id est, non est fortis sicut Deus. Deinde cõspicitur magna abundantia lampadum ardentium oleo, totum templum dealbatum, pauimentum storeis stratum, ac desuper tapetis ornatum. Circa templum turris miræ altitudinis, quam eorum sacerdos tempore orationis ascendens, uoce alta, digitis in aures insertis, hæc uerba ter repetit Allah Hechber: id est, Deus uerus unus. Audito clamore conueniunt in templum nobiles & ocioſi, tantum deuotioni astricti. Deinde prædictus sacerdos descendens orat cum illis, idq; ex officio facere debet quinquies inter diem & noctem. Quicunq; uerò ueniunt ad orationem, debent abluere manus, pedes, & pudibunda. postremò ter spargunt aquam super capita, recitando hæc uerba, Elhemdu Lillahi: id est, gloria Deo meo. Deinde, exutis calciamentis Patsmagh dictis, eisq; ante ianuam templi relictis introeunt, alij nudis pedibus, alij habentes munda calciamenta Mesth uocata, quibus non palpant terram. Fœminæ nunquàm congrediuntur cum uiris, sed seorsum certo in loco, prorsus abstruso, à uirorum conspectu, & auditu: ipsæq; rarius templum frequentant, ut tempore Paschatis, nonnunquam diebus Veneris, quæ Gsumaagun eorum lingua uocatur, orantq; ab hora nona noctis usq; duodecimam, utputa mediam noctem: atque inter orandum corpus continuo agitatu & uociferationibus mirè affligunt, ut sæpius uiribus & animo defectæ, in terram pronæ concidant, & si aliqua ab eo tem

pore se grauidam senserit, Spiritus sancti gratia impregnatam esse affirmant. Cumq; pariunt, ab ipsis nati Nefes oglu, id est, animæ, uel spiritus sancti filij appellantur. Ita mihi narratum est à pedissequis earum: nam nec ipse uidi, nec aliquis uirorum huic spectaculo interesse potest. Virorum autem orationibus (cum hero meo) sæpe interfui, quibus mos hic est. Inter orandum pileos suos (qui Tsalma illorum lingua uocantur) non deponunt, sed summis digitis attingunt, quasi eleuaturi, genibus incumbunt, & terram sæpe deosculantur. Christianis eorum sacris interesse nephas putant. credunt enim ab hominibus (ut ipsi aiunt) illotis, sua templa contaminari, quippe Christiani non usurpant illorum more frequentia lauacra. Ibi sacerdos illorum suggestum ascendit, ac ad duas circiter horas concionatur. peracto sermone ascendunt duo pueri, qui cantando suas preces pronunciant. peracto eorum cantu, incipit sacerdos cum toto populo submissa uoce cantare, quassando corpus in latus nihil aliud præter hæc uerba, La illah ilellah, id est, non est nisi unus Deus. sic media fere hora personat, ac mouetur. Huiusmodi autem orationes, & cæremoniæ, ut cantus, prædicatio, non fiunt singulis diebus, nisi tempore Quadragesimali, & festiuo, utputa die Iouis, ab hora nona noctis, usque duodecimam. Et ipsa dies Veneris, (qua Mehemmetum aiunt natum fuisse) à quibusdam religiosissimè colitur.

*De quadragesima eorum.*

HAbent etiam quadragesimam sua lingua Orutz appellatam, ieiunantes unum mensem, & unam hebdomadam singulis annis, at non semper eundem, sed si (uidelicet hoc anno) ieiunauerint Ianuarium, sequenti Februarium, pergentes serie, ita ut duodecim annorum decursu, unum & duodecim hebdomadas loco decimæ offerant Deo. Cum ieiunant, toto die nihil gustant, ne panem quidem, aut aquam. Deinde uisa stella, licet illis omnia manducare, præter suffocatum, & porcinas carnes. Suffocatum ab eis, Murdar, id est, cadauer siue immundum, & porcus Domuz uocatur. Quadragesima peracta, Pascha celebrant, eorum lingua Bairam uocatum, magna cum solennitate per triduum, oblinientes ungues manuum & pedum certo ceromate ab eis Chna appellato, quod ungues rutilos efficit: eadem quoque tinctura caudas equorum & pedes imbuunt. hic color tenacissimè hæret, nec ablui, aut extergi potest, quamobrem nisi noui (à radicibus) ungues exierint, alioquin ungues semper rutilantes apparent, sed de manibus frequenti lotione potest deleri. Mulieres non solum ungues, sed & manus, atq; pedes illo ceromate imbuunt.

*De eorum circunciſione.*

VTuntur circunciſiõne eorum lingua Tsuneth dicta, non octaua die more Iudæorum, sed quàmprimum natus septimum aut octauum annum exegerit, sermonis iam peritus: idq; ipsis mysterium est, propter uerba confessionis, quæ ante circunciſionem requiruntur, erecto pollice manus Parmach dicto, hæc uidelicet, quæ suprà ostendimus in templis descripta. Puer ob id non defertur in templum, sed in domibus parentum circunciditur. Huic solennitati sæpe interfui, quæ ita se habet. Primõ conuocatis amicis ad conuiuium, quibus satis delicata parantur fercula, ex omni genere carnium, quo ipsis uesci licet, & passim (ut apud ditiores) bos cæditur, in hunc excoriatum & exenteratum includunt ouem, in qua gallinam

linam, & in illa ouum, quæ integrè assantur ad splendorem illius diei. Deinde inter epulas tempusq; cœnæ adducitur puer circuncidendus, cuius (medicus illius artis) glandem retegit, & replicatam pellem forpiculis apprehendit: deinde quò metum adimat puero, ait se in proximum diem circuncisionem peracturum, atq; ita discedit: mox simulans, quasi omissum aliquid esset, quod ad præparationem attinet, ex improuiso præputium abscindit, uulneri parum salis, & mali cotonei apponens, iam uocabitur Mutsluman, id est circuncisus. Et die circuncisionis non induntur illis nomina, sed ipso die natali, quo in lucem eduntur, quæ talia sunt, & primo Regum, ut Tsuleiman, Solomon interpretatus. Tsultan, Tscelim, id est princeps pacis. Murath begh, id est desideratus dominator. Mutstafa & similia. Ducum, Pirin, hairadun, hader, ebraim. Dominorum humilioris conditionis, quemadmodum sunt Tspahalar, Tsauslar, Eminler, Behram, Memmi, Mehemmet, Alli, Ahmat Tcielebi, Paiazith, Chatsun, Hutscref. Cæteris omnibus, Mutsa, Ionuz, Tschender, Perhat, Ferro. Captiuorum ac seruorum maiori ex parte Seremeth, quod nomen significat audacem, atq; uelocem. Postea continuato trium dierum conuiuio, circuncisus ducitur in balneum, cum maxima pompa. Cum redit domum, ducitur per conuiuas, qui parata illi munera offerunt. Alij uestes sericeas, alij scyphos argenteos, alij pecunias, uel etiam equos. Mulieres quoque induſia, sudariola, & alia huiusce modi. Iuxta uoluntatem & opes unusquisque conuiuarum donat. Fœminæ non patiuntur circuncisionem, sed tantummodo (iam dicta uerba) confitentes, Musluman efficiuntur. Si autem ex Christianis quispiam sua sponte confesso Mehemmeto circuncidi se patiatur: quod sæpe contingit, propter grauissimum iugum, & onus tributi. talis ducitur per omnes uicos atque plateas ciuitatis, summo cum honore, & gaudio populi sonantium tympana: ipsi quoque dantur munuscula. postea immunis efficitur à solutione tributi, Haracs eorum lingua appellati. Et cupiditate huius lucri, multi Græci, Vrumlar, & Albani, quos Arnautlar uocant, circunciduntur. Si quis ui compulsus, ut puta qui Muslumanum feriret, uel uituperio afficeret, aut Mehemmetum blasphemaret (quod uidi Episcopo cuidam Græcorum sectæ, contigisse) circunciditur, illi nihil datur: à tributi tamen solutione liber erit, sicut & cæteri Muslumanlar, id est, circuncisi.

*De sacerdotibus eorum.*

SAcerdotes uerò, illorum lingua Talismanlar uocati, parum uel nihil differunt à laicis, nec etiam à Proceribus cæremoniarum (quales apud nos sunt Episcopi) nec magna in ipsis doctrina requiritur. satis erit si Elcoranum, & Mussaphum nouerint legere. Illi autem qui etiam interpretari secundum textum nouerint, peritissimi habentur: quoniam non uulgari lingua Turcica, sed Arabica à Mehemmeto sunt tradita: quod nephas esse putant, si uulgari lingua interpretata describerentur. Eliguntur isti Pontifices à populo, stipendium autem à Rege pro labore accipiunt. Vxores habent, & habitum ut seculares. Si stipendium non sufficiet propter multitudinem liberorum, mechanica tractant, ac libero etiam homine digna attingunt: præficiuntur scholis, aut libros describunt. Apud illos sanè nullos uidi typographos, sed chartam optimè parant. Alij alium quæstum faciunt, ut sartoris, sutoris, & similia.

*De ſcholis ipſorum.*

HAbent quoque loca ad inſtituendum Ochumachgirleri eorum lingua appellata, & ſuos Doctores quos Hogſialar uocant, tam maſculos, quàm fœminas, ſeparatim tamen inſtituunt: maſculi maſculos, & fœminæ fœminas, Aſtronomiam, philoſophiam, artem poëticam. Inter diſcendum clara uoce clamantes ad latus corpora mouent. Muſicam non norunt artificialem, ſed fingunt carmina ad præſcriptas regulas, quæ ita ſe habent: Quodlibet carmen undecim debet complecti ſyllabas. Placuit itaq; exempli gratia hæc pauca inſerere.

CARMINA AB IPSIS BETHLER DICTA.

Birichen bes on eiledum derdumi
Iaradandan iſtemiſcem iardumi
Terch eiledum zahmanumi gurdumi
Ne ileim ieniemezum gunglumi.

Sunt enim carmina amatoria, Deæ ipſorum lingua Aſſich uocatæ: id eſt Deæ amoris, quorum interpretatio hæc eſt de uerbo ad uerbum.

Birichen, id eſt ex una. bes, id eſt quinq;. on, id eſt decem. eiledum, id eſt feci. derdumi, id eſt tribulatione mea.

Iaradandan, id eſt à creatore. iſtemiſcem, id eſt poſtulaui. iardumi, id eſt auxilium.

Terch eiledum, id eſt neglexi. zahmanumi, id eſt patriæ meæ. gurdumi, id eſt uiſitationem.

Ne, id eſt Quid. ileim, id eſt faciam. ieniemezum, id eſt non poſſum uincere. gunglumi, id eſt mentem meam.

*De monachis illorum.*

NOn deſunt illis monachi Deruiſlar uocati, uariſ quidem ac in primis triplicis ordinationis. Primus ordo talis eſt, qui nihil proprij habentes, quaſi nudi incedunt præter pudenda pellibus ouinis tecta, & tempore frigoris ad cooperiendum dorſum ſimiliter pelle, latus, manus, pedes, & caput nullo prorſus tegunt ueſtimento. Exigentes eleemoſynam tam à Chriſtianis quàm à Turcis Allahitſi petentes, quod ſignificat, propter Deum. Hi deuorata herba Matslach uocata, in rabiem aguntur, adeò ut per pectus totum in tranſuerſum uulnus ducant, itidem per brachium uel nullo dolore diſſimulato, & fungum arborum incenſum capiti, pectori, manui ſuppoſitum remouent, donec in cineres reſoluatur. Aliud genus uidi, qui incedunt pertuſa uerpa, & incluſo anulo æreo ponderis trium librarum, à coitu diſcluſi, ob ſeruandam caſtitatem. Tertium genus rarò egreditur, ſed manent die noctuq; in templis, habentes in angulis templorum tuguriola, ſine calciamentis, ueſtimento, diſcooperto capite, nihil geſtantes, præter unam camiſiam, multis diebus ieiuni, orantes, ut Deus ipſis futura reuelet, quos rex Turcarum bellum moturus conſulere ſolet.

*De matrimonij contractione.*

MAtrimonium eorum lingua Eulenmech uocatum, tale eſt. Coëunt nuptiæ ſine iuramento. accipiunt planè indotatas, propemodum emere coguntur, contrario (quàm olim apud Romanos) more, ubi gener emi ſolebat, non nurus. Nil habet ſponſa in corpore cultus uel ornamenti, quod non cogatur à ſoceris redimere. Diuortium apud illos faciunt

faciunt improbi mores, uel infœcunditas: cognoscit de istis rebus iudex ipsorum. Inter seruos emptos etiam matrimonium permittũt: sed geniti ex illis, uernæ fiunt.

*De peregrinatione illorum.*

PEregrini, eorum lingua Hagsilar appellati, loca ab ipsis sancta habita inuisunt, uidelicet Mecham, ut nostri Hierosolymam (ibi aiunt Mehemmetum obijsse) sed non minus quæstus gratia quàm religionis & deuotionis. Ibi uiso calciamento Tsaroch uocato, quod inauratum solummodo à testudine templi pendet, coemptis subtilissimis telis, Chumas dictis, in patriam regrediuntur magno cum lucro. Et cum redierint, alij uectant deuotionis gratia aquam in utribus plateatim, idq; obuijs sitientibus gratis offerunt: alij rem suam agunt.

*De eleemosyna eorum.*

HAbent xenodochia Imaret appellata, ex testamento Regum condita, ubi datur cibus pauperibus atque peregrinis, sed alibi alius. Sunt qui dant orizum Pirincs tsorba dictum, cum carnibus: alibi Boghdaias, qui fit ex tritico. pro obsonio additur panis satis magnus. potus quem prębent, est aqua. Cęterùm pernoctandi ibi aut dormiendi locus nulli conceditur: sed habent alium locum pernoctandi publicum Charuatsanie, ubi gratis recipiuntur hospitio: non habent tamen lectos, sed in fœno uel stramine sub tecto dormiunt.

*De uictimis eorum.*

IMmolant etiam uictimas, sed pierunq; uotiuas Chorban tam Turcica quàm Arabica linguis uocatas. in morbo enim aut periculo ouem uel bouem pro cuiusq; opulentia in certis locis se sacrificaturos promittunt. uoti deinde uictima non comburitur in holocaustum, ut ludæis mos est: sed mactato animali, cutis, caput, pedes, & quarta pars carnis sacerdoti prębetur: altera deinde pars datur pauperibus, tertia uicinis. Cæteras reliquias ipsi uictimatores sibi & comitibus parant ad uescendum. neq; tenentur uoto, si è morbo uel periculo erepti non fuerint. Omnia enim illorum conditionalia sunt, dabo si dederis. Similis etiam apud Græcos & Armenios, & cæteras nationes Asiaticas Christianæ religionis, cultus obseruatur.

*De legatis & testamentis.*

SI quis ex Muslumanis moriens testamentum condere constituit, talia fermè legata fiunt, adhibitis amicis & uicinis, ut aut riuos deducere ex longinquis partibus ante aliquod hospitale, aut templum, siue in locum aridum, qui frequentatur ab hominibus Hairitsi, id est pietatis gratia: & Glianitsi, id est pro anima. Alij captiuos, & emptitios seruos legant liberos faciendos. Mulierculæ enim (ut hoc genus præ cæteris superstitiosum est) legant pecuniam militibus, pro certa cæde Christianorum. id putant magno ad salutem suæ ipsarum animæ prodesse. Reges uerò templa, hospitalia, extruenda constituunt, & alij si qui sunt potentes.

*De cæremonia defunctorum.*

VBi quis moritur ex Muslumanis maris masculus, tunc masculi funus curant: si fœmina, fœminæ. Abluunt cadauer, ac nitidissimis lineis induunt. postea efferunt extra urbem in locum aliquem: nephas enim est in templis sepelire. Procedunt cæroferarij cum candelis monachi illorum.

subsequuntur

subsequuntur sacerdotes cantillantes interim, donec ad sepulturæ locum perueniant. Quòd si pauper fuerit ille defunctus, pro laboribus religiosorum plateatim collectæ pecuniæ solent illis offerri.

*De ædificio sepulchri Tulbe dicto.*

CONditorio superædificatur (utputa regio) templum, ipsi enim reges in urbes sepeliuntur: diuitum & pauperum instar altaris in eam altitudinem, ut bestiæ insultare, aut locum conspurcare non queant. Sæpius eò cum luctu redeunt, & inferias ciborum monumẽto superposito, panes, carnes, caseum, oua, lac, nouendialis cœna, more ethnicorum, pro anima defuncti deuoratur à pauperibus, aut auibus cœli, et formicis. Dicũt enim, æque gratum esse Deo, offerri eleemosynã tam brutis egentibus quàm hominibus, cum ob amorem Dei offertur. Multos uidi, qui auiculas reclusas, data pecunia ualoris auiculæ, euolare iusserint: alios panem piscibus in flumen proiícere amore Dei, dicentes se pro tali pietate erga egentes mercedem amplissimam à Deo consecuturos.

# DE MILITIA.

CAPVT II.

HAbent omnes unum Regem, qui illorũ uocabulo Huncher othmanlardan sahi tsultan tsuleiman, modernus ita appellatur ab eis, Id est, Imperator ex Othmannis Sahi Princeps Solomon, qui nunc habet filium primogenitum, uiginti (uel circiter) trium annorum Mutstafa uocatum, excellentem suos antecessores tyrãnide, atq; crudelitate, sæpe insidiantem patri, ut si quomodo posset illum occidere, ob libidinem dominij. Habet rex sub se duos duces siue Satrapas Tsamgiach begler uocatos, Europęum & Asiaticum, quibus subsunt præsides minores Timargilar dicti, quorum imperijs parent milites ordinarij: qui si cessant, dum ad expeditionem euocantur, suspendio pœnas luunt. Bassalar qui interpretantur capita, plures sunt: ij propter consilium semper Regem comitantur. Sulihtarlar quoq;, qui sunt stipatores corporis illius, semper post tergum eius succedere solent, unà cum Capugtsibegler, id est cubicularijs: Iazigtsibegler, id est cancellarijs: Eminler, id est tributi exactoribus, uidelicet puerorum, & pecuniarum: Tspahalar, id est leuis armaturæ militibus, equestribus: multis Vlachlaris, id est nuncijs: & alijs huiusmodi continuè aulam sequentibus.

*De conditione procerum.*

NVllus ex Satrapis possidet prouinciam aut ciuitatem aliquã iure hæreditario, quam post obitum liberis uel suis successoribus posset relinquere sine consensu sui regis. Sed si aliquis Ducum, uel Principum certas possessiones cupit habere, id illi conceditur hac conditione. Initur ratio precij, & redditum illarum possessionũ. Cognoscit & Turca, quot milites ali annuo illo censu possint, tunc Satrapa ille cogitur habere illum numerum militum semper promptum, ad omnia imperata, alioqui capite plectitur: nihilq; eum à belli comitatu potest excusare, quàm sola aduersa ualetudo. Et si quando Turcæ placuerit eum priuare tali beneficio, in eius est libertate: si autem non deponitur, suum est usque ad mortem. Post obitum, quod si successores defuncti pactum obseruare uoluerint, admittuntur

tuntur: sin secus, alijs prouidetur. Si aliquando aliquis istorum procerum cum rege loquitur, oculos humi defigit, non audens illius uultum contueri.

*De conditione Chazilariorum.*

Militēs Ghazilar uocati, strennui, & iure militari miro modo exercitati, qui in primo congressu lanceas frangunt cum aduersarijs suis, nulla prorsus armatura, præterquàm clypeo, hasta, framea utentes more nostratum, ut puta loricæ, galeæ: sed fractis hastas, euaginata framea, clypeo se defendentes, uiriliter pugnant, semper capiti, manui aduersariorum insidiantes, aduersarios totis uiribus extinguere nitentes. Punctura autem gladij, hostem, uel equum ferire, non laudi, sed ignominiæ duceretur. Hi omnem uitam & salutem in protectione Fortunæ Deæ, ipsorum lingua Nassup, siue Ctsutara dicta, habentes, cuius apud omnes prouerbiū istud celebratissimum est: lazilan gelur bassina, quod ita potest interpretari lingua latina, lasilan, id est, scriptura: Gelur, id est, ueniet: Bassina, id est, capiti. quasi dicerent, quicquid die natiuitatis uniuscuiusuis Fortuna Dea capiti inscripsit, id euitare impossibile erit, etiam si latitaueris in arce inexpugnabili. Horum enim gesta carmine in historijs descripta, ab omnibus recitantur, ut & cæteri eadem audacia (honoris & laudis studio excitī) fortiter & intrepidè hostem aggrediantur. Cæterùm pro qualibet uictoria talium, stipendia duplicantur, ita quòd omnes prædicti equestres debent regem sequi, instructi his armis, lancea, framea, sagittis, claua ferrea: alij habent clypeos, alij non: & semper accipiunt stipendium, tam tempore pacis, quàm belli.

*De ordine peditum.*

Primus ordo peditum est Solachlarum, id est, sagittariorū, tales utuntur arcu, sagittis, frameis, differunt pileis à Ianitseris. Secundus ordo est Ienitserorum, illi etiam habent arma similia Tsolachlarum, pro arcu tamen & sagittis arcabuso utuntur, & una securi. Tales omnes collecti à Christianis ibi degentibus sub tributo, ui arrepti circuncisi, in loco Tsarai dicto, educati, contra Christianos pugnant strenuissimè, & habent satis exigua stipendia uictui: uidelicet alius quatuor, alius quinq; uel sex nummos Ahtse uocatos, qui sexaginta coronatum conficiunt: & hi sub pœna uitæ non possunt equitare, nisi ægrotent. Reperiuntur etiam ex filijs Turcarum facti Ienitseri quamplurimi. Tertius ordo peditum Azaphlarum est, quorum finito bello finitur & stipendium: & sunt omnes filij Turcarum. Tales utuntur longiori hasta, framea. pileos habent rubros, uel alterius coloris ex panno, cum quatuor angulis corniculatis, Tachia dictis. & differunt à Ieniceris & Solachlaris uestitu atque armatura: tales perfodiunt hostium equos in bello. Deinde aliud genus peditum ex Vualachia sectæ Græcorum, Voinichlar uocati. hi nihil habent stipendij à Turca, quàm quòd immunes sunt à tributi solutione, & decimis. Tales tenentur ociosos equos regis Turcarū propriis sumptibus alendo, curamq; illorum gerendo, ducere tempore belli.

*De tentorijs Regis Turcarum.*

Cvm Constantinopolim relinquens Turcarum rex ad bellum proficiscitur, duo usurpans tentoria, cognomento Satorlar, cum hodie alterum pro eo tenditur, alterum ad proximam mansionem figitur, ut ibi postero die recipiatur. Magnitudo tabernaculi tanta est, ut procul uisentibus

uisentibus urbs uideatur: in proximo castrametantur Principes, & ambiunt Regis sui tabernaculum: deinde Equites, qui uel singuli, uel terni tentorium habent. Etiam pedites habent propria tabernacula: id enim ex disciplina habent, ne quis sub dio cubet. Iturо exercitui stratores uiam faciunt, hinc inde collocantes aceruos lapidum, uel strues lignorum, ad indicium uiæ, adeò ut ne in tenebris quidem facile erretur. Mouent se media nocte, & usq; meridiem sequentis diei in agmine sunt. Inter equitandum rex in medio duorum Bassalarum cum illo colloquentes incedunt, quos præcedunt aliquot lenitserorum ordinis milites, in equis, ferentes candelas ardentes: & hoc fit tempore noctis obscuro. Deinde Tsaular, id est, Capitanei, clauas habentes ferreas, undiq; cuspidatas, pellunt homines à conspectu Regis, ad iactum, uel cursum sagittæ, ibi Sulihtarlarum, id est, stipatorum copia, inter quos currus cinædis pleni, in usum Turcæ, & procerum. Subsequũtur, & præcedunt iam dicti Duces cum maximo milite, equitum & peditum, & diuersæ conditionis hominum: alij habentes stipendia, alij quæstus gratia & lucri, masculi tantum, nullas secum ducentes mulieres.

*De uictura animalium.*

DEinde sequitur multitudo camelorum, mulorum, equorum (interdum solent & elephantes, eorum lingua Phil dictos, deducere) portantes uictualia, tentoria, & similia militi necessaria. Et ubi figitur tentorium Turcæ, ibi iam singula suo ordine tanquam in urbe parare debent. Ibi locus sartorum, pistorum, macellatorum: alij parant epulas carnium omnium generum: qui si non potuerint habere carnes recentes, tunc exponunt ea quæ ab animalibus uehuntur, uidelicet panes bis coctos, carnes siccas, Pastarma dictas, caseum, lac coagulatum. Sunt etiam patientissimi famis, sitis, frigoris. Rarò hospitantur in urbibus, sed in agris sub tentoriis, circa fœneta & riuos, maiorem gerentes curam animalium, quàm sui ipsorum, paruo & satis uili cibo contenti, uidelicet dicto lacte coagulato aqua temperato, & immisso pane, uel recenti, uel bis cocto, serui, pariterq; domini. Ibi silentium tempore noctis magnum, ut captiuos fugientes negligant, ne clamor excitetur, ob pœnam iniunctam: sed cum uadunt cubitum, & cum surgunt abire, omnes alta uoce clamant hæc uerba, ter repetentes, Allah allah allahu, id est, O' Deus.

*De iustitia exercenda in bello.*

TAnta seueritas disciplinę fit in bello, ut nemo militum ausit aliquid iniustè rapere, alioquin sine misericordia puniretur: habentur enim inter eos ordinarij custodes, siue defensores earum rerum, quæ in uia occurrunt militi, ut pueros octo uel decem annorum portantes uenales panes, oua, fructus, auenam, & similia. Tenentur quoq; defendere dicti præfecti hortos fructuum circa uiam sitos, ut nec ipsi audeant unum pomũ, uel huiusmodi simile, sine licentia possidentis carpere, alioquin & tales capitis pœnam luerent. Cum essem in exercitu Turcæ in expeditione contra Persas, uidi Tspahiam unà cũ equo & ministro decollari, quòd solutus equus arua cuiusdam ingressus fuerat.

*De festo celebrando ob uictoriam Turcæ.*

CVm renunciatum fuerit de uictoria, in omnem lætitiam sese effundunt ciuitates. Noctu autem sub primam facem, auspicantur triumphalem istam festiuitatẽ, funalia, cereæ tedæ, faces, ubiq; disponuntur, stragulis, aulæis, uestibus holosericis ædes uelantur, & uia qua intraturus est

Imperator

Imperator Turcarum. Triumphum autem uerum reportat Constantinopolim, ubi continuè residet, si non agit bellum in aliquas regiones. Legibus tamen tenetur tribus annis elapsis ipsemet suscipere expeditionem in regiones Christianorum, pro amplificatione regni, uel defensione.

*De uenatione eorum.*

NVlla natio sub sole tantum gaudet uenatione, quantum Turcica. Penetrant enim insequendo feras loca aspera & montuosa in equis, capientes diuersa animalia: & si animal extinctum à canibus suffocatum fuerit, illo non uescuntur neq; ipsi, sed nec Christiani inhabitantes illas regiones. Et si occidunt suem syluestrem, dant illum Christianis illarum regionum, quia Muslumanis prohibitum est uesci porcorum carnibus.

# DE OPERARIIS ET AGRICOLIS.

## CAPVT III.

OPPIDANI per seruos eorum agros colunt, decimã dependunt suo Imperatori. Opifices uerò artibus mechanicis se sustinẽt. Qui ocium colunt, fame contabescunt. Mercaturam quoq; strennuè exercent. Asiam minorem, quam nunc Natoliam uocant, Arabiam, Aegyptum peragrant, ad Venetos sese deferunt. Balnea in singulis ciuitatibus habent, ubi solenni more, bis, uel ter se lauant. Si reddunt urinam, mutonem lauant. Si uentrem soluunt, podicem abluunt: idem fit à mulieribus, quos sequuntur serui, uas aqua plenum gestantes: masculum masculus, & fœminam ancilla. Et cum exeunt lauatum, mulieres ungunt sẽ quodam genere unguenti, quod post mediam horam pilos cadere facit: uiri ipsimet radunt mutones, nec quouis modo sinunt crescere pilos, sed singulis mensibus bis uel ter ita faciunt, tam masculi quàm fœminæ: & maximè cum templa frequentant, alioquin ignibus (ut uiolatores sacri loci) traderentur. Habent etiã diuersos artifices, ut sartores, sutores, aurifi, argenti, & omnis generis metalli fabros, similiter carpentarios, pictores, lapicidas, sed nõ tam subtilis & præstantis ingenij, ut in istis partibus nostris.

*De iustitia apud ciues.*

IVdicem omnes habent eundem, tam Christiani, quàm Turcæ: ex Muslumanis tamen unum electum, qui ex æquo omnibus ius ministrare tenetur. Si quis occidit, ipse quoq; mortem subire debet. Si quis furatur, aut uiolenter rapiat, suspenditur: ut contigit lenitzero cuidam, qui mulierculæ cuiusdã portantis in forum uenale lac ebiberat, non soluendo precium, cum accusatus coram iudice negaret factum, pedibus sursum suspensus, chordaq; per medium ligatus, lac statim euomuit, atq; illico iudicio strangulatus. Hoc me præsente in Damasco contigit, cum ex Armenia Hierosolymam proficiscerer. Si aliquis adulterium commiserit, masculus in carcerem cõiectus, post aliquot menses pecunia redimitur: & mulier uidelicet adulterata, super asinam uicatim & plateatim ducitur, flagris cæditur denudata, & lapidatur uiscera bouis in collo gestando.

*De agricultura.*

TAm Christiani, quàm Muslumani, agros, uineas, & pascua colunt, habentes frumentum simile nostrarum regionum, tritici, milij, ordei, auenæ, siliginis, fabarum, & omnium generum legumina: insuper oryza in

abundãtia, lini, mali cotonei, plus quàm hæ regiones. Vineta quoq; utraq; gens possidet, fructu eius uariè utentes. Christiani uinum conficiunt, & Turcæ mel eorum lingua Pechmez uocatum, uuas passas quasdam ita medicantur, ut semper & uisu & gustu recentes appareant. has Vzum Tursi uocant. De fructibus in magna copia habent. Ibi peponum, melonum, cucumerum, suo tempore horti & agri repleti. Ibi nuces, poma, pyra, poma granata, nuces, castaneæ, ficus, cerasa, poma narranca, & alia id genus uili precio, sed nõ in omni regno. Sunt etiã loca ut passim in Cappadocia & Armenia minori, ubi nihil horũ (propter ualidũ frigus) possunt habere.

*De diuersitate animalium.*

HAbent opiliones Tsobanlar appellatos, hi semper in solitudine degunt, et ad pabulum singulis ferè mensibus sedes mutant, nullas prorsus domos, uel possessiones præter tentoria, & greges armentorum possidentes: sed pascunt camelos, mulos, equos, boues, oues, & hœdos: conficiunt caseum, butyrum: tondunt lanam. inde faciunt penulas Chepenech appellatas, tapetia: ea uendunt, & inde emunt frumentum, ad uictum suæ familiæ. Omnes prædicti dependũt decimas regi Turcarum, de omnibus quolibet anno creatis animalibus. Insuper Christiani sub tributo uiuentes, coguntur dare tributum, uidelicet de quolibet masculo unum coronatũ: & quod est crudelissimum, etiam filios omnes uxores nõ habentes, ui abripiunt, singulis quinq; annis perlustrantes domos eorum.

*De ædificijs domorum.*

IN ædibus non multa magnificentia, plerq; latericio opere constant, duplici ex materia. sunt enim lateres, alij fornacibus, alij sole excocti. Tecta cuneatim coëunt, quemadmodum hic, & hoc in tota Europa: sed in Natolia tecta plana sunt in modum tabulati, sine ullo fastigio, siphones, & canales aquæ pluuiam demittunt, quæ ad illos per cylindrum deuoluitur.

*De uestimentis eorum.*

CVltus illis ex materia lanæ, lini, & serici, satis magnificus, ueste Chatan uocata, utuntur, stricta, laciniosa, & usq; ad talos prolixa. brachas nostras detestantur, ut nimium pudenda exprimentes. Induvia Chumlech dicta, sudariola uiolaceo colore tingunt. caput illis aggestu pepli in turrim ædificatur, & in pyramidem turbinatur, & talis pileus Tulbent siue Csalma eorum lingua uocatur. Mulieres diutum uelata facie incedunt, nunquam alienis uiris uultum aperiunt, nunquam forum frequentant. Calciamenta Babucs uel Csisme dicta, tam uirorum quàm mulierum, in solo supactum habent, ut diutius illis uti possent.

*De cibarijs illorum.*

VTuntur & ipsi quoq; non pessimo pane Echmech dicto, nigro & albo, quemadmodum & nostrates: sed illi spargunt quoddam genus seminis Sussam uocata, super recentem, postea coquitur: quod tribuit magnam suauitatem manducantibus. quo nusquam utuntur nostri, præter in Hispania passim in quibusdam locis, uidelicet in regno Granaten. & circa Ciuiliam. In edulijs illis multiplex ars, & uaria conditura: cibus uerò maximè solennis est, puls ex oryza, ita addensata, ut partes inde manibus decerpantur. Piscium mira abstinentia. Carnibus omnibus utuntur, præter porcinis. Nullæ ibi tabernæ hospitijs designatæ, aut publica diuersoria, quemadmodum apud nostrates: tamen in plateis diuersa uenduntur cibaria, & alia huiusmodi ad uictum necessaria.

De potu

*De potu illorum.*

TRiplex illis potus: Primus ex ſuccaro, ab illis Secher uocato, aut melle diluto aqua. Tſerbth appellatur is potus. Secundus ex uuis paſsis, detractis acinis in aqua decoctis. additur deinde aqua roſacea, & aliquantulum ueri mellis. & hic potus Hoſſaph uocatur, & uenditur ubiq; locorum in Turcia: eſt enim dulcis & inflat uentrẽ. Tertius fit ex illo defruto Pechmez appellato, quod ex muſto factum, ſpeciem mellis præ ſe fert guſtu & uiſu. diluitur enim aqua, & datur ſeruis ad bibendum.

*De modo ſedendi & comedendi.*

CVm manducandum eſt, ſubijciunt ſtoreas Hactſer uocatas: deinde inſternunt tapetia, aut puluinaria. Alij in nuda humo diſcũbunt. menſa illorum Tſophra dicta, ex corio fit, & explicatur, & contrahitur, ut marſupium. Non aſsident noſtrorum more, nec diſcumbunt ueterum ritu, ut cubito innitantur: ſed decuſſatim, pedibus inter ſe complicatis more ſartorum. antequàm cibum ſumant, oratio præmittitur. Raptim comedunt, & magno ſilentio, interim omnes uxores in abdito tenent: ſerui uerò poſt duodecimum annum, non permittuntur domum (ubi mulieres ſunt) ingredi: ſed infra duodecimum annum pueri ingredientes & egredientes deferunt maioribus neceſſaria, qui in alia domo ſegregati procul habitant. Captiuę uerò non habent licentiam egrediendi foras, niſi cum mulieribus Turcarum cum uadunt in balnea lauatum, uel aliò extra urbem recreationis cauſa in hortos & uineas (quod ſæpe facere ſolent) ſed ſemper in domibus latitantes operantur. nec permittitur illis cum captiuis ſeruis cõuerſari. Dij boni, quis poſſet explicare aut deſcribere afflictiones & calamitates captiuorum, & ſub tributo Turcarum habitantium Chriſtianorum: aut quis poſſet enarrare crudelitatem, & turpiſsimos abuſus, tam in rebus ſecularibus quàm fidei Mehemmeticæ cæremonijs, prout legentes intellexiſtis de lotione & munditia eorum, in qua ſola ſperantes ſalutem ſuæ ipſorum animæ exiſtimant ſe conſequuturos, cum intus repleti omni ſpurcitia ſcelerum, Mehemmeto cæco duce, Deum irritant immortalem. Multa alia ex inſtitutione Mehemmeti debent ſtrictiſsimè obſeruare, quæ ſtudioſe omittenda duxi, ne minutiſsima quæq; perſequens, garrulitate ſtomachum lectori moueam.

FINIS.

# CHRISTOPHORI RICHERII GALLI,

## THORIGNEI SENONIS, CVBICVLARII REGII, *in suum de origine Turcarum & Othomani successorumq; eius imperio commentarium Præfatio, ad Franciscum Gallorum regem Christianiss.*

VEREOR, Christianiss. Rex, ne quis me temerè fecisse existimet, quòd tibi non modò amplissimo inuictissimoq; principi, uerumetiam eloquentissimo & historiarum scientissimo Regi, nostram de Turcarum rebus historiam ausus sim quasi consecrare. Quamobrem, quibus rebus adductus id fecerim, paucis explicabo. Videbam usque adeò te ardere amore scientiarum, ut non doctissimos solùm, quos habes apud te multos: sed etiam tenuiter eruditos, in quibus nomen profiteor meum, beneuolentia amplecterêre. Cogitabam apud me quę pręmia constituisses professoribus artium bonarum, & in quos honorum gradus extulisses eos, quorum uirtutem & doctrinam probasses. Animo repetebam, te authore, exarsisse studia literarũ, oppressam fuisse in Gallia barbariem, prodijsse qui linguam Latinam, qui Græcam, qui Hebraicam, qui poëtas, historicos, oratores, philosophos publicè interpretarentur. Extitisse etiam qui scriptis libris politioribus augerent eorum numerum, qui nomẽ suum immortalitate donassent. Animaduertebã certatim omneis aliquid offerre tibi scripti: neminem esse tam humilem, qui non se tuę humanitati committeret: nullum opus esse tam paruum & tenue, quod non aliquid speraret apud te loci. Putaui igitur mihi esse faciundum, ne solus ingratus uiderer, & eo magis quòd in numerum Cubiculariorum tuorum me recepisses. Itaq; primitias quasi frugum mearum obtuli tibi: maius aliquid allaturus, siquid agellus meus melius & præstantius tulisset. Semina mihi collegi ex Egnatio, Blondo, Platina, Riccio, Gaguino, Paulo Iouio, Andrea Cambinio, alijsq; multis, si non eloquentiæ primæ, maximę tamen fidei scriptoribus: ut quæ spar sa essent ac dissipata, in unum locũ mitterentur, quò propius uideri possent. Parum quidem cultus est hic ager, sed rerum frequentia copiosus. Primùm quæ sit origo Turcarum: deinde quas occupauerint sedes: postea Othomani & posteriorum imperium usq; ad Soleimanũ prę sentem breuiter dilucideq; narro. Quicquid est, hoc summitto iudicio tuo. Tum demum nonnihil esse existimabo, quum intelligam abs te omnino repudiatum non fuisse.

### DE TVRCARVM ORIGINE ET NOMINE, *quàm uariè scriptores opinentur.*

IN tradenda Turcarum origine nobili inter scriptores dissidio laboratur. Ortam à Teucris eam gentẽ plærique docent, non absq; sua ratione. Turcæ enim etsi uniuersam prope in Asiam & Græciam sunt effusi, tamen hodierno die eam præcipuè Asiæ minoris partẽ colũt, quam olim tenuere Teucri: & ubi quondam Troia illa Grecorum uiribus euersa, opum ui militiorq; claruit. Est & quod illos præterea moueat, proxima scilicet quædam nominum utriusq; gentis

gentis affinitas. Turcos nempe siue Turcas pro Teucris, & Turciam pro Teucria dictam fuisse putant.

Potens quidem argumentum, sed tamen leue his, qui Arabas, Saracenos & Turcas, unam esse nationem uolunt: huiusmodíq; nomen à Græcis inditum fuisse tum, cum factio Turcica primùm innotuit. Græcos nimirũ, cum nouum hoc religiosorũ hominum genus ludibrio haberent, déq; sua nota uulgo cõmendarent: ridiculè ipsos τὸς θεωρικὸς, quod tempore corruptum & incisum θερικὸς peperit, contemplatores, atq; adeò in cœlum raptos aiunt nuncupasse: abrepta hinc nominis occasione, quòd Mahumme des, sectatoreśq; eius, diuino se spiritu efflatos, oracula quoq; esse suas nugas iactitarent.

Appositè & hi satis ad rem: sed & non minus ab eis quàm ab illis differunt ipsi Turcæ. Quorũ aliqui gentis suæ strenuitate partam esse hanc appellationem gloriantur, seséq; initiò ob merita θερικὸς, strenuos ac bello potentes: annorum deinde lapsu θερκὸς fuisse nuncupatos.

Alij sectarium suum ueruecem Mahumedem in propaganda sua doctrina res supra omnem uim humanam, imò supra legem naturæ gessisse fabulantur. Quarum causa regio omnis, in quam Mahummedea lues primùm irrepsit, principiò θεργία, opus seruatoris, populus θεργοὶ: deinde θερκίαι & θερκοὶ, κατὰ θλίψιν καὶ μετάληψιν, dici cœpere.

## ARTIFICIALES MAGIS QVAM VERAS *esse has opiniones, quod́q; reuera Turcæ à Scythis oriundi, & nomen eorum uetus.*

VEri profectò simile aliquid habent hæ de Turcarum origine & nomine opiniones: sed mihi rem altius intuenti, commenticiæ magis inuentǽq; uidentur, quàm ueræ. Quarè & minori dignæ esse fide, quàm sit eorum mens, qui annales sequuti, memoriǽq; prodita monumenta, à Scythis oriundos faciũt eos populos, qui feris & incultis etiaḿ num moribus Asiam minorẽ tenent: & eos in primis, qui Turcæ uulgo appellati, Othomanorum legibus parent. Quos quidem Gelonis & Thussagetis proximos, principiò eam Scythiæ regionem occupasse ferunt, quæ Oceano septentrionali exposita, in hyperboreos montes incumbit.

Historiæ mundi scriptor Mela, cũ uicinos Tanai populos recenset, Turcarum natale solũ nomeńq; cõmemorat. Ripas eius Sauromatæ (inquit) & ripis hærentia possident: una gens, aliquot populi, & aliquot nomina. Primi Mæotici γυναικοκρατούμενοι, regna Amazonum. Fœcundos pabulo, ad alia steriles nudośq; campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant. Iuxtà Thussagetæ Turcǽq; uastas syluas occupant, aluntuŕq; uenando. Tum cõtinuis rupibus latè aspera & deserta regio, ad Arimphæos usq; permittitur.

Plinius quoq; gentes, quæ circa paludẽ Mæotida fusæ sunt enumerans, scriptũ Melę de Turcis quasi confirmaturus ait: Dein Tanaim amnẽ gemino ore influentẽ incolunt Sarmatæ, Medorũ (ut ferunt) soboles, & ipsi in multa genera diuisi. Primò Sauromatę γυναικοκρατούμενοι, unde Amazonum cõnubia. Dein Euazę, Cottę, Cicimeni, Messeniani, Costobocci, Choatrę, Zigæ, Dandari, Thussagetæ, Turcæ usq; ad solitudines saltuosis conuallibus asperas: ultra quos Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes.

Ptolemæus in Asiaticorum Sarmatarum descriptione, mentionem facit Tuscorum, quos docti eandem esse cum Turcis nationem cõiiciunt. Et in-

ter Caucasum montem (inquit) & Ceraunios Tusci & Diduri.

Cæterùm, mores ipsi atq; actio omnis Turcarum, corporis ornatus, modus equitandi, armorum & pugnæ, lingua & dialecti, omnino Scythica sunt. Quæ potentia sunt argumenta satis ad persuadendum, Turcas haud dubiè esse è Scythia oriundos.

Adde quòd eorum prima eruptio in Pontum & Cappadociam fuisse facta legitur. E' quibus locis serpsere sensim de populo in populũ, in Asiam usq; minorem, ubi in hodiernum diem mansere.

Cum ergo tam uenerandæ antiquitatis authoritatisq; uiri in ijs quæ de situ orbis scripta reliquere, Turcas in Scythis, eosq; hoc ipso nomine designent: cum porrò cultus populo utriq;, uox, gestus, incessus, ingenium, disciplina eadem sint: haud absq; ratione subscripsi potius eorum sententiæ, qui gentes quæ sub Othomanorum imperio Turcæ dicuntur, è Scythia deriuant, nomenq; ipsi comitem faciunt origini: quàm aliorum libidini, qui Turcas Teucrorum prolem, qui Arabas Saracenos fecere: aut in excutienda prima Turcici nominis institutione, & eo ipso pro arbitrio formando, supra modum se torserunt: quasi alio fuissent olim Turcæ usi, nuperq; ob eas, quas ipsi commentantur, causas, Turcicum fuisset illis impositum nomen.

## QVA PARTE SCYTHIAE TVRCAE *olim habitarunt.*

Quanquam tamen adhuc inter illos qui ex ueterum scriptis coniecturam faciunt, aliqua est contentio de loco: ubi præsertim habitarunt olim Turcæ in Scythia. Sunt enim qui eos in Europæa, sunt qui in Asiæ Sarmatia collocant. Sed Egnatius Baptista dissensionem componit in hunc modum: Turcæ partim Caspio mari proximi, qui Asiam Orientemq; uastarunt, Caucasiq; ueteres incolæ, qua parte ad Arcton uergit: partim inter Scythicas gentes relati, & Vnnici sanguinis, qui posteà Vngari dicti sunt, existimati.

## QVO TEMPORE, QVIBVS DE CAVSIS, *& qua regionis parte suo natali solo exierunt, quosq; primùm populos inuasere.*

TVrcarum nomine & origine descriptis, consentaneum uidetur exponere quo tempore, quas ob causas, qua regionis parte è suo natali solo exierunt: quos, deniq; populos primùm inuasere, in quo magna quoq; est inter scriptores contentio,

Tradidere Blondus Flauius & Platina, salutis nostræ anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Pipino in Francia regnante, suis eos primùm finibus ad nouas sedes quærendas, rerum omnium domi cogente penuria discessisse: ruptisq; montium claustris, in Asiam peruenisse expeditos: atq; Alanos initiò, pòst Colchos & Armenios, dein Asiæ minoris populos, Persas tandem ac Saracenos inuasisse.

Otho Frisingẽsis egestate quoq; domestica egressos, sed portis Caspijs, & quadriennio serius, Auarosq; euestigiò tentasse ac subiugasse meminit.

Martinus Segonius Nouomontanus causam eruptionis eandem: tempus, locum, impetus armorum diuersos commemorat. Cessisse enim patria sub annum Christi octingentesimum quadragesimum quartum, è portis Caucasi emersisse, in uicinas gentes, atque has inter in Armenios incursasse, ui deinde Asiam minorem occupasse.

Refert

Refert Antonius Sabellicus, fuisse in manibus sibi quendam Nicolaum Chalcondylem, qui Turcarum res gestas ab ipsa prima scripserit origine, memoriæq; prodiderit gentem hanc de se loquentem dicere solere, è Caspijs montibus pulsos à uicinis maiores suos, in Persiam & Asiam minorem descendisse.

Scriptum Zonoræ Græci, historiæ scriptoris, ex opere quod de Græcis Imperatoribus reliquit exscribens Egnatius: Siue igitur (ait) ueteres illi à Mela relati, siue recens aliquod genus hominum, eorum certè qui Caspij maris accolæ fuere, tenuissima memorantur primordia, & ut cæterarum gentium, planè obscura. Nam septingentesimum ab hinc annum, natali solo relicto, in Persidem atque Asiam minorem primum impetum fecere.

Scilix author Græcus, in sermone quem de Turcis instituit, non infœlix patrij soli ingenium, non horrorem, non rerum ad uictum necessariarū egestatem, causam facit eruptionis: sed famam quæ de illorum peritia militari percrebuerat. Cuius impulsu (Saracenis uniuersæ quidem Asiæ dominantibus, sed factionibus inter se distractis) Mauginetus Saracenus, Persiæ & Mediæ princeps, nationem hanc contra Imbraelem, Saracenum quoq;, Babyloniæ principem in auxilium euocauit.

Ex hac scriptorum contentione facilè est iudicatu, certò non esse compertum, nec qua tempestate, nec quo impulsu, nec quibus portis solo patrio eruperunt: neque adeò quas primùm gentes incursionibus fatigauere. Quanquam tamen ipsum tempus, causasq; eruptionis conciliare, factu non est difficile. Fortasse enim non semel, sed annorum uicibus, fortasse & principio coacti necessitate patriam deseruere. Adde quòd in noui domicilij conquisitione, dum ex alterorum incommodis sua comparant commoda, longo bellorum usu in re militari exercitj, gloriam nomenq; ex uictorijs adepti sunt, unde & à Maugineto contra Imbraelē hostem euocati. Quod uerò ad limitis, quo exierunt, impetumq; priorum fidem attinet: cum (si Ptolemæo credimus) Caucasus ad septentrionem, supra Colchidem, Iberiam, Albaniam, & mare Hyrcanū, infra hæc montes Caspij ad Austrum spectent: quî fieri potuit, ut emersio prima è portis Caucasi, prima item è Caspijs fuerit, nisi duplici exercitu? Meum itaque consilium est plures pauciorибus anteferre, inq; eorum sententiam concedere oportere.

## DE EORVM INCREMENTO, *& rebus bello partis.*

TVrcarum gente è suo ipsius natali solo euocata, & usque ad nouæ habitationis comparationem educta: rei gestæ series postulat, ut deinceps incrementum eius stylo prosequamur, ostendamusq; quibus artibus ac consilijs, ex uagis & erronibus, domini possessoresq; facti sunt tot prouinciarum, quas obtinebant in Asia cum imperio, iam tum cum Othomanus regnum in eos appetijt atque occupauit.

Ex quorundam scriptis habetur eos initiò, dum ruptis montium claustris in Asiam penetrarunt, paucos admodum fuisse: neque propterea ausos palàm populari, sed repentè inopinatis incursionibus ac rapinis insuetis, Pontum & Cappadociam, & omnem uiciniam diripuisse. Coactos tamen subinde periculi metu, quòd pauciores pluribus, extorres indige-

nis obijcerentur, in refugia se montium, syluarum ac saltuum latebras, & loca suapte natura munita, penecp inuia abdidisse: & obseruatis sedulò prę dæ furtiuæ occasionibus, rapto uictitasse. In ea uitæ difficultate tantisper mansisse, dum collectis uiribus, & acie cõscripta, ex omni prætereà numero delectis qui præessent, ausi sunt aperto Marte sæuire, atcp Colchos initiò, pòst Armenios, dein Asiæ minoris populos gladio ac igne uastare. Repentino atcp audaci & insolito incursu fractis Asiaticorum animis, barbaros facilè uniuersam regionem in suam ditionem redegisse, hiscp rebus gestis ut ciuitates inuasit timor, paucis admodum annis, non Pontum modò & Cappadociam, sed & Asiam quocp minorem, quam hodie Anatoliam seu Turciam de nomine uocant, in potestate sua posuisse: & lapsu temporis (magis fortasse ob paruitatem animi eorum quibus cum rem habebant, obcp Græcorum, sub quorum iugo erant, negligentiam, quam sua uel potentia uel industria) Bithynię, Galatiæ, Phrygiæ utriuscp, Pisidiæ, Cariæ & Ciliciæ imperium consequutos.

## TVRCAS MONARCHAM NVLLVM *habuisse ante Othomanum.*

HAnc rerum à Turcis gestarum seriem reliquere illi, qui eos suo natali solo ad nouæ terræ conquisitionem necessitate coactos exijsse prædicant. Cui addunt ad parta retinenda nullo Imperatore, nullo rege, nullo alio supremi magistratus titulo usos: sed designatis tantummodo pro factionum prouinciarumcp uarietate certis hominibus, qui res, qua prudentia ualebant, administrarent, ad Othomanum uscp, eum qui primus tyrannidem inuasit, integros mansisse.

## EVOCATOS È SCYTHIA IN AVXILIVM *à Maugineto Persarum principe.*

ALij, quorum scripta habent Turcas à Saracenis principibus è Scythia fuisse euocatos, in auxilium contra hostes, ob eam qua florebant rei militaris peritiæ famam: de eorum incremento secus multo commentantur. Primùm enim uictitare eos faciunt, bella sub certis militum ducibus gerendo: deinde ipsos sub aliquot principum regimen cogunt ante Othomannum.

Quia uerò Scilix inter omnes, & Egnatius Baptista rem hanc plenè & aptè complexi sunt, operæprecium fere putaui scripta eorum meis inserere: ut scilicet hac ratione de successu Turcico nihil quenquam lateat: &, cum nihil ultra desiderabitur, Othomani Turcicæ gentis Imperatoris primi cœpta, posteriorumcp res gestas, suo quæcp ordine disponam.

Scribit ergo Scilix in hunc modum. Quum Saraceni latè dominarentur in Asia, atcp inter se dissiderent: Maugnetus Saracenus, princeps Persidis & Mediæ contra Imbraelem etiam Saracenum, Babyloniæ principem, auxilia Turcarum accersiuit. Illi duce Mucalethe uictoria potiti, ad imperium Persiæ aspirare cœperunt, præsidiacp in Araxis ponte à Saracenis constituta, ne Scythæ transirent in Persiam, dum amouere conarentur, prohibiti manu ualida, duce Trangolipice contra exercitum Maugnetis ueniunt: ac tandem potiuntur totius Persiæ. Trangolipix Sultanus efficitur: ruptiscp Caucasi claustris, Turcos alios euocat, uicinis cp bellum suscitat. Babylonem Pisasyrio rege superato in potestatem redigit. Contra Carbassen Arabiæ principem bellum, primum per Cuelmanum legatum, deinde

deinde per Asanum fratris filium infœliciter gesit, amissis copijs ac profligatis. Verùm hi atq; alij huius nationis insurgentes, totam Asiam occupauere: atq; cùm Saracenis de una lege conuenere, cum prius uti reliqui Scythæ idola colerent. In sequentibus deinde temporibus, diuersi ex ijs duces ac principes, diuersa loca cæpere. Soleimanus Nicæam usq; ad Hellespontum & Tarsum Ciliciæ occupauit. Qui in prima expeditione Hierosolymitana expulsus à nostris cum tota familia fuit. Ducathes Damascũ regionemq; omnem Decapoleos subegit. Assungur Alapiam (quam nunc Alepum dicunt) olim Epiphaniam dictam. Anexianus Antiochiam cum modicis finibus. Nam Laodiceam usq; Syriæ, Calyphas Aegypti, è gente Saracenica, possidebat regiones. Post annos deinceps circiter octuaginta, regnante apud Hierosolymam ex nostris Almerico, Syracinus Notandini Damasceni principis dux, simulatione ferendi auxilij Calyphę Aegyptio, qui tunc à nostris oppugnabatur, eum obtruncauit, Sultanumq; se primũ Aegypti cõstituit. Huius Saladinus successor Hierosolymæ Syriæq; regnũ nostris expulsis in potestatem recepit. Processu denicq; temporis, & ipsi Saracenicum nomen ex Turcis, quòd inter Arabes uersarentur, usq; in hodiernum diem accepere.

Egnatius uerò de Turcis differens: Sed nec unus dux illis (ait) nec certum imperiũ: uagi dispalatiq;, quo ue cuiq; fors affuit, latrocinãtes magis quàm belligerãtes prouincias uastarunt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante, sub Muchumetio Saracenorũ principe meruere: quorũ præcipuè opera Babylonios Indosq; ille uicerit. Sed peperit his uirtus inuidiã, prohibitiq; ad sua redire, indignati primò secedunt: inde uno alteroq; prælio Trãgolipicis Mucalethij eorum ducis auspicijs fœliciter aduersus Saracenos gesto, tandẽ egregiè uincũt, Muchumetiumq; profligatũ acie obtruncant. Ex quo res Turcica ad Trangolipicẽ delata. Is alijs Turcis ad se accersitis, Cucumetium nepotẽ aduersus Arabas cum paratissimis copijs misit. Qui prælio ab his uictus, cum à patrono per summũ contemptũ exceptus esset, eius iracundiã ueritus, ab illo deficit, et Pasara Chorasmiorũ urbe munitissima sese includit. Trangolipix interea prælio genti funestissimo, in Mediæ finibus cũ Romanis, Asani alterius nepotis ductu conflixit. Quo uicto et cæso, indignatus ille, Aleimũ fratrem iterũ in Romanos misit. Qui egregiã uictoriã, capto Liparite Græcorũ duce, & cæsis etiã Iberis Romanorũ socijs retulit. Sed cũ Liparitem primũ, mox & dona à principe missa, facilè Turca reddidisset, nec præstarent Romani quod promiserãt, ingentibus copijs accinctus Trangolipix, Asiam omnem ad Euxinum mare, aut uastat, aut subigit. Variatum deinde in gente factionibus exortis ad Gallorum usq; memorabilẽ expeditionẽ, qua fracti ab illis sæpius, magna etiam imperij parte mulctati sunt, donec Othomanus, ab hoc Selimo, qui rerum nunc potitur, nonus, ueterem gentis gloriam asserere ausus est.

Ex memoratis cõstat planè qualia fuerint Turcicæ nationis primordia, auctus & progressus: sub quibus initiò præfectis, sub quibus deinde principibus uitam coluerũt, usq; ad Othomanũ. Atq; ut colligam paucis quod uolo: sole clarius est, Turcas in primis suis annis, populum non fuisse mementi admodum magni: sed uel fato, uel ducum suorum astu & uigilantia, uel, quod fidem propius est, eorum cum quibus belligerabant animi paruitate & defectu, nec non etiam Græcorum, sub quorum tutela erant, negligentia, in hodiernas opes creuisse.

Hæc

Hæc equidem, nec plura de priſcis Turcis eorumq; ducibus, atque ijs quæ ante adeptum imperium geſſerunt, literis mandata reperio. Iam uenio ad Othomanum, qui primus, paucorum neglecta potentia, monarchiam inuaſit. Rerum ab eo geſtarum filum contexam: & gradatim in occupatæ tyrannidis ſucceſſores deueniam.

## QVI OTHOMANVS MONARchiam uſurpauit.

SEd antè quàm natales eius uerſutiamq; ingenij, qua ad ſummum populi regimen euectus eſt, exponam: facturus operæprecium uid eor, ſi ea referam, quæ ex lazigum genere quidam, parum quidem latinè, ſed tamen diſertè prodidit, in eam ſententiam.

Anno à ſeruatore noſtro ſupra milleſimum & ducenteſimum, exijt in prælium ab Auſtro princeps, cui uulgo magnus Sultanus nomen fuit: totumq; Orientem frequenti exercitu ad mare uſq; perdomuit. Is, cum regionem quam ſibi ſubdiderat, amœnam quidem fœcundamq; eſſe, ſed nimium latè patentem, atq; ideo conſeruatu difficilem iudicaret: partiri eam in ſeptem prouincias uoluit. Quibus ſingulis ſingulos duces præfecit, uiros numero ſeptem, quos authores itineris, periculorum conſiliorumq; ſocios, uictoriæ comites habuerat. Nomina eorum fuerunt, Othoman Beg, quod perinde eſt ac præfectus, gubernator, dux aut dominus Othomanus: Erman beg, German beg, Czarchan beg, Auding beg, Menthesſe beg, & Caraman beg. De quibus appellantur etiam num hodie, ipſarum prouinciarum incolæ, Othomaneli, hoc eſt Othomani filij ſeu poſteri: Ermaneli, Germaneli, Czarchaneli, Audingeli, Menthesſeli, Caramaneli. Suam quiſq; prouinciam tenuit animo quieto diu. Primus omnium Othomanus pacem noua imperij cupiditate ſuſtulit. Primus ditionis ſuæ fines proferre aggreſſus, bella ſocijs mouit: domitisq; proximis, cum acceſſioneuirium fortio rad alios tranſiret, & proxima quæq; uictoria inſtrumentum ſequentis eſſet: omnes præter Caramanum, (qui tam finitimorũ, qui ad eum profugerant, ope, quàm ſuæ prouinciæ acceſſu natura difficili reſiſtebat) ſubegit, eq; ſtatu ac poſſeſſionibus depulit.

Iam, ſi fidem teſtimonio huic tribuimus (exiſtimo certè eſſe tribuendam: nam qui id perhibuit, refert ſe Mullenbachi in Vngaria literis incumbentem, natum annos circiter ſexdecim, à principe Turcarum Amurathe bello captum, nec non & in Turciam abductum, ibi ſeruitutem duos & uiginti annos ſeruijſſe. Quo perpetuo tempore cùm uerſaretur cùm Turcis, rem ſanè hanc plenè didiciſſe potuit) ſi (inquam) teſtimonio huic fidem tribuimus, ipſos iam ob oculos eſt, qua uia primus Othomanus imperij maieſtatem uſurparit. Nunc demum ad genus eius moresq; tranſeamus.

## OTHOMANVS.

FVit Othomanus loco natus obſcuriore, & tenuibus fortunis domi: ſed tamen ingenio fœlici, cautus homo, diligens, ambitioſus, præfecturas ſemper & regna cogitans. Eius diſciplina, & conſilia, & magnæ uirtutes tantum excelluerunt, ut pauculis annis, nobilioribus Turcis æquaretur: eaq; de cauſa, uereri illum, ac in honore habere inciperent tanquam paratum & facilem quarumlibet rerum ãdminiſtrum. Per id tempus accidit, ut prouinciæ Aſiaticæ diſſidio inter ſe contenderent: utq; latentes in præfectis earum ſerperent inimicitiæ: quas componere extra

ſpem

spem erat ambientibus primas singulis. Hos tumultus Othomanus cum præsensisset, fortunæ melioris principia fecit: ut qui ex ista prouinciali-um, satraparumq; dissensione euentum nonnisi prosperum sibi promitte-ret. Ergo discordias & factiones alere: modò his fauere, modò illis: de-bilioribus semper aduersus potẽtiores opitulari: singulos sibi opera ac be-neficentia cõciliare. Quo ipse actu paulatim dissipata, fractaq; multorum potentia, in tantam de se existimationẽ illos induxit, ut uelut superioribus beneficijs uicti & obligati, (nam singulos afflictis rebus adiuuerat) pri-mos honores nulla intercessione quasi suo iure prẽripientem ferrent. Qua quidem in re Fortuna cum eo tam benignè indulgenterq; decidit, ut non ita multo interiecto tempore, salutis nostrę anno circiter millesimo trecen-tesimo, Philippi Pulchri quintodecimo, unus impunè inuitis omnibus summam imperij, quod antè partitum tenebant factiosi magistratus, occu parit, sesecq; Asiæ minoris siue Anatoliæ Imperatorẽ nominare sit aggres-sus. Ad hæc suscepta insignia foris nihil lentius imprudentius'ue agens, quàm antea domi priuatus solebat, magnã Bithynię partem (conatui eius fœlicem occasionem prosperosq; successus dante Christianorum discor-dia) subegit, Syuam (quæ eadem cum Sebaste est) expugnauit, & oppida ad Euxinũ posita nõ pauca cepit. Affecta iam ætate fato concessit. Philippi Valesi regis anno primo, & CHRISTI Opt. Max. millesimo trecentesi-mo uicesimo octauo, cũ iam ipse octo & uiginti annos in imperio fuisset.

ORCHANES.

EIVS filius Orchanes à pueris ea semper indole morumq; præstantia fuit, ut facilè in demortui locum cunctis populi suffragijs sufficeretur. Necq; omnium quisquam noua dignitate auctum in aliquo mutatum sen-sit: tantumq; abfuit, ut à patre in peius degenerasse uideretur, ut illum etí-am magno uirtutum cumulo, & regendi imperij singulari disciplina lon-gè superaret. Cuius rei certum documentum extitit, quòd hæreditarium splendorem non modò integrè conseruauerit, uerumetiam spacio tempo-ris eundem pluribus ornamentis illustrarit. Hunc enim fuisse nõnulli præ dicant, qui Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam sub imperium suum subiunxit: qui Hellesponto atque Euxino ditionem suam terminauit: qui Prusiadem (quam nomine uariato & Bursiam & Prusiam dicunt) regum Bithyniæ sedem primariam ui cepit, accepto inter obsidendum graui uul-nere, quo postea interijt. Eundem quoq; esse autumant, qui Cantacuze-no & Palæologis fratribus de Constantinopolitano imperio contenden-tibus, ipsi Cantacuzeno cum ingenti exercitu in auxilium uenit. Sunt qui filio eius Amorathi hæc concedunt: qui patri post duorum & uiginti an-norum regnum mortuo successit, ad Ioannis Philippi filij primos dies, An no à CHRISTO nato millesimo trecentesimo quinquagesimo.

AMORATHES SIVE
*Amurathes.*

AMORATHES cum animo esset non minus industrio quàm superi-ores, sesecq; atq; illis dignum aliquid edere summopere cuperet: ex-emplo eorum (tametsi corpore minus ualeret) cepit statim dignitatis suæ peruigilem curam habere. Ea de causa latis, in populumq; datis certis legi bus, prouinciam legit & locum in sedem principarus: quo pronum ac fa-cilem ad sese aditum singulis præstaret, & amantissimi suorum principis munia obiret uigilanter, Bursia in hoc perplacuit, oppidum in radicibus

Olympi

Olympi montis & opere & natura eximiè potens. Annos ibi non paucos ad ueterum Bithyniæ regum æmulationem, curandis suis rebus populoq; componendo ac ærario cumulando transegit: neque interim animo erat adeò sorte sua contento, ut nõ interdum de propagandis regni finibus cogitaret. Ecce interea principes Græci in maximã cum Imperatore suo Cantacuzeno discordiam labuntur. ferro partes decernendũ putant. Viribus illi inferiores, Marcũ Crayreuicum Bulgariæ, (quæ & Mysia dicta est) principem in auxilium assumunt. Contrà, Imperator legatos ad Amorathem unà cum pecunia non mediocri subsidium petitũ mittit. Ab eo duodecim Turcarum millia impetrat: qui in Marci cæterorumq; rebellium oppressione Imperatorem alacriter iuuerunt. Eo beneficio aut etiam talium hominum usu pellectus ipse, parta uictoria, quinq; ex illis millia in supplementum præsidij Græciæ retinuit, reliquos in Asiam multis muneribus ornatos remisit. Ex quibus Amorathes ut audijt imperij Græci præstantiã, utq; ipsi Imperatori pessimè cum suis cõueniret: opis denuo adferendæ illi specie, potiundæ tamen Græciæ animo, ad transuehenda Turcarum millia sexaginta pacto in singulos nummi unius aurei naulo. Genuensium nauibus usus, Hellespontum ad Abydum superat, & exinde Græciam hostiliter uexare aggreditur. Sed cũ eos impetus iuuandi Imperatoris & animaduertendi in eius inimicos gratia fieri ementiretur: tamdiu Græcos in dissidio continuit, quoad uiribus neruoq; belli pecunia exhaustos, omni subsidio destitutos, expugnatu faciles reddidit. Nactus deinde eam fortunam, in ipsum quoq; Imperatorem inexpectatò grauem impetum facit, & Callipolim ad fauces angustiarum Hellespontí positam, quòd eam munitionibus tutam, & ad omnem euentum commodam esse didicisset, festinanter inuasit. Cumq; agitaret animo uniuersum Græciæ imperium, fabricatis celeriter, & collocatis ibidem nauibus multis ad militẽ ab Asia in Europam transportandum, & aucto in immensum ea ratione exercitu, in Græciam formidabilis irrumpit. In cuius expilatione cum occurrentes sibi hostes acie deleuisset, Hadrianopolim Philippopolimq; unà cũ pleriscq; alijs oppidis occupauit. Ex ea tum primùm uictoria Turci Rhomaniæ (quę prouinciæ Thraciæ pars præcipua est) maiorem partem fecere suam. Verùm non alienum ab instituto fuerit, hoc loco dicere, quibus Thracia olim terminis fuerit. Fuit profectò non mediocriter fusis. Ab una parte orientem uersus, ad usque Pontum Euxinum & Propontidem trahebatur: à Meridie, mari Aegeo, fluuio Strymoni, & Macedonię coniuncta: Danubio à Septentrione: ab Occidente, Pæoniæ montibus, Pannoniæ & Sao amni confinis erat. Ea cõprehendi uolunt utramq; Mysiam, Seruios scilicet & Bulgaros. Post quos usq; ad Hellespontí angustias, locorum maritimorum quicquid Meridiem spectat Græcis frequens, id omne hodie Rhomania est. Ex ea Amorathes in Seruiam ac Bulgariam delatus, Lazarum Seruiæ, & Marcum Bulgariæ coniuratos principes in campis Cassonijs profligauit. Eodem conflictu, à seruo trucidati Lazari dominum ulciscente sub inguine confossus ipse extinctus est, cum tres & uiginti annos impetrasset, Carolo quinto Francis imperante.

## SOLEIMANVS ET BAIAZETHES: SIVE BASAIthes, Paẓaithes uel Paiaẓethes.

HVic uixdum parentatum erat, cum superstitem patri Soleimanum hę reditariæ dignitati eripuit æmulus frater Baiazethes. Is eo flagitio factus

factus bonorum omnium hæres, uir impiger animiq; maximi, statim ab accepto imperio rebus Asiæ constitutis, traiectisq; in Europam nouis copijs, in Bulgariam aduersus Marcum Crayreuicum proficiscitur: quo quidem prælio superato atq; occiso, magnam eius prouinciæ partem sibi cùm defectione, tum expugnatione subegit. Pugnam deinde aduersus Græcos maturè instaurat, in qua euentus adeò prosperos habuit, ut de Rhomania quoquo uersum nihil Græco Imperatori præter Cõstantinopolim reliqui faceret. Nec tanta uictoria cõtentus, in intima Græciæ penetrauit, & Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, Atticã penè totam (solis incolumibus Athenis, quę situ difficili ac muro densè in multos pedes constipato circumseptæ, sęuitiæ hostili restiterunt.) Ad hæc Macedoniam unà cum Pæonia & Paphlagonia subiugauit. Agmine demum illinc in Bossynam & Seruiam deducto, infinitam hominum ac pecoris multitudinem abegit. In Rhomaniam deinde reuersus, Constantinopolim graui presit obsidione. Neque dubium est quin eam expugnasset, & Turcis uniuersæ principatum Græcię adeptus esset, nisi quidam Tamerlanes Parthus obscurus quidem genere, sed institutis reipublicæ ac militia præclarus, repentino in Asiam minorem descensu, à proxima uictoria tam efferatum hostem auertisset. Cui reprimendo ne longius promoueret, aut potius fugando, Baiazethes soluta obsidione & castris in Asiam motis occurrit. Nec ita multo pòst in finibus Armeniæ minoris ad Stellam montẽ (ubi olim Pompeius unà cum Mithridate signa contulerat) tam iniquo Marte congressi sunt, ut Baiazethes cælis suorum ducentis milibus, coniectis in fugam reliquis, ad tantæ cladis accessionem equo deiectus in Tamerlanis hostis infestissimi potestatem uiuus deueniret: & cauea inclusus, populis quibus imperarat, monstrandus traheretur. Memoriæ proditum est miserum Turcam infra mensam Parthi uictoris quoties hic epulabatur, aureis catenis reuinctum locari, & ibidem ad domestici canis similitudinẽ ali consuesse: Tamerlani porrò in equum ascendenti eundem humi procumbentem scamni loco fuisse. In quo squallore ac miseria mansit infœlix, quoad diris animi & corporis cruciatibus extenuatus, sex & uiginti annorum Imperator, dignum scelerato principio exitiũ finemq; imperij sustinuit, Anno à partu Virginis millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, Caroli sexti octauodecimo.

## CYRISCELEBES, SEV CALAPINVS.

Liberi eius, Cyriscelebes, siue (ut quidam uolunt) Calapinus, Moses, Mahummedes & Mustaphas, paternæ calamitatis exemplo admoniti, Asiaq; prorsus à Tamerlane spoliati, cũ trepide in Græciam refugissent, excepti sunt fuga ab his Græcis qui in Hellesponto explorabant, & ad Imperatorem Constantinopolitanum pro singulari præda deducti. Quorum ipse (ut clemens & lenis erat) miserorum fortunam non grauare, sed eos potius nullo uitæ possessionumq;, quas in Græcia pater eorum congesserat, periculo, apud se saluos custodiri, regieq; educari uoluit. Postea morte Tamerlanis audita, misericordia Imperatoris Constantinopolitani, ac clementia solutus natu maximus Cyriscelebes, in Asiam discessit. In quam subitò magna populi beneuolentia receptus, patrimonium integrè recuperauit. In suas deinde Græcas possessiones opportunè redijt. E' quibus cum soluisset, arma in Hungariam traiecturus, eiq; Sigismundus rex occurrisset cum Franco equitatu (quem sub præfectura Ioannis Nouiodunensis eius qui Burgundionum duci patri succesit, à Carolo sexto in auxilium

contra Turcas obtinuerat) ad Nicopolim ijs animis utrinq; concertatum est, ut dubia primùm uictoria, deinde in Turcas numero plures inclinãte, nostri ad unũ turbatis ordinibus, & uersis in fugam Hungaris, aut cęsi sint, aut capti. In captiuis fuit Ioannes ipse unà cum uiris principibus Guidone Trimollio, Io. Viennensi, Philippo Artheſio, Bucicaldo militiæ Gallicæ præfecto, alijsq; id genus &c. nõ paucis: qui ad Cyriscelebem, fugiente interim Sigismũdo, pertracti, seruati sunt, & aliquanto pòst ducẽtis aureorũ millibus redempti. Verùm cæteri nostri grauis ac leuis armaturæ milites, qui periculo se belli eripuerant, immaniter cõfecti sunt. Victor postea Cyriscelebes capto belli in Seruiã trãsferendi cõsilio, quum fines eius infesta re ac depopulari contenderet, & eo incõsultius accederet, morbo correptus animam egit.

ORCHANES CYRISCELEBIS.

ORchanem Cyriscelebes etsi unicum imperij hæredẽ reliquerat, non tamen opulenti patrimonij usum ac delicias attigit. Ad gubernacula enim Reipub. cum paucorum studio atq; opera conaretur admitti, patruus eius Moses, conciliatis sibi multorum animis, prærepto imperio, filium fratris primo quoq; tempore iugulandum curauit.

MOSES.

SEd & ipsi dignũ illo parricidio exitium prope diuinitus allatũ est. Nam cõparatam nefariè rem ac dignitatẽ cũ fratri Mahũmedes inuideret, & dulcedine imperãdi uehementer caperẽt, interceptũ Mosem uita simul bonisq; priuauit. Hęc scelera omnia proximũ à Cyriscelebis morte biennium tulit, cum ipse post Baiazethem patrẽ biennio quoq; tenuisset imperium.

MAHVMMEDES.

SVnt qui Mahummedem, nulla prorsus de his facta mentione, more Baiazethis factum Imperatorẽ putant, & ea quæ de Cyriscelebe feruntur, huic uni attribuunt. Cæterùm Vualachos Mahummedes Danubio traiecto ac Bulgaros ferocissimas Thraciæ gentes uarijs prælijs & cladibus afflixit. Nec prius ab ea uexatione manus continuit, quàm afflictos populos; sibi magnum tributum quotannis pendere compulit. Arma deinde uertit in satrapas Asiæ, quos cum deuicisset, alios quidẽ pecunia multauit, nihil generis propinquitate commotus: alios ut Caramanum satrapam Ciliciæ, & Asmanum eius Armeniæ, quam Euphrates aluit, integros atq; incolumes, fortunis quoq; nulla ex parte diminutos seruauit. Reuersus in Græciam, Hadrianopolim sedis imperatoriæ loco habuit, pulsis illinc, aut ad internecionem cæsis quotquot intus Christiano insignitos nomine, ac sacra pios religione deprehendit: nec diu post ea uixit. Oppetijt anno tyrannidis suæ decimoseptimo, & nostrę instaurationis millesimo quadringentesimo decimoquinto, Anno imperij Caroli sexti tricesimoquinto.

AMORATHES.

AMorathes ordine successionis, imperij declaratur hæres. Hunc etiam impuberem, magna rerum gerendarum fœlicitas sequuta est, & Imperator Mahummedis patris non modò nomẽ ac gloriam præclarè gestis, uerùm etiam maiorum, quotquot illum antecesserant, memoriã longè superauit. Hic tum, cũ pater excesset, præerat Anatoliæ, ab ipso ad sustinendos hostiles impetus tutamq; regionis administrationem delegatus. Nuncium sue orbitatis illic accepit citius quàm incommodę paternæ ualetudinis. Quo casu perculsus, maturat ab Anatolia proficisci, & quàm maximis

itineribus

itineribus poteſt in Græciã contendit. Itaq; paucis caſtris ad urbem Chalcedonem peruenit. Vnde cum in Europam exire ſtudioſè cuperet, & uelis equisq; in Græcam ſuam rem conuolare, ad iuſta, ut palàm dictitabat, paterno funeri honorificè perſoluenda, reuera quòd præſentia ſua uel conſeruatum iri, uel ſi alienatum eſſet, iam recuperatum patrimonium confidebat: nunciatur per exploratores Helleſpontum claſſe hoſtili teneri, Conſtantinopolitanumq; Imperatorem inſidias parare: & ſiquando ſe in uiam det, uiolentas manus allaturum. Nec falſus erat is nuncius. Nam Conſtantinopolitanus cum Muſtaphæ Baiazethis filiorum quarto ad imperium ſuffragaretur, & illum in patris fortunis collocare ſummopere ſtuderet, ad mare proruerat, ut filium fratris eius Amorathem depelleret. Ea de cauſa egredi in Græciam conanti tandiu obſtitit, quoad collatis uiribus Turcos infenſiſsimè conflictatos, & Muſtapham eo prælio præter opinionem ſuam confectum, fuſis proſtratisq; omnibus eius copijs intelligeret. Nullo poſtea negotio Amorathem regni potentem fecit ea de patruo uictoria. Sed iter in Græciam faciens, omnem operam ac curam in ultionem iniuriarum contulit. Prouincias ergo finitimas adoriri, prouinciales in ſeruitutem abſtrahere, agros uaſtare, oppida paſsim urbesq; (quas interfuit, quæ in ora Macedoniæ ſita eſt Theſſalonica) obſidere, expugnare, diripere, demoliri. Conflata ea & tyrannicæ crudelitatis labe multorum maleuolentia, cum nuſquã ſatis tutus eſſet, ad eas ſuſpiciones tollendas & tuitionem ſui, cuſtodia ſibi opus eſſe credidit. Ergo conſcribit peditatum qui ſe armatus circumeat ſemper ac tutetur: nec in eum quoſuis homines conijci uult, ſed eos ſolum qui abnegato CHRISTO, quem antea profitebãtur, Mahummedeæ ſuperſtitioni ſe addixerant, quos Ianitzaros uocat. His munitionibus in Epeirum, (quæ recentioribus Larta nuncupatur) irrumpit, ac mox in Aetolorũ patriam penetrans, eas agri pellectus bonitate ſuas fecit. Quarum tam illuſtrium, cõmodarumq; rerum acceſsione auarior factus & ambitioſior, irruptionem extemplò fecit in Illyricum, quod hodie Sclauonia dicitur, & Dalmatiã in ſe, Croaciam, Iſtriam ac Liburniam complectitur. Id fæuus peruagatus eſt magno incolarum detrimento: nonnullis etiã expugnatis arcibus, & abacta hominum & pecudum numeroſa multitudine. Turcicę porrò nationi cũ liceat plures ducere uxores, Georgij Seruiorum principis filiam ſibi matrimonio iunxit. Sed paulo pòſt affinitate iſtiuſmodi pro nihilo habita, armatis multis hominum millibus, Myſiam, aut, ſi quis ita appellare malit, Seruiam, impetijt. Socer militeatq; opibus inferior, pugnæ genero poteſtatem non fecit: ſed impoſito Synderouiæ urbi præſidio, filiorum quidem unum in ea reliquit: ipſe uerò trepidus cũ uxore ac liberis & familia, in Hungariam aufugit. Amorathes fuga ſoceri nobiliſsimis oppidis Scopia, Sophia, & Nouomonte, Myſia denique in integrum potitus, ad ultimũ Synderouiæ caſtra admouet, & eam pauciſsimis diebus expugnat. In cuius expugnatione cum relictus ad defenſionem urbis uxoris frater irrumpentem hoſtem effugere nequijſſet, tantum abfuit ut eum affinem Turca recognoſceret, ut ambobus oculis orbatum, conjectũq; in uincula, nulla uel humanitate motus, uel propinquitate, quácunq; ibat in contemptum ſoceri, miſerum ac innocentem inuenem ſecum populari ludibrio pertraheret, ipſo interim ſocero perpetuo exilio multato. Expeditionem denicq; in Hungariam cogitans, cõſtituit apud ſe priùs quàm quicquã moliretur, aut occupandã eſſe omnino Græciã, aut ſaltem ita cum

reliquijs eius agendum, ut sibi in posterũ absenti obesse non possit. Ea ratione in Peloponnesum, (quam uulgo Moream appellitant) deductus, superato Hexamili siue Esmilię muro, qui in Isthmo positus id cõtinentis interuallũ claudit, quod Aegeum ab Ionio disterminat: fusoq; ac cæso omni eius præsidio, prouinciam, etsi æquoribus superioribus circundatam, uniuersam in suam ditionem redegit. Atticam deinde eadẽ uia bello capit, & de Athenis cum principe earũ natione Ligure paciscitur. Compositis Grę ciæ rebus, ad oppressionẽ Hungariæ animũ adijcit. Ad quod peragendũ, cum quæ exercitui opus essent compararet, nunciatur Christianorũ in Turcas grauem undequaq; tumultũ excitari, Hũgarosq; unà cum ipsa uicinia iamiam euocatos in Græciam irrumpere. Quamobrem apparatum ut potest accelerat, & designatis ut erat casuũ prudens ac prospiciens, præfectis prouinciarum, qui metu iniecto, Peloponnesiacorũ atq; Atticorũ cõspirationes defectionesq; amolirentur, descripto etiã centũ millium hominum exercitu, rectà in hostem pergit. Ocyus fama tam fœdam tempestatẽ infert Hungariæ, & inexpectatò inerme regnum tantis furijs adoritur, ut nihil ei non cedat omnia uiolanti sacra simul & profana. Processisset haud dubiẽ longius: sed pressus annonæ caritate, receptui canere coactus est. Non abs re fuerit hoc loco meminisse hũc esse Imperatorẽ Turcarũ, aduersus quem Eugenius quartus Romanorũ pontifex Iulianũ Cæsarinum Cardinalem legatum misit armatum. Qui Cæsarinus cum Ioanne Huniade Vuayuoda militiæ Hungaricæ præfecto, collatis in unum copijs cõiunctus, facto in Turcæ fines incursu, cũ iam satis promouisset, Sophiã castris hostilibus circumuenit, et obuios sibi, seq; lacessentes, Turcas frequenti conflictu fudit. Quæ uictoria decennalium inter eos induciarũ causa fuit. Sed armis deintegro Pontif. hortatu prẽter iusiurandum resumptis, commissoq; ad Varnam, quondam Dionysiopolim, certamine, nostri uicissim fusi prostratiq; sunt, uno Huniade Vuayuoda incolumi, Ladislare Polonorum rege interpugnandum occiso, Cæsarino autem inter fugiendum miserrimẽ à fugitiuis gregarijs interfecto. Tantis totq; uictorijs elatus Amorathes, iter Hadrianopolim releuandi animi reficiendarumq; uiriũ gratia instituit. Ibi singulari rerum omniũ tranquillitate fretus, uota quęcunq; aliàs Deo immortali uouerat persoluit: Mahummedẽ primogenitũ celebri Bassarum procerumq; assensu, populi autẽ insolita contentione, imperio præficit. Eundem postquam in sedem collocasset imperij, fidei ac tutelæ Callij Bassæ purpurati senis nulli sociorũ prudentia atq; opibus secundi commisit. Postremò se ad otium uitæq; delicias capessendas in Asiã contulit: ubi non ita multò pòst uita functus, Prusiade cũ maioribus æquè regiè atq; honorificè sepultus est, Anno imperij sui tricesimo quarto.

## MAHVMMEDES.

MAhummedes nullo maiorum industria, cautione, gratia, nouãdisq; rebus inferior: in ipsis primæ militiæ rudimentis lectissimũ quemq; ac probatissimũ ducem patris Amorathis beneficio ac pietate quasi doctorem habuit. Imperium suscepit uixdum in pubere ętate constitutus. Cuius quidem suauitate, inusitataq; uitæ licentia delinitus, statim ab initio facilè sibi persuasit nemini unquam quicquã diuinitus concessum fuisse ea dignitate atq; potentia aut splendidius, aut fœlicius, aut sanctius, aut quod plurium inuidię magis obnoxiũ sit. Quare omni tutela tanquã seruitutis iugo à se reiecta, liberum imperij moderamen suscipit. Nouas leges promulgat.

Quædam

Quædam placita maiorum improbat & antiquat. Ad ærarij acceſsionẽ uectigalia auget. Ianizerorũ ordinẽ equitatu adhibito plenioręm facit. A' Baſſis atq; alijs qui uiuo patre præfecturas obtinuerant, rationes expoſcit: pleroſq; eorum uita multat, pecunia non paucos. Ad hæc cum fratrem nomine Calapinum ſeu Turſinem adhuc infantem nondum bimum domi haberet, quem ſibi nimis grauem ac ſuæ incommodũ libertati, & hæreditati inhiantem ſuſpicaretur: eumq; idcirco magno ſtudio tollendũ curaret: poſt breueis inſidias puerũ, dulces uiduæ matris delicias, immaniter extinctũ, matri nihil tale à filio in matrem, à fratre grandiore in paruulũ fratrẽ patratum iri ſuſpicatæ obijcit, ut ea ſcilicet orbitate filij, collectã demum charitatem maternã, in ſe unum ac ſuæ proſperitatis incrementũ prouocaret. Deinde uerò ætate ſenſim maiorum ſuorum res præclarè geſtas edoctus, tantundem illis gloriæ inuidens, quantum ipſe audendo adæquare nõ poſſet, eleuato ſæpius Baiazethe, qui obſeſſam diu Conſtantinopolim cum tenuiſſet, ea tamen potiri nunquam potuiſſet, eam tum primùm uictoriã in animum ſuum inducit, perpetuam ex euerſa Græci Imperatoris ſede, nominis celebritatem, firmamq;, ſtabilem ac legitimã Græciæ monarchiã ſperans. Itaq; habito equitũ & peditũ delectu, et multarũ omnis generis nauiũ claſſe ordinata, diurnis nocturnisq; itineribus Byzantium proficiſcitur. Quò cum peruenisſet ad ſextũ Cal. Maias, ingẽtes copias muro admouet, & urbem iteratis machinarũ muraliũ ictibus ferire, ciueis crebris terrere oppugnationibus, omnia quæ ad uictoriã cõducerent, experiri aggreditur: perſtatq; tamdiu in oppugnando, quoad longiſsima debilitatã obſidione expugnat, Anno ſalutis noſtræ milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimo ſecundo, Caroli ſeptimi triceſimotertio. Ad quam calamitatem acceſsit indigniſsimus Conſtantini Imperatoris exitus. Quem quidã capite truncatum fuiſſe, genere eius omnino uel exilio, uel morte ſublato, alij in media ſuorũ fugientium turba, cum ipſe quoq; fugeret, decidiſſe, et certatim curſu erumpentium concuſſum, contritũ, interemptumq; fuiſſe tradunt. Hæc pariter uictoria mortem Callio Baſſę tutori attulit: nempe Mahũmedes pecuniæ, quam Callius ingentẽ poſsidebat, utendæ cauſa, proditionis inſimulatum oppreſsit. Eadem etiã effectum eſt, ut quicquid locorũ ubiuis Græcię Conſtantinopolitano imperio ſubditũ erat, id omne ad Mahũmedem, audita Byzantij expugnatione deficeret. Supererãt Albania, Peloponneſus, & Acarnania. Quæ prouincia nuper audita Chriſtianorũ conſpiratione in Turcas, & proximo eorundẽ in Græciã aduentu, renunciata etiam morte Amorathis, acceptoq; filij eius Mahummedis imperio præmaturè rebellauerant, alijs interim regulis morem gerentes. In eas paulo pòſt omnẽ belli impetũ transfert, atq; Albaniã primò (quæ ea pars eſt Macedoniæ quæ in occidentem uergens, à Dyrrachio ad antiquam ciuitatem Apolloniæ pertinet) ingreſſus, ingruentibus undiq; malis afflictã & perditã, uectigalem facit. Mox facto in Peloponneſum impetu, uniuerſam prouinciã ſibi ſubijcit. Eſt autem Peloponneſus Greciæ pars nobilitate & potentia nationum ac populorum qui in ea antiquitus habitarunt, longè omnium clariſsima: cuius ſitus ſolo aſpectu facilè principem illic eſſe imperij ſedem commonſtrat. Nimirum in ea multi ſunt ſinus, multa promõtoria, multæ ſplendidæ & magnæ ciuitates, faciles in omnem terræ plagam excurſus. Ferunt eius formam eſſe platani folio perſimilem: cuius longitudo & latitudo penè æquales ſunt, A' principio ad extremum, ſtadia ſunt mille & quadringenta:

quæ millia Italica centum & ſeptuaginta quinque faciunt. Ambitus, ſtadiorum eſt quatuor milliũ, ut Polybio placet: uerùm huic numero Artemidorus quadringenta adhibuit. Circundatur omnis Ionio & Aegeo, ut ſuprà memorauí, excepta ſolùm ea continentis parte, quæ Iſthmos dicitur, ubi Corinthus ciuitas nobilis poſita eſt. In Peloponeſo ſunt Achaia, Meſſenia Laconia, Argolica & Arcadia. Eas omneis prouincias Mahummedes peruagatus, uectigales fecit, tributo pariter Corintho dediditiæ imperato. Acarnaniã deinde (quæ eſt Epeiro & Bœotiæ intermedia) fœliciſsimè tentatam diripuit. His ſucceſsibus plenior audentiorq; factus, de irruptione in Hungariam cepit cogitare. Nec factum cogitationem longè ſecutum. Nam paulo pòſt deſcriptis centum quinquaginta hominum millibus, & comparatis ijs quæ ex uſu profectionis erant, celeritate incredibili arduos Thraciæ montes exuperat. Cumq; iampridẽ ſtatuiſſet hoſtile Chriſtianorum nomen, remq; funditus abolere, Belgrado (quod oppidum ad confluentem Sauí & Danubij poſitum, non Hungaris modò, ſed & toti Chriſtianiſmo propugnaculum erat) aciem formidabilẽ obiecit. Nec prius ab eius inſolentiſsima oppugnatione deſtitit, quàm in ipſa muri quaſſatione ſuis animum, quem diuturnitate obſidionis penè deſponderant, uiriliter faciens, altiſsimè ſub dexteram ſagitta configeretur. Quo caſu expauefactus exercitus, ſinguli relictis ordinibus atq; impedimentis, in fugã conuertuntur, & tranſcurſa diebus noctibusq; Myſia, in Rhomaniã domeſticum tutumq; ſibi præſidium perferuntur. Mahummedes quoq; eodẽ pòſt ſuos reuehi curat: ubi tantiſper manſit ocioſus, dum à uulnere accepto recrearetur. Poſtea uerò iuri ſuis reddundo, cõponendis ſeditionibus, ſiquę in eius abſentia coortæ fuerant, uenationi atq; alijs domeſticis exercitationibus eouſq; incubuit, quoad præteritę fœlicitatis uictoriarũq; longa memoria, producendi imperij uehementem libidinem excitaret. Itaq; ubi ſe commeatu rebusq; nouæ expeditioni neceſſarijs ſatis affluere ſenſit, militum cuiuſuis armaturæ nomina excipit, multaq; hominum millia conſcribit. Cum quibus in Aſiam proficiſcitur, Baiazethi filio quẽ Anatoliæ prę-
fecerat, iampridem Pyramethi Carmanię rectoris dominatum quaquauerſum fatiganti, ſed tamen aliquãto inferiori, auxilium allaturus. Quò cum nullo in anguſtijs impedimento tranſmiſiſſet, cepit extemplò Ponticã Pyramethi gentem, deinde Ciliciam populari ac uexare. Neq; à populatione atq; agris uaſtandis prius abſtinuit, quàm delatus in Armeniã cum Vſuncaſſano Perſidis rege ad Euphratem conflixiſſet pręlio non ſatis fœlici, amiſsis militum decem milibus, et de Baſsis Aſmirathe. Ob quam iacturam maioribus furijs cum Trapezuntino Imperatore Vſuncaſſani ſocero congreſſurus uadit. Prohibẽtem occidit, et ſtirpe eius radicitus euulſa, Imperatorem ſe ſubſtituit non Trapezuntis modò, ſed & Sinopes, & omnium quæ ante hanc cladem ipſo in Ponto Chriſtiani poſsidebant. Parta id genus uictoria, ouantem exercitum in Greciam reducit. nec uincendi cupiditate fine impoſito, claſſe ad Lemnum & Lesbon prædiuites inſulas adnauigat. Quibus primo impetu caſtris plurimis, oppidis atq; arcibus ſpoliatis, Mitylenen denicq; urbem inuicta manu circũuallat, & in expugnatam breui intromittitur. Exterminatis tot Chriſtianis, & in omnem propè Greciam atq; Aſiam infuſo Mahũmedis cultu, ut reliquias quoq; excinderet, & nihil in poſteritatem non Mahummedeum tam in inſulis quàm in continenti ſupereſſet, aucta ad nauium quadringentũm numerum claſſe, in

Eubœam

Euboeam (Negropontũ hodie uocant) citatis remis contendit. Vbi Chalcide urbe, infensissima obsidione fatigata, tandem potitus est. Declinat postea in Euxinum (quem recentiores mare maius uocant) & Capham, quæ supra Bosporí angustiam ipso in Euxino posita est, Genuensibus eripit. Edomita paulo pòst Albania, Venetis Scodram, Lyssonem & Dinastrũ corradit. His triumphis penè innumeris insolescens, & comparando uniuersi orbis imperio fortunæ prosperioris incitatu inhians, treis uno et eodẽ tempore diuersas expeditiones aggreditur. Vnam, Rhodum, in quam infœlicem Lemni, Mitylenes, Eubœę, Euxini, atq; Albaniæ tristitiam transmissurus, Mesythum Bassam terra mariq; prouidè armatum dimittit. Is eò cum peruenisset, ut suum Imperatorisq; animũ (id quod summè cupiebat) expleret, & de oppido diuitijs atq; opibus florentissimo trimpharet, cohortatus suos paululùm, cepit continuò urbis murum specie castrorum horribili cingere, oppugnationem deinde occipit, ad undecimum Cal. Iul. Anno à natali CHRISTI millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Quã obsidionem eousq; continuauit, quoad de expugnatione omnino desperans, cedentibus in contrarium conatibus, illæsæ urbi ridiculus cederet, ad sextum decimũ Cal. Septemb. Altera fuit expeditio in Italiã: ad quam peragendam, Acomathem Bassam centũ nauium classi, & quindecim hominum millibus præficit, atq; iubet transfretare. Is inter nauigandum, Leucadiam (quam nomine recentiore sanctam Mauram dicunt) Cephaleniam & Zacynthum cepit: & Fauelonam deuectus, in Appuliam trajcit, atq; in peregrinũ littus inopinantibus Appulis egreditur. Mox deinde oram maris trãscurrit, pleraq; loca spoliat, maritima omnia deprædatur. Postremò Hidruntẽ occupat. Cum hæc à Bassis fiunt, ipse quoq; Syriam petiturus, & Sultanum Cairi inuasurus, secessit Callipolim. Vnde aliquanto pòst ad Zizymum filium in Asiam exijt. Quocum & trecentis armatorũ millibus in Sultanũ proficiscens, in ipso itinere subita acerbaq; febre correptus, non longè à Nicomedía Bithyniæ mortuus est, nõ sine ueneni suspicione, Anno suæ ætatis quinquagesimo sexto, unum & triginta, aut ut alij scriptum reliquere, septem & uiginti annos post Amorathem imperio potitus.

BAIAZETHES.

BAiazethi & Gemmæ, uel ut quibusdam placet, Zizymo paterna hæreditas, grauissimi belli causa fuit. Orta nimirum in Turcis repentina controuersia, filiorum utri potius patris honores atq; insignia deferrent: in id uentum est factionis, ut sanguine clariores Zizymum Imperatorem, Janizari Baiazethem exposcerent. Accidit igitur in hac animorum discordia, ut hi inuitis nobilioribus, in absentia Baiazethis Corcuthem eius filium pusionem in aui sede collocarent: & absentis patris loco, Imperatorem parruulum urbi talibus auspicijs salutandum proponerent, inuocato insinuatoq; populariter Baiazethis nomine. Qui interim de sua orbitate pariter ac collata in filiũ maiestate imperij præpropere admonitus, admodum magnis diurnis atq; nocturnis itineribus Cõstantinopolim aduolat. Quò cum populo desideratissimus peruenisset, in ciuitatem quàm fieri potuit regiè atque honorificè acceptus, communibus suffragijs Imperator mense Maio salutatus est. In quo honorũ opumq; fastigio constitutus, discruciari intra se cogitabundus, & multa secũ (ut ferè solent hi qui rerũ potiuntur) animo uersare incipit, imperij quod susceperat magnitudinẽ: difficultatẽ imperãdi ijs præsertim, quibus inuitis ac refragãtibus designatus creatusq;

Imperator fuerat: Zizymum fratrem animi non muliebris, neq; frigidi spi
ritus hominem in imperium adoptatum fuisse ab ijs præcipuè ciuibus qui
optimates erant: illorum opera factiones in populo nasci, motus excitari,
arma sumi, uim inferri, Zizymum reuocari, cædi se facilè uel exigi posse.
Nec dubium esse, quin hi citò in caput principis coniurent, qui in eius exi
tio aut exilio collocatam esse patriæ libertatem: contrà, in uita ac præsen-
tia seruitutem omnium positam arbitrentur. In mora autem maximũ inesse
periculum. Ideò minimè sibi his difficultatibus indormiendũ, imò potius
cautè & diligenter & animose obstandũ principio dubio ac difficili. In hac
animi perturbatione, exercitum sedulò conscribendum curat, minorẽ qui- 10
dem initio, quippe solum ad uitę suæ maiorem inter suos cautionẽ, sed pau
lo pòst numerosiorem ex omni ueteranorum Græciæ robore, ita ut nõ ob-
scurè omnes intelligerẽt eas illum copias collegisse Zizymi fratris metu ni
mio incitatum. Nimirum eum audierat de his quę domi acciderãt, factum
certiorem, statim è finibus Syriæ, quò à Mahummede patre aduersus Sul-
tanum Aegypti missus fuerat, cũ ualida manu egressum, celeriter quas tum
copias habebat, in Anatoliã traduxisse, & occupata demũ Bithynia, quasi
distributo inter fratres patrimonio, & sorte delato ad ipsum imperio Asiæ,
ad Baiazethem uerò Europæ, Prusiade cõsedisse, coactis undiq; ad defen- 20
sionem Asiaticis gentibus. Qua re cognita, Baiazethes comparatis ad bel-
lum uel inferendum fratri, uel à fratre illatum repellendum rebus necessa-
rijs, ratus sibi fœliciorem pugnã extra Græciæ terminos fore, & longe à
Constantinopoli minori periculo obnoxiam, inaudita celeritate in Asiam
aduersus fratrẽ proficiscitur. Quò ingens agmen cum traiecisset, & paucis
diebus in planitiem quæ ad Prusiadẽ est, processisset, haud procul à castris
fratris castra metari cepit. Nec cõflictu in multũ tempus dilato, acie in aper
to posita, post raras utrinq; prouocationes ferocissimè cũ fratre signa con-
tulit. Viribus superior, magna tamen utrinq; strage accepta, Zizymũ in Sy
riam fugat, atq; hoc uno certamine uotorũ omnium compos euadit. Zizy 30
mus tantæ cladis acceptæ nuncius, profugus cum paucis clientibus fidis-
simis Rhodũ adnauigat, & lubens insulæ præfecto se dedit. At uerò Rho-
dium illico cepit tacita quædam de fugitiuo suspicio ac diffidentia. Nec sa-
tis, ut sibi uidebatur, à Zizymo tutus, eum in Galliam ulteriorem ad Caro
lum regem hoc nomine octauũ cum certis nauibus solicitè custodiendum
ablegat. Romam traductum ferunt ad Innocentium octauum Rom. pon
tificem: eundem Tarracinæ postea, dum Neapolim deduceretur, propina
to ad concitandã nomini Gallico inuidiã, ueneno occubuisse. Interea Ba-
iazethes receptis in fidem Asiaticis, lustratisq; Ponto, Cappadocia, & cæ-
teris Anatoliæ prouincijs, Cõstantinopolim regressus est magna suorum
ciuium admiratione. Nec prisci continuatiq; hactenus Ianizarorũ in se ani 40
mi ac suffragij immemor, eorum, statim à reditu, numerũ auget: & eiusmo-
di hominũ ordinẽ sibi curæ esse atq; in precio, stipe in singulos annua con-
ferenda, multisq; alijs beneficijs & immunitatibus planum facit. Cæterùm
aliquanto pòst, ordinatis, ut noua imperij mutatio postulabat, Græciæ re-
bus, eius animũ Asiæ repetendæ cupiditas incesit. Vbi cũ meminisset esse
Caramannũ hostẽ capitalissimũ, qui nuper Ciliciam campestrẽ, atq; adeò
Armenię minoris Cappadociæq; regiones ad Taurum montem pertinen
tes sibi detraxisset, & per uim hactenus occupasset, neq; huic occupati pa-
trimonij uulneri, nisi crudelissimo bello mederi posse cerneret: in eũ antè

quàm

quam discedat, instaurandum è Græca militia exercitũ ducit. Fit igitur euocatio, recẽsetur exercitus, Asia repetitur quàm fieri potest ocyssimè. In qua cum iam multũ promouisset, nempe transmissis Bithyniæ, Lyciæ, & Pamphylię finibus, nihil prius habuit quàm in Cilicíam irrumpere, & securum animi Caramannum impetu quàm posset uehementi aut cædere, aut fugare, aut saltem expauefactum imbellem expugnabilemq; reddere, & ad deditionem compellere. quo penè diuino cõsilio hostem fudit (uirtutum nimirum uicturo Imperatori necessariarum longè princeps est ineundæ pugnæ prudens alacritas) & quæcunq; cis ac trans Taurum possederat, recuperauit. Hoc fœlici euentu quantum Baiazethi accesserit animi atq; audaciæ, susceptæ secundum hęc tempora expeditiones argumento sunt. In Sultanum Aegyptium (is Mahummedeæ religionis facilè princeps, ut cõsortibus exemplo sit Mahummedeũ nõ esse aliena appetere, sorte sua contentus, Aegypto solùm ac Syriæ, quasi certo atq; unico maiorum regno imperat) ineunte uere bellum mouet. Neq; antè ab eius regionibus infestandis abstinet, quàm se Sultano multo uiribus inferiorem longa experientia didicisset. Siquidem is militia longè potentissimus erat: utpote qui Mamaluchos homines ab ipsis cunis in gladiatorio ludo educatos, de ea etiã populi colluuie accersitos, qui à CHRISTO defecerant, fugitiuos post cædem Caramanni excepisset, & copias Arabum innumerabiles ad sui tuitionem aleret. Nemini porrò census abundantia & locorum munitione cedebat. Igitur sæpius ab eo debilitatus ac profligatus Baiazethes, cum Aegyptijs pacem fœdusq; iniit. Exinde in Græciam reuersus, rerũ naturalium studio ac cognitioni tantisper operã nauauit, donec adiecto ad Corcyram animo, sed patefacta Venetis conspiratione, ingentibus copijs Vualachiam (quæ regio est Thraciæ inferior) Pontum Euxinum uersus, inuaderet, & sibi uectigalem faceret. Nec Moncastri moles accessu expugnatuq; difficilis (ut quę ad eas fauces sita sit quibus Borysthenes amnis, quem illi Neper uocant, in mare se exonerat) resistendo efficere potuit, quin ad deditionem compelleretur, omni etiam maris ora, quócunque incederet, Turcicæ seruituti subdita. Hac uictoria spolijsq; hostilibus et elatior factus et potentior, classem numero nauium incredibili clam instruit. Ad hæc ingentem pedestrem exercitum comparat, ea solum ratione ut uires uniuersas in quos uelit, quoties commodum fuerit, emittat. Nactus deinde armorũ aduersus Venetos sumendorũ occasionem, in Peloponnesum tempestatem hanc impulit. Qui cum in sinum Patrarũ admissus esset, Methonem, quod nunc Modonem: Lepanthum inde, quod olim Naupactũ: mox & Dyrrachium Venetis ademit. Gallos tum demum eos qui Rom. põtificis hortatu in Græciam profecti fuerant, sæuissimo ad Mitylenen congressu fudit ac fugauit. Tum autẽ ætate ingraueſcente, & morbis undequaq; ingruentibus, morti se proximum esse conspicabatur. Quapropter in reliquam ætatem quieti tranquillitatiq; imperij prospecturus, Acomathen primogenitum in locum suum magnifico suorum omnium applausu absentem substituit, eumq; nulla mora ad se accersit. Quod Selimo filiorum alteri cũ nunciaretur, quam inique grauiterq; tulerit, ista satis docent. Etenim Trapezunte cui prępositus à patre fuerat, properè discedens, ad patrem cucurrit, uiam fratri quasi in nullã sortẽ bonorũ nato ad imperiũ prærepturus. Recipitur quidem à sene, sed ægrè & asperrima cum obiurgatione, qui iniussu regis aduenisset. Remittitur paulo pòst in prefecturã nõ satis ex sententia.

Quid

Quid faciat? patrí ne obtemperet, an etiam aduersus parentem certamen ineat? Cesſit ad extremum pietas ambitioni. nam ea fuit filij ambitioſi cupiditas, ut tractis ſecum factioſis nõ paucis, ultro patri obuiam iret, & prælio quàm poterat uiolento eum cõcuteret. Verùm cum ſuis uniuerſis fugatus, in Bulgariæ latebras eouſq; ſe abdidit, donec lanizari per Acomathis inuidiam (nempe ijs haud ſatis imperio dignus eſſe uidebatur, quòd mollitia corporis effœminatus eſſet) Selimum ſtrepitu ac ſuffragijs cõtinuatis Imperatorẽ flagitarẽt. Ad quorũ tumultuũ compoſitionẽ permutata ſorte Selimus pro Acomathe reuocat, atq; in deſignati locũ, patre lingua tenus conſentiente, ſuccedit. Id facinus cũ ægreferret Baiazethes, uultu tamẽ ad præſens tempus cõſultè ac prudenter dolorẽ orbitatis diſſimulante, impetrata à filio uenia, tanquã relegatus, Dimoticum oppidũ, quod ipſe ſplendidè haud procul Hadrianopoli condiderat, ad otium reliquæ uitæ cõceſſit: in qua profectione, uel ægritudine animi, uel morbo, uel potius ignoranter epoto ueneno cõfectus mortuus eſt, Anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo duodecimo, imperij uerò ſui triceſimo.

SELIMVS.

OMnium eorum quæ patri Baiazethi, quæ Selimo fratri, quæ abſenti ſibi acciderant certior factus Acomathes, diſcruciari intra ſe anxiè cepit. Longè ſe à patria, idq; ſine uiribus abeſſe: Sublatum eſſe patrem: ſuſceptа iam à fratre ornamenta faſceisq; imperij: Pecunias illi in tuto & uiros affatim, ſibi fugam in magno uitæ diſcrimine relictã eſſe: Nec diu moratum Selimum, quin ſibi ſuſpectum fratrem, ſi detur, opprimat. Vtilius ſibi fugere maturè, quàm confidenter expectantem oppreſſum iri. Diſtractum in has cogitationes uicit impij fratris metus. Itaq; Pruſiade egreſſus cum ſi diſſimis perpaucis, Anatoliam, qua Cappadocia aditur, magna celeritate tranſcurrit. Et necubi interciperetur, collocatis iam ab amicis fratris in uia inſidijs, nuſquam ſibi conquieſcendum duxit, donec in Ciliciam ad Caramanni nuper confecti poſſeſſiones peruenit. Quem locum in uitæ præſidium cum ſatis tutum natura ipſa indicaret, eundem tamẽ omni belli apparatu diligenter communiuit. Selimus ediuerſõ nihil iam niſi de fratribus internecandis, & ſecuritate imperij cogitans, rebus in Græcia compoſitis, in Aſiam tranſijt. Quò uentum cum eſſet, Bithyniam primùm, deinde Lycaoniam, & poſtremò Cappadociã ad Acomathis fratris oppreſſionẽ tranſgreditur. Sed eum omnis generis irritamentis uſus cũ educere nequijſſet, repente ueſtigiò profectionem in Magneſiam inſtituit, & Corcuthem fratrum tertium aggreditur inopinantem. Quo tam inſperato impetu Corcuthes exanimatus, ſpe omni ſalutis in fuga collocata, Rhodon mutato habitu pergit. Sed à militibus fratris qui omneis aditus obſidebant intercluſus, metu mortis proximè in montium ſeceſſus & ſaltuoſa loca abſcõditur. Ibi herbarum radicibus ac melle ſyluestri uitã ſuſtinuit, quouſq; propoſito ingenti præmio ei qui uiuum hunc Selimo aut trucidatũ prodidiſſet, ſeruos eius in proditionẽ ac necem domini auaritiæ inſania pelliceret. E' uiuis exempto Corcuthe Selimus Magneſiam, minorisq; Aſiæ loca maritima ad Syriam uſq; in ſuam manum redegit. Burſia demũ illi repetita eſt. Vbi cum victoriæ triumphiq; celebrandi ſpecie propinquis ac neceſſarijs epulas apparaſſet, inuitatos ad eas nepotes & à cæteris conuiuis ſub finem cœnæ ſeorſum deductos, quaſi ſecretius aliquid cum ijs cõmunicaturus, ſeruis tradidit ſuffocandos. Supereſt animi moleſtia, imperijq; eius impedimentum

Acomathes.

Acomathes. Neq; tamen satis nouit quibus illum artibus ac insidijs intercipiat. Re infecta domum reuertitur. Ibi uehemẽter indignatus noctes & dies secum reputat interimendum esse Acomathem, ne sibi in posterũ obesse ullo modo possit. Post multa & uaria consilia reperti sunt qui ex composito apud ipsum Acomathem per epistolas crimina hæc in Selimum Imperatorem fererent: Hunc patris expulsorem dicerent, alieni detentorem imperij, fratricidam, nepotum ac sanguinis sui perniciem. Quibus coniuratis optimatibus si auscultet Acomathes, breui ad imperiũ exacto fratre posse reuocari. Hortantur ut exercitum paret, se beneuolis accommodet, se socium adiungat, & prodeat securè ad tyranni interceptionem, pronam ad imperium uiam ingrediatur: uix tantillum promoturum quin se Turcarum omnium defectione restitutũ sentiat. His dolis irretitus Acomathes, & spe ulciscendi fratris patrimonij q; recuperandi cupiditate circunuẽtus, è uitæ propugnaculis educitur. In quorũ propemodum exitu, præter opinionem Selimo fit obuius. Nec longioribus utrinq; consilijs usi, classicum extemplò canit. conclamatur, concurritur, confligitur ab utrisque atrocissimè. Ipso in conflictu sceleri atq; audaciæ fratris magna uir alacritate cum Acomathes resisteret, equo prolapsus & mole sui maiore, item pugnantium turba, necnon ipsius equi pondere pressus, cum erigi non posset, fato concesit. Filios reliquit Amorathem atq; Aladinum Selimi patrui timore fugitiuos. Quorum alter ad Sophin in Persidem confugit. A' quo principiò quidẽ humanissimè acceptus est, & muneribus ornatus amplissimis. Sed ea fœlicitate mox factus insolentior, trucidatur. Secesit alter in Syriã, prius subsidio uitæ à Campsone Sultano unà cum fide publica impetrato. Selimo in futurũ stabilis ultro citroq; imperij securo, ingens uisendæ Græciæ studium incesit. nec institutum res morata: quippe de inimicis undequaq; triumphans, paucis diebus ad Byzantium appulit. ubi post aliquot tempora de Perside otiosus cogitans, opportunè expeditionem instaurat. Eandẽ aggreditur prima quaque occasione, copioso exercitu mari ac terræ impolito. Matureq; penetratis Cappadocia, Lycaonia, maiore Armenia atq; Euphrate amne, Persarum agros diripere uastareq; incipit. Mouetur Sophis in aduersum manu haud infirmiore. nec longè à Tauride Persidos animis infensissimis pugnatur. In quo congressu Sophiani machinarum ærearũ insolenti murmure attoniti, hosti locum dedere. Atq; in hunc modum superatus Sophis, fuga salutẽ quæsiit: Victori interim Tauris deditionem fecit. Expugnata subinde Mascuelis est, oppidũ ad Euphratem situm. His tot ac tantis hostium manubijs prædiuites Selimi copiæ in hiberna in Lycaoniã reuocantur: atq; in Iconio (quod hodie Cognyum appellant) iussu Imperatoris sistuntur. In Sophin denuo perrecturus, ac demum de Campsone Sultano lati Persis auxilij uindictã sumpturus, (hunc enim in se unà cum Ismaele Sophi cõspirasse, & iamiam Syria egressum in Asiam aduentare, ac prope diem Taurum montẽ conscensurum esse compertum habuerat) prima æstate bellum renouat. Sed inita secum ratione in utrum prius proficisceretur, Sultano citissimè obuiam ijt. In Alepum traiecto exercitu, cognoscit Sultanum ad Sangarium amnem, qui ab Alepo abest circiter decem millia, castrametatum esse. Quo nuncio excitatus, descripto agmine, atq; Amano mõte transmisso in hostẽ fertur præceps, eoq; spiritu cum eo conflictatur, ut ruptis cum strepitu machinarum inaudito, tum etiam ui pugnæ Mamaluchis atque Arabibus, Sultano quoq; crebris

ictibus

ictibus deturbato & conculcato. Selimus Alepum uictoriam reportarit. Quam urbem extra omnem salutis aleam Sultani interitu positã, nullo negotio in fidem recepit. Damascum præterea, & Tripolim, et Sidonem, & Beritum, & Ptolemaidem, & cæteras Syriæ ac Phœniciæ ciuitates eadem misericordia prosequutus est. Ad hæc in Iudęam (quæ eadem est cum Palæstina) uenit, & Ierosolymam & Gazam deinceps (quæ posita ad mare ab Aegypto parum distat) deditione cepit. Cairum etiam expugnauit, debellatis & fugatis unà cum Taumonbero Sultano nuper morte Campsonis, & Aegypti ac Syriæ discrimine creato, Mamaluchorum atq; Arabum reliquijs. Quos ut persequeretur & extingueret, pontem supra Nilum fecit, & illos ex eo ita est insectatus, ut socijs uel captis, uel radicitus exterminatis, Taumomberus è stagno, in quod se ore tenus merserat, Mustaphæ Bassæ Imperatoris legato traderetur, exinde ad Selimũ, qui Cairi erat, ducendus: ubi uictoris iussu strangulatus, Bassuelæ Cayri portæ suffixus est. Captiui Mamaluchi atq; Arabes eodem sunt supplicio affecti. Quibus ad internecionẽ sublatis, ditioni Turcicæ plerosq; Africę reges Sultano fœderatos ac uectigales subdidit. Ad ultimũ, constitutis, ut erat necesse, Palęstinæ, Syriæ, Damasci, & Alepi rebus, Mustapha q; Bassa in Cilicia unà cum quadraginta equitũ millibus ad radices Tauri montis, ut enascentem Ismaelis Sophis audaciam reprimeret relicto, Prusiadem regressus est: & uado traiectis Hellesponti angustijs Constantinopolim, tandem uerò Hadrianopolim peruenit. Ibi post aliquot menses in perpetuam morbi sæuitiam lapsus, sub finem Septembris, Anno à seruatis nobis millesimo quingentesimo decimo nono è uiuis excesit, cum septenniũ solum imperasset.

## SOLEIMANVS.

IN demortui sedem ab Anatolia, cui prępositus fuerat, accitus est Soleimanus filius Selimi unicus, anno suæ ętatis octauo & uicesimo: Franciſci uerò Galliarum regis, pręsentium temporum decoris quinto. Cuius ingenium initio imperij à cruore furijsq; bellicis alienum creditum est. Veruntamen specimen eius biennio post acceptam dignitatem longè ipse diuersum præbuit, qui maiorum uestigijs inhærens, arma sua in totius Christianismi euersionem, Anno regnantis Franciſci septimo conuertit. & Belgradum, singulare Christianorum propugnaculum, non satis sibi constanti intus pręsidio, ui cepit. Biennio proximo ad obsidionem tentatæ antea Rhodi uenit. Ad quod facinus audacius ferebatur, quòd Rhodo in potestatem suam redacta, exterminatum iri penitus ex Asia & Græcia Christianos prospiciebat. Capta Rhodo, & pulso eius pręsidio, adiecit animum ad Hungariam, in quam triennio pòst ad similitudinem triumphatoris processit. Impetum in Ludouicum eius regem fecit. Prelio eum uicit, & occidit. Regionem ferro ac igne uastauit. Budam magna manu ingressus diripuit. Sed & annus ab ea Hungarorum calamitate septimus, multo atrocio rem turbulentioremq; procellam authore Soleimano è Græcia atque Asia in Austriam pepulit. Quæ quidem procella cladem orbi Christiano quàm insignem, quàm irreparabilem allatura erat, ni maturè furenti iam malo occursum fuisset. Concepta sunt hinc inde intestina odia, quibus Carolus Rom. Imperator incitatus aliquanto post Tunetem in Turcarũ iacturam profectus est, et Soleimanus par pari relaturus, imò potius insanabile Christianismo uulnus inflicturus, postea secundum Italiam infinita classe uagatus est.

tus est. Ad quam cum uentis aduersis appelli nequiret, in Cephaleniam & Corcyram Venetorum insulas appulsus irrupit: ac prædæ tantundem abegit, quantum per insulanorum infirmitatem licuit. Hoc ipso anno legatus eius Aeneobarbus Bassa in Illyricum atq; Adriaticum innumera classe inuasit, & Castellum nouum quod oppidum est Sclauoniæ atque Albaniæ intermedium, ad Catari sinus fauces positum) post diuturnam terra mariq; obsidionem expugnauit.

# AD FRANCISCVM GALLORVM REGEM CHRISTIANISSIMVM

*Christophorus Richerius.*

ABsoluta qua potui fide atque breuitate, digesta q; rerum Turcicarum historia, Rex Christianissime, decreueram prima quaq; occasione illā tibi offerre. Nec ego id quidem feceram, quòd hoc opusculum nostrum dignum te esse ducerem. Me certè minore ingenio doctrinaq; esse sentio, quàm qui aliquid tàm exacti iudicij Principe nō indignum conficere possim. Sed uitæ & officij mei rationem tibi domino & hero meo redditam uolebā. Quum autem res omnis in sex esset partes distributa, quarum prima Turcarum originem, Othomanię q; imperium: altera gentis mores & instituta: Mahummedem pseudoprophetam tertia: quarta res à Tamerlane Partho gestas: quinta expugnatam à Mahūmede secundo Constantinopolim: obsessum, captum, direptum Castellum nouum Dalmatiæ complecteretur ultima: statueram singulas eo quo scripsissem ordine tibi Latinè simul & Gallicè exhibere. Verùm sic accidit, ut historiæ nostræ liber secundus expeditior, paratior, lectuq; iucundior haberetur. Quare mutata sententia, illum tibi initio fero. Accipe quæso ut soles ἐυμενῶς καὶ προθύμως, sicut Artaxerxes ille aquæ frigidæ poculum. Nec tam leue donum, quàm donantis animum metire. Res est exigua ac propè nulla: donator humilis & obscurus: tempus inopportunum. Ego tamen bonitate tua fretus & humanitate, id ausus sum facere quod uix summa nominis tui maiestas patiebatur.

Ἐλπίζοντα ὠδῖ κύριον ἔλεος κυκλώσει.

## DE MORIBVS ATQVE INSTITVTIS TVRCARVM, LIBER II.

QVoniam gentis nominisq; Turcarum originem, atq; Othomanorum imperiū, qua potuimus orationis breuitate ac luce demonstrauimus: non alienum quoq; esse uidetur in præsentia de eorundem moribus institutisq; pauca dicere. Sic enim fiet, ut deinde à nobis pauciora desiderentur, qui idipsum quidem quod institueramus, plenius opinione fecerimus: utq; ijs cum aliqua etiam uoluptate satisfiat, qui haud satis ipso originis atq; imperij Turcarum libello contenti, priuatam quoq; & publicam eorum uitæ consuetudinem nosse cupiant. Vt uerò iam ad rem aggrediamur, & ab eo quod communis societatis conciliandæq; hominum inter se amicitiæ longè primum seminarium est,

incipiamus, Turcis non unam esse linguam constat. Nam & sua, hoc est Turcica eos lingua uti, & Arabicum sermonem, atq; adeò Sclauonicum ac Græcum sæpiusculè usurpare palàm est. Turcicæ uoces primum sibi locum uendicant, ut quæ ipsis cum hominibus Turcis natæ ultro in os ueniant, & in effundenda barbarie aptiores accommodatioresq; sint. Earum idcircò usus Imperatori, totiq; eius cohorti perfamiliaris. Sed eadem penè gloria est Arabicis, quas Turci à pueris ediscere solent, cum primùm sua religione imbuuntur: legem enim Arabicè conscriptam habent, & in omnibus publicis priuatisq; rebus, Arabicis literis utuntur. Hominibus uitæ quietæ, ut Cõstantinopolitanis ciuibus, & totius Græciæ ciuitatibus Græcè loqui & scribere gentile genuinumq; est. Sed latissimè omnium patet sermo Sclauonicus, qui quòd multus in ore sit omnibus lanitzaris, ea de causa unicum hunc sonat uniuersa propemodum militia. Cumq; hi ferè in castris degant, tecti castrensi tentorio munitionis expertes, parũ tamen cæteris cedunt habitandi fœlicitate. Nam uniuersi humillimè habitant, & exceptis solis principum domibus, balineis ac delubris, quorum structuram, quòd lapidea sit, paulo excellentiorem putant: aut ligneũ est, aut terreum eorum ædificium. Nec desunt qui rebus quietis in æstiua, spretis suis domibus, sponte discedant, quiq; in Nomadum morem certis sedibus destituti, & soli pecoris curæ adnati, assiduè uagentur, ac in omnẽ greges suos regionem, uti temporum locorumq; fert natura, circunducant. Cæterùm omnes cuiuscunq; sunt status conditionisq;, sumpturi cibum, aut urinam reddituri, aut naturam exoneraturi, aut aliud facturi quidpiam, humi sedent: decorè tamen, nempe indumentis ad hoc affabrè comparatis & compositis. Etenim ad celandam, siqua insit, deformitatem, talaribus uestibus & laxis tam fœminæ quàm uiri induuntur. Nec profectò ullum hominum genus nosse est magis uerecundum, magisq; munditiæ studiosum: quippe qui ne pullos gallinaceos quidem, aut canes in suas cœnationes admittant. Quòd si quid ab his fortè animantibus uel supremis labris delibatum sit, id protinus tanquam pabulum uenenatum abiiciunt. Ab omni porrò mortuino abstinent, quòd id putidum sit: & uino, quòd omnium turpitudinum irritamentum: & sue, quòd eo animali nullum sit immundius, suillaq; carne uescentem contaminatum iri credunt. Quòd si pullum sibi aut animal aliud quodpiã in epulis apponere statuant, id prius sex aut septem dies penes se uinctum tenent, & puriore interea cibario saginandum curant: mensæ postea etiam ægrè apponitur. Quæ quidem mensa ut plurimum è glabro corio est: nisi fortè ceruinum sit. nam tum hirsutum esse, nec ulla ex parte depilatum, religiosum non est. Adde quòd post uerecundantis naturæ opus uideri à quopiam, aut cuiquam loqui nefas putant. Neque ideo prius in publicum exeunt, quàm omni ex parte lauerint: eoq; nomine balneas reperire est oppidatim perquam communeis, ad quas is, quem Tschmunx uocant, lustrandus secedat. Neque est qui domum, aut sacrarium, aut locum, ubi sessurus sit, non depositis calceis ingrediatur. Nam apud eos calceatum sedere flagitium est. Vtq; res commodius lepidiusq; fiat, scandularũ, quibus Batmag nomen est, usum, fœminæ præsertim nouerunt: & uulgò locum ubi consideturlaneis scirpeisue tegetibus, uel tabulis consertis, ad coercenda soli humidi uitia præparant. Lege unicuiq; uiro licet duodecim legitimas uxores habere, & ancillas quotquot libuerit. Ex quibus cũ liberos susceperit, licet & eadẽ lege

uernulis

uernulis tanquam liberis hæreditatem inire. Id in causa est quare potentio
res, & quicunq; per fortunas possunt, oppidatim singulas uxores habeãt,
& ancillas & liberos. Pauci autem duas eadem in domo uxores alunt, ad
iurgia potissimum deuitanda. Sed & uiris liberum est coniugum repudi-
um. Vnde uinculum matrimonij, quod ipsi Kebin uocant, in potestate ui-
ri, non uxoris, esse prædicant. Quod tametsi soluere is potest ex animi sen-
tentia, solius tamen authoritate sacerdotis necti consueuit: idq; ad gene-
randam tantum sobolem, non autem ad libidinem. Libido quam sit in fœ-
minis rara, pudor earum satis docet: utpote quæ simpliciſsimo habitu mi-
tras capitibus imponant, tum uela superingerant: eo tantum cõsilio, ut mi-
tra uelo diligẽter decẽterq; inuoluta, uersatilis eius extremitas in dextrum
propendeat: ut si domum exire, aut domi uiro uideri contingat, (nam mu
lierem uxorem ore aperto in uirorum conspectum uenire, & domi aut fo-
ris patere, item forum adire, emere, uendere, & turpe & flagitiosum est) e-
uestigiò os obducant, & illud demptis oculis uirili conspectui subripiant.
Locum idcirco in delubris longè à uiris seiunctũ, atq; ita undiq; obseptum
habent, ut nemo quispiam introspicere possit. Nec eò fœminæ omnes in-
discriminatim, sed optimatum solummodo uxores conueniunt: neq; aliàs
unquam nisi sacro & solenni apud eos sexto die, qui à planeta Veneris no-
men habet, idq; orationis tantùm meridianę tempore. Cæterùm fœminam
equo insidere, monstrum est: & uirum publicè cum uxore colloqui, aut pri
uatim cum eadem lasciuire, ridiculum. Sed ad tantam uirorum seueritatem
accedunt Eunuchi, quos domi uiri principes abeuntes, in uxorum custo-
diam relinquunt. Qui uirilis sexus ex talibus matrimonijs nascuntur, ij uel
ad Imperatorem deduci, ut eius beneficio edoceantur, uel à parẽtibus eru-
diri solent. Qui ad Imperatorem deducuntur (id autem ex more fit: nam
quinto quoq; anno ipse paulo minores quàm uiginti annorum iuuenes, li-
bertinorum præsertim filios, toto suo imperio conscribit) eos uelut Aulæ
destinatos, alios alijs principibus educandos, & arma, aut artes edocendos
partitur. Hoc idem de paris ętatis uenalibus (quos habet innumeros, quip
pe cum ei præda omnis decumana sit, tum præcipuè captiuorum, quorum
suis pro decumis, quàm maximum potest numerum uenalitijs imperat) fa
cere consueuit. Quos omneis, ut annum uigesimum attigerunt, eos ad sese
reuocat, & in numerum Ianizarorum adscribit, adscriptisq; æra constituit.
Quum autem huic genti scalpere aut pingere impiu[illegible]t, nemo omnium
spretis ijs artibus, duritię ac labori non studet, & uitam in uenationibus ac
studijs rei militaris collocat. Itaq; siquando in ullam regni sui partem bel-
lum senserit imminere, Imperator de habendis toto suo imperio delecti-
bus non magnoperè laborat. Etenim datis ad prouinciarũ urbiumq; præ-
fectos literis, quibus & necessarius militum numerus comprehendatur,
& locus ac dies qua sisti Imperatori oporteat designetur, singuli pro se pu-
blico præconio mandata faciunt, tantundemq; militum euocant, quan-
tum Imperatori satis est. Cum quibus uniuersis ipsi præfecti, suis quisque
cum oppidanis ac prouincialibus, condicto die & præscripto loco sistun-
tur. Quòd si qui accersiti sunt, cessatores ad diem non ueniant, eorum con-
festim impensa, quaterni aut quini substituuntur, qui cum in exercitum co-
alluere, Eschetihori nominantur. Delectus qui à principe habentur, equi-
tum sunt ac peditum. utrorunq; plura sunt genera. Nam, ut hos primùm
expediam, prætoria cohors fortissimorum peditum est, qui eorum lingua

Ianizari dici solent. Hi initiò quidem pauci fuere, sed nunc ad quadraginta milia excreuerunt. Imperatorem Aga duce (ita enim eum qui eiusmodi ordini præest appellant) perpetuò circumeunt. In quibus sagittarij sunt ad quinq; uel sex milia: qui quòd siniſtrorsum arcus suos intendunt ac remittunt, Czolaclar, hoc est siniſtri populariter dicuntur. Sunt in ijs duceni cæteris proceriores, & militari disciplina magis clari, qui ab equitante principe ne latum quidem pedem discedunt. ijs Solachi nomen est. Omnes autem Ianizari ab alijs peditibus amictu breuiore & mitris niueis acuminatis distinguuntur: item armis, quæ scutum sunt & ensis, quem Cymitharram uocant, & arcus. denicq; officio: illi enim castra muniunt, atque oppugnationes moliuntur. Alterum genus est peditum, quos singulæ prouinciæ ac ciuitates, mandato Imperatoris suis sumptibus, nempe collata in singulos menstrua stipe, ad bella mittunt: Asapi nominantur: & quadraginta millium, & paulo plurium eorũ est exercitus. A' Ianizaris & habitu & officio discrepant. Mitris siquidem rubris, ense & scuto, & longiori hasta instruuntur: quorum quidem est hostiles equos incalescente prælio configere. Sunt & alij qui sua sponte bellum ineunt, lixæ una cum calonibus, fabri lignarij, & qui pugnãtibus necessaria ministrant, uias aperiunt, abrupta loca adæquant, pontes faciunt, aggeres cumulant, omnia quæ expugnationibus accommoda sunt, diligenter curant. Atq; hæc quidẽ sunt Turcicorum peditum genera. Equitum uerò quidam Spachi oglani, uel unico uocabulo Sphahiglani dicuntur. Hi autem omnium sunt selectissimi, & partim equitibus præfici solent, partim etiam peditibus. In his uis omnis est Turcicæ militiæ: legationes obeunt, & Sangiachatibus, hoc est prouincialibus præfecturis, atque id genus muneribus funguntur. Hi denicq; filias sorores' ue Imperatoris uxores ducunt, tanquàm cæteris omnibus clariores, ac de Principe benemeriti. Capite quoq; ut alij mitrato sunt, & aureis sericis' ue indumentis uersicoloribus utuntur. Hi numero mille, quorum est exeuntem urbe principem dextra comitari. Læuam uerò mille alij equites cingunt, Solastri siue Soluphtari appellati: quorum eadem omnino est cum Spahilagnis & uitæ, & nobilitatis, & uestium, atq; armorum ratio. Iis adhærent alij quoq; mille equites Vlufagi, conflati partim ex Ianizaris egregio aliquo facinore nobilitatis, partim etiã ex seruis de Bassa aut Belerbœo pugna aliqua benemeritis, ut qui fidelem ijs promptamq; operam periculo imminente præstiterint. Post hos Charippici, pari numero & conditione, nisi quòd hi leui sunt armatura. Ex his equitũ peditumq; generibus porta Principis constat. Sed alij sunt equitum ordines sub Belerbegis, Subasij ac Timoriotes, seu Thimarcini. Ii sunt, qui pro numero uillarum, aut locorum quæ Turcæ principis mandato possident, ab ijs agente id consuetudine aluntur, ac trium Asprorum milium, hoc est ducatorum quinquaginta stipendiũ in singulos annos capiũt. Alij sunt Mozellini, lecti ab ijs quibus olim Turcarum Imperatores acquisitos bello agros diuiserunt. Sunt & Alcanzi, siue ut quibusdã placet, Aconizij, hoc est fatales, seu Fortunæ milites, ad triginta ferè milia. Militant nullo stipendio, sed unis semper aut binis castris reliquas copias antecedentes excurrunt prædabundi, & quintam prædæ partem ad Imperatorem manubiarum nomine deferunt. Omnes autem eiusmodi copiæ in duos exercitus diuiduntur. Europeum atq; Asiaticum. His præsunt Belerbegi, hoc est præfecti præfectorum, seu principum principes. Qui quidem numero duo sunt,

quorum

quorum hic Asiæ præest, ille Europæ. Alter legatus Imperatoris in Anatolia, Cutheiæ, quæ urbs Galatiæ est, sedem habet: alter in Rhomania, Sophiæ, quæ in Seruia est, habitat. Vterque plures sub se Sangiachatus tenet, & Sangiachis, hoc est prouinciarum præfectis, qui ad eum magistratum facto aliquo eximio assumuntur, mandata dat. Sangiachi uerò Subasijs, de quibus suprà, quod lubet, præcipiunt. Bassarum Visirorũ aliæ sunt partes. nam Imperatori consilia suggerunt, & cum ijs ipse de negotijs belli ac pacis agere consueuit. Plures tribus aut quatuor esse non solent, & bellum quoq; ij aliquando moliuntur. Huic militiæ nullus est uexillorum usus. Verùm ipsi duces atque præfecti castrorum, quos Zumbasthos uocant, lanceam proferunt in summo appensos certi coloris pilos habentem: quod signum, qui sub eorum præfectura sunt, perpetuò sequũtur. Siquando uel coeundum sit, uel discedendum, uel in aciem prodeundum, tympano ac fistula copiæ conuocantur, concitanturq;. Alioqui silentij Turcæ adeò sunt studiosi, ut nemo omniũ nisi in castris armetur, & captiuos noctu elabi facilè atq; effugere patiantur, ne quem præter morem tumultum in persequendis rapiendis' ue fugitiuis excitent. Qui præfectis castrorum subsunt Centuriones, Tscheribaschi uocantur, singuli centenis Czingheris, hoc est centum equitibus aut peditibus præsunt. Nemo est omnium qui non se quasi bello natum uita ac factis comprobet. Eaq; de causa, quando nomina referunt in album, siqui domi relicti sint, maximam sibi factam esse iniuriam putant. tantus est militiæ honos. Nulla est concio, nullus hominum consessus, nulla conuiuia, in quibus non pro ijs qui militant, preces dicantur: multo autem religiosius pro ijs deos sollicitant, qui pro salute communi mortem oppetiuerunt. Fœlices itaq; apud eos, qui foris inter hastas sagittasq; hostium, non domi inter fœminarum lacrymas occubuere. Nulla ijs acceptior præda captiuis est. nimirum in ea sunt opinione, neminem qui seruum possideat, ulla unquam inopia laboraturum. Eaq; de causa, bello captos summa diligentia conseruant, non humanitatis quidem qua moueantur, sed utilitatis tantum gratia, siquam sibi ex seruis factis haud mediocrem fore prospiciunt. Nimirum isti nationi seruos habere mori ueteri, uendere, & emere perquàm familiare est. Atque eius commercij nomine, oppidatim designantur uenalitij magnis cum priuilegijs, qui in eam tantum curam incumbunt, ut eiusmodi hominum copiam comparent, uenundent, commutent, pignerentur, prout cuiusq; libido est atq; usus, nullo interim fortunarum suarum publici' ue boni detrimẽto. In eam quoque rem passim fora sunt constituta, in quæ uenales deducti, nudi licitatoribus ostenduntur. Quorũ tam uirilis sexus quàm fœminini membra, etiam pudenda, contrectare emptoribus licet: hinc scilicet ut præsentiant, iuuenes' ue sint an affecta iam ætate, uirgines an corrupti, sani an ualetudinarij. Quòd si empti diffugiant, onus seruitutis duplo maius quàm antea, receptis imponitur. Tum si secundò peccent, uirgis aut securi eos cædere, aut cibo ac potu interdicere ad mortem pœna est. Maior ijs cautio, qui pro retinendis seruis spem libertatis aliquam proponunt. Quam semel polliciti, dubiũ non est quin præstent. nam tanta est istis hominibus dictorum constantia, tanta etiam de fide suorum securitas, ut in conuentis nulla unquam syngrapha, nulla obsignatione, nullo chirographo utantur: sed solo promittentis uerbo, uel ipsa nominis eius qui paciscitur auditione stent omnia. Ea autẽ lege serui à dominis manumittunt, ne ad suos manumissi,

aut ad alios exeant, sed in Turcæ ditione perpetuò morentur. Quod factum puto, cùm ob maiorẽ clientelam, tum ob religionis Mahummedeæ incrementum. Cuius quàm seueri obseruatores sint, & quid sibi nobisq; futurum credant, iam nunc dicam. Hoc uulgò ad populum concionantur, fuisse olim nobilem prophetam Missah, hoc est Mosem, qui primus diuinitus legem tulit: & librum Tefrit, quem Græci Pentateuchum appellant, condidit. Quo quidem diuino beneficio, seruatũ fuisse prædicant omnem eius tempestatis hominem. Verùm sacrilegus hominum furor, cum eiusmodi legem antiquasset, in tanti expiationem flagitij, designatum asseuerant propheten alterum Daijt, hoc est Dauid, qui pariter librum scripsit Czabur, hoc est Psalterium, & legem similis prærogatiuæ imposuit. Sed eius sanctione humano scelere flexu ætatis labefactata, tertius successit prophetes Isse, id est IESVS CHRISTVS cum lege supernè accepta, & libro Vigilis, hoc est cum Euangelio, in communem omnium salutem. Atqui dissipata abrogataq; eius lege, denuò misertum est hominum, & legatus huc missus Mahummedes propheta quartus, pari cum superioribus priuilegio, nempe qui quartam legem cum libro Alcorano cõstituit. Qua perfidia humana perrupta, alium quoq; uenturum existimant. Prima Mahummedeæ legis præcepta sunt, omnem utriusq; sexus hominẽ nubili ætate matrimonium contrahere oportere, & singulos quinquies orare quotidie, designatis ad hoc quinq; temporum differentijs. Orationis primæ sol oriens eos admonet. Ea fit ualde superstitiosè, nempe per quatuor Erket, & duo Czalamat. Erket uocant geminatam corporis inclinationem cum totidem prostrationibus. Czalamat uerò ipsa est tacita oratio, quam fundit supplex sedendo post singula Erket, cum salutatione dextra læuaq;, & pacis impressione, quam designat ambabus manibus os obducentibus. Altera sub meridiem celebratur per decem Erket & quinq; Czalamat. Tertia declinante iam sole, per octo Erket & quatuor Czalamat. Quarta sub occasum solis, per quinq; Erket & quatuor Czalamat. A' cœna ultima, ea serò fit, per quindecim Erket & octo Czalamat. Prima, lingua eorum Dangnanias dicitur, secunda Orlenanias, tertia Kindinanias, quarta Achsamnanias, quinta Laczinanias. Eas orationes lege coguntur singuli cum tribuli suo, in Meskita, hoc est fano communi facere, nisi legitimè impediantur. Cum prohibet negotium, ubiuis locorum orare licet. Et eandem tempus orandi ueniã habet, ut scilicet hora intempestiua suppleri possit, quod legitima fuerat intermissum. Religiosius orant Veneris die, apud illos reliquis celebriore. Sunt tamen professi omnes dies, nec ab opere ullo abstinetur. In singulis ciuitatibus fanum aliquod princeps est quod ipsi Euemesgit uocant: quò dicto die uniuersi conueniunt: ipse quoque Imperator unà cum alijs adest, & uiri cæteri principes. Oratur meridie, ac statim orationem sequitur publica quædam concio, largitionisq; imperatoriæ liberalitas. Censores habent qui neglectæ orationis insimulatos pluribus supplicijs afficiant. eos enim per oppidum trahunt, appensa collo tabella & caudis uulpinis. ad hæc pecunia mulctant. Id autẽ præcipuè fieri solet, neglecta uerno ieiunio oratione. Lauari triplici modo solent antequam orent. Aut enim aqua integrum corpus perfundunt, & quicquid in eo pilorum est, excepta in uiris barba, & coma in fœminis, corradunt. Præsecant etiam pedum ac manuum ungues diligentissimè, & ea fortasse ratione circunciduntur. Hæc autem lotio est post quãcunq; maculæ contractionem necessaria,

necessaria, & dicitur ab illis Czoagermeg. Aut secretiore loco pudẽda & podicem abluunt, fitq; cum opus aliquod naturæ fecerunt. uocatur ea lotio Tachriat. Aut quinq; sensus aqua purgant, manus ad cubitum usq;, os, nares, aures, pedes, crura & tibias, eo quo dictum est ordine. Et eam lotionis formam Auptas siue Abdas dicunt. Hanc autem facere ubiq; licitũ est: nec tamen necesse est ut omnem orationem præcedat, nisi id labes aliqua uitiati corporis efflagitet. Verùm si à prima oratione ab omni uitio abstinetur, eadem die nulla repetenda lotio est. Luna annum metiuntur. Et ut lunam unam pro mense, sic duodecim lunas pro anno numerant. Sed per lunam unam quotannis ieiunio perfunguntur. Atq; interdiu quidem, ab omni cibo & potu sibi temperãt: noctu uerò perbacchari, laudabile est. Absoluto ieiuniorũ tempore statam feriã, hoc est Pascha unum in memoriam illius arietis, qui inopinanti Abrahamo in uictimã loco filij obiectus est: noctis porrò eius qua Alcoranũ cœlo ad se missum prædicant, celebrare cõsueuerunt, sepulchris mortuorũ inuisendis, fundendis ad ea orationibus, cõsumendis ibidem cibis quotquot secum attulerint. Mutuis demum datis osculis in hæc uerba prorumpunt, Baaram Glutioczong, hoc est, sit tibi hoc Pascha faustum ac fœlix. Iterum sexagesimo postea die pari omni no superstitione feriantur. Eius alterius feriæ causa est annuus peregrinorum aduentus in locum qui ab alijs Mecca, ab eis Mekite dicitur, ubi sepultum ferunt Mahummedem, trans Hierosolymã sexagenorum dierum itinere. Quò peruenirí nequit, nisi camelis in id à Sultano ad transmittendas arenas dispositis. Qui hoc iter peregerunt, uocantur uulgo Hatschilai, & multis præmijs exornantur. Etenim honorificè ab omnibus excipi, ac in testimonijs dicendis trium testium loco haberi solent. Haud secus pro ijs atq; pro uictoribus oratur, & eorum causa constituta sunt duo xenodochiorum genera. Vnum cui nomen est Zeuuennezerei, ędificium ingens in solitudinibus, quò ipsi uiatores receptentur. Alterum in oppidis est Hymarath, magna templi moles ab regibus posita, & multis feracibusq; prædijs dotata, ad quotidie cibo recreandos quicunq; aduenerint, peregrinos præcipuè ac literarum studiosos. Quibus refectis, mos est animæ ædificatoris bene precari, & interim reliquum in commune distribuere: fitq; hoc prandij & cœnæ tempore. Sunt & frequentia Turcis gymnasia in quibus placita regia, atq; edicta quæ pro regno administrando sunt, edocentur. Qui ea didicerunt, duplici gradu magistratibus præfici consueuere. Magistratus inferiores Munetschim, superiores Muderis dicti. Qui disciplinam minus tenent, Tausmani appellantur: quibus quidem Alcoranum, ac cæremonias quæ ad cultũ legis pertinent didicisse satis est. Ii sacerdotes sunt, qui à uulgo nihil differunt. Dant nimirum ipsi operam uxoribus, liberis, familiæ, negotiationi, usuræ, uenationi. Plurimi sunt Turcarum qui uota suscipiunt. Quidam austeram uitam uouent: & hi omni tempore nudi, celatis tantum pudendis incedunt. Alij uictus abstinentiã: qui rarissimè cibo ac potu fruuntur. Alij paupertatem sequuntur ex uoto: his in diem uiuere satis est. Alij perpetuum silentium seruant: hi nomine mutorum Czamutlar uocantur. Seorsum alij à populo ducunt dies. Quibusdã nemora & solitudines placent. Alijs hospites in suas domos, quæ Tekie dicuntur, oppidatim excipere religiosum. Quidã mendicitate continua uictitant. Alij in oppida gelidam recentemq; aquam important, petentibus nulla mercede impartiuntur. Quòd liquid gratuitò offeratur, haud recusant. Alij ad

sanctuaria inhabitant tanquam uigiles, & uoluntarijs populi donis reficiuntur. Quidam sunt quibus Nefles Ogli nomen est. Eos rumor est sine uirili semine conceptos ac natos. Sacerdotes feriari sæpius solent, nunc ut uota populi reddant, nunc maiorum memoriam ut renouent, aliquando communi necessitate adducti, ad imbres impetrandos, aut serenitatem aëris precibus obtinendam. Ad has ferias conuenit omnis uicinia, & epulatur. Tum musicus sumpto incussoq; tympano modulari incipit. Cæteri sequuti singillatim choreas ducere. Feria illis Machia dicitur, & ludus Czamach, qui fit saltatione & tripudio, & decora atq; ad motus accommodata membrorum omnium agitatione. Ad hæc sub finem circulari motu, & uelocissima totius corporis reuolutione: in quo, uis ipsa ludi consistit. Vbi uerò ludum singuli luserunt, tum uniuersi coire, & promiscuè colludere: quibusdam interim precum uocibus editis, pro salute eorum qui uota hæc nuncupauerunt, seu liberales domos ac uiatica sunt impartiti. Vtuntur & cātionibus rhythmicis: idq; uicissim efficiunt, ut scilicet quod unus dixerit, alij repetant. Habent etiā quos à morte diuos factos putent. Quorum omnium facilè princeps est Sedichasi, quem uictorem fas est interpretari. Sepulchrum eius Othomani ac Caramani finibus intermedium est, numenq; inuocari solet omni bellica expeditione. Tum Harschi petteschi, peregrinationis subsidium, peregrinis in honore est. Tertio loco est Askik passa, id est patronus amoris, sumpto ab amore nomine. coniugio præest, partus difficultati, habendæ etiam prolis desiderio, uiri ac fœminæ sedandę discordiæ. Van passa dissidentes animos lenit. Scheich passa perturbatis & tristibus solatio est. Denicq; alij sunt, Gotuelmirtschin, & Bartschin passa, qui ambo pecoris custodiæ præsunt, atq; cōseruationi. Et Chiridelles, qui necessitate affectis uiatoribus opitulatur. Apparet is, ut rumor est, uiatori simillimus, equo glauco inequitans: inuocatus citissimè adest. Quòd si nomen ignoretur, ad Dei implorationem etiam præsto est. Sacerdotum quatuor sunt genera. Quidam uelut gubernacula tenent populi, sacrisq; dignitatibus præsunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Inserunt opinionem, neminē unquam nisi Mahummedis lege seruatum iri. Alij sunt quos uulgò Derniscber uocant. Hi autumant legem nihil prodesse, sed gratiam Dei tantum, qua necesse sit omnem hominem seruari, quæ sine lege & merito satis ad salutem multa est. Eam ipsi Rachmatallach dicunt. Tertium genus est eorum qui Czofilar, id est contemplantes appellantur. his persuasum est unumquenq; debere merito seruari: meritum ad salutem satis esse, etiam sine gratia aut lege. hanc ipsi opinionem Pereketallech uocant. Postremum genus est eorum qui Horise appellantur, id est factiosi. Hi docent unumquenq; lege quam teneat seruatum iri, & unicuiq; genti seu nationi legem latam esse à Deo qua cœlum mereri debeat: & æqualiter omneis leges utiles esse ijs qui eas seuerè, diligenter, & inuiolatè obseruarint, nec ullā alteri esse præferendam. Animaduerti in hos solet acerbissimè, ut in factiosos omnium perditissimos. comprehensi incendio tolluntur. Turcæ furtum in primis acerbè puniunt, homicidium supplicio graui expiant, in cætera negligentius animaduertunt. Commentantur fabulanturq; multa de Antichristo, quem Tetschel uocant. Ad ultimum tamen Mahummedem suum uniuersos, cuiuscunq; sint uel sectæ, uel religionis, post diem diuini iudicij, ab inferis reuocaturum arbitrantur.

Mahummedes

TAmetsi quidam tradunt Mahummedem Turcarum & Saracenorum (qui olim duæ, tempestate nostra gens una sunt) prophetam ac legislatorem, genus ex Arabia, alij ex Persia traxisse: eum tamen Cyrenæum, ab ipsis cunabulis à prædonibus Saracenis raptum, in Arabiam asportatum, & Ismaelitæ cuidam mercatori claro ac diuiti (cui nomen erat Abdemonaplis) uenditum fuisse certò comperio.

Natalibus fuit ualde obscurus. natus est anno à salute nostra circiter quingentesimo octogesimo duodeuicesimo, Mauritio Imperatore, rege in Gallijs Clotario secundo.

Puer, ornamentis pueritiæ, lepore scilicet ac uenustate ita affluxit, ut heri sui (qui liberis carebat) delicię amoresq; factus, uulgo filius Abdemonaplis diceretur.

Nec destituit fauor herilis adolescentem: quem ut mercaturæ faciendæ peritia augeret, utq; in gratiã cum mercatoribus alijs poneret, magistrum fecit camelorum, quos plerunq; in Aegyptum, Syriam, Palestinam, & loca finitima, negationis causa dimitebat.

Ex quibus peregrinationibus, præter quàm astutus, callidus, & in omni commercij genere exercitus, etiã religionis Christianæ ac Iudaicæ, ex crebra cum Iudæis & Christianis communicatione doctus euasit.

Accidit ut eo tempore Sergius monachus, Constantinopoli ob hæresim exul, in Arabiam profugeret, forteq; hospitali tecto ac mensa ab Abdemonapli reciperetur.

Cuius humanitatẽ ut animo cepisse uideretur, utq; eam quã ambiebat extorris gratiam iniret: amore quem ergo Mahummedẽ singularem habebat deprehenso, Mahummedi se ad amicitiã ac familiaritatem adiunxit.

Officia id genus peperere inter eos summam cùm rerum omnium, tum maximè suarum de Christiana nec non & Iudaica religione sententiarum communicationem.

In qua Sergius facultate dicendi superior, & in literis sacris (quarum professor erat) exercitatior, Mahummedem facilè ad arbitrium suum adducebat: atq; in hæresi Nestoriana (cuius causa exulabat) obstinatè perseuerans, nunc Iudæos illi damnabat impietatis, qui sacrosanctum prophetam IESVM CHRISTVM nequiter in crucem egissent: nunc uicissim Christianos stolidæ fiduciæ ac leuitatis, qui de IESV CHRISTO crederent, quæcunq; credebant.

Moritur interea Abdemonaplis. Vidua eius Gardigena iam quinquagenaria, nuptijs non contenta prioribus, haud ita multo pòst secundo nubere deliberat. Incitabant ad id fortunæ amplissimæ, quarum solicitudine exedebatur nullo hærede domi, solatium item, atq; rei familiaris securitas, quæ à nouo marito expectabat.

Nemo sibi aptior uisus est famulo Mahummede. Qui præter quàm iuuenis, lepidus, callidus: officij etiam domestici, uita functi necessitudinum ac commerciorum gnarus erat.

Nupsit ergo Mahummedi. Qui ut se ex nuptijs opum copia, famulitio, amicis locupletatum sensit, ut erat natura animo excelso & superbo, mercaturæ studijs, quasi humili & se indigno genere uitæ, renunciare, inq; militiæ disciplinam proficisci decreuit.

Quod quidem executus est ita, ut breui admodũ tempore, partim calli-

ditate

ditate ingenij & facundia, partim largitionibus, prędonum Saracenorum, militumq; omnium uoluntates mereretur: atq; authoritate sua numerum de eis quem uellet, ubi & quoties uisum erat, congregaret.

Atqui, Sergio utebatur semper familiariter. Qui ut Mahummedem ex famulo patrem familias, ex paupere diuitem, ex homine nihili uirum alicuius potentiæ factum uidit, perpensa diligenter non eius modò temeraria gloriæq; cupida natura, uerumetiam magna cum Saracenis militibus gratia, perspecto item rerum quæ ipsius erant priuatarum tenui statu, quem & augere opibus, & fama illustrare Mahummedis auspicio, nec non & arte sua cupiebat, beneficiũ quasi collocando accepturus, adiuuare Mahummedem consilijs, splendorem domesticum ob oculos ponere, fauorem militum inculcare, authoritatem qua erat apud omnes prædicare, copiarum conuocationem, dominatus occupandi opportunitatem, uictoriæ potiundæ facultatem suadere cepit.

Audiuit Mahummedes libenter monentem grata & iucunda, facileq; monitori acquieuit. Sed ne non honesto colore facinus audax tentaret, ambobus consultum uisum est gerendæ rei occasionem, ex ea quæ inter Iudæos & Christianos tum maxima fuit, religionis discordia capere, ac concordiæ reconciliationem simulare.

Quod mendacium ut specie ueri prætexerent, nouam quandam religionem excogitarunt, partim ex Hebræorũ, partim ex Christianorum floribus delibatam. Quam cum in genere ac certas quasdam leges digessissent, commentario conclusam, Alcoranum, hoc est præceptorum uolumen appellarunt.

Tum deinde Mahummedes, authore Sergio, collecto frequenti exercitu procedere, Alcoranum suum in medium proferre, ipsum à se diuino afflatu conscriptum ad controuersias de religione tollendas profiteri aggreditur. Se porrò diuinitus missum affirmare, qui Arabum sit propheta, qui eos à religionis erroribus, in quibus uersantur, auocet, qui leges Alcorano suo comprehensas in publicum proponat, qui earum sanctimoniam doceat: Quas si custodirent sanctè, certò scirent se, primùm, in hac uita Mussilmanos, id est beatos appellandos: postea autem, in cœlo præmio ineffabili remunerandos.

Quia uerò aliqui emunctæ naris homines, commenta eius deprehendere, inficiari, disputando infirmare potuissent, atq; adeò populum rudiorem, non oracula esse diuina, ut impudenter impieq; iactabat, sed nugas, captiones, fallacias, mera mendacia docere: Lege pariter cũ libro suo promulgata sanxit, ne de eorum, quæ in Alcoranum congesserat, ueritate aut falsitate, pœna capitis, ũllo modo inquireretur ac disputaretur. Responsa enim Dei uocare in dubium, nemini cuiquam licere.

Interea autem legis suæ, augustæ scilicet, publicandæ specie, Arabiam quasi aliud agens, militibus ita occupauit, ut breui admodum tempore uniuersam, partim terrore, quem unicuique exercitu formidabilis iniiciebat, partim ineptæ ad uerum discernendum plebis suffragio, quæ pro sua simplicitate ipsum, & internunciũ Dei esse credebat, & tanquam sanctissimum prophetam uerebatur, in suam potestatem redigeret.

Rebus prima hac expeditione fœliciter gestis inflatus, de usurpanda quoque Syria cogitare cepit. Sed admonitus bello opus esse, incolas enim armis restituros, uiribus suis omnibus collectis, Syriam inuadit.

Quam

Quam cum aliquandiu populando uexandoq; territasset, fugatis passim hostibus, non Damasco modò urbe, sed & omni prouincia, & deinde Aegypto pari fortuna potitur.

Successibus istis inebriatus, cum prosperos semper euentus belli sibi fore crederet, & Persiam suspectam haberet, animo cum Persis belligerandi, spe etiam eos ut prius Arabas, Syrios, atq; Aegyptios perdomandi, iter in Persiam conuertit.

Cuius fines incursare uix dum cœperat, ecce Cosrhoes rex ex aduerso ingentem Persarum manum in expeditionem educit. Congreditur actutum: signa uiriliter conferuntur: cadunt utrinq; non pauci. Mahummedes denique uulnere in facie accepto, uertere terga, seseq; in fugam dare cogitur.

Moritur paulo pòst Cosroes. In cuius locum suffectus Syrochis, uita post anni spacium excedit, relicto in successorem Adhisere filio. Sed & hunc continuò mors occupat: quare populus Harmisdam sibi in principem elegit.

Contra quem Mahummedes, accessione Arabum Saracenorum, (qui uulgo Scenitæ, hoc est grassatores populatores ue dicti, nuper ob stipendia ab Heraclio Cæsare denegata, Romanos deseruerant) fortior in Persiam reuertitur.

Stetit ex altera parte in procinctu Harmisdas: atque ut à longiore progressu hostem arceret, prælio excipere sine mora uoluit. In quo fusis fugatisq; suis ipse occiditur.

Victor Mahummedes nullo posteà discrimine Persiæ regno potitur, ac demum quas Arabibus antè, Syrijs, Aegyptijs, leges Persis imposuit.

Regnauit deinde sexennium: quo exacto, ueneno tollitur ab uno familiarium Gardigenæ uxoris propinquo. Vixit annos quadraginta (sunt qui triginta quatuor dicant, alij triginta septem.) Discessit è uita post Christum sexcentesimo tricesimo octauo: iacet in Mecha Persiæ sepultus, ubi etiamnum hodiè sepulchrum eius apparet.

## DE TAMERLANIS PARTHI REBVS GESTIS.

TAmerlanes Parthus natione, genere obscurus, in gladiatorium ludum ab ineunte pubertate à parentibus missus, armis egregiè tractandis ea uigilantia incubuit, ut pauculo etiam tempore cæteris longè superatis, cognitu difficile reliquerit utro magis, corporis ne uiribus, an dexteritate usu compara ta, aut etiã astu atq; feriendi industria ualeret. Ea exercitatio strenuo adolescenti tantam disciplinæ militaris opinionem, famam nominis ac gratiam apud omneis armorum studiosos peperit, ut infinita propè hominum omnis ætatis multitudo, ad illum tanquam ad consummatissimum gladiatoriæ artis præceptorem, cùm pascendorum oculorum, tum præcipuè imitationis causa conflueret. Quorum conciliatis animis, & eorum præsertim qui militiam colebant: haud multis interiectis annis effectum est, ut ipse potentissimi equitum ac peditum ultro sequentium exercitus dux maneret. Sed accidit per id tempus, ut regnum Parthorum à Saracenis occupatum, longa seruitutis patientia languesceret: cunctis quidem ægre ferentibus, talibus se dominis obnoxios esse, sed tamen nullo ijs malis uerberum

uerberum metu, aut uinculorum aut mortis, aduersum ire audente. Tamerlanes hac morum indignitate, nec non pietate erga patriam cõmotus, (erat hic quidem titulus cõscribendi agminis, re autem uera apprehendendæ tyrannidis accendebatur occulta libidine) cœpit paulatim nouis editis uirtutibus ac liberalite, prout facultates erant, numerum suorũ adaugere. Qua ratione, cum uires suas ad Barbaros exigendos, recuperandumq; regnum satis magnas esse arbitraretur: repentè Sarracenos inopinantes aggressus, exterminatis illis, dominium Parthorum in se transtulit. Hac fortunę beneficentia cum nihilo quidem segnior, sed alioqui multo ambitiosior euasisset, bellum inferre finitimis instituit. Nec institutum res morata: quippe facto in nihil tale suspicantes impetu, eos nullo propè negotio edomuit. Ex talibus uictoriis cum semper aliquid nouarum uirium ad pristinum robur accederet, & ideo potentior ipse ad populum proximum ijs quos subiugarat perueniret, annis admodum paucis Asiaticos, Scythas, Iberiam, Albaniam, Persas, Assyrios, Medos, in suam potestatem redegit. Postremò subacta Mesopotamia, atq; Armenia maiore superata, traiecto etiã Euphrate amne, anno à CHRISTO nato circiter millesimo trecẽtesimo nonagesimo, Caroli sexti Francorũ regis decimo, cũ quadringentis equitũ millibus & sexcentis peditum conscripta passim multitudine, in Asiam minorẽ terribilis irrumpit. De cuius irruptione certior factus Baiazethes, rex eius regionis, origine Turcus, ut Parthum à suo regno arceret, in tempore cũ paratissimis copijs obuiam illi ad terminos usq; Armeniæ processit. Nec terrori aut auocamẽto fuit, quòd se hoste suo numero militum multo esse inferiorem intelligeret: sed animosiorem eum reddebat eximia in opprimendis inimicis Turcarum uirtus ac industria, multis iandudum certaminibus explorata, & innumeros à paucioribus aliquando fusos fugatosq; meminerat: atq; adeò fortunam esse bellorum deam ac dominam, quę infirmiori frequenter potentiorem subijcit. Quare hostem nihil ueritus, cum nusquam prius sibi quiescendum esse crederet, quàm in eum militem suum impulisset, breui ad Stellam montem, qui in Ciliciæ Bithyniæq; confinio est, peruenit: & ibidem ubi olim Mithridates & Pompeius signa cõtulerant, aciem suã Partho opposuit. Collocatis ex aduerso Imperatoribus, Tamerlanes extemplò, ut erat acer, suos pugnam capessere iubet. Incitat & suos Baiazethes, & hortatur ut alacriter dimicent. conclamatur utrinq; concurritur animis infensissimis. Tracto in maiorem partem diei prælio, cadentibus assiduè ex utrisq; quãplurimis, & cæsis penè infinitis, ea nihilominus sæuitia ac constantia pugnabatur, ut neutro principum cedente alteri, quò inclinaret uictoria, iudicatu foret difficile. Ad extremum Turci resistendi lassitudine deficientes, & cæde plurimũ diminuti, cum duros Parthorum impetus sustinere amplius nõ possent, nouis continuò Parthis in fessorum locum ex abundãtissimo adhuc numero succedentibus, nec haberent ipsi unde simile efficerent, dabant operam primò, ut minori uitæ periculo seruatis ordinibus pugnæ se subtraherent. Sed Tamerlanes deprehensa tergi uersatione, euestigiò turmas emittit, eo furore ac uiolentia subsequentes, ut rupti ac dissipati ducentis penè millibus cæsis, concessa hostibus uictoria, Turci fugam caperent. At Baiazethes munia nunc strenui Imperatoris, nunc generosi militis obeundo, ut qui uihil nõ aduersante fortuna tentandum putaret, & iam mortem ut suam ulciscereturnon uictoriam quæreret, laboraret: cædendo sternendoq; omnia, equo ad ultimum præcipitatus,

tatus capitur, & uiuus ad Tamerlanẽ pertrahitur. Qui quidem ſtatim captiuũ in uincula principem coniici imperat: catenatũ demum, dilapſus in Aſiam, iis quibus dudum imperabat deuictis gentibus ludibrio exhibet. Facinus ſpectaculo indignũ, & Tamerlane, ſi hominis meminiſſet. Sed multo indignius eſt quod de eo in eiuſdem immanitatis cõtinuatione traditur. Enimuerò ferunt Baiazethem eo quo ſuprà habitu, ex mandato uictoris quoties epulabatur ipſe, infra menſam quaſi canem ſubligatũ cibari conſueuiſſe. Et in equum aſcenſuro, pronum, ac ad pedes procumbentẽ, ſcamni loco fuiſſe. Quod feritatis exemplum, captiuus reliquũ uitæ pertulit. Tamerlanes porrò ſubiugata, direptaq; ad Nilũ Aſia, & expugnatis Smyrna, Antiochia, Sebaſtia, Tripoli, Damaſco, atq; alijs pleriſq; ciuitatibus, confectis ad unũ habitatoribus, eas populatus eſt, & populatas ſolo æquauit. Inuaſit deinde in Aegyptum, ac fuſis ſæpius Sultani copijs, ipſum in fugã uerſum ultra Peluſium coegit. Quo ad perſequendũ fugientem cum tranſmittere inſtituiſſet: reuocatur annonæ inopia, & per ſolitudines arenoſaq; loca paſcendi innumeri exercitus difficultate. Omnibus magnæ admirationi fuit ordo eius ac militaris diſciplina: quippe ea illum prudentia ſuis præfuiſſe affirmant, ut ubi ubi caſtra poſuiſſet, ibi nihil nõ omnis artificij generis eſſet reperire, haud ſecus quàm in oppido quouis munitiſsimo. Nã in caſtra metando deſignabat ſingulis, prout cuiuſq; ars erat, certa loca, è quibus, tanquã è penu, capi omnia poterant. Ideoq; affluebant illic res ſemper, cõmodante ad id Imperatoris aſsidua ſeueritate: qui nihil perperam fieri, neminẽ uiolari, à nullo alí quid præter uoluntatem, ne minimũ quidem olus auferri impunè permittebat. Eoq; cõſilio efficiebatur, ut uniuerſa uicinia nõ minori in hæc caſtra ſecuritate, quàm in celebres nundinas merces ſuas eueheret & exponeret. Eadem Tamerlanis uirtus eò temperantiæ populũ illũ infinitũ adduxit, ut inter tot capita nulla omnino ſeditio naſceretur, quaſi omnia in uno Imperatoris capite eſſent comprehenſa. Quid quòd tot ſuſceptis expeditionibus, tot commiſsis prælijs, tenta toties fortuna uictor ſemper extitit? Grata in primis ea illi cõſilia fuere, quorum euenta hominũ iudicio dubia, & inſperatę uictoriæ forent. Cuius rei documentũ, aſpera illa Damaſci obſidio prębuit. Etenim expugnata Damaſco, cum præſidium urbis in propugnaculũ ſe proximum recepiſſet, idq; (etſi de oppreſſione nihil timeret, iudicantibus ſingulis locũ eſſe inexpugnabilẽ) faſtidito tamen prælio, cũ ſeruari alia uia poſſet, ſignũ deditionis ederet, & accipiendã continuò id genus conditionẽ cæteri Parthorũ duces Imperatori ſuaderent, ſurdis ille auribus omnia prætermittens, in propugnaculi tantũ expugnationẽ incumbebat. Cuius ſitum cum diligenter exploraſſet, quumq; præ nimia ſublimitate murus nullis ſcalis ſuperari poſſet, et nihilo ſecius id quacũq; induſtria expugnãdum ſibi conſtanter proponeret, molitur extemplò nouũ è regione propugnaculum obſeſſo multo ſublimius. E' quo incuſsis die noctuq; frequẽtibus in hoſtem machinis, & occidione occiſis ferè uniuerſis, bona etiã parte muri deturbata, paucis tandẽ ſuorũ impetũ ſuſtinentibus facilè admittitur. Ad hæc admonitus Caphæ tum Genuenſium coloniæ, ſitę in Cherroneſo Taurica haud procul Boſphoro Cimmerio, immenſum eſſe aurum ac argentũ, multis eius oppidanis negotiationem exercẽtibus, adiecto ad uim urbi inferendã animo, reputando ſecum periculo belli imminente auerti theſauros, infodiq;, atq; omnino inſidiantium uotis ſubtrahi facilè poſſe: ut & muris potiretur et pecunia, nec quicquã triumphatorẽ præteriret, facit hanc fallaciã: Euocat ex optima ſui populi parte negotiatorũ numerũ incredibilem, iubetq; adeſſe illos omni pellium precioſiſſimarum genere onuſtos. Præcipit deinde ut Caphã mercem iſtiuſmodi alioquí raram & ideo maximè uendibilẽ futurã importent, & ad uendendũ, etiã pauco,

ad alliciendos incolas, & facilitatẽ permutandæ mercis, pecuniæq; ab illis comparandæ exponant. Dictum ac factũ est singulari utrinq; prudentia. Commercio uigilanter habito, & permutatione mercium exinanitis plurimum auro atq; argento Caphæ habitatoribus, omnia ea pecunia opulentior bellũ urbi denunciat, & muro simul castra admouet. Qui undequaq; hostibus cinctus, & crebra machinarũ infestatione passim excussus ac labans, Tamerlani oppidanos unà cum pellibus & thesaurorum reliquijs nõ difficulter prodidit. Mos eius quo in obsidionibus semper usus est, peperit admirationem posteritati. nimirum quócunq; hostis aduenerat, mox sibi locum dedi postulabat, & eo ipso die candidis in tentorijs hospitabatur. Quòd si eodem die gens obsessa deditionem faceret, seruabatur incolumis, intactis inuiolatisq; & hominibus & fortunis. Secunda lux continuò candida tentoria in rubra mutauerat: quo aut deditione, aut grauis afflictionis signo, si afflicti se dederent, singuli patresfamilias supplicio mortis affecti, hesternæ contumaciæ pœnas luebant. Tertia mutatio in nigra erat: à qua si uictoria potiretur, trucidatis ætatis cuiuscunq; ac sexus habitatoribus, & fortunis quibuslibet direptis aut dissipatis, subiecto præterea ædificijs igni, locum funditus excidebat. Huic obsidendi formulæ exemplum non defuit. Nam accidit inter hæc discrimina, ut & uiris & muris, & omni belli apparatu insigne oppidũ à Tamerlane iam biduo oppugnatũ, deditionẽ nihilominus, confidentia uiriũ internarũ, in diem sequentẽ differret. Cuius oppidani cũ de muris tantundem procidisse cernerẽt, quantũ irrumpenti hosti sufficeret, & copias hostileis in procinctu adesse, ut introirẽt: ea tam aduersa fortuna stupefacti, & perpetrati in non dedendo criminis satis superq; memores, rati tamẽ Parthum haud adeò ab humanitate esse alienũ. quin aliquid de homine reliqui sibi fecisset, ad impetrandã eius misericordiã cõuertuntur. Itaq; precibus & lacrymis & humilitate, furias superbiamq; uictoris mitigatũ iri cõfidentes, ingentẽ fœminarũ ac puerorũ multitudinẽ albo indutã, manibus oliuarũ ramos, oblata publicæ fidei sponsione, prætendentẽ, & ueniã fletu supplici expoſcentem obuiam mittunt. Vixdum oppido exeuntes prospexerat, cũ turmas ferro inuenientes agi, & eos in discriminatim oppressos cõculcare, interſecare ac interficere iubet. Oppidũ deinde post obuiorũ confectionem depopulatus exusit: tam fœda & implacabili erat iracũdia. Haud abs re igitur apud Ligurem negotiatorẽ amicũ, qui in cõmuni colloquio feram eius in uictis multãdis crudelitatẽ temere magis ac familiariter, quàm prudenter accusabat, obuersis in eum flammãtibus turbatisq; oculis, in hæc uerba prorupit, Si me hominem esse arbitrare, falleris: equidẽ ira dei sum, & ruina ac pernicies hominũ. Qui uiuũ aliquã do obseruarũt æquales, eũ motu corporis & moribus Hannibali Carthaginiensi, ut à maioribus descriptus est, simillimũ fecere. Oderat in primis latrocinia, & ea in singulis seueriſsimè uindicabat: ob id fortè, ut ipsi qui in piraticam publicã incumbebat, nemine alio, supplicij metu, latrocinante, orbis ex animo spoliandi facultas esset. Ad postremũ, cũ in sola tyrannidis occupatione summã fœlicitatẽ iam olim collocasset, omnẽ à bellis cessationẽ sibi uitio dabat, tempore suo se functũ egregiè iudicans, quoties nouis aliquẽ molestijs interturbarat. Subiugatis ea uia multis regibus, pluribus uictis satrapis, plurimis regionibus labefactatis, afflictis ad internecionẽ ciuitatibus innumeris, manubiarũ in immẽsum diues, domũ unà cum exercitu prædis & rapinis grauissimo regreditur. Condidit deinde apud suos Mercantẽ urbem, in quam familias, quas è deuictis passim nationibus captas, simul cum rebus uniuersis eò relegarat, ad habitandum deduxit. Quarum etsi genere differrent, cõcordia, labore, atq; industria effœtus antea locus adeò germinauit, ut breui postea lætissimè fruticesceret ac floreret: & Orienti deinceps

clarissima

clarissima opibus Mercantes plurimũ lucis adderet. Vita denicp functus, parti imperij hæredes reliquit duos masculos: qui mutua dominandi æmulatione in discordiã lapsi, profanis odijs atcp armis internecinis nomen Parthicum, quod mortuum olim Tamerlanes pater in uitam reuocarat, labascere denuò ac mori permiserunt.

## DE EXPVGNATA A' MAHVMMEDE CONSTANTINOPOLI.

MAhummedes singulari uir fuit ingenio ac consilio. Huic post adeptum patris Amorathis imperiũ, cum partę à maioribus facultates non sufficerent, & nouis idcirco rebus studeret, ea uia (excitata sui nobili existimatione) parentũ suorũ exempla non adæquaturum se modò confidens, sed etiam longè superaturũ, animũ cõtinuò ad occupandã Constantinopolim adiunxit. Eius consilij hæ præsertim causæ fuerunt: Inscripturũ se temerè atcp iniuria Græciæ Imperatorẽ perspicuè uidebat, ipsa Constantinopoli imperij sede in ipsius nondum potestate constituta. Intelligebat præterea, ingentem sibi nominis gloriam apud omneis nationes conciliatum iri: magnũ etiã timorem sui collectũ atcp expectationẽ, si uixdum pubertate egressus, urbem tantæ famæ ac potentię expugnasset, suæcp ditioni adiecisset. Et eò certè id magis conabatur, quòd in eiusmodi expugnationem, maiores suos diligentem sæpius operã nauasse audierat, re tamen infecta singulos illinc ridiculos discessisse. Inita itacp subductacp id genus ratione, et cõmunicato cum perpaucis consilio: atcp adeò excogitata falsa occasione quare id faceret, multã fabrorum manum incredibili celeritate conuocat, ac in fauces Bospori Thracij haud procul Constantinopoli, in subitum nouæ arcis ædificium educit. Cui qui dem operi fine maturè impositio, ualidũ quocp præsidium, & tormenta, et annonam, & res denicp ad custodiam eius necessarias diligenter adhibuit. Tum sine ulla belli indictione, religione initi à maioribus fœderis pro nihilo habita, uiolato pariter datæ in stabilẽ pacẽ fidei sacramento, ut qui omnia sibi præ suo commodo pòst esse duceret, ad Constantinopolim citius opinione cũ infestissimis copijs accessit. Et subitò populata miserè calamitosecp uexata omni uicinia, terra nõ longè à muro castrametatur, mari uerò uiolenta oppugnatione urbem lacessere incipit. Subolfecerat pridem Græcus Imperator, & cæteri etiam Græcię principes, isti Mahũmedis apparatus quorsum tenderent: & magno ideo metu commoti, quòd sese impotẽtiores scirent qui tanto impetui resisterent, maturè legatos in Europam dimiserant, qui Romanorũ Pontifici atcp Imperatori, reliquis similiter Christianissimi regibus ac principibus uiris, Græciæ calamitatem unà cum communi Christianorũ periculo exponerẽt, & opportunũ, si possent, auxiliũ impetrarent. Mahũmedes euocata hoc medio tempore ex omni suo imperio multitudine hominum incredibili, & cõmeatu muralibuscp tormentis in immensum comparatis, mari terracp hostes circunsepserat: atcp oppositis muro machinis, fœlicem conatuũ suorũ euentũ expectabat. Atcp ut in ciues improuisus irrumperet, frequẽteis cuniculos, & nõ paucos subterraneos fecessus in mœnia curauerat effodiendos. Vt uerò miles haud difficulter hosti se sisteret, & nihilominus in loco editiore dum conflígeret moraretur, hincp facilius cum fors postularet, summũ murum scalis admotis superaret: è cõtinente, fossa ualde profunda, & eminenti uallo urbem cinxerat. Qua autẽ murus Pæram uersus, mari alluitur, pontem passuũ circiter duorũ millium singulari artificio fecerat, & pleraspcp huic turres superimposuerat, è quibus copiæ huiuscemodi industria mœnibus altiores reddítæ, ciuitatem è sublimi uexarent. Cum apparatu adeò terribili Mahũmedes pluriũ dierũ spacio, erepta ciuibus omni quiescendi facultate,

urbem continenter affligebat. At oppidani coniurati citius extrema quæq; paſſuros, quàm in impij hoſtis manus deueniant, animosè, alacriter & obſtinatè pugnando quoduis periculũ ſubibant. Sed tandem Mahummedes, cum de muro ſubſtratum tantũ crederet, quantũ ad introducendũ militem & ciueis expugnandos ſufficere arbitrabatur: & iamiam triumphum ante uictoriam caneret: per præcones denunciat expugnationem in craſtinum, qui fuit Calendarũ Maij dies ſextus, Anni à CHRISTO nato milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſecundi, Caroli Francorũ regis ſeptimi, triceſimi tertij. Et ideo præſto eſſe ſingulos iubet, & urbem tanquam intra triduum in manus uenturam, omnibus in direptionẽ promittit. Eo propinqui conflictus præconio exhilaratus eſt exercitus: quiſq; pro ſe ea quæ ad ſtrenuè prælíandum opus erant conquirebat. Nec de tanto numero fuit qui eo die cibũ caperet (homines adeò explent quæ ſibi iucunda ſunt) ſed præparandis omnes rebus pugnæ neceſſarijs uigilanter incumbebant. Deinde uerò poſt occaſum ſolis ut primùm ſtellæ elucere incipiunt, cõuerſi ad epulas & pocula ſinguli, diuerſa inter ſe cõuiuia celebrare, alius poculis aliũ inuitare, & conſanguinei conuenire ac coepulari. Tum cœna id genus in multam noctem producta, quietem feſsis corporibus impartituri, abitionem parant. In ea complecti ſeſe ac deoſculari, et multis interim ſermonibus alij ab alijs quaſi nunquam poſteriùs collocuturi diſcedere. Ediuerſo, cognita Mahũmedis acerba ſanctione, atq; hoſtili proſpecto apparatu, ſacerdotes & quotquot intus erant ſacrificí, elatis ex adyto uirorũ ſanctorũ reliquijs, CHRISTI quoq; Opt. Max. in crucem acti, necnõ Mariæ uirginis ſacroſanctæ productis ſignis, euocato adhæc omni populo, uiris, fœminis, maioribus natu ac minoribus, certatim ſupplicationes facere, urbẽ colluſtrare, ædem quamlibet oratum adire, flere ſuppliciter, diuinum implorare auxilium, laude, pijs cantionibus, lacrymis, uoluntaria multa, cibi præſentis abſtinentia miſericordiam ſui prouocare. Denicq, cum adueſperaſceret, cœna mediocriter refecti, in aſsignatum ſibi quiſq; locum defendendũ cõceſſerunt. Muri denſitas eximia erat, nec quarũuis urbium muris eiuſdẽ cedebat altitudo. De ea tamen aliquid paſsim uetuſtas corroſerat, & pinnæ Græcorum negligentia propugnaculaq; uariè ſubruta erant. Verùm ſpes erat magnæ defenſionis in pomœrio, quod quidẽ cumulatis ubicq; aggeribus, & murali munitione ſatis ad pugnandũ potens apparebat. In eo pariter ut in muro aduigilabat frequens miles, ut hoſtem, quoties irruptionẽ moliretur, ualidè intrepideq; coerceret. Eſt Cõſtantinopolis figura propè triangulari. Eius partes duæ, quæ mari alluũtur, mœnibus cinctæ ſunt claſsi aduerſarię ſuſtinendæ. Quod ſupereſt, cõtinentem uerſus, ultra murum & pomœriũ foſſa circundatum eſt profunda admodum ac patenti. Tertia noctis uigilia, Barbari manifeſtæ prædæ auiditate urbi antelucanò oppoſiti, dato ſigno oppugnationem aggrediuntur. Quod ubi oppidani animaduertunt, alacriter obſiſtere, ſaxa ſagittasq; ſuperne iaculari, hoſtem inſultantẽ totis uiribus propellere ac ſubmouere. Tenebræ in cauſa fuerunt quare utriq; unde impeterentur ignari, hi grauiſsimè uulnerarentur: illi magno ſuo detrimento è ſuis pluteis ad oppugnandum egreſsi, confertim occumberent. Cum paulo pòſt diluxiſſet, Mahũmedes eò cũ ſuis omnibus copijs acceſsit. Tum conuocatis ad ſeſe legatis præfectisq; militaribus, præcipit ut uno eodẽq; tempore, ne Græcis mutuo ſe auxilio iuuare liceret, in Pæram ac Conſtantinopolim periculum belli intendant. Præſcribit demũ certam cuilibet muri portionẽ, quò ſingulis in præſcripti ſibi ſpacij expugnationẽ intentis, omniũ uirtus, induſtriaq; militaris qualis eſſet appareret: & æmulatione gloriæ ad ineundum prælium nemo nõ incitaretur. ſimilis fuit naualis pugnæ deſcriptio. Ac cum imperaſſet unumquẽq; eadẽ hora in aſsignato

ſibi

sibi loco consistere, prouehendas ad murum ligneas arces curat: è quibus milites cum hostibus, operis sublimitate æquales facti, facilius atq; asperius contenderent. Tum signo cupientibus dato, studet primùm superstites mœnium pinnas & speculas omneis murali machinatione prosternere. eo nempe consilio præreptam esse uolebat inimicis prospiciendi, quid foris ageretur, facultatem. Deinde lituis, cornibus, ac tubis toto exercitu crepantibus, suis animum facit, ac prælium instaurat. Turci facta testudine, quę in suum corticem abdita sibi ad quamlibet ferendam iniuriam affabrè uidetur munita, scutis clypeisq; suppositi, scalis muro inhærentibus, magna ui atq; audacia in summũ murum conscendere. Græci ex opposito certatim saxa in conscendentes deturbare, ignem cum sulphure obtrudere, sordes affatim profundere, flammantes lanceas offerre, tela omnis generis obijcere, longurijs scalas subuertere, subeuntes præcipitare. Ad extremum, continuata è sublimi huiuscemodi propugnatione, nemine ciuium frustra laborante, Turcis cumulatè decidentibus, uulneratis, mortuis, labefactatis dissipatisq; omnium clypeis, cum Mahũmede longè aliter quàm sperarat agebatur. Et iam plericq; oppugnantium posito inuadendi hostis ardore pedem retrahebant. Eò Mahũmedes fractos suos cum animaduerteret, ocyus accurrit, & nominatim modò hunc, modò illum, strenuos potissimũ ac pugnaces compellando, ad prælium instaurandum hortatur. Postremò efficit nobilis Imperator, ut persuasi nonnulli eius minis, alij precibus ac pollicitis, omnes resumpto animo oppugnationem redintegrarent, multo acerbiore, quàm dudum, sæuitia. Ad muri itaq; superandum fastigium intenti, partim in mutua comitum dossuariorũ terga insilire, & ex hastis muro affixis pendere: partim scutis operti, scalis uiam corripere: & apprehensis una manu armis hostilibus, alterã summis mœnibus applicare, ac in culmen eorum ad hostem peruadere conari. Ac quanquã à fortissimis ciuibus innumeri saxis, igne, pice feruefacta, atq; hastis propulsi, in terram præcipites agerentur, in eorum tamen locum noui cõtinuò succedebant. Ea de causa Mahummedes suis perpetua nouorum subrogatione recreatis, & cõtinuato ea disciplina impetu, ne tantillum quidem respirandi spacium hostibus permittebat, adeò ut numero pugnantiũ destitutos, uniuersis uiribus breui exhauriri, ac languore paulo pòst cõfectos, ad internecionem cædi oporteret. Sed quod Græcos in primis deterruit, atq; ita perturbauit, ut omnẽ uincendi animum expauefacti omitterent, hoc fuit: Ianus quidam Iustinianus è Liguria, homo apud suos nobilitate, gratia & fortunis potens, Cõstantinopoli fortè tum fuit, cum obsideretur. Hic suam sortem non meliore loco esse quàm reliquorum qui obsidebantur arbitratus, sibiq; non minus ex usu esse quàm cęteris, si ciuitas integra conseruaretur, in defensionẽ eius unà cum reliquis arma sumpsit. In quibus ea fortitudine se gessit atq; prudentia, ut ipsi seruatę hucusq; urbis, communisq; salutis gloriam singuli facilè deferrent. Accidit ut inter pugnandum cum irrumpenti hosti fronte aduersa obsisteret, telo suorum infœlicíter in hostem misso, grauiter incautus uulneraretur. Cruoris extemplo è dorsi uulnere manantis abundantiã intuitus, nolens, ut demum prædicabat, commilitonibus perturbationi interpellationiq; esse, si quempiam eorum accersitum medicum dimitteret, clanculum se prælio subduxit. Cuius discessu renunciato, Constantinus Imperator in eius absentia periculũ urbis collocans, & salutẽ in præsentia, relictis in ardentissimo conflictu sine duce stataríjs militibus, absentem ipsemet reuocatum concesit. Ad quem cum peruenisset, orare atq; obsecrare, ne prælium intermittat, instare ut redeat, ut hoc se Imperatorem exorare sinat efflagitare. Verùm ille, cum nullis precibus flecteretur quin iter suum insisteret, eadem tamen conditione portis excesit, ut ubi primùm medicatione

refectus foret, in stationes properè reuerteretur. Obseratæ tum erant fores, quibus pomœrio egressuris uia patebat: quòd ea præsertim ratione cautum fuerat, ut prærepta certantibus abeundi facultate, id unũ sibi proponerent, ibi aut uincendum esse fortiter, aut uiriliter moriendum: eaq; de causa audacius alacriusq; decertarent. Exitus ut Iano patuit, ijs simul qui hostem à muro coercebant, animi cecidere. Videre erat alios sensim loco cedere ac dilabi, alios pugnæ segnius intendere, singulos debilitatione atq; abiectione animi collanguere, omneis sibi desperantes auersos in fugam præsentẽ incũbere. Ea re cognita præfecti Turcarum confirmatis animis, iterata cohortatione suos quisq; denuo longè maiori quàm ante audacia in murum incitant. Hi officij memores, & ducum suorum beneuolentiam aucupati, certatim in expugnationẽ proruunt. Pars ruinis proiecturisq; mœnium, quas dura machinatio patrarat, innitentes, summum murum inuolare: pars scalis se promouentes fastigio insistere, in pomœrium desilire, hostes inde abigere incipiunt. Irrum pentibus eum in modum Turcis, Græci magna trepidatione in fugam uersi: quà Iustinianus exiuerat, eò omnes, salutis suæ causa erupturi, confugiunt. Sed Imperator Constantinus ut suos fugere intuetur, sui officij ac dignitatis oblitus, nec eius quod tantum principem decebat satis memor, esse scilicet imperatorium suis fusis pulchram uulneribus mortem oppetere: terga quoque ipse dat, & præceps recta in portam post suos fertur. Ob cuius angustiam, cum ipsa confertim effugientium multitudine offensus, atq; indiscriminatim abeuntium impetu succussus humi procubuisset, miserrimè proculcatus interijt. At in tanto propugnatorum numero qui nuper afflictæ urbi præsidio erant, duo solum reperti sunt, qui salute religioni ac famæ postposita, uiriliter ad extremum pugnando, strenuorum hostium gladijs configi atq; internecari quàm fugere maluerunt. Eorum unus, Græcus erat Theophilus Palæologus: alter Ianus quidam natione Dalmata, seruus conditione. Qui quidem è conflictu fugisse uiro cuilibet quantæ sit turpitudini ac dehonestamento secum reputantes, inimicam irruptionem soli tantisper sustinuerunt, dum turba innumera circumuenti, non tam uicti quàm uincendo fatigati, cæsis sua manu permultis, ipsi denicq; promiscuè in stragem hostilem neruis deficientibus prolabentes expirarunt. Iustinianus uerò percepta hostiũ uictoria Pæram continuò diffugit: mox illinc haud satis cõfirmatus, Chium insulam Ioniæ adnauigat: ubi aut ui uulneris, aut dolore confectus, quòd importunè prælio excessisset, paucis diebus comparata primùm nominis gloria incredibili orbatus, animam egit. uno certè fœlix futurus, si in armis egregius propugnator ad muros Constantinopolitanos mori potuisset. In Turcarum concursu in patentem portã atque introitu, profligati dissipatiq; sunt ex Græcis ac Latinis deuoti circiter octingenti. Superatq; interea muro, armati non pauci eos ciues qui prohibendæ irruptionis causa portam insistebant, saxis ac sagittis è loco superiore impetitos propellunt. Ea uia Turcæ in urbem hostilem admissi, & de loco hominum opumq; plenissimo triumphantes, trucidatis immaniter quoscunq; in armis repererunt, ad direptionem conuertuntur. immensus erat eorum numerus. Singuli prædæ in primis, ac stupris libidinosè crudeliterq; inferẽdis immorantes, nulli prorsus (ut natura feri inhumaniq; sunt) neq; ætati neq; sexui parcere. Stupra cædibus, cædes stupris commiscere: imbelles ac decrepitos senes in seruitutem adigere. Adultos masculos æquè ac fœminas genere obscuriores magno ludibrio in uincula conijcere: uinctos ad pecorum similitudinem præ se cogere. Quòd si in uirginem, aut quamlibet aliam forma egregia fœminam, seu iucundum aspectu masculum incidissent, multis ad eos potiundos concurrentibus, grauis interim pugna oriebatur. Similis erat ratio prædæ splendidioris sacræ

ris sacræ pariter ac profanæ: ad quam præoccupandam tam conferti proruebant, ut eius nomine orta sociali dissensione, nõ pauci mutuis illatis uulneribus interciderent. Cumq; eiusmodi exercitus ex diuersis locis, nationibus, moribus, ac linguis conflatus Constantinopoli triduum in populi uexatione, fortunarumq; omnium expilatione consumpsisset, nullum tam insigne piaculũ fuit, quod non à quoquam magna licentia patraretur. Nec tum magnifico Iustiniani Imperatoris operi ita caueri potuit, ut non ornamentis, quę ibi & aurea erant & argentea supra numerum, quolibet etiam alio splendore penitus spoliaretur: & omni deinde spurcitia inquinatum, ex augustissimo Sophiæ templo nequissimum muliercularum lupanar, ex æde sanctissima uilissimum equorum stabulum redderetur. Neq; adeò sanis cęteris adytisq; minor uis allata. nam raptę ex his uirorum sanctorum reliquiæ, detracta quantumuis humili theca uel emblemate, in populares uias, in colluuiem, in fœdissimas cloacas abiectæ, non hominibus modò impijs, sed & mutis animalibus, & canibus & porcis dabantur conculcandæ. Et CHRISTI Opt. Max. Seruatoris, aut sancti signa cuiuspiam, uel cœno publico immersa, uel securi alio'ue id genus instrumento discissa fordebant. Ergastulis demum in equuleum deditis, ad æraria cùm publica tum priuata, quæ metus hostium in terram defoderat, ab inuitis ediscenda, dictu incredibile est, quantam uim auri atq; argenti & supellectilis artificio miræ ruerint. Quæ opes utinam in munitiones defensioni urbis necessarias collatæ fuissent, dominis fortasse ac patriæ salutẽ attulissent. Sed tum in confesso fuit commune auaris hominibus malum: qui suo cum opus est, uti nesciunt: sed immensis diuitiarum cumulis inhærentes, inopia miseri distorquentur ac pereunt. Cæterùm cum in tertiũ diem continuaretur direptio, nihil penitus urbi pridem fœliciss imæ atq; opulentissimæ reliqui fuit, præter indignam ciuium captiuorum seruitutẽ. Ad quam uitæ supplicio deponendã, cum uincti in hostilia castra pertracti fuissent, Mahummedes condicto primũ Basis ac præfectis suis ex more lauto conuiuio, singulis cibo ac uino ingurgitatis, quasi qui animum quoq; eorum expleturus esset in effundendo Christianorum hominum sanguine, captiuos ad sese duci imperat, & cædi, ex mandato, ac membratim dissecari præsens intuetur. Ex ciuibus cum Ritelucas quidã, qui domi inter suos primas semper apud Constantinum tenuerat, coràm ad cruentã cædem staret, iugulato in eius conspectu ex filijs eius natu maiore, uenustiore altero Mahũmedi ad libidinem reseruato, laqueo ipse extinguendus permittitur. Pari crudelitate cum peregrinis agi cœptum est: quibus aut mori proximum fuit, aut quam citissimè multa pecunia uitã redimere. Minimò seruatus est Isiodorus Ruentenus Cardinalis, qui Constantinopolim multo ante obsidionem à Romano Pontifice Nicolao quinto legatus missus, in expugnatiõe urbis sumpto habitu uilissimo, cũ in militis stipẽdiarij manũ deuenisset, Turca sortis captiui nescius, hominẽ numeratis Aspris nõ multis, qui nũmus Turcis familiaris est, liberũ facit. Postremò expugnata Cõstantinopoli, præsidium Pærę, quod ex Liguribus erat, armis cõtinuò depositis, legatos ad Mahummedẽ mittit, qui et locũ ultro offerãt, & deditionẽ ueniãq; exorent. Pollicetur id quidẽ præsentibus: sed non ita multo pòst cũ omnibus copijs in Pærã hostiliter irrũpit, & statim publica fide uiolata, populari, uexare, uastare, pueros uendere, matronas abducere, senes uincire, iuuenes interficere, nulli omnino neq; ætati neq; sexui parcere, fana, palatia, domos, muros, omnia solo æquare aggredit. Pacata eum in modũ Græcia, bonã exercitus partem in certum temporis spaciũ exautorat ipse cum ijs quos ad custodiam sui ac præsidium urbis retinuerat: Constantinopolim in nouam imperij sedem triumphator pacatissimus recedit.

## DE CASTELLINOVI DALMATIAE OBSIdione, expugnatione, ac direptione.

SOleimanus Turca cum grauiter & iniquo animo ferret Castellumnouum, quod oppidū Dalmatiæ est, sibi nuper à Carolo Austrio Romanorum Imperatore ereptum fuisse, secumq; cogitaret quanti sua interesset id genus hostem in suum imperium pedem intrusisse, atque altius figere conari: quanto porrò usui honoriq; foret, si eiecto è suis finibus hoste, locum ipse recepisset: id unum in primis instituerat, omneis sumptus, uires, industriā, in eiusmodi expeditionē collocare. Quamobrem cum iam amplius eum animi cruciatum ferre non posset, cōuocatis ad sese suis Visiris, id illis negotium cōmunicat. Quibus cum explicasset dolorem, quem cōceperat ualde magnum ex illata sibi iniuria tum, cum Austrius eum locū occupasset, docuisset q; quantū rerum suarū detrimentū periculumq; sustineret amisso Castellonouo, cum in eius fundamenta prima tantum pecuniarū impendisset, in spem statuendi illic firmissimi propugnaculi ad prohibendos quorumlibet impetus, & diuturnum imperium longa pace retinendum: quem tamen locū, se de sua spe deiecto, Carolus hostis possideret, & eum quotidie ualido collocato præsidio, aduersum se re frumentaria generisq; omnis cōmeatu muniret: illi tandem eius partim uoluntate, partim rationibus adducti, maturè habendos esse delectus, & manus terra mariq; exercitatissimas eò conducendas esse censuerunt. Fuit in his præfectus eius maris quod obnoxiū Soleimano est, Aeneobarbus. Eum ipse collaudatis omniū sententijs, qui classem copiasq; deduceret, legatum constituit. qui quidem pro suo in Soleimanum officio rebus ad profectionem necessarijs qua potuit diligētia comparatis, nactus idoneam ad nauigandū tempestatē, soluit. Cæterùm secundis uentis in altū prouectus adeò maturat, ut breui admodū intermisso tempore, agmen eius primū, quod nauium erat circiter septem & uiginti, quibus Cisutem hominē re nauali clarissimum præfecerat, ad tertium Idus Quintileis Anni à CHRISTO nato millesimi quingentesimi tricesimi noni Castellonouo propinquaret. Iactis anchoris dum Aeneobarbū minoribus itineribus subsequentē opperiuntur, postridie eius diei magna Turcarum multitudo, nihil suspicata periculi, scaphis aquandi causa continentē petijt, & inermis ad fontē, qui ab oppido mille passus aberat, constitit. Ea re per exploratores cognita, quodq; Turcæ ad fontem securius sese indiligētiusq; haberent, oppidani iam antè futuræ oppugnationis admoniti, totis copijs oppido erumpunt, hostesq; ex improuiso tanta ferocitate adoriuntur, ut cæteris in fugam datis, circiter quadringentos conciderent. Fuit hæc iniuria duræ oppugnationis initium. Quandoquidē nuncio ad Aeneobarbum celocibus allato, tam noua repentè animū eius perturbatio, uindictæq; cupiditas inuasit, ut eodē ipse quatriduo quo Cisutes eam cladē acceperat, cū centum & nonaginta nauium classe peruenire, & postero die ad obsidionem toto agmine prouolaret. Cuius aduentu oppidani cōclamare intus omnes, concrepare armis, alij ad portas sese opponere, alij propugnacula uallumq; cōscendere, magna multitudo mœnia cōplere, ac certis custodijs aditus obtinere: omnes sic animo parati esse, ut hostem perrumpere conantē, ex superiore loco facilè se oppressuros non dubitarent. Contrà Aeneobarbus ne manipularē quidem exponebat, sed instructa tantummodo classe, obnitentibus omni ex parte tormentis præliabatur. Illi ediuerso periculum sub murum consistendo effugere, machinas pariter in hostem alacriter torquere, neq; sibi ullum putare ab Aeneobarbo periculū impendere, si nauali solùm exercitu oppidum inuaderet. Sed & se ibidem quoq; eodem ferè tempore statuerunt Ballibeches, Ollambas, & Mustaphas

Mustaphas Sangiachi, quos Byzantio discedẽs Aeneobarbus, terrestribus cõ-
piis eò per Bosſynam deducendis præfecerat, & singulos quindenis Ianizaro-
rum millibus duces assignarat. Ad hunc præterea numerũ mandato eius acces-
serunt Molarchæ & Martelotę ad triginta quinq; millia, quos suis ipse nauibus
ad obsidionem deportarat. Quæ omnis aggregata multitudo cum fuisset, mil-
lium erat armatorum circiter octoginta. Castris igitur ad urbis murum positis,
circumiectoq; totis mœnibus exercitu, Turcæ indignantes quòd tantæ multi-
tudinis conspectũ rari hostes ferre possent, signũ prælij quotidie exposcebant.
Aeneobarbus autẽ dandum nõ putabat, quia magno detrimento, multorumq;
uirorum fortium morte necesse esset constare hanc uictoriã. Sed utilius esse ar-
bitratus uel dolo oppidũ in potestatẽ redigere, uel necessitate aut pollicitis ad
deditionem cogere, suos rationibus consolabatur, atq; interim modũ fraudis
locíq; intercipiendi excogitabat. Cũ uerò nihil ea uia proficeret, fecialem cum
his mandatis paucissimis ad Franciscũ Sarmientanũ Caroli Imperatoris legatũ
mittit: Si oppidum in ditionem eius dedat, fore ut ipse numeratis in singula ca-
pita denis aureis, oppidanos nullo uitæ fortunarumq; detrimento, oppido exi-
re permittat: sin, quod fore nõ arbitratur, oppidi expugnationẽ, exploratamq;
suam uictoriã expectent, nulli se omnino neq; sexui neq; ætati ueniã daturum.
Sarmientanus ad hæc postulata, pauca respõdit, sibi suisq; auro nihil opus esse:
quo si egeant, opulenti ac liberalis esse Imperatoris stipendiarios, qui omnem
euestigio nummorũ penuriã sua munificentia subleuet. Fide porrò obstrictum
se esse, nemini unquam eius loci præsidijq; deditionem facturũ, nisi Carolo Im-
peratori, qui illo, iure belli, potitur. Qui quidem si oppidũ Soleimano una ma-
nu dedendum mandet, se quoq; ambabus idipsum protinus dediturũ. omnem
alioqui uim iniuriamq; pro defensione eius fortissimè laturum. Audacius ideò
respondit, quòd secum fortunam belli quamlibet tentaturos sciebat Lazarum
Albanum, eum qui expedito equitatui præerat, Ioannem Boschaynum, Mac-
chinum Monghianum, Roscium, Sanzam Frianum, Oliuerium, Burgundio-
nem, Mandozam, Lodoicum Sandalium, Arianum, & Maschessam, Germa-
nos atq; Hispanos homines strenuos, magnaq; uirtute: quos Carolus probatis
eorum animis peritiaq; militari, singulos singulis ueteranorum militum cohor
tibus prefecerat. Neque dubitabat quin facile ipsi cum suis Hispanis ac Germa-
nis, qui millia erant plus minus quatuor armata, hostes prohibere, & oppidum
ab expugnatione uindicare possent. tantum spei ac fiduciæ in uirtute præfecto-
rum studijsq; militum collocarat. Talibus responsis accensus Aeneobarbus, re
pentè ipse ex naui egreditur in continentem, atq; extemplò mœnia circũire, &
locum turribus ac castellis cõstituendis, in quibus tormenta collocaret. & unde
expugnationem moliretur, oppidanosue ad deditionem compelleret, delige-
re cepit. Sed non alienum fuerit in presentia situm faciemq; oppidi describere.
Ipsum, quantum quantũ est, in Catari sinus fauces incumbit. Abest ab Epidau-
ro, quod uulgò Ragusium dicunt, passuum millia circiter quinq; & uiginti, toti-
demq; penè à Cataro. Facie uerò cũ oblonga sit, ipso mari in lumbos eius primũ
aliquatenus influente, tum deinde in sese quasi extremorũ alteri cedere uelit re-
flexo, magna ex parte circũducitur. Quod de toto supereſt, ad uarios quoquo-
uersum colles pertinet, & muro iustæ altitudinis, ac propugnaculo in extremi
utriusq; fronte sito præmunitur. Aeneobarbus ijs diligenter confectis rebus,
classe machinas murales octoginta deportari in aridũ iubet. Quas omneis hũc
in modũ aduersus murũ instruit: A diua Venerãda, longè à cõtinenti passibus
plus minus quingentis triginta duę obnitebãtur, quarũ binæ, quas Basilicas ap
pellãt, octonis rotis fultæ obsidebãt. A ppugnaculo supiore aliæ ab his uiginti

urgebant

urgebant, à salinis triginta aliæ. Instructa id genus obsidione, ab omnibus oppi di partibus oppugnationem aggreditur. Ad quam ipse proposito uexillo fœlicius auspicandã ita se comparabat: de multa adhuc nocte quotidie ex nauibus egressus in castra procedebat: & nunc munitiones adire, tunc tormentis singulis adstare, modò in equitatu esse, modò pedestres copias inuisere, singulos appellare ac cohortari, omnibus animũ pugnandi facere, nihil quod ad fortissimi Imperatoris munus pertineret omittere: neque prius illinc abire, quàm pro se quenq; in conspectu suo egregiam aliquã operam nauasse uidisset. Quod Sangiachi cum animaduerterẽt, haud ignari periculorũ quæ ipse quotidie subibat, multis cum eo precibus agebant, ne postea tantã sui copiã hostibus faceret. orare ut se id muneris obire permitteret, meminissetq; iacturæ quã in eius cæde Soleimanus caperet: quando quidẽ uno ipso sublato, nullis rationibus teneri exercitus posset, quin se præceps in fugam daret. Cæterùm non esse quòd prodeat: oppidũ esse expugnatu facile, defensores intus paucos, oppugnatores foris innumeros, esse deniq; in manibus uictoriam. Ad quam orationem, Si, aiebat, eo sum fato, ut in ista mihi obsidione cadendũ sit, num curæ esse debet, modò id, an serò contingat: gladio an tormento, humi an medio in mari intereã? Quendam porrò nomine Iudæũ castello quod ab occasu eminebat præfecerat, eximiæ uirtutis prudentiæq; hominẽ, qui ne machinis quidẽ ignem admouere, aut etiam uilissimi cuiusq; calonis partes subire uerebatur. Dum ita ex omnibus oppidi partibus Turcæ instant, oppidani nihilominus forti paratoq; animo resistunt. Et nunc lapides ac ligna de muro in ascendentes deijciebant, nunc faces picе ac sulphure illitas, ardentes, in hostiũ manum, qua cõfertissimos uidebant, eminus iaculabantur: eodemq; tempore ex multis partibus eruptiones facere, atq; milites in aggere apparando, stabiliendis ue turribus, aut in muro superando subleuandisq; commilitonibus occupatos adoriri. Sed nimis eorum uirtuti atque animis aduersabatur militum numerus, qui cum pauci semper extitissent, etiam quotidie partim quòd eiusmodi eruptionibus multi interirẽt partim quòd tormentorum crebris ictibus non pauci exanimarentur, rarescebant. In his difficultatibus ecce ad nonũ Cal. Sextileis onerariæ naues duæ idonea tempestate delatæ, Castellonouo appropinquãt. Eas oppidani, quòd Aquilam Romani Imperatoris insigne præferrent, sibi à Carolo in subsidiũ missas, hominumq; intus aliquot esse millia, quæ in oppidum summitterentur arbitrati, crebro ad signi candam lætitiam machinarum strepitu gestire incipiunt. Verùm hæ Epidauricæ naues erant, quæ Turcis commeatum, materiamq; tabulatis munitionũ conficiendis necessariã deuehebant. Calendarũ Sextilium dies octauus diuo Iacobo sacer, multo crudelioris quàm antè terra mariq; oppugnationis author fuit. Ab eo siquidẽ die ad octauũ Idus Sextileis machinæ murum ferire non destiterunt. Atq; eo quidem interuallo nouem missilium pilarum millia, & octingentas ab his expressas fuisse prædicant. Qua quidem ferocitate ac pertinacia cõmotus Sarmientanus, suorũ etiam cũ innumeris pugnantium adductus paucitate, necnõ cæde multorũ atq; urbis dilapidatione, cum porrò sibi ac socijs nihil præter mortem aut deditionem, quam & seram & iniquam fore intelligebat, relictam esse intueretur, indicto extemporali concilio, singulos cohortari cepit, ac suadere uti primùm cũ Deo Opt. Max. in gratiã redeant: deinde CHRISTI in crucem acti prolato signo totum oppidum lustrent: præterea ut implorato eius auxilio, signoq; ipsius hostibus proposito, murum confidenter tueantur. Huic orationi cũ probè obtemperatũ esse iudicassent, certatim omnes pro aris & focis eo die mortẽ oppetituri, portis erũpunt, deq; improuiso hostes adoriuntur, ibi exiguo quidem tempore, sed tanta animorũ alacritate pugnatum est, ut

ipsi

ipſi prima eruptione pulſis perturbatiſq; hoſtibus: paulatim uerò, ut quiſq; commodè ſibi præſcripſerat, ad ſigna ſe atq; ordines accommodãtibus, peneq; iam redintegratis, cælis tamen illorũ circiter quatuor millib. recipere ſeſe, oppidoq; claudere potuerint. Iduũ ſexto, creſcẽtibus ſemper Turcarũ conatibus, uiribus oppidanorũ ſenſim cadentibus, manipulares duo ſalutẽ defectione quæſituri, clàm ad Aeneobarbũ transfugiũt. Ex ijs quo in ſtatu oppidi res eſſent, qui nouus metus, quæ omniũ rerũ deſperatio ſingulos inuaſiſſet, cognoſcit. Præterea armatos intus pauciſsimos eſſe, cæteros aut ſuperiore pugna muralibus ue pilis, ut ex omnibus oppidi partibus aſsiduè torquebãtur, traiectos languere, aut omnino ijſdem caſibus exanimatos concidiſſe. Caſtelli porrò ſuperioris præſidiũ initio ſeptingẽtorũ decẽ propugnatorũ fuiſſe, de eo numero triginta ſolùm periculo ſupereſſe. His rebus cognitis, Aeneobarbus ſummo ſtudio ſuorũ oppugnationẽ deintegro molitur. ea cepit multa iam nocte ſub ſecundã uigiliã, atq; in craſtinũ uſq; ad horã diei, qui quartus erat Iduũ Sextilium, quartã traducta eſt. Eo ipſo tẽpore ad murũ portasq; oppidi tanta utrinq; pertinacia pugnatum eſt, ut oppidani plurimis hoſtiũ eorũ qui primi murũ aſcenderãt circũuentis, interfectis, de muro præcipitatis, ſed occiſorũ in locũ nouis ſemper ſuccedẽtibus, machinarũ terra mariq; cõtinuo in ſe impetu perterriti, & iniqua numero contentione, ac ſpacio pugnæ defatigati, ad ultimũ, cum iam recenteis atq; integros nõ ſuſtinerent, irruptionẽ loco moti hoſtibus permitterent. Quos cũ toto undiq; muro circũfundi uiderent, ex uallo uniuerſi deſiliunt, atq; in forũ perturbati coeunt. Quo in loco animus quidẽ erat cuneatim cõſiſtere, ut ſe cõtraueni entibus acie inſtructa opponerẽt: ſed dum miſeri in eam rem incũbunt, Turcæ eos ab omni latere circunuenire, aggredi, ferire. His illi paulatim cedendo reſiſtere, hos telis remorari, hos ut cuiq; feriendi poteſtas fiebat, referire. Poſtremò tantam utriq; alteris cladem inferre, ut nihil in ijs non cruentum diffluueret. Sed cum Turcæ omni ex parte prouolantes raras hoſtium reliquias oppreſſum irent, Sarmientanus ueritus ne omnino fugere nõ liceret, denuo receptui canit, ac deorſum in propugnaculũ inferius decurrendũ eſſe ſignificat. Quò, cũ ipſe unà cum Lazaro & Maſcheffa, & Ioan. Boſchayno, paucisq; ſuperſtitibus præfectis, ac manipularibus cõtinenti impetu decurreret: pars acceptis antea uulneribus ſegnior, pars metu nimio quò eundũ eſſet neſcia, hoſtilibus gladijs excipitur. Ad extremum, ex omni eo numero qui oppugnationis initio fuit, circiter quatuor milliũ, ſolus ipſe Sarmientanus cum ijs quos dixi, præfectis & oppidanis plus minus trecentis, propugnaculũ incolumis occupauit. Victores interea prædæ ſtudere, quarũlibet ædium fores frangere, penetralia quæq; ſubire, nihil non intus euoluere: omnẽ hominẽ, ſiquẽ latentẽ reperiſſent, in ſeruitutẽ abſtrahere: ſacris minus quàm prophanis abſtinere: nummos, ſtragula, ſigna, ſupellectilem, munitiones, omnia quæ aſportari poſſent diripere, cætera incendio conſumere. Sarmientanus capto direptoq; oppido, cũ propter machinarũ rerumq; omniũ penuriã, diutius eũ ſe locũ tueri non poſſe cerneret, & Ianizaros inſtare, ac miſeros ad cædẽ cruciatusq; poſcere exaudiret, deſperatis rebus Aeneobarbo, apud quẽ aliquã eſſe miſericordiã credebat, deditionẽ facit. Ianizari nihilominus & Molarchę cæde ſuorũ pręterita, difficultateq; expugnationis incenſi, cum ne mulieribus quidẽ, atq; infantibus, & ætate cõfectis irrumpentes pepercíſſent, haud adhuc manibus ſuorũ ſatis parentatũ eſſe arbitrati, niſi omneis hoſtiũ copias extinxiſſent, deditítios quoq; ad libidinẽ ſuã ſibi tradi oportere fremebant. Verùm Aeneobarbus cõcedendũ nõ putat. Sed quòd remigũ ſumma inopia laboraret, uulgus deditítiorũ in triremes fame uinculisq; excruciandum dedit Sarmientanũ uerò legatũ, & Lazarum expeditorũ prefectũ, cum paucis alijs uinctos ad Soleimanum, ut ſuæ uirtutis atq; induſtrię ſpecimen, amandat,

FINIS.


Th
1318 a